UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

urn:nbn:de:hbz:466:1-74452

Visual Library



Th. 475a.

MAGNUM
BULLARIUM
ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ SUPPLEMENTI loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt EDITIONIBUS, ROMANÆ, & LUGDUNENSI.

Accedunt, prout in Editione Romana, Vitæ omnium Pontificum, Appendices insuper suis Locis restituti.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS NONUS,

CONSTITUTIONES VARIORUM PONTIFICUM

in præcedentibus Editionibus desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens.

Collegii
Universitatis Paderbornen.
1776



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ.

LUXEMBURGI,

Sumptibus HENRICI-ALBERTI GOSSE & Soc. Bibliopol. & Typograph.

M D C C X L I.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONTINUATIO
BOLLANDIANA

ILLUSTRISSIMO ET SUMMO VIRO

CAROLO

E X

COMITIBUS DE BASCHIO, MILITI,

MARCHIONI DE ALBASSIO,

BARONI DE CASTLARIO, DOMINO JUNACII,

GAVERNARUM, S. NAZARII MARISSANICARUM,

TURRIS DE ANGLARIA, &c. &c. &c.

ANDREAS CHEVALIER, &

MARCUS-MICHAEL BOUSQUET cum SOCIIS.

S. P. D.

Opus istud eximium quam plurima exemplaria complectens Historiæ ornandæ necessaria tanto

dicatum oportuit Viro, cujus nec recentis, nec veteris ulla quidem minima Hiſtoriæ pars mentem fugit; cujuſque fama mori immerita ſemper in Hiſtoriis ſuperſtes erit.

Mirabitur forſan popularis aura cùm in prima hujuſce Libri fronte, inſigne quoddam nomen Eccleſiæ Romanæ Principis non viderit; verùm Mirationi jucundior ſuccedet voluptas, Eccleſiæ Præſuli ſuffectum cernendo Militarem Virum qui & inſigni proſapiâ, & altâ Eruditione, & integrâ morum puritate, Clarioribus Eccleſiæ Principibus, Socius, ne dicam ſuperior exſtat.

Tanto igitur fultam patrocinio ſeriem iſtam BULLARII ROMANI *proferre in lucem par erat, ut noſtri in Te ſtudii, animique devinctiſſimi perenne teſtimonium perſtaret.*

Communi gloriatur Patriâ cum illuſtri COMITUM DE BASCHIO *genere, quorum virtutes eximiæ unà cum illorum ſanguine æternis TE dignum præconiis Virum efformârunt: Variis prætexitur Summorum Pontificum Scriptis quibus Majores TUI æquè chari ac venerandi fuerunt: Multa in ſe habet monumenta eadem ac in Hiſtoria, quæ TUI acies ingenii lectione aſſiduâ, nec non labore improbo, licèt antiqua, recentia exhibet.*

Nec ea quæ TE tulit Patria magnis quibus abundat deliciis, nec ea quæ TE educavit Familia ſegmentatis dormientem cunis, nec ea quæ TE-

DEDICATORIA.

TECUM vixit Sociorum mollities, TUAM Hiſtoriæ diſcendæ tenacem cupidinem quatere valuit.

Domuiſti Patriæ delicias Socratis facta legendo, Familiæ fortunas, Catonis facta perpendendo, Sociorum illecebras, TE totum Hiſtoriæ totius ſtudio tradendo. Hæc TUA ſola fuit cura, hæc TUA ſola voluptas fuit.

Inde tantus Hiſtoriæ TUUS utilis labor, inde tantum Occitaniæ Hiſtoricis opportunum conlatum auxilium. Narrabunt ipſorum Scripta quanta in TE exquiſita monumenta Hiſtoria habeat, & quantus illorum ergò fuit Magnificus TUUS & manſuetus animus. Nos verò ne Magna exiguis videamur attenuare verbis, quæ de TE fama narrat, & narratura eſt libenti excipimus animo, felices nimiùm hacce uti occaſione, ut cunctis ſit notum quantâ cum reverentiâ TIBI ſimus Devinctiſſimi.

PRÆFA-

PRÆFATIO

Q. D. B. V.

QUùm diù meditati fuerimus, Lector benevole, quâ methodo prò noſtrâ virili novam hanc Bullarii mantiſſam ordiremur, tùm quod præter eas, quas Cherubinus in unum corpus digeſſerat Conſtitutiones; aliæ inſuper, & propè innumeræ ſparſim undique reperirentur, tùm quia permulta omnium retro-Pontificum diplomata parum ad rem noſtram, & inſtitutum conducerent, quæque vel temporum injuriâ mutila, immò & vitiata comperiremus; ſanè prior ratio eaque præcipua in operis veſtibulo nobis reſtitit, quòd ſcilicèt penè infinitas oculis luſtraremus Romanorum Antiſtitum Conſtitutiones, quarum fœcundiſſima ſeges ad noſtram uſque ætatem adeò excrevit, ut nullam quam adoriremur viam invenire datum eſſet, & veluti ex Labyrintho filo Ariadnes opus erat quod nos inde reduceret.

Hinc mediâ inſiſtere viâ decrevimus, ſcilicèt nec univerſas Conſtitutiones cumulatim digerendo, nec quibuſdam Rempublicam fraudando; quamobrem quemadmodum Apes variis quidem floribus inſidunt, ea tamen decerpunt tantùm, quæ ſibi ad opus profutura ſunt, cætera prætermittunt, nos ex his aliquas tantùm ſelegimus, utpotè digniores, quæ hominum ſingulorum meditationibus ſubjicerentur, eorum primùm, qui Cancellis circumſcripti forenſibus ut plurimùm rerum retro-geſtarum ignari rudi minervâ, quod aiunt, juri dant operam aliquot legum rubricis contenti. Neque eſt quod dicamus de hujuſce operis utilitate. Nòrunt quippe omnes queis meliore luto finxit præcordia Titan, quantùm Reipublicæ literariæ conducerent illuſtriora Antiquitatis monumenta tùm profana, tùm ſacra, quæ quùm ſequioribus elapſis ſæculis Homines, tanquàm pro derelicto haberent, hinc fœda Barbaries inficetis ſæculis oborta, & errorum veluti panſpermia. Quamobrem doctiſſimi viri, ut tantæ fœditati obviam iretur, non renuerunt aſſiduos labores exantlare, inter quos *Miræus*, *Dacherius*, *Leibnitius*, *Ughellus*, *Martene*, *Rymer*, aliique, qui pro ſuo quiſque ingenio omnibus prodeſſe conati ſunt, & hanc pro-

provinciam aggredi non renuerunt, estque in iis, cur ei posteritas omnes gratias agat, & porrò aget, dum aliquis honor erit litteris & bonis mentibus.

Multa profectò sunt, fatemur, amice Lector, quæ nobis vitio vertere possis, & primùm, quòd quædam Bullæ supersint adhuc, quas hoc in opere prætermisimus: at si penitiùs consideres, nihil est quod mireris; nam quùm tam vastum sit Litterarum Apostolicarum pelagus, & immane jam ad hæc usque tempora excreverit, haud tam facile foret eas in unum corpus congerere, quin magnam, immò ingentem composituræ fuissent Bibliothecam. Secundùm, quòd nullis sint divisæ paragraphis, nullis auctæ notis marginalibus. At neque est heîc in scirpo, ut aiunt, quærendus nodus, neque enim adeò necessaria hæc sunt reputanda, tùm maximè quùm Index in Calce operis quascumque res veluti digito demonstret; atque ut plurimum, quod vide-sis, Ecclesiasticorum monumentorum collectores ea omnia susque deque habuerunt. At si quis hæc nobis objicere jure posse credat, nos tamen non planè lusisse operam existimabimus, si exemplo nostro veluti classico quodam, eruditos ad hæc expolienda, atque amplificanda, Juventutem ad hæc studia vehementiùs capessenda incitaverimus.

Sanè dignius erat notis historicis hasce paginas adornare, quod quidem quùm prolixiorem operam efflagitaret, ardua res erat, & impar viribus nostris: non enim perbreve tempus nobis concessum hoc permiserat. Quippè haud parum utilitatis huic operæ allaturæ erant, & perquàm maximè si præter historias partim quoquè jura gentium attigissent, & jura Ecclesiæ: habes nempè ob oculos quæ gesserant summi Romani Antistites, nedum quibus jura Ecclesiastica sarta-tecta servarent, sed & quibus longiùs Ecclesiæ dilatarent pomœria quâ spiritualia, quâ temporalia, quâ quidem in re, quantum & virium nostrarum modulus potuit, in hoc genere præstitimus.

Hæc ergò sunt, quæ Præfationis loco communicanda tecum, Lector humanissime, arbitrati sumus, ut aliquid de ratione laboris nostri tibi constaret. Tuum nunc est piis votis gnavisque studiis huic nostræ operæ favere, ac optimè de te mereri cupientibus (quod ita esse tu jam judicare poteris) optima quæque vicissim à Deo precari; quô abs te impetrato abundè magnam nobis gratiam profitemur. Fortunet Deus Opt. Max. Vota tua; Vale interim, ac fruere.

PRI-

PRIVILEGIUM
SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

CAROLUS SEXTUS, Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR, Semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtembergæ; COMES Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis, quod, cùm Nobis Noster Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus ANDREAS CHEVALIER *Typographus* LUXEMBURGENSIS, humillime exponi curarit, quem in modum BULLARIUM MAGNUM ROMANUM NOVISSIMUM A BEATO LEONE MAGNO USQUE AD PONTIFICEM NUNC REGNANTEM, *cum suis* SUPPLEMENTIS *in Folio & Novem Tomis* prelo commiserit, vereatur autem, ne æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium gravis in tanto opere Impendii & laboris sui fructu frustretur: Ideoque Nobis demissè supplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurrere clementissimè dignaremur; Nos submissæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum censuerimus: Ac proinde Autoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscunque rem Librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supra nominatum BULLARIUM MAGNUM ROMANUM, sub hoc aliove titulo aut formâ per decem Annorum spatium ab hodierno die computandum intra Sacri Romani Imperii, & Regnorum ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare aliorsumvè impressum apportare citra præfati impetrantis, ejusdemque Hæredum ac Successorum voluntatem in scriptis obtentum ausit vel præsumat. Si quis verò secus faciendo Privilegium hoc Nostrum seu interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis, seu apportatis (quæ dictus ANDREAS CHEVALIER sive propria auctoritate, sive Magistratus loci illius auxilio sibi vindicare poterit) de facto privandum; sed & Decem Marcarum auri puri pœna Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte Libri impressus reperiatur, & consueta ejus quinque Exemplaria Consilio Nostro *Imperiali* Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim verò iis qui in Magistratu existentes vel suo vel Superiorum suorum loco justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur, sed, si quos contumaces compererint, constituta à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem prædictam-

que pœnam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna die vigesimâ secundâ Augusti anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani decimo quinto, Hispanicorum vigesimo tertio, Hungarici & Bohemici verò decimo sexto.

CAROLUS

UT FRID. COMES DE SCHÖNBORN. L.S.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium
I. S. Hayeck de Waldstätten.

Et memoratus Chevalier *pro dimidia parte suprascriptum Sac. Cæs. Maj. Privilegium concessit* Marco-Michaeli Bousquet & Sociis, *ex conventione factâ inter eos Idibus Decembris anni* 1726.

INDEX

INDEX

QUINQUAGINTA QUATUOR ROMANORUM PONTIFICUM,

Quorum Constitutiones juxta temporum seriem continentur in hac Continuatione, Parte Tertiâ.

Hadrian. I. *Romanus*, habet Const. 1. fol. 1.
Sergius II. *Romanus*, habet Const. 1. 1.
Nicolaus I. *Romanus*, habet Const. 1. 1. a.
Leo VII. *Romanus*, habet Const. 1. 1c.
Joannes XIII. *Romanus*, habet Const. 1. 1c.
Benedic. VII. alias VIII. *Romanus*, habet Const. 1. 1d.
Leo IX. *Gallus*, habet Const. 1. 1e
Alexander II. *Mediolanensis*, habet Const. 1. 1f.
Urbanus II. *Gallus*, habet Const. 7. } 8. 2
idem in addenda fol. 1. 1. }
Paschalis II. *Italus*, habet Const. 6. 6.
Gelasius II. *Italus*, habet Const. 1. 10.
Calistus II. *Gallus*, habet Const. 6. 10.
Honorius II. *Bononiensis*, habet Const. 2. 15.
Innocentius II. *Romanus*, habet Const. 4. 15.
Eugenius III. *Italus*, habet Const. 2. 18.
Hadrianus IV. *Anglicus*, habet Const. 3. 20.
Alexander III. *Tuscus*, habet Const. 4. 24.
Lucius III. *Etruscus*, habet Const. 5. } 6. 27.
idem in addenda *fol.* 2. 1. }
Urbanus III. *Mediolanensis*, habet Const. 3. 30.
Gregorius VIII. *Beneventanus*, habet Const. 1. 32.
Clemens III. *Romanus*, habet Const. 2. 32.
Cœlestinus III. *Romanus*, habet Const. 3. 33.
Innocentius III. *Italus*, habet Const. 10. } 11. 34.
idem in addenda *fol.* 2. 1. }
Honorius III. *Romanus*, habet Const. 6. } 7. 41.
idem in addenda *fol.* 3. 1. }
Gregorius IX. *Campanus*, habet Const. 4. } 5. 44.
idem in addenda *fol.* 4. 1. }
Innocentius IV. Genuensis habet Const. 7. } 19. 48.
idem in addenda *fol.* 4. 12. }
Alexander IV. *Anagninus*, habet Const. 6. } 10. 51.
idem in addenda *fol.* 11. 4. }
Urbanus IV. *Gallus*, habet Const. 2. } 5. 53.
idem in addenda *fol.* 18. 3. }
Clemens IV. *Gallus*, habet Constit. 6. fol. 54.
Gregorius X. *Placentinus*, habet Constit. 6. 78.
Martinus II. alias IV. *Gallus*, habet Constit. 6. 84.
Nicolaus IV. *Asculanus*, habet Constit. 7. 98.
Cœlestinus V. *Samnis*, habet Constit. 1. 106.
Bonifacius VIII. *Anagninus*, habet Constit. 14. 107
Benedict. X. alias XI. *Gallus*, habet Const. 2. 104.
Clemens V. *Gallus*, habet Const. 21. 125.
Joan. XXI. alias XXII. *Gallus*, habet Const. 22 151.
Benedict XI. alias XII. *Gallus*, habet Const. 5. 178.
Clemens VI. *Gallus*, habet Const. 6. 185.
Innocentius VI. *Gallus*, habet Const. 5. 200.
Urbanus V. *Gallus*, habet Const. 4. 203.
Gregorius XI. *Gallus*, habet Const. 6. 206.
Urbanus VI. *Neapolitanus*, habet Const. 6. 209.
Bonifacius IX. *Neapolitanus*, habet Const. 1. 219.
Alexander V. *Bononiensis*, habet Const. 1. 220.
Joannes XXII. alias XXIII. habet Const. 3. 223.
Martin. III. alias V. *Romanus*, habet Const. 4. 225.
Eugenius IV. *Venetus*, habet Const. 20. 233.
Nicolaus V. *Sarzanensis*, habet Const. 13. 250.
Callixtus III. *Hispanus*, habet Const. 1. 264.
Pius II. *Senensis*, habet Const. 8. 265.
Paulus II. *Venetus*, habet Const. 4. 276.
Sixtus IV. *Savonensis*, habet Const. 5. 281.
Innocent. VIII. *Genuensis*, habet Const. 6. 286.

INDEX

INDEX
INITIORUM OMNIUM, ET QUARUM-CUMQUE CONSTITUTIONUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A

Accedens ad, Nicolaus V. 260
Accepimus ex, Pius II. 166
Accepimus Litteras, Eugen. IV. 240
Ad fructus, Martinus IV. 91
Ad liberationem, Nicolaus IV. 99
Ad jugem, Eugenius IV. 242
Ad omnium, Clemens V. 134
Ad procurandum, Gregorius XI. 206
Ad providam, Clem. V. 148
Ad tranquillitatem, Eugenius IV. 249
Ad veſtram; Innocentius III. 41
Ad univerſalis, Sixtus IV. 281
A noſtra, Alexander III. 24
Apoſtolicæ Sedis, Innocentius VIII. 300
A regalia memoria, Nicolaus IV. 102
Aſſueta Sedis, Alexand. IV. *Addenda* 12
Attende fili, Clem. V. 138
Attendentes, Joannes XXII. 158
Attendentes, Clemens VI. 198
Auditum eſt, Urbanus II. 3
Audivimus, Urbanus III. 32
Auſculta, Bonifacius VIII. 121

B

Beatorum Petri, Eugenius III. 19
Bello jam, Pius II. 267
Bonorum omnium, Urbanus II. 4

C

Celſitudini Regiæ, Gregorius X. 83
Celſitudinis tuæ, Innocentius IV. *add.* 9
Certum proceſſum, Joannes XXII. 167
Clamat in, Alexander IV. *Addenda*. 16
Clara devotionis, Urbanus VI. 215
Claris patere, Clemens V. 125
Clericis Laicos, Bonifacius V. 110
Commiſſam nobis, Eugen. IV. 243
Conditor Univerſitatis, Leo VII. 1. c.
Conſtituti in, Urban. VI. 209
Conſtituti ab eo, Lucius III. 30
Creditam nobis, Sixtus IV. 283
Creſcit facile, Joannes XXII. 156
Cum ab eo, Lucius III. 30
Cum anteceſſor, Urbanus III. 31
Cum à nobis, Honorius III. 44
Cum à nobis, Gregorius X. 84
Cum cariſſimo, Innocentius IV. *addenda* 9
Cum de his, Joannes XXII. 174
Cum dilecti, Innocentius IV. 50
Cum ex injuncto, Adrianus IV. 22
Cum Fiſcanenſe Cæleſtinus III. 34
Cum jam, dudum, Clemens IV. 56
Cum illos, Benedictus XII. 178
Cum in Lateranenſi, Clemens III. 33
Cum juxta, Joannes XXIII. 223
Cum magiſter, Alexander IV. 51
Cum nos, Alexander IV. *addenda*. 11
Cum olim, Innocent. IV. *addenda*. 6
Cum Reges, Honorius III. *addenda*. 3
Cum ſedes, Innocentius IV. *addenda*. 5
Cum ſicut, Innocent. IV. *addenda*. 9
Cum ſit in Lateranenſi, Clem. III. 29
Cum Venerabiles, Eugenius IV. 239
Cum anniverſæ, Urbanus II. 2
Cum univerſi, Clemens III. 33
Cum univerſi Chriſti, Cæleſtinus III. 34
Cum uſus, Urbanus V. 206

D

Debitum æquatis, Innocentius IV. 202
Deceſſorum ſtatuta, Calixtus II. 12
Decet excellentiam, Martinus IV. 94
Deſiderantes, Clemens VI. 197
Deum time, Bonifacius VIII. 120
Dignis laudibus, Innocentius III. 38
Dilectum filium, Innocentius VI. 201
Divina Providentia, Martinus V. 225
Dolenter audivimus, Joannes XXII. 153
Dudum ad, Nicolaus IV. 99
Dudum ad, Nicolaus IV. 105
Dudum affectionibus, Clemens VI. 193
Dudum perſonam, Joannes XXII. 161
Dudum poſt, Joannes XXII. 158
Dudum poſt, Joannes XXII. 163
Dudum poſtquàm, Clemens V. 133
Dudum propter, Martinus IV. 96
Dudum prout, Clemens V. 133
Dudum te, Benedictus XII. 179
Dum diligenter, Benedictus XII. 183
Dum intra, Eugenius IV. 240
Dum intra, Eugenius IV. 243
Dum Regalis, Martinus IV. 95

E

Eccleſias quam, Paſchalis II. 8
Eccleſiarum utilitati, Honorius III. 42
Etſi à, Paulus II. 277
Etſi animarum, Urbanus VI. 217
Etſi Chariſſimus, Innocentius III. 39
Etſi de ſtatu, Bonifacius VIII. 113

Etſi

Etsi Propheta, Nicolaus V. 261
Exæssus graviſſimos, Urbanus XI. 207
Ex devotionis, Clemens V. 126
Exigit veſtræ, Paulus II. 279
Eximiæ devotionis, Gregorius XI. 207
Exiſtimantes olim, Eugenius IV. 237
Ex parte, Clemens V. 145
Ex parte Chariſſimi, Nicolaus IV. 102
Expectavimus, Honorius III. 41
Ex tenore, Urbanus III. 31

F

Faciens miſerieordiam, Clemens V. 127
Faciens miſericordiam, Clemens V. 136
Fervens anglorum, Innocenius IV. *Addenda.* 5
Filiorum dextera, Innocentius IV. *Addenda.* 6
Flagitioſum, Benedictus XI. 124
Fratres cariſſimi, Sergius II. 1
Fungentes pii, Cæleſtinus V. 106

G

Gerentes cordi, Nicolaus IV. 105
Glorioſus, Bonifacius VIII. 107
Gratias agimus, Leo IX. 1c.
Gratus Nuntius, Eugenius IV. 238

H

Habet Eccleſia, Innocentius IV. *Addenda* 10
Habet inſinuatio, Joannes XXII. 152
Habet in te, Clemens V. 125
His ex, Benedictus XIII. Anti-Papa 226
Hodie dilectum, Pius II. 265
Hodie dilectum, Pius II. 266
Hodie dilectum, Sixtus IV. 283
Hodie ſiquidem, Innocentius VIII. 303

I

Illa perſonam, Innocentius IV. *Addenda.* 4
In Apoſtolicæ, Joannes XXIII. 223
In Apoſtolicæ Sedis, Alexander III. 26
In caſſum, Joannes XXIII. 223
In conſpectu, Innocentius IV. 49
In Litteris, Gregorius X. 78
In nomine, Calixtus II. 14
In ſupremæ, Urbanus VI. 218
Ineffabilis ſummi, Pius II. 271
Infuſum à Deo, Joannes XXII. 158
Inſonuit Fili, Urbanus V. 203
Intendentes, Clemens IV. 78
Inter cætera, Eugenius IV. 247
Inter cæteras, Clemens IV. 73
Inter felicitates; Pius IV. 275
Inter innumeras, Nicolaus V. 259
Inter ſollicitudinis, Urbanus VI. 217
Juſtus Dominus, Innocentius II. 16
Juſtis Petentium, Lucius III. 30
Juſtis votis, Paſchalis II. 9
Juſtiſſima quamvis, Pius II. 268

L

Licet deſiderium, Nicolaus V. 260
Licet Guilelmus, Clemens V. 148
Licet olim, Pius II. 265
Locorum venerabilium, Innocentius II. 17
Longa retro, Martinus IV. 84

M

Magnæ devotionis, Bonifacius XI. 219
Magnam laudem, Nicolaus V. 259
Miramur, Innocentius III. 40
Mirari cogimur, Gregorius XI. 208
Multo ſicut, Clemens V. 142
Multotiens, Innocentius III. 36

N

Ne celſitudo, Joannes XXII. 166
Ne glorientur, Innocentius IV. 48
Nefandum, Gregorius X. 79
Ne ſuper iis, Joannes XXII. 178
Nobilis vir, Eugenius III. 19
Non inſolitum, Alexander IV. 51
Non leditur, Honorius III. 44
Nonnullis, Innocentius IV. 48
Non ſine, Gregorius XI. 208
Non ſolum, Alexander IV. 52
Non ſolum, Urbanus IV. *Addenda.* 23
Noſtis fratres, Urbanus II. *Addenda.* 1
Nuper ad, Bonifacius VIII. 117
Nuper cum, Urbanus VI. 218
Nuper excellentiæ, Benedictus XII. 184
Nuper in, Clemens V. 150
Nuper in, Joannes XXII. 176
Nuper quanto, Innocentius VI. 201
Nuper ſiniſtris, Innocentius VI. 200
Nuper tibi, Nicolaus IV. 102

O

Ob tuorum, Bonifacius VIII. 109
Olim dilectus, Bonifacius VIII. 108
Olim regna, Clemens IV. 54
Omne datum, Alexander III. 24
Omne datum, Lucius III. 27
Ordinis veſtri, Joannes XXII. 155

P

Paſtoralis, Clemens V. 126
Paſtoralis officii, Eugenius IV. 245
Patris æterni, Alexander IV. 52
Perſonam cariſſimi, Joannes XXI. 152
Perſonam cariſſimi, Joannes XXII. 155
Pervenit ad, Honorius III. 42
Pervenit nuper, Innocentius VI. 201
Petitio, Clemens VI. 199
Petitio tua, Innocentius IV. 49
Petitio tua, Innocentius IV. 50
Petitionibus veſtris, Alexander IV. 53
Pium eſſe, Urbanus IV. 53
Poſtquam ſupernæ, Calixtus II. 14
Potentiæ veſtræ; Hadrianus I. 1
Præ ceteri, Urbanus IV. *Addenda* 18
Pridem ad, Bonifacius VIII. 112
Primo ipſe, Paulus II. 280
Præſentatas, Clemens VI. 193
Princeps inclite: Gregorius X. 82
Pro nonnulli, Eugenius IV. 238
Propter maris, Innocentius IV. 49

Q

Quæ à prædeceſſoribus, Hadrianus IV. 29
Quæ Beati Petri, Calixtus II. 12
Quæ in præjudicium, Cæleſtinus III. 34

Quæ Religionis, Calixtus II. 12
Quam sit, Urbanus V. 203
Quam sit, Nicolaus V. 251
Quandoquidem, Alexander II. 1 f
Quanto melior, Innocentius III. 38
Quanto inter, Clemens V. 135
Quas ob, Felix V. 258
Qui ad recipienda, Innocentius III. 35
Qui regna, Martinus IV. 91
Quia sicut, Clemens V. 132
Quia cœlum, Urbanus IV. addenda. 19
Quia licet, Joannes XXIII. 1 c
Quia licet, Benedictus VII. 1 d
Quia Deo, Clemens IV. 73
Quia nonnunquam, Innocentius IV. addenda. 11
Quia proximis, Eugenius IV. 241
Quia scimus, Clemens VI. 185
Quia prudentiam, Urbanus II. 5
Quia te, Urbanus II. 3
Quo vos, Alexander IV. 52
Quociens in, Lucius III. 30
Quod per prophetam, Paschalis II. 7
Quoniam, Gregorius IX. 47
Quoniam alto, Eugenius IV. 235
Quoniam ad, Gregorius VIII. 33
Quoniam ex, Eugenius IV. 233
Quoniam ex, Eugenius IV. 234
Quos dispensatio, Innocentius II. 17
Quotidie ad, Sixtus IV. 282
Quotiens à fratribus, Hadrianus IV. 20
Quoties à nobis, Innocentius IV. addenda 6
Quum divini, Paschalis II. 7

R

Rationi convenit, Nicolaus V. 250
Recentem habemus, Benedictus XII. 182
Recepimus nuper, Innocentius VI. 201
Receptis Litteris, Nicolaus V. 259
Reddite nobis, Eugenius IV. 257
Redemptoris &, Innocentius VIII. 299
Regalis excellentiæ, Bonifacius. VIII. 111
Regnans in, Alexander V. 221
Regis æterni, Calixtus III. 264
Relatione fratrum, Honorius II. 15
Religionis Monasticæ, Calixtus II. 11
Rex pacificus, Clemens V. 144
Rex qui Regni, Gregorius IX. 47
Rex Regum, Innocentius III. 36
Romani Pontificis, Innocentius VIII. 301
Romanum decet, Paulus III. 278
Romanus Pontifex, Nicolaus V. 261
Romanus Pontifex, Innocentius VIII. 299

S

Sacræ Religionis, Alexander IV. *Addenda* 16
Sacrosanctæ, Innocentius VIII. 286
Sacrorum Canonum, Urbanus V. 205
Salvator mundi, Bonifacius VIII. 116
Sapientiæ immareescibilis, Martinus V. 232
Scelus, Nicolaus I. 1 a
Scimus, Bonifacius VIII. 115
Sedes Apostolica, Urbanus IV. 53
Sedis Apostolicæ, Innocentius VIII. 302
Se Sacerdotale, Urbanus II. 2
Si autoritas, Innocentius II. 16
Sicut boni, Honorius II. 15
Sicut injusta, Innocentius III. 36
Si fratrum, Joannes XXII. 165
Significatum nobis, Paschalis II. 8
Si justa, Innocentius III. 36
Si justa, Nicolaus V. 252
Singularis devotionis, Eugenius IV. 236
Singulare semper, Urbanus II. 5
Si nobilis, Gregorius IX. 44
Solemnis natalis, Eugenius IV. 239
Solicitudo Pastoralis, Sixtus IV. 284
Statuimus, Bonifacius VIII. 109
Super muros, Honorius III. 43
Super Petri solio, Bonifacius VIII. 118
Super omnia, Joannes XXII. 155
Supra montem, Clemens V. 135

T

Tanquam universalis, Bonifacius VIII. 114
Tanto nos, Nicolaus V. 256
Tuæ devotionis, Clemens V. 142
Tunc injunctum, Martinus V. 225

V

Vas electionis, Joannes XXII. 151
Venerunt ad, Eugenius IV. 238
Vestris excessibus, Gregorius IX. 46
Vice Beati Petri, Alexander III. 26
Vir unus, Innocentius III. 35
Unitati Divinæ, Gelasius II. 10
Universis Archiepiscopis, Innocentius III. *Addenda* 2
Vocatis nobis, Joannes XXII. 151
Vocatis nobis, Joannes XXII. 154
Ut eo, Benedictus XI. 124
Ut eorum, Joannes XXII. 162
Ut notam, Innocentius IV. *Addenda* 5
Ut Rex, Gregorius X. 83

Z

Zelus Catholicæ, Gregorius XI. 208

INDEX
INITIORUM QUARUMCUMQUE CONSTITUTIONUM AC RUBRICARUM PONTIFICUM;

Quæ in hoc Opere continentur.

HADRIANUS I.

POtentiæ veſtræ, &c. Carolo Magno Muſiva, & Marmora Palatii Ravennatis auferenda concedit: anno 782. Pag. 1

SERGIUS II.

Fratres cariſſimi &c. Excerptum ex Epiſtolâ *Sergii* ad Epiſcopos Tranſalpinos, quâ Drogonem Archi-Epiſcopum Metenſem Caroli Magni Imperatoris Filium naturalem deſignat Vicarium ſedis Apoſtolicæ in Gallia & Germania: an. 844. 2

NICOLAUS.

Scelus, quod! &c. Decreta Synodalia Pontificis contrà Lutharium Regem, qui dimiſſâ uxore legitimâ alteram duxerat, contrà Synodum Mettenſem, contrà Epiſcopos alioſque Luthario adhærentes anno 863. 1 a.

LEO VII.

Conditor univerſitatis &c. Ne Fœminæ ingrediantur Cœnobium S. Martini Turonenſis niſi orationis cauſſâ: an..... 1 c.

JOANNES XIII.

Quia licet &c. Theodorico Trevirenſi Archiepiſcopo, Romæ tùm degenti, honores ac Privilegia auget, Galliæ, Germaniæque Primas conſtituitur: an. 969. 1 c.

BENEDICTUS VII. Dict. VIII.

Quia licet &c. Theodorico Trevirenſi Archiepiſcopo: quô ei in poſterum honeſtum Hoſpitium Romæ ſiſteret, Cellam quatuor Coronatorum ei, ejuſque ſucceſſoribus utendam perpetuum adſcribit: anno 974. 1 d.

LEO IX.

Gratias agimus &c. Confirmat Privilegia Eccleſiæ Colonienſis & Hermanno Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus concedit titulum Cancellarii S. R. Eccleſiæ, & Cardinalis S. Joannis ad Portam Latinam, in Eccleſiâ verò Colonienſi creat ſeptem Presbyteros Cardinales, totidemque Diaconos, ac Subdiaconos: anno 1054. 1 e.

ALEXANDER II.

Quando quidem &c. Confirmat Harlebeccani Collegii Canonicorum Inſtitutionem. 1 f.

URBANUS II.

1. Cùm univerſæ &c. *Diploma Urbani quo confirmat Largitiones & Donationes quaſcunque factas à Rogerio Calabriæ Comite & Siciliæ, Ambroſio Abbati Liparitano ſcilicet ipſam Inſulam Liparenſem, Monaſterium & omnia bona eidem pertinentia.* 2.
2. Si ſacerdotale &c. Conſtitutio ad Raynaldum Archiepiſcopum Remenſem, & ſuffraganeos ejus contra Polygamos eoſve qui ferarum ritu promiſcua haberent connubia. *ibid.*
3. Auditum eſt &c. Conſtitutio ad Richerium Senonenſem, & cæteros Francorum Epiſcopos, quâ Regem excommunicatum abſolvi vetat eoſque ad Synodum Arelatenſem invitat. 3
4. Quia te &c. Conſtitutio ad Guichardum Epiſcopum Conſtantienſem quâ excommunicationem in Henricum Regem & Ravennatem Hæreſiarcham à Gregorio VII. latam confirmat, & in eorum ſectarios, indè quæ agenda in Clericos ab Epiſcopis excommunicatis ordinatos conſtituit. 3
5. Bonorum omnium &c. Conſtitutio ad Canonicos Sancti Martini Eccleſiæ Turonenſis contrà ſimoniacos ne præbendæ vel alia beneficia in poſterum vendantur, emantur. Poſteà ejuſdem Eccleſiæ jura ac Privilegia quæquæ confirmat. 4
6. Quia prudentiam &c. Diploma ad Rogerium Siciliæ Comitem, vi cujus Siciliæ Reges in ſuo Regno intendunt repræſentare ſpeciatim Pontificem Romanum. 5
7. Singulare ſemper &c. Diploma quo conlatum Archiepiſcopo Salernitano privilegium continetur, videlicet ut Primatum ſuper Conſanam & Acheruntinam Archiepiſcopales ſedes, earumque ſuffraganeos gerat. *ibid.*
8. Noſtis fratres &c. Inſtitutio Cruciatæ contra Turcas in Concilio Senonenſi, anno 1095. *Addenda.* 1

PASCHALIS II.

1. Quod per &c. Gratulatur Paſchalis exercitui in Paleſtina militanti ob obtentam victoriam, & ad proſequendum cœpta adhortatur. 7
2. Quum divini &c. Confirmatio electionis Norigaudi Epiſcopi Auguſtodunenſis, ejuſque Eccleſiæ jurium. 7

3. Eccle-

3. Ecclesia quam &c. De reformandis moribus Compostellanæ Ecclesiæ deformibus, qui per bella in eam irrepserant. 8
4. Significatum nobis &c. Mandat Archiepiscopis & Episcopis Provinciarum Remensis, Senonensis ac Turonensis, ut Philippum Regem ejusque pellicem à vinculo excommunicationis absolvant; mox sequitur ejusdem Regis juramentum. 8
5. Sicut injusta &c. Berengardo Gerundensis Episcopo privilegia quæque confirmat. 9
6 Justis votis &c. Confirmat Stephano Episcopo Augustodunensi universa privilegia Norigaudo pridem concessa. 9

GELASIUS II.

7. Unitati divinæ &c. Confirmatio Gualterii in Archiepiscopum Ravennatem post Schisma ejuratum, cique pallium cum aliis juribus concedit. 10

CALIXTUS II.

1. Religionis Monasticæ &c. Privilegium Monasterii Cluniacensis. 10
2. Quæ Beati Petri &c. Berardo Episcopo Matisconensi Episcapale munus interdicit, donec satisfaciat de illatis Monasterio Cluniacensi injuriis. 12
3. Quæ Religionis &c. Confirmat regimen Ecclesiæ Bornhemiensis commissum Affligemiensibus precibus Clementiæ sororis suæ Flandriæ Comitissæ. 12
4. Decessorum statuta &c. Privilegium Maternitatis, quam vocat, Ecclesiæ S. Joannis Provinciæ Bisuntinæ in Ecclesiam S. Stephani ejusdem Provinciæ. 12
5. Postquam supernæ &c. Confirmatio jurium Primatus Toletanæ Ecclesiæ. 14
6. In nomine sanctæ &c. Concordatum Nationis Germanicæ antiquissimum circa electiones & Investituras Episcoporum & Abbatum inter Imp. Henricum V. & Papam Calixtum II. factum Vormatiæ in conventu Imperii, Præsente Legato sedis Romanæ Lamberto Cardinali Episcopo Ostiensi, cum aliis duobus Cardinalibus. 14

HONORIUS II.

1. Sicut boni &c. Confirmatio excommunicationis latæ in Fulconem Comitem Andegavensem. 15
2. Relatione Fratrum &c. Damnatio parvæ consuetudinis exigendi pecunias ab his qui recipiuntur in Canonicos. 15

INNOCENTIUS II.

1. Si autoritas &c. Lothario Imperatori concedit allodium Terrarum Comitissæ Mathildæ. 16
2. Justus Dominus &c. Erectio Ecclesiæ Januensis in Metropolim. 16
3 Locorum venerabilium &c. Confirmat immunitatem Ecclesiæ Marsnensis & substitutionem Monachorum loco Canonicorum. 17
4 Quos dispensatio &c. Regium titulum Rogerio Siciliæ Regi ab Honorio concessum confirmat. 17

EUGENIUS III.

1. Nobilis Vir &c. Mandat ad Bermundum Biterrensem antistitem, ut Trencavello Vicecomiti Biterrensi permittat Capellam suo in Palatio construere. 19
2. Beatorum Petri &c. Canonicis Petri Romanæ quartam oblationum partem concedit. 19

HADRIANUS IV.

1. Quæ à Prædecessoribus &c. Excommunicatio Gaufredi Comitis Ruscinonensis, qui legitimâ uxore dimissâ adulteram sibi copulaverat. 20
2. Quoties à fratribus &c. Bulla Hadriani Papæ quarti, Confirmationis compositionem inter Episcopum & Comitem Gebennensem. 20
3 Cum ex injuncto &c. Alia Bulla ejusdem Papæ, per quam confirmat quascunque Largitionis factas Ecclesiæ Gebennensi per Serenissimum D. Fredericum Imperatorem, & *Bullarii Romani Continuatio* Pars III. possessiones & bona quæcunque, quæ Geb. Ecclesia habebat, vel haberet in futurum, usibus illius perpetuis corroborat. 22

ALEXANDER III.

1. A nostra &c. Enarrat quomodo à Romanis sit exceptus 24.
2. Omne datum &c. Templum quod situm est Jerosolymis; variis communit Privilegiis, prohibens ne quis temere prædictum locum perturbet. 24
3. In Apostolicæ Sedis &c. Epistola Alexandri Papæ III. ad Joscium Archiepiscopum Turonensem & ejus suffraganeos. Confirmat sententiam interdicti latam in Cismarinam terram regis Angliæ propter vim illatam S. Thomæ Cantuarienſi Archiepiscopo. 26
4. Vice Beati Petri &c. De matribus quæ prolis suæ procurant interitum: de incestis, & alia fœda libidine: de iis qui cum sicca fæce vini, & micis panis vino intinctis, Missam faciunt: de matrimoniis sine sacerdotali benedictione factis, 26

LUCIUS III.

1. Omne datum &c. Templariis Privilegia ab Alexandro concessa confirmat. 27
2. Cum sit &c. De quibusdam abusibus in Diœcesi Pictavensi corrigendis. 29
3 Justis petentium &c. Donationes Godefridi I. Henrici I. & Godefridi II. Brabantiæ Ducum, in favorem equitum Templariorum confirmat, 30
4. Cum ab eo &c. Canonicis Carnotensibus prohibet pluralitatem beneficiorum, & residentiam præscribit. 30
5. Quociens in &c. Confirmatio Sententiæ contra Comitem Gebennensem. 30
6. Si quando &c. Mandat Archiepiscopo Senonensi, quod vetet Monachis, Canonicis, & Regularibus excommunicare, & ab excommunicatione absolvere, nisi facultatem exhibuerint authenticam, undè eis hoc liceat: anno..... *Addenda.* 2

URBANUS III.

1. Ex tenore &c. Bulla Urbani III. quæ confirmat Sententiam latam per Robertum Archiepiscopum Viennensem & Hugonem Abbatem Bonævallis super Controversiis existentibus inter Arducium Episcopum & Willelmum Comitem. 31
2. Cum Antecessor &c. Approbatio ordinum Fratrum Cruciferorum, Hospitalis Bononiensis. 31
3. Audivimus & audientes &c. Ne domus claustrales Laicis dentur aut locentur. 32

GREGORIUS VIII.

Quoniam ad &c. Pro justitia faciendâ & litibus componendis. 32

CLEMENS III.

1. Cum universi &c. Privilegium concessum Scotorum Ecclesiæ & Regi quod à nullo possint excommunicari nisi à Papa, vel ab ejus Legato à latere anno 1188. 32
2. Cum in Lateranensi &c. Quod Monachi & Canonici Regulares per oppida soli non morentur. 33

CÆLESTINUS III.

1. Cum universi &c. Privilegium Ecclesiæ Scotorum: Anno 1192. 33
2. Cum Fiscannense &c. Ne interdicto subjiciantur Ecclesiæ monasterio Fiscannensi subjectæ. 34
3. Quæ in præjudicium &c. De non solvendis pensionibus, & non promittendis Ecclesiis antequam vacent. 34

INNOCENTIUS III.

1. Qui ad recipienda &c. Papæ Innocentii III. Bulla, quâ Episcopo Genevensi potestatem concedit, Censuris Ecclesiasticis ejus Ecclesiæ Clericos cogendi ut sacris ordinibus initientur. 35
2. Vir unus &c. Ad Episcopos provinciæ Turonensis, ut suos hortentur ad ferendas suppetias Balduino Imperatori Constantinopolitano. 35
3. Si justa filii &c. Ad priorem de Charitate, approbat consuetudinem orandi pro malefactoribus. 36
4. Multotiens audivimus &c. Ad Episcopos Galliæ, de vitanda simonia in receptione Monachorum aut sanctimonialium. 36
5. Rex Regum &c. Joannem Anglorum Regem, qui regnum Angliæ Romanæ Ecclesiæ donaverat in Apostolicam protectionem admittit: Anno 1214. Legitur hic Regium Diploma Joannis, quamvis Matthæus Paris, ut testatur Dacherius aliud Diploma ad annum 1213. referat. 36
6. Quanto melior &c. Ad Philippum Francorum Regem, ne imposterùm usuras in suo Regno patiatur. 38
7. Dignis laudibus &c. De electione libera universis & singulis Ecclesiis Angliæ Regni concessa: anno 1215. 38
8. Etsi charissimus &c. Pacta inter Regem Angliæ, & Barones ejusdem Regni damnantur: anno 1215. 39
9. Miramur plurimum &c. Excommunicatio Generalis Baronum Angliæ. 40
10. Ad vestram &c. Excommunicatio specialis in Barones Angliæ 41
11. Universis Archiepiscopis &c. Epistola contra Falsatores, & contra censores malignos. *Addenda* 2

HONORIUS III.

1. Expectavimus hactenus &c. Prælatos Hiberniæ arguit, quod pullulantem inter subditos hæresim tolerarent: anno 1219. 41
2. Pervenit ad &c. Ad Archiepiscopum Bituricensem, contra Judæos in Biturià novas Synagogas constituentes. 42
3. Ecclesiarum utilitati &c. Numerum Canonicorum Anconitanæ Ecclesiæ, duodenarium decernit 43
4. Super muros &c. Petit ab Episcopis Galliæ unam præbendam in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis. 34
5. Non leditur &c Non Episcopos Angliæ, quod pecunias pro expensis Regis colligant. 44
6. Cùm à nobis &c. Bulla ubi Monasterium quoddam Constatinopolitanum adtribuit Monasterio Casinensi. 44
7. Cùm Reges &c. Ludovicum VIII. Francorum Regem hortatur Albigenses Regno exterminare: anno 1225. *Addenda.* 3

GREGORIUS IX.

1. Si nobilis vir &c. Mandat confirmari sententiam excommunicationis in Ducem Britanniæ, & interdicti in terras ejus latam, & si non resipuerit vasallos ejus ab obedientia illi debita absolvi. 44
2. Quoniam abundavit &c. Ad universos Episcopos & Ecclesiæ Prælatos ut fratres Prædicatores ad officium prædicationis, & confessiones audiendas benignè recipiant. 46
3. Veteris excessibus &c. Anconitanos arguit ob commissa scelera in Episcopum Belluacensem, & ni obediant mandatis sedis Apostolicæ, eis excommunicationis sententiam minatur. 46
4. Rex, qui Regni &c. Quod Theobaldus Navarræ Rex revocet statuta contra libertatem Ecclesiæ; Anno 1236. 47
5. Ut notam faciat &c. Institutio Festivitatis Beati Edvvardi, Anno 1227. *Addenda.* 4

INNOCENTIUS IV.

1. Nonnulli de Civitate &c. Quod Auximani teneantur reficere damna illata per exercitum Friderici Imperatoris populo Anconitano: Anno 1246. 48
2. Ne glorientur &c. Facultatem dat Episcopo Anconitano revocandi quæcumque bona in feudum tenerent Alsini, Auximani, &c. 48
3. In conspectu Dei &c. Quod Fratres Prædicatores obsequiis Prælatorum, ac Principum immorantes suis superioribus devotè obediant. 49
4. Propter maris &c. Privilegium Civibus Insulæ Majoricarum; ne in posterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur. 49
5. Petitio tua &c. Quâ Episcopo Genevensi permittit omnibus illis qui eum vel ejus Diœcesis Ecclesias mœrore afficiunt, sacris mysteriis interdicere. 49
6. Petitio tua &c. Quod nulli ex Fratribus Prædicatoribus liceat in electionem vel postulationem de se factam ad Episcopatum, vel alias dignitates invitis superioribus, consentire. Quodque nullus Archiepiscopus nec Apostolicæ sedis Legatus, aliquem de fratribus ad Episcopatum vel alias dignitates assumere præsumat. 50
7. Cùm dilecti filii &c. Ordo sanctæ Crucis Huyensis Leodiensis Diœcesis, approbatus & confirmatus per Innocentium IV. sub Regula S. Augustini & Constitutionibus Fratrum Prædicatorum. 50
8. Illa Personam &c. Quod Angliæ Reginæ Devotionis gratiâ possit ingredi Oratoria, & Claustra Religiosorum cum decem mulieribus: anno 1243. *Addenda* 4
9. Ut notam faciat &c. Solemnizatio Festi Eduardi in Ecclesia Universali celebranda: anno 1243. *Addenda.* 5
10. Cùm sedes &c. Bulla de Pluralitate Beneficiorum: anno 1245. *Addenda.* 5
11. Fervens Anglorum &c. Quod universi Ecclesiarum Patroni in Regno Angliæ possint ad Ecclesias in quibus habent Jus-patronatus liberè præsentare absque contradictionis obstaculo: Anno 1245. *Addenda* 5
12. Quoties à nobis &c. Bulla continens Privilegium Abbati Britoliensi concessum, ut in Festo S. Constantiani in adventu Domini possint Monachi cantare in Missa *Gloria in excelsis Deo*, & *Ite Missa est*: anno 1246. *Addenda.* 6
13. Cum olim felicis &c. Quod Abbates Cistercienses Ordinis nullum ex Fratribus recipiant: anno 1247. *Addenda.* 6
14. Filiorum dextera &c. Bulla continens Indulgentias Cruce signatis concessas, & mandatum de prædicanda Cruce: anno 1250. *Addenda.* 6
15. Celsitudinis tuæ &c. Quod Fratres Prædicatores equitare possint: anno 1250. *Addenda.* 9
16. Cum carissimo &c. Bulla de Collectoribus Redemptionum votorum Cruce signatorum: anno 1252. *Addenda.* 9
17. Cùm sicut &c. De decima danda de Maneriis Episcoporum & Prælatorum Regi Angliæ, in subsidium Terræ Sanctæ: anno 1252. *Addenda.* 9
18. Habet Ecclesia &c. De Querela facta per Clerum Angliæ de gravibus oppressionibus Anglis illatis per Curiam Romanam, ratione provisionum &c. anno 1252. *Addenda.* 10
19. Quia nonnunquam &c. Ad Comitem Pictavensem super tractatu cum Fratre ejus Comite Provinciæ, de transferendo in hunc Regno Siciliæ, tanquam Romanæ Ecclesiæ aperto: anno 1252. *Addenda.* 11

ALEXANDER IV.

1. Non insolitum &c. Revocatio quorundam literarum, & sententiæ ab Innocentio IV. latæ in Regulares: anno 1254. 51
2. Cùm magister &c. Quod nullus fratrum Prædicatorum alii possit peccata confiteri, quàm suis Prælatis, nisi urgente necessitate: anno 1254. 51
3. Patris æterni &c. Quod Fratres Prædicatores & Minores in Diœcesibus eorum constituti, vel qui ad præsentiam Prælatorum pervenerint permittantur uti liberè suis observantiis, statutis & Indulgentiis Apostolicæ Sedis: anno 1255. 52
4. Quo vos in &c. Quod Minister Generalis Fratrum Minorum,

norum, Obligatos Ordini Fratrum Prædicatorum non recipiat: anno 1256. 52
5. Non solum in &c. Ne quis apud Fratres Minores recipiatur ad professionem ante annuam probationem, anno 1256. 52
6. Petitionibus vestris &c. Quod nullus Prælatus possit Fratres Prædicatores ad secum manendum, & sua negotia procuranda assumere: anno 1256. 53
7. Cum Nos &c. Ad Henricum Angliæ Regem quod præstet juramentum fidelitatis Romanæ Ecclesiæ nomine Edmundi Filii sui pro Regno Siciliæ: anno 1255. *Addenda.* 11
8. Assueta Sedis &c. Conditiones sub quibus Siciliæ Regnum conceditur Edmundo Filio Henrici Regis Angliæ: anno 1255. *Addenda* 12
9. Sacræ Religionis &c. Ad Magistrum Generalem, Prioresque Ordinis Prædicatorum; quod dati in socios quibusdam Prælatis possint corrigi, & ad ordinem revocari: anno 1257. *Addenda.* 16
10. Clamat in auribus &c. Eduardo Primogenito Regis Angliæ invasionibus Tartarorum resistendi potestatem largitur: anno 1260. *Addenda* 16

URBANUS IV.

1. Sedes Apostolica &c. Collegia Begghinarum, & Reclusarum Diœcesis Leodiensis in suam potestatem suscipit: anno 1261. 53
2. Pium esse &c. Alterum in favorem Begghinarum Leodinensium anno 1261. 53
3. Præ ceteris rebus &c. Bulla Regi Angliæ super gravaminibus illatis Hiberniæ Clericis per Ministros Romanæ curiæ: anno 1261. *Addenda* 18
4. Qui cœlum &c. Citatio Ricardi Romanorum Regis ad sedem Apostolicam super controversia Electionis inter ipsum, & Alfonsum Castellæ Regem: anno 1263. *Addenda.* 19
5. Non solum &c. De conditionibus à Rege, & Edmundo Filio non observatis, & de Regno Siciliæ alteri concedendo. *Addenda* 23

CLEMENS IV.

1. Olim Regno &c. Declarat ac decernit Angliæ Regem, ac filium ejus Edmundum Regni Siciliæ veros nunquam fuisse possessores: anno 1265. 54
2. Cum jam &c. Suo & Apostolicæ sedis nomine Regnum Siciliæ Carolo Andegavensi Comiti confert: anno 1265. 56
3. Constituti ab eo &c. Caroli Regni Siciliæ illustri, Infeudatio Regni Siciliæ per Dominum Papam CLEMENTEM IV. Domino Carolo S. Ludovici Regis Franciæ Fratri anno 1265. 65
4. Quia Deo &c. Ad Hugonem Comitem Ruthenensem. Permittit ei habere altare portatile: anno 1266. 73
5 Inter ceteras &c. Statuta pro Ecclesia Aniciensi: anno 1267. 73
6 Intendentes quieti &c. Henrico Hugonis Filio Comiti Ruthenensi concedit, ut à nullo Judice sedis Apostolicæ Legato aut subdelegato possit excommunicari: anno 1268. 78

GREGORIUS X.

1. In litteris, &c. Bulla de Generali Concilio ad Lugdunum assignato, anno 1273. 78
2. Nefandum scelus, &c. Processus Gregorij Papæ contra Guidonem de Monteforti, super morte Henrici de Alamania: anno 1273. 79
3. Princeps inclite, &c. Bulla de Insigni pœnitentia Guidonis de Monteforti, pro cæde Henr. de Alemania, & de traditione Guidonis in Carcerem: anno 1273. 82
4. Celsitudini Regiæ, &c. Bulla Regi, de Coronatione proroganda; ne vel suus vel suorum Prælatorum adventus ad generale Concilium impediretur: anno 1273. 83
5. Ut Rex &c. Bulla Regi Angliæ, se non intromittendo Rebus Ecclesiasticis in Vasconia tempore vacationis Ecclesiarum: anno 1274. 83
6. Cùm à nobis &c. Bulla Levellino Principi Valliæ, de quadam compositione, per Prælatos inter dictum Levellinum & Davidem Fratrem suum: anno 1274. 84

MARTINUS II. DICT. IV.

1. Longa retrò &c. Processus habitus contra *Petrum* Regem Aragonum, anno 1282. Indictione undecima. 84
2. Ad fructus uberes &c. Ad superiores Ordinis Prædicatorum, tribuit eis facultatem aliquos ex fratribus suis designandi ad audiendas confessiones. 91
3. Qui Regna &c. Aragoniæ Regnum ad Filium secundogenitum Regis Franciæ transferri præcipit: anno 1283. 91
4. Decet Excellentiam &c. Regi Angliæ mandat, ne Siciliæ & Aragoniæ Reges singulari pugnaturos certamine Wasconiæ Fines ingredi patiatur, neve præsentiæ suæ copiam faceret, locumve duello designaret: anno 1283. 94
5. Dum Regalis &c. Bulla super pecunia in subsidium Terræ sanctæ collecta, & in sacris locis deposita, per Regem Angliæ occupatâ, objurgatoria: anno 1283. 95
6. Dudum, propter &c. De his quæ acta sunt inter Philippum Regem Franciæ & Carolum ejus filium secundogenitum ex unâ parte, & Joannem S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem ex alterâ, super negocio Regni Siciliæ, anno 1284. 96

NICOLAUS IV.

1. Ad liberationem &c. Bulla Regi Angliæ directa, monitoria ut inducat ALFONSUM Regem Aragoniæ, quod intendat liberationi Caroli primogeniti Regis Siciliæ, quem carceri detinuit mancipatum: Anno 1288. 98
2. Dudum ad &c. Pactis, sive conditionibus pro liberatione Caroli Principis Salernitani conventis assensum se præbere nullo modo denunciat: anno 1288. 99
3. A Regali memoria &c. Bulla Regi rogatoria, quod ejus ministerio, Carolus Princeps Salernitanus, plenariæ libertati restituatur: anno 1288. 102
4. Ex parte carissimi &c. De Translatione Abbatiæ de Aberconvvey, & de validitate Bullarum à Pontifice nondum benedicto, & consecrato confectarum, ac electi nomen nullatenus exprimentium: Anno 1289. 102
5. Nuper tibi, &c. Edicit quomodo decima Angliæ Regi concessa colligi debeat, & à quibus, & per quas personas: Anno 1290. 102
6. Gerentes cordi &c. Quod decima debeat colligi secundùm verum valorem, & per personas à sede Apostolicâ deputatas: anno 1290. 105
7. Dudum ad &c. Bulla pro Foro Ecclesiastico contra Diplomata Regis Angliæ: anno 1291. 105

CÆLESTINUS V.

Fungentes pii &c. Bulla Monitoria Regi Angliæ super Pace inter ipsum, & Philippum Regem Franciæ anno 1294. 106

BONIFACIUS VIII.

1. Gloriosus & mirabilis &c. Bulla de Abdicatione Cælestini Papæ V. & Electione Bonifacii VIII. anno 1295. 107
2. Olim dilectus &c. De Concessionibus, & actis quæ antecessor ejus Cœlestinus imprudenter, & ignoranter fecerat revocandis, & adnullandis: anno 1295. 108
3. Statuimus ut &c. Quod Conservatores contra certos Ec-

clesiis à sede Apostolicâ ab injuriis manifestis defendantur, qui jubentur esse Canonici, aut prædicti dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus: Anno 1295. *Conferatur Cap. statutum* II. *de rescriptis in sexto.* 109

4. Ob tuorum &c. CAROLUS II. Siciliæ Rex, & Synodus Sanmaximinensis literas Synodicas & communicatorias de inventione Reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ ad Bonifacium miserunt, & approbationis, ac confirmationis responsum retulerunt, præsenti diplomate egregium reliquiis D. Magdalenæ tribuente testimonium: anno 1295. 109

5. Clericis laïcos &c. De Tallagio ab Ecclesiasticis Personis Papæ licentia non obtentâ non concedendo: anno 1296. 110

6. Regalis excellentiæ &c. De Matrimoniis in ordine ad pacem contrahendis, & detentione Regni Scotiæ Anno 1297. 111

7. Pridem ad &c. Ad Galliæ Archiepiscopos. Permittit decimas colligi ex bonis Ecclesiasticis in Regni subsidium: anno 1297. 112

8. Etsi de statu &c. Explicatio Constitutionis de subsidiis Principibus ab Ecclesiâ non concedendis: Mox sequitur Decretum Cleri Callicani de solvendis Regi biennii Decimis: anno 1297. 113

9. Tanquam universalis &c. De compromisso Regis in Papam tanquam in privatam Personam super bello cum Galliæ Rege: anno 1298. 114

10. Scimus, fili, &c. Bulla monitoria Eduardo Angliæ Regi ut desistat à Bello Scotiæ illato, quum Regnum Scotiæ sit Ecclesiæ Romanæ feudum: anno 1299. 115

11. Salvator mundi &c. Suspendit Privilegia Philippo Regi Franciæ concessa, & membris Consilii ejus: anno 1301. 116

12. Nuper ad &c. Hæreseos objectæ crimen diluit, asseritque se præterita Philippi Regis Francorum appellatione ad futurum seu Pontificem seu Concilium contra eundem processurum: anno 1303. 117

13. Super petri &c. Philippum Regem, enarratis quæ ab eo gesta fuerunt, fidelium cœtu sacrisque segregatum declarat: anno 1303. 118

14. Deum time &c. Bulla quâ suam in temporalibus, & spiritualibus potestatem Francorum Regi denunciat, brevis nimium, quæ vix creditur à Pontifice sine ulla honoris præfatione ad Regem missa in re tanti momenti, sed è prolixiori quâdam, quam post breviorem damus excerptam jure suscipiatur *Bulæus* in *histor. univers. Parisiens.* qui utrasque refert unà cum Regis responso ad Bonifacium: anno 1303. 120

BENEDICTUS X.

1. Flagitiosum scelus &c. Declaratio Excommunicationis contra complices violentiæ Prædecessoris ipsius Bonifacio VIII. factæ Perusii 7. Id. Junii an. 1304. 124

2. Ut eo magis &c. Bulla ad Philippum Francorum Regem revocatoria reservationum beneficiorum à BONIFACIO factarum, & liberam Ordinariis super Beneficia restituit potestatem: anno 1304. 124

CLEMENS V.

1. Habet in te &c. Bulla Angliæ Regi de Provisione pro suo Nepote: anno 1305 125

2. Claris patere &c. Ad Angliæ Regem, ne Nunciis Pontificiis molestias inferat: anno 1306. 125

3. Ex devotionis &c. Bulla quâ, postulante Episcopo Gebennense, Quæsitores nominat qui ejus Diœcesin inspiciant, redituque annuos percipiant, cùm suprà dictus Episcopus ipsemet propter bellum percipere nequeat: anno 1306 126

4. Pastoralis præeminentiæ &c. Anglorum Regi pro Captione Templariorum uno die facienda, eodem modo quo Rex Franciæ processerat: anno 1307. 126

5. Faciens misericordiam &c. Bulla quæ tangit crimina Templariorum confessa, jubetque inquiri super articulis transmissis: anno 1307. 127

6. Pastoralis præeminentiæ &c. Quod omnes Templarii Regni Siciliæ, & eorum bona capiantur uno die, quodque ipsorum Personæ, & bona custodiantur, quodque de ipsis fuerit aliud ordinatum: anno 1307. 131

7. Quia sicut &c. Ad Philippum IV. cognomento Pulchrum Galliæ Regem: de his, quæ egerit ut Principibus Electoribus Germaniæ suaderet electionem Fratris Regis Caroli Comitis Andegavensis in Regem Romanorum: anno 1307. 132

8. Dudum prout &c. Ad Philippum Pulchrum de tractatu cum Republica Venetâ pro Imperio Constantinopolitano pro Carolo ipsius Philippi Fratre obtinendo: anno 1307. 132

9. Dudum postquam &c. Citatio eorum qui Bonifacium Prædecessorem Pontificem Hæreseos accusant: anno 1308. 133

10. Ad omnium &c. Bulla, quæ repetitis Templariorum criminibus eosdem, & omnes ipsis faventes excommunicationis fulmine ferit: anno 1308. 134

11. Quanto inter &c. Ad Episcopum Wigornienſem, ut inducat Regem Angliæ ad Reformandos excessus officialium suorum: anno 1308. 135

12. Faciens misericordiam &c. Inquisitores super negotio Templariorum assignantur, & deputantur in Regno Angliæ: anno 1308. 136

13. Attende, Fili, &c. Bulla super liberatione Episcoporum Glasquensis, Sancti Andreæ, & Lychefeldensis, & de bonis Templariorum: anno 1308. 138

14. Supra montem &c. Ad Episcopum Wigornienſem, quod Regem moneat à gravaminibus Ecclesiæ abstinere, quodque Ministros ab injuriis Personis Ecclesiasticis inferendis, coërceat, nec non quod censum Ecclesiæ Romanæ debitum integraliter persolvat: anno 1309. 139

15. Tuæ devotionis &c. Privilegium Regi Angliæ ne à sedis Apostolicæ delegatis possit excommunicari: anno 1309. 142

16. Multo sicut &c. Confirmantur jura prætensa à clero Provinciæ Britanniæ contra Ducem, Nobiles aliosque ejusdem Provinciæ: anno 1309. 142

17. Rex pacificus, &c. Ad Philippum Pulchrum Bulla, qua testatur quantam desideret ipsius concordiam perpetuam cum Henrico VII. Rege Romanorum, & quod ideò non sit assensurus, si hic Regna Arelatense, & Viennense in alium Principem sæcularem transferre vellet: anno 1309. 144

18. Ex parte chariſſimi &c. Bulla quæ narrat tum adversarios, tum Patronos causæ Bonifacianæ, desertis judiciariis formulis litis arbitrium permisisse eidem Clementi, qui laxatis censuris in Regem, & Regnum Galliæ latis, plurimisque in illius Gentis laudem dictis, inter alia decernit, literas, & sententias Bonifacii Regi Franciæ injurias è regesto Pontificio eradendas: Anno 1310. 145

19. Licet Guilielmus &c. Absolutio de Nogareto, impositâ ei admodùm severâ pœnitentiâ: anno 1310. 148

20. Ad providam Christi &c. Super concessione factâ Hospitali S. Joannis Hierosolymitani de bonis Templariorum anno 1312. 148

21. Nuper in Generali &c. Bulla Anglorum Regi porrecta pro Hospitalariis de Terris Templariorum in Concilio Viennensi eis collatis, ipsis liberandis: anno 1312. 150

JOANNES XXI. DICTUS XXII.

1. Vocatis nobis &c. Bulla de Treguis Scotiæ per biennium, & Infractoribus excommunicatis: anno 1317. 151

2. Personam carissimi &c. Excommunicatio contra omnes inimicos Regis Angliæ, & Invasores Regni: anno 1317. 152

3. Habet insinuatio &c. Super Roberto de Brus, & Eduardo Fratre excommunicandis: anno 1317. 152

4. Dolenter audivimus, &c. Bulla contra Fratres de Ordine Mendicantium ad Populum Hybernicum rebellionem prædicantes: Anno 1317. 153

5. Vocatis nobis, &c. Bulla, de Treugis inter Regem, & Robertum de Brus ineundi: anno 1317. 154

6. Personam carissimi &c. Bulla de excommunicando Regni Inva-

Invasores, & Turbatores Pacis: Anno 1317. 155
7. Ordinis vestri &c. Ne quis è Fratribus Ordinis Prædicatorum in Episcopum electus absque facultate superiorum electionem aceptet: Anno 1317. 155
8. Super omnia &c. Fratri Michaeli Ordinis Minorum committit causam quorundam Fratrum ejusdem Ordinis non benè de fide sentientium: Anno 1317. 155
9. Crescit facile &c. De Berewico post publicationem Treugarum occupato de litteris Apostolicis laceratis, & de Roberto de Brus excommunicando: anno 1318. 156
10. Infusum à Deo &c. Contra excessus Senescalli Vasconiæ: Anno 1318. 158
11. Attendentes, filii &c. Bulla de licentia tractandi de pace cum excommunicatis: Anno 1319. 158
12. Dudum post &c. Bulla, de Potestate Fulminandi contra Robertum de Brus, perpetuata. 158
13. Dudum personam &c. Bulla Excommunicationis contra Invasores Hiberniæ: Anno 1320. 161
14. Ut eorum &c. Super processu & transactis inter Nuncios Roberti de Brus & Papam, notificatoria: anno 1320. 162
15. Vas electionis &c. Sententia adversùs errores Joannis de Polliaco: anno 1321. 163
16. Dudum post &c. Concedit literas, & possessiones Templariorum Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in Anglià: anno 1322. 163
17. Si Fratrum &c. Contra usurpantes Romani Imperii Vicariatum: anno circiter 1323. 165
18. Ne cessitudo &c. De Colloqtio inter Papam & Comitem de Murref Angli, & super titulo Regis in literis ad Robertum de Brus scribendis: anno 1324. 166
19. Certum processum &c. Bulla contra Hæreticos qui dogmatizant, & prædicant supremátum esse in Cæsare & non in Papa: anno 1327. 167
20. Cum de his &c. Declarat Beghinas Belgicas esse immunes ab erroribus Beghinarum Alemanniæ quas Clemens V. damnaverat: anno 1320. 174
21. Nuper in Consistorio &c. Excommunicatio Michaelis Cesenatis Prioris Generalis Ordinis Minorum, Guillelmi Okami, aliorumque Consiliariorum Ludovici IV. Imperatoris: Anno 1330. 176
22. Ne super iis &c. Declarat Papa suam de Visione Beatifica opinionem: anno 1336. 178

BENEDICTUS XI. Dictus XII.

1. Cum illos &c. Contra Pravos Mores Clericorum Ecclesiæ Narbonensis: Anno 1334. 178
2. Dudum te, &c. De excessibus Imperatoris, contra Confœderantes cum ipso, & contra titulum Vicarii Regi ab ipso datum, & de decimis Regi Franciæ, non contra Regem Angliæ, sed contra Invasores Franciæ concessis: An. 1338. 179
3. Recentem habemus &c. De Processibus contra Imperatorem, ac confederantes cum ipso, & contra Titulum Vicarii à Rege assumptum: anno 1339. 182
4. Dum diligenter &c. Franciæ & Angliæ Reges ad pacem hortatur, & litem componere se paratum exhibet: anno 1339. 183
5. Nuper excellentiæ &c. Ad Angliæ Regem hortatoria, ne utatur nomine, & Titulo Regis Franciæ: anno 1340. 184

CLEMENS VI.

1. Quia scimus te, &c. Epistolæ variæ quibus quamplurima privilegia concedit Regi & Reginæ Francorum, diversis annis scriptæ. 185
2. Dudum affectionibus &c. Ad Regem Angliæ, quod inclinet animum ad pacem: adjiciens nova tangentia Turcas: anno 1345. 193
3. Præsentatas pridem &c. Bulla ad litteras, & Nuncios Regis responsoria de Treugis, & de attemptatis contra Treugas, ac super variis hinc inde tractatis, pacem bellumque tangentibus; anno 1345. 193
4. Desiderantes statum &c. Fratres Hospitalis B. Mariæ de Caritate in Diœcesi Catalaunensi sub ordine & regula Sancti Augustini constituit: anno 1347. 197
5. Attendentes providè &c. Confirmatio Privilegii Urbani IV. Universitati Patavinæ de Cancellariatu Academiæ Episcopo concessi: anno 1347. 198
6. Petitio pro &c. Absolutio Wilielm. Okami ab Anathemate anno..... 199

INNOCENTIUS VI.

1. Nuper siniſtris &c. Bulla super discordia inter Regem Navarræ & Normandiæ Ducem suborta: anno 1358. 200
2. Dilectum Filium &c. Bulla de Ecclesiasticis in Regno Franciæ non molestandis: anno 1360. 200
3. Nuper quanto &c. Exclusio petitionum Regis Angliæ super Promotione Androyni Abbatis in Cardinalem: an. 1360. 201
4. Pervenit nuper &c. Bulla super Concordia inter Ducem Brittanniæ & Carolum de Bloys: anno 1361. 201
5. Recipimus nuper &c. Ad Regem Angliæ super deductione 100. millium Florenorum de summa per Regem Franciæ solvenda, & de recipiendo tantundem de subsidio Cleri: an. 1362. 201
6. Debitum æquitatis &c. Super Deductione & Receptione antedictis 202

URBANUS V.

1. Insonuit, Fili &c. Bulla pro Regina Siciliæ super rumore Provincia invadenda: anno 1367. 203
2. Quam sit &c. In favorem Caroli Galliarum Regis contra Seditiosos, qui Parisiis & alibi Societatem composuerant, nuncupatam: *La grand Compagnie*, ad turbandum Regni Statum: anno - - - - 203
3. Sacrorum Canonum &c. Archiepiscopo Narbonensi Conciliorum Provincialium celebrationem mandat: anno..... 205
4. Cum usus &c. Quod Casinensis Psalterio Gallicani utantur anno..... 206

GREGORIUS XI.

1. Ad procurandam &c. Deputat duos Cardinales pro sedandâ discordiâ inter Reges Angliæ & Franciæ obortâ: anno 1371. 206
2. Eximiæ devotionis &c. Bulla de Compositione inter Regem & Papam per Nuncios ex utraque parte concordata: anno 1375. 207
3. Excessus gravissimos &c. Contra Florentinos: anno 1376 207
4. Zelus Catholicæ &c. De Inquisitione Fidei in Francia: an..... 208
5. Non sine dolore &c. Anconitanos excitat contra Ausculanos & Firmanos Romanæ Ecclesiæ anno 1376. 208
6. Morari cogimur &c. Admonitus Gregorius quid rerum in Anglia moliretur Wicleffus, quæve pernicioſa dogmata spargeret, hâc Bullâ præcipit capi, & tradi in manus Archiepiscopi Cantuariensis, aut Episcopi Londinensis: anno..... 208

URBANUS VI.

1. Constituti in &c. Litteræ Bullatæ, quibus CLEMENS Papa VII. Regnum Adriæ instituit, comprehendens partem terrarum Ecclesiæ Romanæ in Italia, ac Ludovico Duci Andegavensi tribuit 15. Kal. Maii 1382. 209
2. Clara devotionis &c. Bulla pro specialibus honoribus & Favoribus Regis Angliæ: anno 1379. 215
3. Inter sollicitudines &c. Confœderationes cum Hæreticis quacunque firmitate roboratas esse nullas decernit: an. 1382. 217
4. Etli animarum &c. Adversus Mendicantes qui sacramentorum Administrationem & sacras Conciones habere, multa item Ecclesiastica munia obire contendebant: anno 217
5. Nuper cum &c. Ad Imperatorem contra Confœderationes cum Hæreticis: anno 1383. 218
6. In Suptemæ dignitatis &c. Institutio Universitatis studii generalis ad Normam Academiæ Parisiensis in Urbe Colonienſi: anno 1388. 218

BONIFACIUS IX.

Magnæ devotionis &c. Libertates, immunitates & Privilegia oppido Lovaniensi à Prædecessoribus suis, à Regibus, aliisque Principibus concessa confirmat: anno 1392. 219

ALEXANDER V.

Regnans in excelsis &c. Medicantibus permittit ubique Evangelia prædicare, sacramenta administrare, cæteraque munia, quæ Parochi obire solent: anno 1409. 220

JOANNES XXII. Dictus XXIII.

1. In Apostolicæ sedis &c. Revocatoria Bullæ Alexandri V. Prædecessoris de Privilegiis Mendicantium propter turbas in Clero Gallicano obortas: anno 1410. 223
2. Cum juxta &c. Parisiensi Universitati indulget, ut Cancellarius Parisiensis possit absolvere Magistros, & Scholares ab omnibus Censuris; & causæ Universitatis quæ in Romanâ Curiâ disceptari solebant, in Curiâ Episcopali Parisiorum discepterntur: anno 1412. 223
3. In cassum sacrorum &c. Archiepiscopis quibuscumque edicit Conciliorum Provincialium celebrationem singulis triennis anno 1412. 225

MARTINUS III. Dictus V.

1. Divina Providentia &c. Ad Henricum Angliæ Regem super gestu, & summissione Johannis XXIII. Pseudo Pontificis notificatio: anno 1419. 225
2. Tunc injunctum &c. Confirmatio altera fundationis Capellæ, quam juxta Ecclesiam Genevensem erexerat Joannes de Brogniaco Cardinalis Episcopus Hostiensis; quam etiam

etiam prius cohisirmarat Benedictus XIII. ex bulla mox sequenti. 225

BENEDICTUS XIII.

Dictus PETRUS DE LUNA Anti-Papa.

1 Confirmatio fundationis, & dotationis Capellæ Collegiatæ juxta Ecclesiam Genevens. à Cardinali Joanne Alarmet de Brogniaco Episc. Hostiensi erectæ, quam etiam confirmavit MARTINUS V. ut ex Bulla superiori. 226

2. Sapientiæ immarcescibilis &c. Erectio Universitatis in oppido Lovaniensi ad preces Joannis IV. Brabantiæ Ducis, anno 1426. 232

EUGENIUS IV.

1. Quoniam ex &c. Ad Archiepiscopum Cantuariensem, quâ eum ad Concilium Bononiæ habendum invitat: anno 1431. 233

2. Quoniam ex &c. Ad Ducem Bedfordiensem, quâ invitat ejus Deputatos ad Concilium Bononiæ indictum: Anno 1431. 234

3. Quoniam alto &c. Bulla Eugenii, quâ damnatur hæresis Bohemicorum, Concilium Basilienſe dissolvitur, & Bononiam tranfertur: anno 1431. 235

4. Singularis devotionis &c. Per Breve Apostolicum mittit Philippo Bono Burgundiæ ac Brabantiæ Duci Hostiam miraculosam, quæ modo asservatur Divione in Burgundia: anno 1433. 236

5. Reddidit nobis &c. Bulla quâ Pontifex negat se Ducem Burgundiæ à juramentis Regi Angliæ, & Regis Patri præstitis absolvisse: anno 1435. 237

6. Existimantes, olim &c. Ad Concilium Basileense, respectu negociationum, cum Græcis initarum ob eorum adventum ad dictum Consilium: anno 1434. 237

7. Pro nonnullis &c. Ad Concilium Basilienſe quâ suis Legatis fiducia à Concilio præstanda est: anno 1435. 238

8. Venerunt ad &c. Ad Consilium Basilienſe, quâ id monet se missurum esse Nuntium: anno 1436. 238

9. Gratus Nuncius &c. Bulla, per quam recommendat Imperatorem Sigismundum Baronibus, cæterisque Nobilibus Pragensibus, aliisque Civitatibus Bohemiæ, affectionem suam erga Regnum ipsum, ejusque Incolas declarando: anno 1436. 238

10. Solemni natalis &c. Ad Marchionem Brandenburgensem propter Electionem Imperatoris Sigismundo sufficiendum: Anno 1437. 239

11. Cum Venerabiles &c. Ad Nobilem virum Albertum Bavariæ Ducem, ut ad Dietam apud Nurimbergam ordinatam se transferat, & Sedi Apostolicæ faveat: An. 1437. 239

12. Accepimus literas &c. Instructio Papæ Eugenii ad suos Nuntios, missos ad Dietam Francofurti coactam, ad eligendum Imperatorem. Anno 1439. 240

13. Dum intra &c. Confirmat Privilegia Universitatis Patavinæ ad instar Parisiensis Anno 1439. 240

14. Quam proximis &c. Ad Universitatem Parisiensem, quâ Libri in Sedem Apostolicam scripti damnantur: An. 1440. 241

15. Ad jugem &c. Confirmatio Privilegiorum Ordinum Mendicantium Anno 1442. 242

16. Dum intra &c. Institutio Capituli secundæ Fundationis Decem Canonicorum in Ecclesiâ Collegiatâ S. Petri Lovanii: Anno 1443. 243

17. Pastoralis officii &c. Nuntiat Episcopo Trajectensi, quod Ducatum Clivensem ab omni Potestate Spirituali Archiepiscopi Coloniensis, & Episcopi Monasterienſis eximat, dictoque Trajectensi injungit, ut Episcopum Titularem deputet, qui Episcopalibus muneribus juxta beneplacitum Ducis fungatur: Anno 1444. 245

18. Commissam nobis &c. Ecclesiasticos, & Sæculares universos ditionis Clivensis à juramentis Archiepiscopo Coloniensi, & Episcopo Monasterienſi præstitis absolvit, & omnes eorum pœnas, sententias, censuras &c. nullius roboris existere decernit: anno 1445. 246

19. Inter cæteras &c. Super diversis Indultis, Dispensationibus, ac Concessionibus datis Friderico III. Imperatori & Principibus Germaniæ, qui recesserant à Neutralitate, & obedientiam Rom. Pontifici præstiterant: Anno 1446. 247

20. Ad tranquillitatem &c. Concessio ad instantiam Friderici Imp. facta, ut Decreta Concilii Basileensis ab Alberto Rege acceptata porrò in Germania observentur, usque ad futuram modificationem; Anno 1446. 249

NICOLAUS V.

1. Rationi convenit &c. Confirmat Confraternitatem septem Capitulorum initam à Capitulis Flandro-Belgicis, quod frequentius quàm par esset ad Urbem Cameracensem pro litibus evocarentur: anno 1446. 251

2. Quam sit &c. Amedeum omni Dominio Sabaudiæ privatum, atque illud ad Regem Franciæ devolutum declarat. Deinde fideles hortatur quod sumant arma in Amedeum, ejusque sequaces: Anno 1447. 251

3. Si juxta &c. Fasciculus concordatorum Nationis Germanicæ cum Pontificibus Rom. sub *Martino V. Eugenio IV. & Nicolao V.* ex quibus postrema vulgo habentur, quæ tamen se referunti ab priora & ex iis capiunt lucem: itaque cætera quoque hîc sub Nicolai Pontificatu referre placuit ad annum 1447. 252

4. Tanto nos &c. Quæ Schismatis tempore sunt acta nulla vult ac decernit: anno 1448. 256

5. Tanto nos &c. Irritas decernit quascunque Censuras inflictas occasione schismatis: anno 1449. 256

6. Quas ob causas &c. Renunciatio FELICIS V. qua deponit Papatum, in Concilio Generali Lausannæ 7. Id. April. 1449. 258

7. Inter innumeras &c. Alfonso Aragoniæ, & Siciliæ Regi concedit Insulam Castri Rabei Rhodo vicinam: anno 1450. 259

8. Receptis litteris &c. Renuit Tributum Ecclesiasticis à Carolo Francorum Rege imponi: anno 1450. 259

9. Magnam laudem &c. Bulla ad Syndicos Genevenſes missa, quâ laudat eos posuisse obicem ne captivus è sua Urbe exiret Episcopus Montis-Regii, & hortatur eos ut illum tueantur: anno 1451. 259

10. Licet desiderium &c. Franciscum Sfortiam &c. Mediolani Ducem hortatur ad Pacem ineundam: anno 1452. 260

11. Accedens ad &c. Carolo VII. Francorum Regi, quod nonnulla postulet contra Canonum Sanctia, concedere non posse significat: anno 1452. 260

12. Etsi Propheta &c. Concedit Indulgentias Festum Beatæ Mariæ de Nive in Provincia Rothomagensi celebrantibus: Anno 1454. 261

13. Romanus Pontifex &c. Alfonso Lusitaniæ Regi cujus Filius Henricus studio iter in Indiam Orientalem aperiendi usque ad Guineam & Nigrum Fluvium penetraverat, & insulas varias detexerat, Imperium Guineæ, & potestatem Barbariæ Regna subjiciendi concedit, prohibens ne alii sine Lusitanorum permissione ad eas oras navigent: Anno 1454. 261

CALIXTUS III.

1. Regis æterni &c. Declaratio per obitum Alfonsi Aragonii Neapol. Regis, Regnum ad Romanam sedem devolutum: Anno 1458. 264

PIUS II.

1. Licet olim &c. Institutio novæ Militiæ in Turcas, cujus sedes debet esse in Insula Lemno: anno 1459. 265

2. Hodie dilectum &c. Ad Vasallos Ecclesiæ Genevensis, qua illis recipiendus Episcopus, J. L. Sabaudus: an. 1459. 265

3. Hodie dilectum &c. Ad Populum urbis & Diœcesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus J. L. Sabaudus anno 1459. 266

4. Accepimus ex &c. Littera Apostolica Pontificis pro tollenda pragmaticâ Sanctione, cum Responso Ludovici Francorum Regis: an. 1460. 266

5. Bello jam &c. Fridericum Imperatorem declarat Ducem Generalem Exercitus Christiani contra Turcas. Anno 1460. 267

6. Justissima quamvis &c. Narratio Gestorum Sigismundi Austriæ Ducis contra Cardinalem de Cusa: mox sequitur citatio ejusdem: anno 1460 268

7. Ineffabili summi &c. Declaratio Apostolica pœnalis contra Sigismundum Austriæ Ducem; anno 2460. 27

8. Inter felicitates &c. Erectio Universitatis Nannetensis anno 1463. 271

PAULUS II.

1. Etsi à summo &c. Privilegia aliarum Universitatum concedit Universitati Bituriensis: anno 1465. 277

2. Romanum decet &c. Parochialem Ecclesiam S. Gaugerici Valencenensis unit Capitulo B. Mariæ ad Aulam Comitis (nunc in Ecclesia S. Gaugerici residenti) cum jure constituendi Vicarium amovibilem: an. 1467. 278

3. Exigit vestras &c. Alia ejusdem argumenti quô Superior data: anno 1470. 279

4. Primo ipse &c. Fœdus initum inter summum Pontificem, & Rempublicam Venetam 28. Maii 1469. 280

SIXTUS IV.

1. Ad universalis &c. Ad subvertendam Pragmaticam sanctionem hanc Bullam edit circa Beneficia in Galliarum Regno, Ordinariis sex menses concedens ad Beneficia conferenda; totidem sibi retinens: an. 1472. 281

2. Quotidie ad nos &c. Ad LUDOVICUM Francorum Regem; conqueritur quod concordata non observet, quæ extant inter extravagantes communes Cap. *ad Universalis de Treuga & Pace*: anno 1474 282

3. Creditam nobis &c. Quod in Ecclesiâ Metropolitanâ Colonienſi nullus ad octo præbendas Presbyterales assumatur nisi Doctor: an. 1474.

4. Hodie dilectum &c. Bulla Pontificis SIXTI IV. ad populum Urbis & Diœcesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus Joannes de Compois: anno 1482 283

5 Solicitudo Pastoralis &c. Bulla SIXTI IV. quâ præcipit Duci Sabaudiæ aut ejus Consiliariis ne ulteriùs infesti sint Episcopo Genevensi, utque omnia tollant obstacula, quibus non permittitur ipsis libera & suprema suæ Ecclesiæ possessio: Et si desint obsequio ferit interdictô omnes inobedientes, Urbem & Diœcesim ipsam Genevensem, & omnes terras & Dominia Ducis Sabaudiæ ultra montes. Eâ in Bullâ inserta est revocatio summi Juris in Genevam, Duci Zeringuen concessi, & cessi Comiti Genevensis, facta anno 1162. ab Imperatore Friderico: anno 1483. 284

INNOCENTIUS VIII.

1. Sacro Sanctæ &c. Bulla Innocentii Papæ VIII. pro confirmatione statuorum Ecclesiæ Cathedralis Genevensis: anno 1484. 286

2. Romanus Pontifex &c. Bulla super Successione in Regno Angliæ approbatoria, & contra Rebelles excommunicatoria; anno 1486. 297

3. Redemptoris & Domini &c. Bulla de Matrimonio inter Henricum VII. & Elisabetham Filiam Eduardi IV. anno 1486. 299

4. Apostolicæ sedis &c. Commissio Archiepiscopo Cantuariensi pro absolutione Tumultuantium: anno 1487. 300

5. Romani Pontificis &c. Bulla contra Hibernicos Prælatos qui Lambertum Symnell prætensum de jure, de Facto in Regem coronarunt: anno 1488. 301

6. Sedis Apostolicæ &c. Bulla contra tumultus excitantes super Jure succedendi in Regno Angliæ: anno 1488. 302

7. Hodie siquidem &c. Bulla Innocentii VIII. pro receptione Antonii Championis nominati ab illo ad Ecclesiam Gebennensem: anno 1490. 402

BULLA-

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS NONUS,

SIVE

CONTINUATIO, PARS TERTIA.

HADRIANUS PRIMUS
PONTIFEX XCVII.
ANNO DOMINI DCCLXXII.

ANNO 772. HADRIANUS PRIMUS, Romanus, qui diuturniorem ceteris Pontificibus tùm Prædecessoribus, tùm Successoribus Papatum tenuit, primus in Occidente Sacrarum Imaginum cultum firmavit Decreto, quò tempore & in Oriente Concilium Nicænum secundum contra Iconomachos Anno DCCLXXXVII. idem sanciverat. Primus item, quod traditur, Pontificias Literas cerâ pridem signari solitas plumbo muniri constituit. Parum abfuit quin annos Petri hic Pontifex attigisset, sedit quippè annis 23. mensibus 10. diebus 18. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 19. *App.*) ANNO 844.

Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 643.

Carolo Magno Musiva, & Marmora Palatii Ravennatis auferenda concedit: anno 782.

POtentiæ vestræ, per Aruinum Ducem, suscepimus apices: in quibus referebatur, quod Palatii Ravennatis Civitatis musiva atque marmora, cæteraque exempla, tam in strato, quamque in parietibus sita, vobis tribueremus.

Nos quidem libenti animo & puro corde, cum nimio amore vestræ Excellentiæ tribuimus effectum: & tam marmora, quamque musivum, cæteraque exempla, de eodem Palatio vobis concedimus auferenda: quia per multa vestra laboriosa regalia certamina multis bonis fautoris vestri Beati Petri, Clavigeri regni cœlorum Ecclesia quotidie fruitur, quatenus merces vestra copiosa adscribatur in cœlo.

SERGIUS SECUNDUS,
PONTIFEX CIV.
ANNO DOMINI DCCCXLIV.

SErgius hujus nominis secundus Gregorio IV. successit, quem primum Pontificum fuisse, qui nomen mutarit, utpote qui priùs Petrus Buccaporcius diceretur ab aliquibus est proditum, quamvis alii nominis mutationem Adriano tertio adscribant. Trium annorum fuit Pontifex. Obiit anno 847. cui Leo IV. successit, qui prior, ut aliqui tradunt, Populo pedes præbuit deosculandos. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 19. *App.*)

Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 647.

Excerptum ex Epistolâ *Sergii* ad Episcopos Transalpinos, quâ Drogonem Archi-Episcopum Metensem Caroli Magni Imperatoris Filium naturalem designat Vicarium sedis Apostolicæ in Gallia & Germania: an. 844.

FRATRES carissimi, quia Nos cunctarum sollicitudo angit Ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more præcedentium nostrorum, moderationis nostræ Vicarios damus. Ad nostræ igitur humilitatis vicem, cunctis provinciis trans Alpes constituris DROGONEM Archiepiscopum Metensem, glorioso quondam Caroli Imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum Francorumque concorporavit Imperium, cautâ deliberatione constituimus: Ut quia Serenissimi atque piissimi filii nostri, magni Imperatoris *Hlotharii*, ejusque Fratrum dilectissimorum Filiorum nostrorum *Hludovvici* & *Caroli* Regum Avunculus est, insuper sanctitate doctrinâque conspicuus, ab hac sede sanctissima Apostolorum Principis auctoritate perceptâ, vestris necessitatibus, vice nostrâ, idoneus ubique Minister existat. Et quia omnium vestrorum sollicitudinem illi ge-

ANNO 858.

rere præcepimus, omnium volumus obedientiam comitari.

DECET sanè, Fratres ut qui pro omnibus laborat, cunctorum subsidio fulciatur. Huic ergo in congregandis Generalibus Synodis, in omnibus supra dictarum Regionum partibus, nostram commodamus auctoritatem: & quidquid Provinciali Synodo fuerit definitum, ad ejus absque dilatione statuimus notitiam perducendum.

SI cui autem ab illis partibus hanc sanctam sedem appellare opus fuerit, & in nostra audientia se audiri popoſcerit, hunc commonemus, ut ad ejus primùm audientiam se submittat, & Ecclesiasticorum gestorum in sua Regione rationabili digestione prolatâ, si Episcoporum de eo, qui fortè criminibus impetitur, sententia discordaverit, ut ab aliis reus, innocens judicetur ab aliis; tunc ipsis gestis ad Nos delatis, Litteris etiam præfati Fratris nostri, cui vicem nostram concessimus, commendatus, sive ad Nos, sive ad Beatissimi Petri sedem securus accedat, nullaque eum in veniendo mora præpediat.

Quam etiam condicto Fratri nostro Drogoni Archiepiscopo in examinandis ac perquirendis Episcopis & Abbatibus sub hoc tenore hanc nostram licentiam & auctoritatem concessimus, salvo in omnibus hujus universalis Romanæ sedis Primatu, nostrique Præsulatûs honore, vigoreque & exaltatione carissimi ac spiritualis Filii nostri Domini Hlotharii magni Imperatoris.

NAM nobis valde placuit, propter diversas Ecclesiarum Dei perturbationes hoc necessarium satisque dignum opus explere . . . . .

NICOLAUS PRIMUS MAGNUS PONTIFEX CVII.

ANNO DOMINI DCCCLVIII.

NIcolaus I. cognomento *Magnus* anno 858. sedem Pontificiam ascendit, Bulgarorum Apostolus nuncupatus, Regibus, ac Tyrannis fortiter imperavit, sub ipso Anastasius Bibliothecarius Romanorum Pontificum historiam consarcinavit Pontificiæque censuræ submisit. Mortuus est Pontificatus sui anno nono. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 20. *App.*)

Decreta Synodalia Pontificis contrà Lotharium Regem, qui dimissa uxore legitima alteram duxerat, contrà Synodum Mettensem, contrà Episcopos aliosque Luthario adhærentes: anno 863.

NICOLAUS,

Servus Servorum Dei reverendissimis, & sanctissimis fratribus nostris Archiepiscopis in Regno Ludovici Regis Germani constitutis.

SCelus, quod Lotharius Rex, si tamen Rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis Teudberga scilicet, & Waldrada commisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theutgaudum, & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores, atque fautores, penè totus nobis orbis undique ad limina, seu Sedem Apostolicam confluens referebat, absentibus quoque idipsum nostro scribentibus Apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quantò de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis, & Sanctâ Synodo tales inventi sunt, quales fuerant à multis sæpissimè prædicati, ita ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur, & dùm muscipulam innocentibus opponere satagerent, infidiis suis illaqueati sunt ipsi, sicque completum est, Deo auctore, quod in proverbiis legitur: Frustra jactatur ante oculos rete pennatorum: si quidem ipsi obligati sunt, & ceciderunt. Nos verò, qui in flagitium falsò cecidisse dicebamur, favente Domino cum justitiæ propugnatoribus resurreximus, & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta Synodo in præsentiâ depositi, & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existant. Unde vestra fraternitas Canonum normam custodiens & decretorum sanctiones observans caveat, ne hos, quos nos abjecimus, recipere in Sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theutgaudum & Guntherium protulimus, cum cæteris Capitulis, quæ sancto Concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferiùs annexa monstrabitur.

De Mettensi Synodo abolenda.

CAP. I.

Synodum, quæ nuper, id est, sub piissimo Imperatore Ludovico per indictionem XI. mense Junio, in Metensium Urbe ab Episcopis, qui nostrum prævenerant judicium, collecta est, quique Apostolicæ sedis instituta temerè violaverunt, ex tunc, & nunc, & in æternum judicamus esse cassatam, & cum Ephesino Latrocinio repudiatam Apostolica auctoritate in perpetuum esse sancimus damnandam, nec vocari Synodum, sed tanquam adulteris faventem prostibulum appellari decernimus.

Depositio Theutgaudi & Guntharii Archiepiscoporum.

CAP. II.

Theutgaudum Trevirensem Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Episcopos nunc coram nobis, & sancta Synodo, sub gestorum insinuatione qualiter causam Lotharii Regis, & duarum mulierum ejus Theutbergæ scilicet, & Waldrudæ se recognoverint, & judicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus, vel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam, quam à sede Apostolica, in Ingiltrudem uxorem Bosonis sanctissimus Frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Tado, & cæteri Coëpiscopi nostri petierant emittendam, & nos divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè vivâ voce se violasse confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apostolicas, atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni judicamus Sacerdotii officio permanere penitus alienos, Spiritus sancti judicio, & Beati Petri per nos auctoritate

omni

ANNO 863.

omni Episcopatus exutos regimine consistere definientes. Quod si juxtà præcedentem consuetudinem, tanquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed & communicantes eis omnes abjici de Ecclesia, & maximè si postea quam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint.

De cæteris Episcopis.

CAP. III.

Cæteri autem Episcopi, qui complices horum Theutgaudi scilicet, & Guntharii, vel sectatores esse feruntur, si cum his conjuncti seditionem, conjurationes, vel conspirationes fecerint, vel si à Capite, id est, à sede Beati Petri illis hærendo dissenserint, pari cum eis damnatione teneantur astricti. Quod si cum sede Apostolica, unde eos principium Episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cætero per semetipsos, vel missos ad nos Legatos cum scriptis suis professi exiterint, noverint sibi à nobis veniam non negandam, nec amissionem honorum suorum pro retrò actis præsumptionibus, aut subscriptionibus, quas pro insanis fecerunt gestis, per nos ullo modo formidandam.

De Engildruda.

CAP. IV.

Engildrudam filiam quondam Mactifredi Comitis, quæ Bosone proprio viro relicto, ecce jam per septem circiter annos hac, atque illac vagabunda nuper cum fautoribus suis regulariter anathematizavimus, sed propter contumaciam, iterato anathematis vinculis duximus innodandam. Sit igitur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto uno, & vero Deo, ab omnibus sanctis Patribus, & ab universa sancta Dei catholica, & Apostolica Ecclesia, & à nobis penitus anathema cum omnibus complicibus communicatoribus, atque auxiliatoribus suis, ita ut, sicut jam decrevimus, si quis ei communicare, vel favere in aliquo præsumpserit, si quidem Clericus fuerit, in eodem vinculo constrictus, officium Clericatus amittat. Monachi verò, & Laici si inobedientes decreto præsenti fuerint, similiter anathematizentur. Sanè si eadem mulier ad virum suum reversa fuerit, vel Apostolicam Beati Petri sedem Romam properans, veniam ei post dignam satisfactionem procul dubio non negabimus. Veruntamen sub priori vinculo anathematis, quo illam prius, & nunc obligavimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Engildrudæ Apostolicam Beati Petri sedem Romam specialiter properanti, vel occurrenti nescius communicaverit, aut sciens opem in veniendo præstiterit nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

De sententiis, atque interdictis sedis Apostolicæ.

CAP. V.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Episcopi supra dicti postquam damnati sunt, hoc ad Pontificem rescripserunt.

NICOLAO Pontifici *Guntharius*, atque *Theutgaudus.*

ANNO 863.

Patres nostri, & Fratres Coëpiscopi ad te nos direxerunt, & nos spontè ivimus, consulere videlicet, expleta generali legatione tuum magisterium super his specialiter quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adjicientibus notum esse potuit, judicavimus, auctoritates, rationesque, quas secuti fuimus scriptis ostendentes, ut tua sapientia perscrutatis omnibus, quid inde sentires, & quid velles, nobis paterno demonstrares affectu, nosque fraterna caritate procurares, & si meliùs illud tua sanctitas inveniret, ut nos instrueres, & doceres, suppliciter obsecravimus, parati, quicquid rectius, & probabilius esset, libenter amplecti.

Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expressisti; tantùm quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere, & innocentes juxta assertiones nostri libelli.

Ad ultimum autem nos evocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil adversitatis suspicantes, ibique obseratis ostiis, facta more latrocinali conspiratione, ex Clericis, & Laicis turba collecta, & permixta, nos violenter inter tantos oprimere studuisti, longa scilicet intercapedine à nostris, & Clericis, & Laicis separatos, atque sine Synodo, & sine Canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente, vel auctoritatum probatione convincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis, & Diocesanis Coëpiscopis, & Confratribus nostris, extra omnium omnino consensum tuo solius arbitrio, & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subitò quâdam tibi cartula, & improvisè porrecta Lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim Presbytero, ambitus damnato, & depositò, & anathematizato, cujus scelerato magisterio tuus præcipitatur furor.

Ergo tuam pravam sententiam à zelo rectitudinis alienam, injustam, & irrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, immò cum omni cœtu fraterno, quasi nefas, atque maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abjicimus, tibique anathematorum, & religionis sacræ abjectorum, & contemptorum fautori, & communicatori revera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens segregas.

Igitur ex tua levitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis plagam infixisti, exclamans, qui Apostolica præcepta non servat, anathema sit, quæ tu multipliciter violare, & violasse dignosceris, divinas leges simul, & sacros canones calcans, & quantum in te est, evacuans prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens. Nunc ergò qui fraudulentiam, & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoscimus, nil tibi tuæque superbiæ cedimus, quâ nos ad vota nostrorum, quibus faves, inimicorum obruere festinabas, sciesque nos non tuos esse, ut te jactas, & extollis Clericos, quos ut Fratres, & Coëpiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non inscii, nimium tua improbitate compulsi respondemus, non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati, sed contra tuam iniquitatem Ecclesiastico zelo accensi, nec nostræ viliratis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis universitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

ANNO 939.

LEO SEPTIMUS, PONTIFEX CXXIX. ANNO DOMINI CMXXXV.

LEO septimus Romanus trium annorum spatio quò gubernavit Ecclesiam nihil de eò notatu dignum Historici referunt. Obiit anno 939. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I. 1727. fol. 21. App.*)

Ex Spic. Dacherii Tom. 3. pag. 373.

Ne Fœminæ ingrediantur Cœnobium S. Martini Turonensis, nisi orationis caussâ: an.....

LEO EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, glorioso Principi Francorum filio nostro, Hugoni videlicet Abbati Beatissimi Martini, & perpetuis Successoribus in perpetuum.

CONditor universitatis, atque dispositor Christus Dominus per sacrosanctum suæ Incarnationis mysterium universalem Ecclesiam sibi copulare dignatus est, diversos verò sanctos in eadem Ecclesia quasi diversa in uno corpore membra disposuit, & unumquemque prout interno ejus consilio placuit in ipsius Ecclesiæ corpore, cujus ipse caput fieri dignatus est, mirabiliter ordinavit. Quosdam excellentiùs decorans, ut sicut membra in corpore quædam honestiora sunt, & suis officiis apta, ità, & in Ecclesia, vel excellentior, vel inferior quisque vices suas ipso auctore disponente convenienter expleat, ut scilicet juxta Apostolum stella differat à stella in claritate. At verò inter eos, quos divina dispensatio sublimiùs evexit, prædictus beatissimus Martinus Turonicæ sedis Archiepiscopus, non mediocriter effulget: Cujus videlicet gloriam universalis Christianitas attestatur, quæ illum divino instinctu quodam speciali affectu communiter amat, ità ut nusquam alio post sanctorum Apostolorum limina, de tam longinquis, ac diversis nationibus confluant Oratores, sicut faciunt ad ipsius venerabile sepulchrum. Nam, & ipse sacer locus, ubi quiescit in magna reverentia specialiter ab antiquis diebus, non solum apud vulgares, sed & apud excellentissimos Reges, ac Principes fuit, sicut nonnulli vestrum videndo sciunt. Ut enim audivimus nulli unquam fœminæ intra ambitum Monasterii etiam sub tempore Paganorum permittebatur accessus. Cum verò necesse fuit, ut propter illorum incursionem in civitate collocaretur, plangebant sui Cultores, quia non valebant eum sic in tanta reverentia, ut olim venerari, nec mulierum prohibere concursum, ob quod etiam juxta ejus Basilicam fundari murum studuistis, ut ita vel ab incendio defendi, vel in pristina honestate posset ipse locus haberi. Sed res in contrarium versa est, quia per occasionem Castelli mulieribus & impudens & libera conversatio est: Cum tamen hoc nil aliud facit, nisi longa negligentia, & tepor Servitorum ejus; siquidem veniet dies judicii, & unusquisque in suo ordine insurget, & manifestum erit, per quos Religio sit erecta, vel per quos neglecta. Dolendum nobis est tempora jam periculosa venisse, & sic apparet caritatem apud multos refrixisse, iniquitatem verò nimium superabundasse. Verùm quia S. Ecclesia Beato Petro Apostolorum Principi specialiter commissa est, & per eum successoribus ejus, necesse est, ut quisque nostrum, prout Deo largiente potuerit, ejusdem Ecclesiæ quousque indiget utilitatem per aliquam auctoritatem sustentet. Et idcircò videtur nobis, ut vestram negligentiam quæ est erga cultum illius loci sanctissimi per nostrum interdictum commoneamus.

Itaque in primis obsecramus in Domino, ut tu Abbas Excellentissimus Hugo, & ipsius Cœnobii Præpositi, curam summopere adhibeatis, quatenùs per totum veteris muri ambitum usque ad viam, quæ juxta latus Basilicæ aquilonare vergit, nulla postquam hanc Epistolam videritis fœmina, licentiam habeat commorandi, sed nec intrandi quidem nisi solius causa orationis. Si quis verò de Ministris hoc Apostolicum interdictum neglexerit, aut aliqua fœmina intrare præsumpserit, tàm diù excommunicatus sit, quousque promissa emendatione absolvi mereatur. Sin autem quia per audaciam, & contemptionem ad hoc transgrediendum pertinax exstiterit, illum prorsus, vel illam excommunicamus. Observantibus hæc gratia & pax Christi per suos Apostolos, & Beati Martini preces multiplicetur. Scriptum per manum Theodori Notarii, & Scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario, & Indictione undecima, Ludovico Francorum Rege.

ANNO 969.

JOANNES XIII. PONTIFEX CXXXV. ANNO DOMINI CMLXV.

IOannes Romanus, quum per Ottonem primum Imperatorem turbæ Romanæ essent sopitæ, lætitiâ repletus Ottonem juniorem Imperatoriâ coronâ decoravit, & Consortem ejus Theophaniam Imperatoris Græcorum filiam, tùm primò sacris ritibus Campanam consecravit, & Joannis nomine nuncupavit, hinc usus Campanas benedicendi, easque aliquo nomine indigitandi. Hic annis ferè septem Petri Cathedram tenuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 22. App.*)

Ex Annal. Trevir. Brovveri & Masenii Tom. I. pag. 472.

Theodorico Trevirensi Archiepiscopo Romæ tùm degenti honores ac Privilegia auget, Galliæ, Germaniæque Primas constituitur: an. 969.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus universis Episcopis, ac totius Dignitatis, & Ordinis Catholicis Viris præsentibus scilicet & futuris perpetuam salutem.

QUia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente B. Petri Apostolorum Principis Sacratissimam sedem, universaleque in in toto orbe terrarum ministerium suscepimus; necesse est omnium Ecclesiarum, ut diligentissimam solicitudinem ita continenter habeamus, ne earum jura, auctoritate ejusdem Apostolorum Principis, cæterorumque successorum ejus venerabilium

ANNO 969.

rabilium Patrum inviolabiliter ſtatuta, & confirmata, noſtro minuantur ac pereant tempore, ſed potius corroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoque omnium veſtrum noſſe volumus ſanctitatem & induſtriam, quod Theodorico dilectiſſimo fratre noſtro Trevirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo veniente Romam, oratum ad ſanctorum Apoſtolorum limina, audivimus, ſicut etiam pridem audiendo, immò & legando, compertum habuimus, eandem ipſam præ cæteris Galliarum Eccleſiis, Chriſtianæ Religionis exordium, Catholicæque Fidei prima rudimenta percepiſſe, per ſanctiſſimorum virorum Eucharii, Valerii, & Materni, & cæterorum Evangelicam doctrinam, quos tempore ſuo, prædictus beatiſſimus Petrus Apoſtolus ordinavit & inſtruxit, necnon illuc ad prædicandum direxit. Unde totius Ordinis noſtræ ſedis Apoſtolicæ conſultu, gratuitoque aſſenſu, jura privilegiorum, quæ à ſancta Romana matre Eccleſia præfatis ſanctis, eorumque reliquis Succeſſoribus, id eſt, Agricio, Maximiano, Paulino, Severo almificis & Apoſtolicis Viris, à primordio hucusque autenticè conceſſa ſunt; quæque etiam ipſius civitatis excidio, incendio, aliove caſu conſumpta probantur, eidem Trevirenſi Eccleſiæ prædictoque fratri noſtro Theodorico, & per eum cunctis ipſius ſucceſſoribus, reconfirmare, recorroborare & omni modo reſtituere dignum duximus; decernentes per hujus noſtri Apoſtolici Privilegii validiſſimam conſtitutionem; ut quandocunque à noſtra principali & Apoſtolica ſede Epiſcopus Presbyter vel Diaconus, vel Subdiaconus, ſive quilibet Ordinarius Legatus rei Eccleſiaſticæ ſeu cogendæ Synodi cauſa, in Galliam Germaniamve deſtinatus fuerit, Trevirenſis Præſul poſt quemlibet Ordinarium Legatum à S. primum inter alios Pontifices locum obtineat. Et ſi miſſus Romanæ Eccleſiæ defuerit, ſimiliter poſt Imperatorem ſive Regem ſedendi, ſententiam edicendi, & Synodale judicium Canonice promulgandi primatum habeat; utpote in illis partibus Vicarius noſtræ ſedis Apoſtolicæ meritò conſtitutus. Neque enim dignum eſt ut illius Eccleſiæ Præſul aliquo tempore cæteris non habeatur Prælatus, cujus honor in illis partibus ſub ipſo Apoſtolorum Principe exſtitit primitivus. Pari quoque modo ſancimus omnes in Parochiis ejus degentes, ſive ordinationem & promotionem cujuslibet Eccleſiaſtici gradus, à Pontifice ipſius percipientes eidem ipſi matrici Eccleſiæ, Epiſcopoque illius debere Canonicè placere, obſequi, & Jure obedire. Siquidem decreto B. Clementis Papæ, ſuper hoc ita cautum videtur: Si vobis Epiſcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ac reliqui Clerici cuncti, omnesque Principes tam majoris ordinis quàm inferioris, atque reliqui populi tribus & linguæ non obtemperaverint, à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ alieni erunt, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Inter hæc quoque omnia, quæ ad ſæpe dictam Trevirenſem Eccleſiam intra & extra civitatem pertinere videntur: Id eſt Eccleſias cum univerſis rebus ſibi attinentibus, ſeu Monaſteria tam Monachorum, quàm Virginum, quæ ex præceptis, ſive ſcriptis Regum ſeu Imperatorum, ſive eorundem fundatorum auctoritate, ad ſe pertinent, & pertinere debent & quidquid omnino illa ipſa Eccleſia ubique, & quoquo merito poſſidet, & poſſidere debet, generaliter & ſpecialiter concedimus; reformamusque præfato Theodorico fratri & Coëpiſcopo noſtro ſuisque ſucceſſoribus ad perpetuam ſanctæ Trevirenſis Eccleſiæ donationem atque ditionem, per hujus noſtræ Apoſtolicæ præceptionis ſeriem à præſenti XII. Indictione & usque ad finem ſæculi valituram. Contra quam ſi quis quid quolibet modo agere præſumpſerit, & quod juſtè & Canonicè à nobis decretum eſt, in aliquo infringere tentaverit, ſciat ſe ex Dei Omnipotentis & prædicti beatiſſimi Apoſtolorum Principis omniumque ſanctorum, ac deinde noſtra auctoritate damnandum, & anathematizandnm, & cum omnibus impiis æternis ſuppliciis deputandum. Qui verò hoc privilegium noſtrum obſervare, cuſtodire, adimplere fideliter ſtuduerint, benedictionis gratiam & miſericordiæ plenitudinem in cæleſtibus caſtris inter Electorum numerum efficaciter à Domino Deo conſequi mereantur. Scriptum per manum Stephani Notarii & Regionarii & Scriniarii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ in menſe Januario & Indictione XII. Data XI. Calendas Februarii per manum Sicconis Epiſcopi ſanctæ N. Eccleſiæ ad vicem Guidonis Epiſcopi & Bibliothecarii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Anno Deo propitio, Pontificatus Domini Joannis Pontificis & univerſalis XIII. Papæ in ſacratiſſima ſede D. Petri Apoſtoli IV. Imperii autem Domini Ottonis majoris VII. minoris verò II. & Indictione XII.

ANNO 974.

BENEDICTUS VII. DICT. VIII.

PONTIFEX C XLVIII.

ANNO DOMINI MXII.

BEnedictus Romanus Comitis Tuſculani Filius, à quo S. Stephanus Hungariæ Rex regium nomen, & Diadema obtinuit. Hâc tempeſtate Corpus S. Bartholomæi Apoſtoli ex urbe Beneventanâ Romæ in Inſulâ Tiberinâ collocatum fuit. Novem ferè annorum Pontifex ab anno ſcilicet 975. ad 984. quò obiit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. fol.* 23. *hujus Edit. Luxemb.* 1727. *App.*)

Theodorico Trevirenſi Archiepiſcopo, quò ei in poſterum honeſtum Hoſpitium Romæ ſiſteret, Cellam quatuor Coronatorum ei, ejusque ſucceſſoribus utendam perpetuum adſcribit: anno 974.

Ex Annal. Trevirenſi Browveri & Masenii Tom. I., P. 476.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimis nobis in Chriſto fratribus, univerſis Epiſcopis, ac totius Dignitatis, & Ordinis Catholicis Viris, præſentibus ſcilicet & futuris, perpetuam ſalutem.

QUia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia diſponente B. Petri Apoſtolorum Principis ſacratiſſimam ſedem, paſtoraleque in curam Domini gregis miniſterium ſuſcepimus, juxta Apoſtolicam doctrinam, ſicut malis terrori ne deſideria pravitatis ſuæ perficiant, nos oportet exiſtere, ita ſanctæ Dei univerſalis Eccleſiæ filios, in Religionis piæque devotionis profectu, paternæ gratiæ benedictione fovere; maximeque eos, qui in Sanctam Romanam Eccleſiam, beatumque Petrum Apoſtolorum Principem cæteris devotiores probantur: quatenus eis, pia ſui devotio, & in præſenti benignitatis conferat conſolationem, & in futuro æternam, ipſo intercedente remunerationem. Unde omnium, tam præſentium quàm futurorum ſanctitatem & induſtriam noſſe volumus, de Sancta fratris noſtri

Theodorici,

ANNO 974.

Theodorici, Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Primatisque, nostra prædecessorumque nostrorum, ab exordio Christianitatis per Beatum Petrum constitutione, totius Galliæ, & Germaniæ in eundem Apostolorum Principem devotione qui in sua Sede, Ecclesiam Christi gloriosus gubernando multa Monasteriorum, quæ usque in sua tempora manserunt deserta, restaurando beatorum Apostolorum limina cæteris sæpiùs nullo longioris viæ periculo seu labore territus, liberalissimè visitando, nobis usque eo complacuit, ut eidem Theodorico & ipsius Ecclesiæ possidenda in perpetuum aliqua, conferre justum duceremus, quatenus ut præfati sumus, pro tanta sui devotione, à nobis gratiam, & benedictionem in præsenti, & in futuro à Deo beatisque Apostolis, centuplicatam in Cœlestibus reciperet gloriam. Qua propter omnium tam præsentium quàm futurorum notum fieri volumus industriæ, nos cum auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, gratuitoque Sacerdotum Clericorum totiusque Romanæ Plebis assensu, eidem Sanctæ Trevirensi Ecclesiæ, cellam quatuor Coronatorum condonasse in perpetuum possidendam cum omnibus appenditiis suis, aquis scilicet aquarumque decursibus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis, & incultis, curtilibus & mansis. Quæ omnia eidem fratri nostro Theodorico Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo Vicarioque nostro carissimo, in partibus totius Galliæ & Germaniæ, ac per eum, cunctis successoribus in perpetuum possidenda, tenenda, ac ordinanda per hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem tribuimus, quæcumque eadem cella ex diversis fidelium donationibus autenticè secundum Legem Romanam possidet, vel jure possidere debet, data videlicet, & usque in finem seculi quoquo pacto danda, seu per violentiam inimicorum eidem cellæ ablata, seu per incuriam commorantium in eadem cella ablata, ex integro, & ad integrum eidem Fratri nostro Theodorico Trevirensis Sanctæ Ecclesiæ Archiepiscopo dignissimoque nostro Vicario in partibus totius Galliæ & Germaniæ Universisque successoribus suis per eum à præsenti die, Indictioneque tertia, Beati Petri Apostolorum Principis nostraque permittimus auctoritate. Contra quam, si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, & quod juste, ac Canonicè à nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei Omnipotentis, & prædicti beatissimi Apostolorum Principis, omniumque Sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum, anathematizamus, & cum omnibus impiis æterno supplicio deputandum. Qui verò hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere, fideliter studuerit, benedictionis gratiam, & misericordiæ plenitudinem in Cœlestibus Castris, inter electorum numerum efficaciter à Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii & Scriniarii Sanctæ Sedis Apostolicæ mense Januario, Indictione III. Data XV. Calendas Februarii per manum Vidonis Episcopi & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ. Anno Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Benedicti Sanctissimi VII. Papæ primo. Imperante domino piissimo Imperatore Augusto Ottone, à Deo coronato, magno anno VIII. Indictione tertia.

ANNO 1054.

LEO NONUS PONTIFEX CLIV.

ANNO DOMINI MXLIX.

LEO priùs Bruno dictus, Romæ, Remis Moguntiæ Synodos celebravit, contra Clericorum Simoniam, Conjugia, & Concubinatus. Concilium Romæ contrà Berengarium celebravit. Errores Græcorum condemnavit, anno 1053. Legatis Constantinopolim missis. Obiit an. 1054. sepultus in Vaticano; at quod scribit Burius in ejus vitâ *ad ipsius tumulum in Vaticano coruscare miracula* fateor ego ut qui Romæ continuò degam, neque ulla unquàm vidisse, neque alios narrantes audivisse triginta ab hinc annis. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 24. *App.*)

Confirmat Privilegia Ecclesiæ Colonienſis, & Hermanno Archiepiscopo, ejusque successoribus concedit titulum Cancellarii S. R. Ecclesiæ, & Cardinalis S. Johannis ad Portam Latinam, in Ecclesiæ verò Colonienſi creat septem Presbyteros Cardinales, totidemque Diaconos, ac Subdiaconos: anno 1054.

Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1131.

LEO EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Hermanno S. Colonienſis Ecclesiæ Venerabili Archiepiscopo, suisque Successoribus, illuc canonicè intrantibus, salutem in perpetuum.

GRatias agimus Deo, & Domino nostro Jesu Christo, qui nullis nos præcedentibus meritis ad Apostolicæ dignitatis culmen fecit ascendere, & sollicitudinem omnium Ecclesiarum gerere, earumque rectoribus pietatis assensum præbere.

Quia postulasti à Romana Sede confirmari privilegia, quæ ab Antecessoribus nostris sunt tuæ Ecclesiæ concessa, visum nobis fuit honestum, & Ecclesiæ necessarinm petitioni tuæ consentire.

Præsertim cum Ecclesia hæc sub nomine Principis Apostolorum Beatissimi Petri sit consecrata, sicut mater sua, cui præsidemus divina clementia, ut quæ matrem imitatur, ex nomine filia, imitetur etiam aliquantisper in dignitate Ecclesiæ, protegaturque sub alis defensionis suæ. Nos igitur tua, sicut & omnium Christi fidelium devotione incitati, nostra & Apostolica auctoritate confirmamus tibi omnia, quemadmodum in privilegiis Patrum nostrorum Apostolicorum virorum sunt scripta: Crucem videlicet, & Pallium suo tempore, suoque loco ferendum, insigne quoque sustivi equi, quem haccum vocant nostri Romani.

Confirmamus quoque tibi per hanc præceptionis nostræ paginam Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cancellaturam, & Ecclesiam S. Joh. Evangelistæ ante Portam Latinam, ut te Petrus Cancellarium habeat, Johannis hospitium præbeat.

Concedimus etiam, atque perpetuò largimur, ut majus altare Ecclesiæ suæ Matris Virginis honori dedicatum, & aliud ibidem Apostolorum Principi B. Petro addictum, venerantur ministrando procurent septem idonei Cardinales Presbyteri Dalmaticis induti, quibus etiam cum totidem Diaconibus, ac Subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis,

ut

ANNO 1061.

ut sandaliis utantur, concedimus, & constituimus.

Posteà auctoritatem, & honorem, quem Ecclesia hactenùs habuit tam inter alios, quàm à suis, confirmamus Clypeo Apostolicæ protectionis, ut si quando Synodus infra tuam Diœcesin, aut præsente hujus primæ Sedis Archiepiscopo, aut Legato ab ejus latere directo fuerit aggregata, priorem quidem locum, post ipsum Rector ejus obtineat, in proferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat ita tamen, ut sicut est prior in hac probabili dignitate, ità etiam polleat prior motum probitate, vitæ honestate, ut cujus enunciaverit verba, ejus incitetur exemplo.

Regiam consecrationem infra limites suæ Diœcesis faciendam, potestatis Apostolicæ munimine ei corroboramus. Habendam electionem quoque Archiepiscopi secundum Auctoritatem Canonicam, filiis Ecclesiæ sancimus per hanc præceptionis nostræ paginam.

Bona autem quæ usque modo tenuit, vel in æternum cum justitia acquirere poterit, hoc Apostolico munimine laudamus, & corroboramus, videlicet Monasteria, & Ecclesias Coloniæ positas, Monasterium Sancti Heriberti cum omnibus suis pertinentiis, Ecclesiam Sanctæ Mariæ infra Urbem, Ecclesiam Sancti Gerdonis cum omnibus suis pertinentiis. Cætera verò sacra loca, & infra urbem, & circa confirmamus Tibi auctoritate Apostolica: Monetas vobis, teloneum, & omne Jus Civile sub potestate Archipræsulis.

Abbatias autem per diversa loca, villas, vicos, & castella in omnibus suis pertinentiis, servis, ancillis, terris cultis, & incultis, aquis, pratis, campis, sylvis, Foresiis.

Præterea corroboramus Ecclesiæ Prædia, quæ ipse dedisti, videlicet Monasterium Brauwellare, & Castrum nomine Zoneburg cum omnibus suis pertinentiis, ita sicut neminem Co-Archiepiscoporum Tibi subjicimus, ita sub nullo Primate te agi decrevimus, salva nobis in te, sicuti in cæteris Archiepiscopis, quæ jure debentur Apostolicæ subjectionis auctoritate.

Statuentes Apostolica censura, ut nullus Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, & prætereà nullus Archiepiscopus, Episcopus, Præpositus, vel aliqua magna, parvaque persona cujuslibet ordinis, & dignitatis contra hanc nostræ præceptionis, & confirmationis paginam audeat præsentare.

Si quis, quod non optamus, temerario ausu contra hujus Apostolicæ nostræ auctoritatis scriptum piè a nobis pervulgatum tentaverit, anathematis vinculis innodatus à Regno Dei sit alienus donec resipiscat. Qui verò pio intuitu cultor, & observator extiterit, benedictionis gratiam, & cœlestis regni gaudia à misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Data nonis Maji per manus Friderici Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, atque Cancellarii, vice Domini Hermanni, Archi-Cancellarii, & Colon. Archiepiscopi.

Anno Domini millesimo quinquagesimo secundo. Leonis IX. Papæ IV. Indictione quinta.

ALEXANDER SECUNDUS PONTIFEX CLVIII.

ANNO DOMINI MLXI.

ALexander Secundus, antea dictus Anselmus, ex Episcopatu Lucensi, ad Pontificiam evectus sedem anno 1061. quo tempore Schisma in Ecclesia, quippe Cadolus Episcopus Parmensis Henrici Imperat. ope Alexandro se opposuit, inde Bellum obortum. Verum Imperatoris Consilio coactâ Matue Synodo, Cadolo exauctorato Schisma sedatum fuit. Obiit Pontifex anno 12. Pontificatus. (*Magni Bullarii Romani Tom.* I. *hujus Edit. Luxemb.* 1727. *App. fol.* 25.)

ANNO 1061.

Confirmat Harlebecani Collegii Canonicorum Institutionem.

I. Eæ Codice Donationum Piarum *Auberti Miræi*

ALEXANDER EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei;*

Etleboldo *Præposito Herlebecensis Canonicæ S. Salvatoris, sitæ in Episcopatu Noviomensi cunctisque suis successoribus regulariter promovendis in perpetuum.*

QUandoquidem divinæ providentiæ dispensatione universalis administrationis curam suscepimus, ex debito nostri Officii cogimur cunctis Ecclesiis per Orbem terrarum latè diffusis providere & utilitatibus earum ac saluti animarum, quæ in eis sunt, solerti studio invigilare, præsertim his locis, quæ pia religione pollere noscuntur, & nostro munimine specialiter quodammodo se tueri humili placere deposcunt, qui in eis habitat domino servientium chorus quatenus à turbine Sæcularium adversitatum nostra protectione defensi liberius vota sua continuata Domino reddere, & eodem quo cæperunt sancto proposito usque in finem securi perseverare prævaleant.

§. 1. Quare cum interventu præclaræ Comitissæ Adelæ tum tuis devotis precibus flexi, dilecte fili, te ac prænominatam Canonicam, cum omnibus sibi pertinentibus sub tutela Apostolicæ defensionis suspicimus & confirmamus jam dictæ Venerabili Canonicæ quidquid hactenus habuit tam largitione piissimorum Principum quàm oblatione quorumcumque fidelium juxta nobilissimi præceptum Regis Francorum Philippi & præceptum Balduini Noviomensis Episcopi vel deinceps habitura est tam in terris quàm in vineis, & villis & Ecclesiis majoribus, & minoribus omnibusque rebus mobilibus, & immobilibus, ita ut non liceat cuiquam Ecclesiasticarum vel Sæcularium magnæ parvæque personæ prænominatam Canonicam de suis omnibus inquietare, vel quid ab eis jure in alienum transferre, salva in omnibus proprii Episcopi reverentia.

§. 2. De ordinando verò Præposito in eodem loco, hoc Apostolica auctoritate sancimus, ut nullus ibi præsumat quemquam præponere contra Canonicam regulam, sed defuncto Præposito uno congregatio eligat vel de eadem congregatione, si ibi idoneus inventus fuerit, vel de alia, quem potiorem vitæ meritum commendaverit juxta canonicam regulam.

§. 3. Si quis verò hujus nostræ sanctionis privilegium spiritu superbiæ ductus contraierit, & illud in totum partemve infregit nisi admonitus digna satisfactione quod in Venerabilem Locum deliquerat, emendaverit, noverit se Apostolici anathematis vinculo innodandum.

§. 4. At verò qui pio intuitu custos & observator extiterit perpetuæ benedictionis abundantia repleatur.

Datum Laterani quinto Kal. Februarii per manus Petri Clerici fungentis vice Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarii: Anno verò ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo, Pontificatus autem Domini Alexandri Papæ II. Octavo, Indictione VIII.

URBA-

ANNO 1088.

URBANUS SECUNDUS PONTIFEX CLXI.

ANNO DOMINI MLXXXVIII.

URbanus hujus nominis secundus Gallus anteà dictus *Odo* Victorem III. excepit an. 1088. tempore Schismatis, cui Gilbertus pseudo-Pontifex ansam præbuit, à cujus factione Urbe pulsus in Galliam se recepit, ibique varia celebravit Concilia: Claromente imprimis ad recuperandam Terram sanctam, indè in Italiam reversus obiit Romæ An. 1099. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 29.)

I. Ex Ughellio Tom. 2. pag. 1047. Editum D. Anno 1091.

Diploma Urbani quo confirmat Largitiones & Donationes quascunque factas à Rogerio Calabriæ Comite & Siciliæ, Ambrosio Abbati Liparitano; scilicet ipsam Insulam Liparensem, Monasterium & omnia bona eidem pertinentia.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Ambrosio Abbati Liparitano ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

CUm universæ Insulæ secundum instituta regulæ juris sint, constat profecto quia Religiosi Imperatoris Constantini privilegio in Jus proprium B. Petro, ejusque successoribus Occidentales omnes Insulæ condonatæ sunt, maximè quæ circa Italiæ oram habentur, quorum multæ peccatis exigentibus accolarum à Saracenis captæ Christiani nominis gloriam amiserunt. Inter quas Liparis B. Bartholomæi Apostoli corpore quondam insignita, Eremi instar redacta cognoscitur, quam multis annorum curriculis evolutis cum Saracenorum vires divinæ misericordiæ potentia repressisset, religiosi fratres divinæ servitutis studio eamdem ingressi Insulam monasteria illi, domicilia construere curaverunt, & plurimos in eandem Insulam colonos sua industria constituerunt.

§. 1. Nos itaque quibus ex divinæ arbitrio voluntatis per Apostolicæ sedis culmen cunctarum solicitudo imminet Ecclesiarum, licet in eadem Insula Episcopatum quondam fuisse in sanctæ Gregorianæ paginæ registris agnoscamus, quia tamen Episcopi dignitatem nunc ipsius loci exiguitas, & accolarum raritas non meretur, Monasterium tamen illi haberi, & totius Insulæ ambitum possidere præsentis paginæ auctoritate sancimus.

§. 2. Ipsum etiam monasterium, cui fraternitas tunc auctore Domino præsidet, in Beati Bartholomæi honore, & nomine consecratum, in sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedis favendum speciali protectione suscipimus.

§. 3. Per præsentem igitur nostri Privilegij paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quæcunque hodie idem cœnobium justè possidet, sive in posterum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè, atque canonicè poterit adipisci firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant.

§. 4. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ei subditas possessiones auferre, vel oblatas retinere, vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Obeunte te nunc ejusdem Loci Abbate, vel tuorum quolibet successoram, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi favore, vel fratrum pars consilii sanioris eligeretur, electus autem ad Rom. Pon. consecrandus accedat.

§. 5. Vos itaque filii in Christo dilecti oportet regularis disciplinæ institutioni ferventer insistere, & divinæ Legis præcepta studiosius observare; ut quanto à secularibus tumultibus liberiores estis, tanto solertius placere Deo totis mentis, & animæ viribus anheletis. Ad judicium autem perceptæ à Romana Ecclesia libertatis unam auri unciam per annos singulos Lateranensi palatio persolvatis.

§. 6. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus, Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, aut Judex, aut persona quælibet, magna vel parva, potens vel impotens, huius nostri privilegii paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, eum honoris sui, & Officii periculo subjacere decernimus, & à Christi, atque Ecclesiæ corpore auctoritate Apostolica segregamus.

§. 7. Conservantibus autem pax à Deo, & misericordia præsentibus, & futuris seculis conservetur. Amen. Amen. Amen.

Datum Militi per manus Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Card. 3. Nonas Junii Indictionis 18. Incarnationis Domini 1091. Pontificatus verò D. Urbani secundi an. 4.

ANNO 1091.

II. Ex Labbe T. 10. pag. 463.

Constitutio ad Raynaldum Archiepiscopum Remensem, & suffraganeos ejus contra Polygamos eosve qui ferarum ritu promiscua haberent connubia.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Confratribus & Coepiscopis Raynaldo Remensi, *& suffraganeis ejus, salutem & Apostolicam benedictionem.*

SI sacerdotale quod geritis Officium consideratione debita pensaretis tanti facinoris infamia ad aures nostras saltem impunita non pervenisset.

§. 1. Cum enim domui Israel speculatores à Deo dati impiis impietates suas annunciare, & pro domo Israel murum opponere deberetis, qualibet ratione vos pati potuisse miramur, ut tam inclyti regni rex humani pudoris oblitus, divini timoris immemor contra jus, contra fas, contra Legum & canonum sanctiones, contra totius catholicæ Ecclesiæ consuetudines, & suam uxorem inordinatè relinqueret, & propinqui sui conjugem amore sibi nefario copularet. Quod factum utique & regni totius confusionem, & Ecclesiarum vestrarum dissipationem portendit, & ad animam vestram redundat infamia. Peccanti enim, cum impedire possis, non contradicere, consentire est.

§. 2. Te autem, carissime confrater Raynaldo

Arguit im-

primis Raynaldum pro eo quod Episcopus Sylvanectensis sibi subjectus benedictionis sacerdotalis manum ipsis imposuit.

naldo, noxa hæc maxime impetit, pro eo quod Sylvanectensis subjectus tibi Episcopus, hoc publici adulterii crimen, suo, ut audivimus, firmavit assensu cum mœchis illis benedictionis sacerdotalis manum imposuit. Quod & si licitè nuberent bigamis tamen impendi secundum canones non liceret:

Hortatur Episcopos ut à tanto facinore Regem desistere compellant.

§. 3. Nunc igitur vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut his visis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jamdudum feciſſe vestram prudentiam decuisset, maturè convenire curetis regem, & ex Dei & nostra pariter & vestrâ parte instanter commoneatis, arguatis, obsecretis, increpetis, & à tanto, tamque horrendo facinore desistere compellatis.

Et pro ereptione Carnotensis Episcopi instantiam adhibeant.

§. 4. Quod si contempserit, & nobis, & vobis necessitas imminebit, ut ad ulciscendas divinæ legis injurias pro nostri officii debito accingamur, & Phinees gladio Madianitas adulteras perforemus.

§. 5. Eandem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis Episcopi adhibete.

Excommunicationi subjicit Castella & terram ejus qui eum retinuerit.

§. 6. Quod si monitis vestris, qui eum cæpit, obtemperare contempserit, vos & ipsum excommunicationi subjicite, & Castellis in quibuscumque eum retinuerit, & terræ ejus divinum Officium interdicite, ne similia deinceps in viris hujus ordinis præsumantur.

§. 7. Ut ordinem vestrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis satagetis. Valete.

Data sexto Kalendas novembris, anno videlicet Dei Christi MXCII.

Data sexto Kalendas Novembris.

III. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 443. Edita An. Dom. 1096.

Constitutio ad Richerium Senonensem, & cæteros Francorum Episcopos, quâ Regem excommunicatum absolvi vetat eosque ad Synodum Arelatensem invitat.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AUditum est apud nos quosdam confratres nostros in tantam audaciam prorupisse, ut asserant se nequaquam à regis societate abstenturos, imò etiam Regem ipsum ab excommunicationis vinculo soluturos, quamquam fœminam illam, pro quâ per nos excommunicatus fuerat, non dereliquit:

Sanctis Patrum institutionibus à quolibet justè excommunicatum Episcopo, alii absolvere ipsi quidem Metropolitani prohibentur.

§. 1. Sed qui hoc loquuntur, aut profecto scripturas nesciunt, aut pertinaciter excedere nequaquam pertimescunt. Sanctorum quippe canonum sanxit auctoritas, & ea passim Ecclesiæ consuetudo servat, ut à quolibet justè excommunicatum Episcopo alius absolvere non præsumatur. Ipsa etiam suffraganeorum ligamenta Metropolitani, qui videlicet eorum majores sunt sanctorum Patrum institutionibus prohibentur absoluere.

Neminem ignorare putat quod sola, non Synodo præcedente, sedes Apostolica valeat suo statui restituere quos Synodus iniquè damnaverit, ipsius verò nemini liceat retrahere judicia.

§. 2. Quod si à quibuscumque id servatur Episcopis, videant venerabiles fratres nostri, quemadmodum Apostolicæ sedis valeant acta dissolvere, cum profecto luce jam clarius constet Apostolicæ sedis Pontifici non solum Episcopos, & Primates, sed ipsos etiam Patriarchas, divina institutione subjectos cum noverint ab omnibus ad ipsum, ab ipso autem ad neminem appellandum, cum sciant ei soli fas esse de omni Ecclesia judicandi, ipsum verò nullorum subjacere judicio. Nec eos illud credimus ignorare, quod sola, nulla Synodo præcedente, sedes Apostolica valeat suo statui restituere quos Synodus iniquè damnaverit, ipsius vero nemini liceat retrahere judicia.

Levit. 13.

Exemplis sacris sententiam confirmat.

§. 3. Certè cum de leprarum, id est de criminum varietatibus ad Moysen Dominus loqueretur, *Considerabit*, inquit, *leprosum Sacerdos, & immundum judicabit*; ac deinde subjungit: *Et clausus tenebitur ad arbitrium Sacerdotis.* Videtis ergo quia ad illius Sacerdotis arbitrium clausus teneri præcipitur, cujus arbitrio judicatus est immundus. Quomodo itaque ad aperiendum manum porrigent, ad quem claudendum os aperire non ausi sunt? Cum quatriduanum Lazarum Dominus suscitasset non leggitur ad absolvendum eum circumstantius aliquis se injeciſſe, dum ipsius Salvatoris præcepto jam viventem, jam stantem, discipuli absolverunt, ut profectò secuturis daretur exemplum, quia etiam pœnitens quis solvendus non est nisi per illius arbitrium, cujus voce, vel gemitu à sepulcro criminosus edicitur. Sed neque illud venerabilibus fratribus arbitramur ignotum, quia Deus superbis resistit, propè est autem obtritis corde. *Isaï.* 66.

Superquem enim respiciam, ait Dominus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea. Viderint ergo quo pacto peccatorem conentur absolvere, præter illius vel præsentiam, vel præceptum, cujus est Judicio in generali Synodo compeditus. Nobis sanè, & omnibus qui Turonis nobiscum Deo propitiante convenerunt, liquido paruit, & legis, & Evangelii & sanctorum Canonum documentis, nullam solvendi quem nos ligavimus fraternitati vestræ supperere potestatem.

Francorum Regem donec Deo in se & sanctæ Romanæ Ecclesiæ satisfaciat, Episcopos alios ve ei communicantes excommunicatos asserit.

§. 4. Unde & Filium nostrum Francorum Regem, donec Deo in nobis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ satisfaciat, excommunicatum asserimus, & tam Episcopos, quam alios quoslibet ei pertinaciter communicantes esse sancimus, & privilegium potestatis emittere, si quis in ejus absolutione inconcessa abuti præsumpserit potestate.

Universos Galliæ Episcopos ad Concilium Arelatensem invitat.

§. 5. De cœtero universos vos Arelatem in octavis Apostolorum Petri & Pauli ad Concilium omni sepositа occasione invitamus.

IV. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 444. Edita An. Dom. 1096. Hanc descripserat P. Jacobus Sirmondus ex Codice Atrebatensi.

Constitutio ad Guichardum Episcopum Constantiensem quâ excommunicationem in Henricum Regem & Ravennatem Hæresiarcham à Gregorio VII. latam confirmat, & in eorum sectarios, indè quæ agenda in Clericos ab Episcopis excommunicatis ordinatos constituit.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Guichardo Constantiensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Guichardo opem pollicetur.

QUia te speciale post Deum manuum nostrarum opus esse perpendimus, & quia specialem in te Religionis gratiam esse cognoscimus, idcirco te specialiter adiuvare, tuisque necessitatibus specialiter subvenire Domino annuente satagimus.

Propter quæstiones in partibus Guichardi agitatas, excommunicationis Prædecessoris Grægoriam sententiam confirmaturus est.

§. 1. Quæstiones autem quas tuis literis significasti vestris in partibus agitari apud nos satis frequenter noveris commoveri. Fratrum itaque nostrorum communicato consilio diùque excommunicationis quæstione tractata sancti prædecessoris nostri Gregorii sententiam confirmantes ita eam Deo inspirante determinavimus.

Ravennatem Hæresiarcham cum Henrico Rege excommunicat.

§. 2. Primo siquidem gradu Ravennatem Hæresiarcham Romanæ Ecclesiæ invasorem cum Henrico Rege ejusdem perversitatis Capite, ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ membris alienum & excommunicatum esse censemus.

Eorumque fautores.

§. 3. Secundo eos qui armis, pecunia, concilio aut obedientia Ecclesiasticos maxime honores ab eis aut eorum fautoribus acccipiendo eorum nequitiæ adminiculum subministrant.

Eis verò communicantes non excommunicat, & in suam communionem nequaquam sine pœnitentiæ ultione recipit.

§. 4. Hos igitur principaliter anathematis vinculis adstringentes, in tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicamus. Sed quia ipsi se eorum communione commaculant, in nostram eos societatem nequaquam sine pœnitentiæ ultione & absolutione recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit excommunicetur.

Quicumque ignorantia, timore, negotii-ve necessitate se convictû, salutatione, oratione osculo-ve contaminaverit cum minoris pœnitentiæ medicina, societatis participio admittitur.

§. 5. Ipsius tamen pœnitentiæ atque absolutionis modos ea moderatione discrevimus, ut quicumque seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negocii cujusque maximi, & maximè necessarii eorum se convictû; salutatione, oratione, osculove contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ absolutionisque medicina societatis nostræ participium sortiatur.

Eos qui spontaneè aut negligenter inciderunt sub disciplinæ cohercione suscipi jubet, ut cæteris metus incutiatur.

§. 6. Eos verò qui aut spontaneè aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ cohercione suscipi, ut cæteris metus incutiatur cujus disciplinæ moderamina, quod ad tuam curam spectat nos tuæ providentiæ prout oportere videris pro temporis & personarum competentia servanda committimus.

Clericos ab excommunicatis Episcopis ordinatos religiosè viventes in ordinibus quos acceperunt manere permittit.

§. 7. Porrò de clericis qui ab excommunicatis sunt Episcopis ordinati, necdum quidem sententiam ferimus quia generalis mali contagium generalis Synodi est cauterio comburendum, tuæ tamen fraternitati hoc respondemus ad præsens, ut ab excommunicatis quondam tamen catholicis Episcopis ordinatos, si quidem non simoniacè ordines ipsos acceperint, & si Episcopos ipsos non simoniacos esse constiterit, ad hoc si Religiosior eorum vita, & doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta quam congruam duxeris, in ipsis, quos acceperint ordinibus manere permittas.

Ad superioresque ordines ascendere non concedit, sine urgente necessitate.

§. 8. Ad superiores autem ascendere non concedimus nisi necessitas, & utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum sancta conversatio promeruerit, & hoc tamen ipsum rarius cum cautela est præcipua concedendum.

Presbyteros Diaconos ac Subdiaconos in crimine lapsos, canonum censuræ submittit.

§. 9. De presbyteris, diaconis ac subdiaconis, qui post acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint sive palam sive clam constat quidem canonum censura ab Ecclesiasticis eos officiis inhiberi.

Guichardi providentiæ committit utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerunt aspersi in suis gradibus recuperari debeant, salva communi auctoritate patrumque decretis.

§. 10. Tuæ tamen providentiæ discretionique committimus utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente in suis gradibus recuperari debeant.

§. 11. Hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum Imperium, ut vestra major vestris in partibus contra hæreticos habeatur auctoritas.

§. 12. Salva tamen auctoritate communi, & sanctorum patrum decretalibus institutis.

Quæ in Lege morte multantur occupatos criminibus ab omni altaris ministerio sequestrat.

§. 13. Si quem verò quod absit aut, acceptum aut ante acceptum officium contigerit peremptorio quolibet eorum quæ in Lege morte multantur, sive clam sive palam occupatum crimine inveniri, eos maximè qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos altaris ministerio sequestramus.

§. 14. Sicut enim pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores ordines promoveri, quia quamvis sint omnis peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Post pœnitudinem nulli unquâ laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores ordines promoveri.

§. 15. Sanè Insulam Augiam sub Jure ditionis B. Petri ac Romanæ Ecclesiæ constat specialiter contineri. Sed quia eorum privilegium, quod à Romana Ecclesia obtinent, non satis meminimus causam facilé determinare non possumus. Salva tamen ejusdem privilegii auctoritate, tibi singulariter in Clerum & Populum illic habitantem (præter monachos) omnem concedimus Episcopalis regiminis potestatem.

In Clerum & Populum (præter Monachos) in Insulam Augiam habitantem omnem concedit Episcopalis regiminis potestatem salva eorum privilegii autoritate.

§. 16. Cæterum ut in eodem cœnobio abbatem catholicum regulariter vice nostra præstituere studeas tuæ obedientiæ imperamus.

In eodem cœnobio Abbatem regulariter præstitui imperat.

§. 17. Nec solum in eo, sed ut in S. Galli cœnobio, & in cæteris si quæ sunt propriis Abbatibus destituta, nostra fretus auctoritate cum consilio quorum interesse cognoveris abbates eligere, atque electos consecrare procura.

Idem etiam de Augustinensi & Curiensi Episcopatu aliisque vicinis regionibus studendum injungit.

§. 18. Idem etiam tibi studendum de Augustinensi & Curiensi Episcopatu injungimus, nec non & de cæteris ad quæ Patavienſis Episcopus advocari vel adesse nequiverit, & ipsi enim quemadmodum & tibi Saxonæ Alemanniæ, ac cæterorum quæ propè sunt regionum vice nostra procurationem injunximus, ut ordinationes improbandas improbetis, roborandas roboretis, & quicquid Ecclesiastici negotii disponendum fuerit communicato religiosorum virorum consilio disponatis, quo ad usque privatiorem annuente domino Legatum sedis Apostolicæ suscipere valeatis.

Hortatio Pastoralis.

§. 19. Vos quia Dei zelo fervetis & scientia præcellitis atque doctrina, omni cura atque sollicitudine utilitatibus Ecclesiasticis insudate. Scientes quoniam, & nos in hoc tempore vestris libentissimè utilitatibus annuemus, & operam dabimus. Laboribus autem Romanæ Ecclesiæ communicare, opis nostræ auxilio sublevare nullo modo pigri sitis.

Benedictio Apostolica.

§. 20. Benedictionum suarum vos omnipotens Deus ubertate perfundat, incolumem custodiat & ad vitam perducat æternam.

Data Romæ, XIV. Kal. Maij.

Data Romæ 14. Kal. Maij.

Constitutio ad Canonicos Sancti Martini Ecclesiæ Turonensis contrà simoniacos ne præbendæ vel alia beneficia in posterum vendantur emantur. Posteà ejusdem Ecclesiæ jura ac Privilegia quæquæ confirmat.

V.

Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 436. Edita An. Dom. 1097.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Deo gratias agit quod Beati Martini tumulum visitaverit.

BOnorum omnium Largitori Deo gratias agimus, qui devotionem nostram ad Beati Martini tumulum visitandum sua miseratione perduxit.

In Ecclesia Beati Martini religiosos viros ad præmonitionem suam decernit præmittendos.

§. 1. Quia verò in ejusdem Beati confessoris Ecclesia consuetudo pravitatis ejusmodi inoleverat, ut honores seu præbendæ omnes precio acquirerentur nos locum sanctum emundare ab hac peste execrabili cupientes, religiosos viros ad præmonitionem nostram decrevimus præmittendos.

Canonicos gaudet in suæ manu firmasse nihil honorum ac præbendarum vendituros aut empturos nec ut vendantur aut emantur aliquando consensuros, nullumque in canonicorum numerum admittendos nisi eandem sponsionem jurejurando firmaverit.

§. 2. Quibus estis fideliter domino inspirante, polliciti, & præceptis nostris omnimodis obedire, & simoniacæ pravitatis inquinamenta deserere.

§. 3. Quod & præsentibus nobis per Dei gratiam perfecistis, in nostram tanquam beati Petri manu firmantes, nihil vos ulteriùs honorum, nihil præbendarum vendituros aut empturos, nec ut vendantur, aut emantur aliquando consensuros. Adjicientes etiam nullum deinceps in canonicorum numerum admittendum, nisi eamdem sponsionem jurejurando firmaverit.

Hujus-ce Constitutionis violatores anathematis mucrone confodit.

§. 4. Quæ videlicet universa nos sanctorum Apostolorum auctoritate firmavimus, & violatores omnes anathematis, mucrone confodimus. Et præteritorum igitur gratiæ respondentes, & futurorum spem longè meliorem gerentes, secundum prædecessorum nostrorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum privilegia, vos in spirituales filios Apostolicæ sedis assumpsimus, & eadem auctoritate statuimus, nullum Pontificum, nullum Regum, nullum cujusque dignitatis aut ordinis præter præpositos, in vestra Ecclesia, vel ejus pertinentiis potestatem aut dominium exercere ut Romanæ Ecclesiæ præcepta servantes Romanæ Ecclesiæ libertate perpetua gaudeatis, salvo nimirum jure seu consuetudine quam hactenus erga vos Turonensis noscitur Archiepiscopus habuisse.

Canonicos in spirituales filios Apostolicæ sedis assumit & ab aliena cujuscumque authoritate solvit, salvo tamen jure Turonensis Archiepiscopi.

§. 5. Quæcumque igitur venerabilis illa beati Martini Ecclesia legitimo jure, vel Pontificum collatione, vel Regum, & Principum liberalitate, vel fidelium oblatione possidet, seu in futurum præstante domino justè poterit, & Canonicè adipisci, firma vobis semper, & illibata permaneant.

Possessiones confirmat.

§. 6. Nullus in villis, aut mansionibus, sive territoriis, sive Ecclesiis aut pagis ad vestram Ecclesiam pertinentibus, invitis vobis judicia agere, ingenuos servosve sæculari potestate constringere, nec teloneum aut naulum præsumat exigere.

Qualemcunque sæculari potestate constringi vetat, nec teloneum aut naulum exigi permittit.

§. 7. Possessionum verò vestrarum decimæ seu nonæ in pauperum usus omninò proficiant: Episcopus autem, in cujus diœcesi eædem Possessiones sunt, ordinandorum Clericorum tantum curam gerat nihil de cætero gravaminis Clericis inferat, nec Ecclesiarum altaria, vel alia bona per regum præcepta vobis antiquitùs data, & Pontificum Romanorum privilegiis confirmata, vel aliis dare, vel venalitate distrahere, vel modo quolibet alienare præsumat.

Decimas in pauperum usus omninò proficeri jubet.

§. 8. Quidquid præterea libertatis, quidquid immunitatis vel prædecessores nostri Romani Pontifices, vel Turonenses Archiepiscopi, vel Gallicanarum Ecclesiarum apud Tussiacum in Tullensi parochia generalis Synodus congregata pro beati Apostolici Confessoris Martini reverentia vestræ Ecclesiæ vestrisque prædecessoribus contulerunt, nos præsentis decreti pagina confirmamus, & quia in quibusdam vestræ Ecclesiæ privilegiis proprium vobis habere Episcopum concessum est, nos ejus vice Romano vos sancimus specialiter adhærere Pontifici, & graviores vestri causas ex ejus pendere judicio.

Ecclesiæ altaria aliaque bona venalitate distrahi vel modo quolibet alienari vetat.

Eorumlibertates, immunitates que confirmat eosque Romano specialiter adherere Pontifici & graviores eorum causas ex ejus pendere judicio decernit.

§. 9. Si quis sanè in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, aut Ecclesiastica quælibet secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, rerumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat:

Pœna contraventium.

§. 10. Cunctis autem eidem Ecclesiæ juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtorum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen, Amen, Amen.

Pax & benedictio fautoribus.

§. 11. Datum Pictavis per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis quarto Kalendas Aprilis, indictione quarta, anno dominicæ incarnationis MXCVII. Pontificatus autem domini Urbani secundi Papæ nono.

Data quarto Kalendas Aprilis Pontificatus anno IX.

Diploma ad Rogerium Siciliæ Comitem, vi cujus Siciliæ Reges in suo Regno intendunt repræsentare speciatim Pontificem Romanum.

VI.

Ex Labbe Tom. 10 p. 437. & Leibnitio Tom. 1. Cod. Diplom. prodrom. p. 1. Editum An. D. 1099.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, carissimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ Salutem & Apostolicam benedictionem.

Rogerium in specialem atque universalis Ecclesiæ filium charissimum assumit.

QUia prudentiam tuam supernæ Majestatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltavit, & probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimùm dilatavit, & sanctæ sedi Apostolicæ devotam se multimodis semper exhibuit, nos in specialem atque carissimum filium ejusdem universalis Ecclesiæ te assumpsimus.

Nullum vitæ suæ tempore vel filii simonis vel alterius legitimi hæredis, in Terra potestatis, præter voluntatem aut consilium Romanæ Ecclesiæ Legatum mittendum statuit,

§. 1. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita literarum auctoritate firmamus; quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius qui legitimus hæres extiterit, nullum in Terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimo quæ per Legatum acturi sumus, vel vestram industriam Legati vice cohiberi volumus. Quando ad vos ex Latere nostro mitteremus ad salutem sanctarum Ecclesiarum quæ sub vestra potestate consistunt ad honorem beati Petri sanctæque ejus Apostolicæ sedis, cui devotè hactenus obedisti, quamque in necessitatibus suis strenuè fideliter adjuvisti.

Si celebratur Concilium quos voluerint terræ suæ Episcopos & Abbates mittant.

§. 2. Si verò celebratur Concilium, & tibi mandavero, quatenùs Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas; quos & quos volueris mittes alios verò ad servitium Ecclesiarum tuarum retineas.

Pax & Benedictio Apostolica.

§. 3. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te à peccatis absolutum in vitam æternam perducat.

Datum Salerni 3. nonas Julii anno Pontificatus IX.

§. 4. Datum Salerni per manus Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi tertio nonas Julii indictionis septimæ, anno Pontificatus nostri undecimo.

Diploma quo conlatum Archiepiscopo Salernitano privilegium continetur videlicet, ut Primatum super Consanam & Aheruntinam Archiepiscopales sedes, earumque suffraganeos gerat.

VII.

Ex Synodo Salernit. Marci Antonii Marsilii Columna pag. 375. Editum An. Dom. 1099.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Fratri Alfonso Salernitano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum.

Exordium.

SIngulare semper sedis Apostolicæ privilegium claruit subiectas sibi per orbem terrarum ec-

cleſias, & auctoritate diſponere, & benignitate clementiùs confovere: Quibus autem ſupernæ majeſtatis dignatio gratiæ ſuæ pleniorem contulit largitatem, ipſa etiam conſuevit excellentiorem contribuere dignitatem. Undè non immerito æſtimamus Salernitanam amplioribus noſtræ benignitatis muneribus honorandam, quam Omnipotens Dominus eximia ſuæ donationis prærogativa per miſericordiam gratuitam ſublimavit. Ex noviſſimis nag. Terrarum finibus Beati Matthæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ corpus ad hanc deferri, apud hanc haberi clementiſſima ſuæ diſpoſitionis dignatione permiſit. Cujus ſcilicet Apoſtoli quanta ſit in Deo, & Eccleſia gloriæ excellentia collatorum divinitus munerum gratia cumulata demonſtrat. Hic enim primus inter cæteros Evangelii ſeriem ſcribere inſpiratione divina exorſus eſt. Hic in divini ſeminis fructu trium ordinum coronam centeſimam ſingulariter reportavit, ut ſimul Apoſtolus, Evangeliſta, & Martyr exiſteret. Adjecit ad hæc Omnipotens Dominus, ut eandem Eccleſiam glorioſorum Martyrum, Fortunati, Gaii & Anthes, triumphis ſimul, & corporibus honoraret. Appoſuit etiam tertii muneris claritatem, ut eam noſtris temporibus Gregorii Apoſtolicæ memoriæ ſeptimi Papæ tam exilio, quam tumulo illuſtraret. Cujus quam egregia vita, quam præclara doctrina, quam miranda conſtantia fuerit Romana Eccleſia prædicat Occidens univerſus agnoſcit, Tyrannorum pertinacia tolerata, & conculcata, teſtatur. Nec illud tanquam ingrati præterimus quod inter multimodas ſedis Apoſtolicæ perſecutiones quas noſtris temporibus pertulit Eccleſia eadem glorioſiſſimorum Ducum Roberti, & filii ejus Rogerii devotione, ac ſtudio filiorum ſedis Apoſtolicæ nonnunquam etiam noſtri ipſius requies & portus fuit.

Gratulatur Alfonſo de eo quod Salernitanam Eccleſiam Beati Matthæi glorioſorumque Fortunati Gaji & Anthes corporibus honoraverit Gregoriique ſeptimi Papæ tam exilio quam tumulo illuſtraverit. Eandem Eccleſiam laudat quod glorioſiſſimorum Roberti & filii ejus Rogerii pietate nonnumquam Pontificum ipſius & Urbani requies & portus fuerit.

§. 1. Cum igitur per omnipotentis Dei gratiam ſedis Apoſtolicæ, licet indigni, moderamina teneamus tantis divinæ gratiæ beneficiis & veſtræ devotionis Officiis per ſententiæ Romanæ Eccleſiæ liberalitatem concurrendum, ac reſpondendum arbitrati ſumus ob reverentiam ſiquidem ſanctæ, & glorioſæ, ſemperque Virginis Dei genitricis Mariæ, & Beati Apoſtoli, Evangeliſtæ, ac Martyris Matthæi, ob devotionem Reverentiſſimi Patris, ac prædeceſſoris noſtri Gregorii. Ob petitionem nihilominus tam tuam quam Cariſſimi filii noſtri Ducis Rogerii, qui ſemper Apoſtolicæ ſedi fideliter obſecutus eſt, veterum etiam Eccleſiæ veſtræ privilegiorum rationibus informati; Tibi deinceps, tuiſque ſucceſſoribus ſuper Conſanam, & Acherontinam Eccleſias, & earum ſuffraganeos primatum gerere ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate concedimus.

Alfonſo, ſuiſque ſucceſſoribus ſuper Conſanam & Acherontinam Eccleſias, & earum ſuffraganeos primatum gerere ex Apoſtolicæ ſedis liberalite concedit.

§. 2. Has nimirùm Eccleſias ſive Civitates Eccleſiæ veſtræ privilegia continent, tanquam veſtræ Metropoli olim ex Apoſtolicæ ſedis conceſſione ſubjectas. Verum, & ipſæ quâ neſcimus ratione, & pallei dignitatem, & privilegiorum auctoritatem præteritis temporibus à ſede Apoſtolica meruerint.

§. 3. Verum quia prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta inconvulsa, & intemerata manere cupimus, eis quidem propriæ dignitatis gratiam conſervamus, ut Archiepiſcopali honore, ac nomine potiantur. Veſtræ vero Eccleſiæ ſuorum privilegiorum integritatem hoc ordine reſtituimus.

Sed ut prædeceſſorum ſtatuta inconvulſa, & intemerata maneant, eis propriæ dignitatis gratiam conſervat, ut Archiepiſcopali nomine ac honore potiantur, Salernitanæ verò Eccleſiæ privilegiorum integritatem hoc ordine reſtituit.

§. 4. Quidquid igitur reverentiæ quidquid ſubjectionis primatibus perſolvendum ſacrorum canonum decreta conſtituunt, tibi deinceps, tuiſque legitimis ſucceſſoribus à Conſano, & Acherontino Archiepiſcopo perſolvatur.

§. 5. Quin etiam ex abundantia gratiæ plenioris adjicimus, ut etiam præſente Romanæ Legato Eccleſiæ in ſupradictis duabus Metropolitanis urbibus cum tuo ſemper, aut ſucceſſorum tuorum conſilio Archiepiſcopi eligantur. Cum veſtris etiam litteris aut nuntiis conſecrandi ad ſedem Apoſtolicam dirigantur. Et item ipſi ad ſucceſſorum tuorum electionem nihilominus advocentur. Poſt conſecrationem verò, vel palleum ab Apoſtolica ſede perceptum, tibi tuiſque ſucceſſoribus tanquam primati obedientiam promittant, & exhibeant.

In ſupradictis Metropolitanis Urbibus cum ſuo aut ſucceſſorum conſilio Archiepiſcopi in poſterum eligentur. Ipſi verò ad ſucceſſorum primátis electionem advocari debent & ab eis obedientia promittenda eſt & exhibenda.

§. 6. Salva in omnibus ſecundum canonicas Sanctiones Romanæ auctoritate Eccleſiæ; ipſarum etiam urbium privelegiis robur proprium obtinentibus.

Hortatio Paſtoralis.

§. 7. Oportet igitur & vos propenſiorem deinceps Apoſtolicæ Sedi devotionem, & obedientiam exhibere, ejus in omnibus decreta efficacius obſervare, ut quanto per eam altius ſupra cæteros ſublimamini tanto in humilius, & cordis affectione, & operis exhibitione ſubjiciamini. Vitam etiam veſtram, & mores ſollicitiori expedit cuſtodia moderari, ut qui aliorum judices eligimini, vos-met-ipſos prius ſecundum Apoſtoli ſententiam diſtrictius judicetis. Mandatum Domini ſine macula & irreprehenſibile conſervate, ut cum apparuerit princeps paſtorum percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam. Fraternitatem veſtram ſuperna dignatio per tempora multa conſervare dignetur incolumem.

§. 8. Si quis autem hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit ſecundo tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque in extremo examine diſtrictæ, ultioni ſubjaceat.

Pœna contraventium.

§. 9. Conſervantibus autem hæc pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, & miſericordia conſervetur, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Pax & benedictio fautoribus.

Datum Salerni manum Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis XIII. Kal. Auguſti indic. vi. incar. Dominicæ anno M. XC. VIIII. Pontificatus autem Domini Urbani Secundi P. P. XI.

Datum Salerni 13 Kal. lendas Auguſti Anno Pontificatus XI.

PASCHALIS SECUNDUS
PONT. CLXII.
ANNO DOMINI MXCIX.

1099.

PAſchalis in Tuſcia, Patre Creſcentio Alſatia Matre natus antea Rainerius invitus eſt Pontificatum adeptus anno D. MXCIX. idibus Auguſti. Henrico IV. & V. Impp., ſedit in Pontificatû annos duodeviginti, menſes quinque, dies quatuor. Initio Pontificatus ſui Obiit Romæ Guibertus pſeudo-Pontifex cui nomen Clemens III. qui Ravennæ ſepultus tandem Concilii Moguntini decreto exhumatum indè Cadaver combuſtum fuit, Lege Lata ut Epiſcopi qui Henricianas partes propugnaſſent ſedibus deponerentur ſi viverent, ſi verò mortui propriis extracti ſepulcris comburerentur. Verùm diù non ſtetit quominùs alia pſeudo-Pontificum capita ſubindè orirentur quippè Albertus Atellanus,

Theodoricus Romanus, & Silvester quartus seditiosi homines contra electum Pontificem recalcitrarunt, & suam quisque agebat causam Obijt Paschalis XV. Kal. Februarii anni MCXVIII. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 30.)

I. Ex Labbe T. 1. Concil. pag. 622. Edita An. Do. 1100.

Gratulatur Paschalis exercitui in Palestina militanti ob obtentam victoriam, & ad prosequendum cœpta adhortatur.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, sive filiis Episcopis, Clericis, Proceribus, militibus & omni populo militiæ Christianæ in Asia triumphantis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

QUod per prophetam populo suo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoscimus. Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo cum eis, quia per fidem in vestris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, ut patenter in vobis inimicos suos expugnasse videatur. Renovavit enim Dominus antiqua miracula, ut in uno mille, & in duobus decem millia persequeretur, & his Ecclesiæ armis, sacerdotalium precum tubis, inimicarum urbium mœnia aperiret.

Gaudet exercitum Omnipotentis dignatione sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam & vivificæ Crucis partem ipsorum manibus tractandas obtulisse, eique ob obtentas victorias gratulatur.

§. 1. Illud vero quanti gaudii, quam potentis miraculi æstimandis, quod sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam, & vivificæ crucis partem vestris oculis revelavit, vestris tractandam manibus obtulit; Quantas super his redemptori nostro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Christianæ fidei hostes, Christiani populi oppressores, per divinam misericordiam manu vestra partim contritos, partim e diù possessis regionibus effugatos videmus Orientalem Ecclesiam, post longa captivitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediisse. Dicendum igitur ore; dicendum corde: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam, & vigiliis insistendum; ut quod cœpit adimpleat & manus vestras, quas hostium suorum sanguine consecravit, immaculatas usque ad finem, affluentes firma pietate, custodiat. Quapropter agite, filii in Christo desideratissimi rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum salute & ereptione pericula subieritis: patriam, domos, parentes posthabuistis, vosmet ipsos exilio addixistis, morti opposuistis: curate nunc ad meliora semper tendere: pacem cum omnibus conservare, ut possitis ad æternam pacem, Domini misericordia pervenire.

Hortatio Pastoralis.

§. 2. Plurima vobis significare per chartam & atramentum supersedemus, quoniam ex Apostolicæ sedis gremio carissimum fratrem Mauritium Portuensem Episcopum destinamus: ut qui per beati Petri Vicarium, sanctæ in Christo memoriæ prædecessorem nostrum Urbanum, tanti peregrinationem itineris assumpsistis, beati Petri solatiis semper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuistis, ipsum quoque ad finem caput in fide & obedientia teneatis. Vices etiam nostras eidem fratri Mauritio & Episcopo commisimus, ut cum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipsum nobis immò beato Petro, obsequi debeatis. Cui nimirum in præceptis dedimus, ut Ecclesiæ quam per vos Dominus liberavit, seu liberaturus est, ordinationi vigilanter immineat; si quæ minus canonicis regulis apta repererit, corrigat; & in eisdem cum vestro auxilio plantanda plantet, ædificanda ædificet.

Plurima significare superset quoniam Mauritium Portuensem Episcopum ad eum missurus est.

§. 3. Hortamur itaque, hortantesque: præcipimus, ut ei tanquam personam nostram præferenti, in omnibus obedire curetis.

Hortantes præcipit ut ei in omnibus obedire curent.

§. 4. Omnipotens Dominus & velle & posse in vobis tribuat, ut quæ eo autore facienda cognoscitis, ipso adjuvante impleatis. Ipse vos ab omnibus peccatis absoluat, & exilio vestro patriam æternam tribuat.

Pax & benedictio Apostolica.

§. 5. Datum Romæ quarto Nonas Maij, Indictionis octavæ per manum Joannis Diaconi.

II. Ex Labbe T. 10. Concil. pag. 660. Edita A. D. 1100.

Confirmatio electionis Norigaudi Episcopi Augustodunensis, ejusque Ecclesiæ jurium.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Fratri Norigaudo Eduensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

QUum divini dispensatione judicis ad hujus officii gradum licet indigni, promoti simus, ut Apostolorum principis vices in Ecclesiæ regimine teneamus: elaborandum nobis est, & annitendum omnino, ut in constituendis Ecclesiasticis negotiis, ejus monita, & institutiones devotione fidelissima, & fide devotissima æmulemur, cujus fides præcipua, & dilectio spectata domino extitit adeo, ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili pretioso sanguine redemptam suam Dei filius statuere, & confirmare voluerit Ecclesiam dicens. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit, ut ejus arbitrio in cælo, & in terta vel liganda ligarentur, vel solvenda solverentur. Quam potestatis suæ successionem ipse beato Clementi, & per eum omnibus concessit, qui ejus sedi justè præsidere, & Ecclesiam Dei canonica studuerint ordinatione disponere.

Omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam pertinere videntur Norigaudo omnibusque canonicè successuris confirmat.

§. 1. Cujus non fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte frater Norigaude, omnibusque tibi canonicè successuris, confirmamus omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam in qua te Canonicè credimus ordinatum pertinere videntur: tam in Ecclesiis, parochiis, cimiteriis, presbyteriis, cunctisque Ecclesiasticis ordinibus, quam etiam prædiis aliisque omnibus possessionibus, mobilibus, & immobilibus, quæ acquisita sunt, vel justè acquiri poterunt. Ut hæc omnia tibi, tuisque successoribus, ita liberè possidere liceat, sicut antecessor tuus in uno die ante suum obitum quiete & justè possidisse probatur.

Res quas à die ordinationis presbyter conquirere poterit in Ecclesia in qua est ordinatus, conquirere poterit, auferre, vel minuere sed intactata ea & illibata in ipsa in qua conquisita sunt permittat Ecclesia remanere.

§. 2. Illud autem Apostolica autoritate statuimus ut nulli presbytero, vel viventi, vel morienti, seu ad aliam religionem, vel ad quietam vitam transeunti, liceat, res quas à die ordinationis suæ in Ecclesia in qua est ordinatus, conquirere poterit, auferre, vel minuere sed intactata ea & illibata in ipsa in qua conquisita sunt permittat Ecclesia remanere.

A Pontifice excommunicatos in communionem recipi vetat.

§. 3. Illos etiam qui à nobis excommunicati vel ab officiis divinis pro suis fuerint excessibus remoti, ne aliquis in communionem recipere vel in Officium præsumat restituire, eadem auctoritate prohibemus.

§. 4. Sta-

cleſias, & auctoritate diſponere, & benignitate clementiùs confovere: Quibus autem ſupernæ majeſtatis dignatio gratiæ ſuæ pleniorem contulit largitatem, ipſa etiam conſuevit excellentiorem contribuere dignitatem. Undè non immerito æſtimamus Salernitanam amplioribus noſtræ benignitatis muneribus honorandam, quam Omnipotens Dominus eximia ſuæ donationis prærogativa per miſericordiam gratuitam ſublimavit. Ex noviſſimis nag. Terrarum finibus Beati Matthæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ corpus ad hanc deferri, apud hanc haberi clementiſſima ſuæ diſpoſitionis dignatione permiſit. Cujus ſcilicet Apoſtoli quanta ſit in Deo, & Eccleſia gloriæ excellentia collatorum divinitus munerum gratia cumulata demonſtrat. Hic enim primus inter cæteros Evangelii ſeriem ſcribere inſpiratione divina exorſus eſt. Hic in divini ſeminis fructu trium ordinum coronam centeſimam ſingulariter reportavit, ut ſimul Apoſtolus, Evangeliſta, & Martyr exiſteret. Adjecit ad hæc Omnipotens Dominus, ut eandem Eccleſiam glorioſorum Martyrum, Fortunati, Gaii & Anthes, triumphis ſimul, & corporibus honoraret. Appoſuit etiam tertii muneris claritatem, ut eam noſtris temporibus Gregorii Apoſtolicæ memoriæ ſeptimi Papæ tam exilio, quam tumulo illuſtraret. Cujus quam egregia vita, quam præclara doctrina, quam miranda conſtantia fuerit Romana Eccleſia prædicat Occidens univerſus agnoſcit, Tyrannorum pertinacia tolerata, & conculcata, teſtatur. Nec illud tanquam ingrati præterimus quod inter multimodas ſedis Apoſtolicæ perſecutiones quas noſtris temporibus pertulit Eccleſia eadem glorioſiſſimorum Ducum Roberti, & filii ejus Rogerii devotione, ac ſtudio filiorum ſedis Apoſtolicæ nonnunquam etiam noſtri ipſius requies & portus fuit.

Gratulatur Alfonſo de eo quod Salernitanam Eccleſiam Beati Matthæi glorioſorumque Fortunati Gaji & Anthes corporibus honoraverit Gregoriique ſeptimi Papæ tam exilio quam tumulo illuſtraverit. Eandem Eccleſiam laudat quod glorioſiſſimorum Roberti & filii ejus Rogerii pietate nonnumquam Pontificum ipſius & Urbani requies & portus fuerit.

§. 1. Cum igitur per omnipotentis Dei gratiam ſedis Apoſtolicæ, licet indigni, moderamina teneamus tantis divinæ gratiæ beneficiis & veſtræ devotionis Officiis per ſententiæ Romanæ Eccleſiæ liberalitatem concurrendum, ac reſpondendum arbitrati ſumus ob reverentiam ſiquidem ſanctæ, & glorioſæ, ſemperque Virginis Dei genitricis Mariæ, & Beati Apoſtoli, Evangeliſtæ, ac Martyris Matthæi, ob devotionem Reverentiſſimi Patris, ac prædeceſſoris noſtri Gregorii. Ob petitionem nihilominus tam tuam quam Cariſſimi filii noſtri Ducis Rogerii, qui ſemper Apoſtolicæ ſedi fideliter obſecutus eſt, veterum etiam Eccleſiæ veſtræ privilegiorum rationibus informati; Tibi deinceps, tuiſque ſucceſſoribus ſuper Conſanam, & Acherontinam Eccleſias, & earum ſuffraganeos primatum gerere ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate concedimus.

Alfonſo, ſuiſque ſucceſſoribus ſuper Conſanam & Acherontinam Eccleſias, & earum ſuffraganeos primatum gerere ex Apoſtolicæ ſedis liberalite concedit.

§. 2. Has nimirùm Eccleſias ſive Civitates Eccleſiæ veſtræ privilegia continent, tanquam veſtræ Metropoli olim ex Apoſtolicæ ſedis conceſſione ſubjectas. Verum, & ipſæ quâ neſcimus ratione, & pallei dignitatem, & privilegiorum auctoritatem præteritis temporibus à ſede Apoſtolica meruerint.

§. 3. Verum quia prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta inconvulsa, & intemerata manere cupimus, eis quidem propriæ dignitatis gratiam conſervamus, ut Archiepiſcopali honore, ac nomine potiantur. Veſtræ vero Eccleſiæ ſuorum privilegiorum integritatem hoc ordine reſtituimus.

Sed ut prædeceſſorum ſtatuta inconvulſa, & intemerata maneant, eis propriæ dignitatis gratiam conſervat, ut Archiepiſcopali nomine ac honore potiantur, Salernitanæ verò Eccleſiæ privilegiorum integritatem hoc ordine reſtituit.

§. 4. Quidquid igitur reverentiæ quidquid ſubjectionis primatibus perſolvendum ſacrorum canonum decreta conſtituunt, tibi deinceps, tuiſque legitimis ſucceſſoribus à Conſano, & Acherontino Archiepiſcopo perſolvatur.

§. 5. Quin etiam ex abundantia gratiæ plenioris adjicimus, ut etiam præſente Romanæ Legato Eccleſiæ in ſupradictis duabus Metropolitanis urbibus cum tuo ſemper, aut ſucceſſorum tuorum conſilio Archiepiſcopi eligantur. Cum veſtris etiam litteris aut nuntiis conſecrandi ad ſedem Apoſtolicam dirigantur. Et item ipſi ad ſucceſſorum tuorum electionem nihilominus advocentur. Poſt conſecrationem verò, vel palleum ab Apoſtolica ſede perceptum, tibi tuiſque ſucceſſoribus tanquam primati obedientiam promittant, & exhibeant.

In ſupradictis Metropolitanis Urbibus cum ſuo aut ſucceſſorum conſilio Archiepiſcopi in poſterum eligentur. Ipſi verò ad ſucceſſorum primátis electionem advocari debent & ab eis obedientia promittenda eſt & exhibenda.

§. 6. Salva in omnibus ſecundum canonicas Sanctiones Romanæ auctoritate Eccleſiæ; ipſarum etiam urbium privelegiis robur proprium obtinentibus.

Hortatio Paſtoralis.

§. 7. Oportet igitur & vos propenſiorem deinceps Apoſtolicæ Sedi devotionem, & obedientiam exhibere, ejus in omnibus decreta efficacius obſervare, ut quanto per eam altius ſupra cæteros ſublimamini tanto in humilius, & cordis affectione, & operis exhibitione ſubjiciamini. Vitam etiam veſtram, & mores ſollicitiori expedit cuſtodia moderari, ut qui aliorum judices eligimini, vos-met-ipſos prius ſecundum Apoſtoli ſententiam diſtrictius judicetis. Mandatum Domini ſine macula & irreprehenſibile conſervate, ut cum apparuerit princeps paſtorum percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam. Fraternitatem veſtram ſuperna dignatio per tempora multa conſervare dignetur incolumem.

§. 8. Si quis autem hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit ſecundo tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque in extremo examine diſtrictæ, ultioni ſubjaceat.

Pœna contraventium.

§. 9. Conſervantibus autem hæc pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, & miſericordia conſervetur, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Pax & benedictio fautoribus.

Datum Salerni manum Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis XIII. Kal. Auguſti indic. vi. incar. Dominicæ anno M. XC. VIIII. Pontificatus autem Domini Urbani Secundi P. P. XI.

Datum Salerni 13 Kal. lendas Auguſti Anno Pontificatus XI.

PASCHALIS SECUNDUS
PONT. CLXII.
ANNO DOMINI MXCIX.

1099.

PAſchalis in Tuſcia, Patre Creſcentio Alſatia Matre natus antea Rainerius invitus eſt Pontificatum adeptus anno D. MXCIX. idibus Auguſti. Henrico IV. & V. Impp., ſedit in Pontificatû annos duodeviginti, menſes quinque, dies quatuor. Initio Pontificatus ſui Obiit Romæ Guibertus pſeudo-Pontifex cui nomen Clemens III. qui Ravennæ ſepultus tandem Concilii Moguntini decreto exhumatum indè Cadaver combuſtum fuit, Lege Lata ut Epiſcopi qui Henricianas partes propugnaſſent ſedibus deponerentur ſi viverent, ſi verò mortui propriis extracti ſepulcris comburerentur. Verùm diù non ſtetit quominùs alia pſeudo-Pontificum capita ſubindè orirentur quippè Albertus Atellanus,

Theodoricus Romanus, & Silvester quartus seditiosi homines contra electum Pontificem recalcitrarunt, & suam quisque agebat causam Obijt Paschalis XV. Kal. Februarii anni MCXVIII. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 30.)

I. Ex Labbe T. 1. Concil. pag. 622. Edita An. Do. 1100.

Gratulatur Paschalis exercitui in Palestina militanti ob obtentam victoriam, & ad prosequendum cœpta adhortatur.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, sive filiis Episcopis, Clericis, Proceribus, militibus & omni populo militiæ Christianæ in Asia triumphantis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

QUod per prophetam populo suo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoscimus. Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo cum eis, quia per fidem in vestris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, ut patenter in vobis inimicos suos expugnasse videatur. Renovavit enim Dominus antiqua miracula, ut in uno mille, & in duobus decem millia persequeretur, & his Ecclesiæ armis, sacerdotalium precum tubis, inimicarum urbium mœnia aperiret.

Gaudet exercitum Omnipotentis dignatione sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam & vivificæ Crucis partem ipsorum manibus tractandas obtulisse, eique ob obtentas victorias gratulatur.

§. 1. Illud vero quanti gaudii, quam potentis miraculi æstimandis, quod sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam, & vivificæ crucis partem vestris oculis revelavit, vestris tractandam manibus obtulit; Quantas super his redemptori nostro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Christianæ fidei hostes, Christiani populi oppressores, per divinam misericordiam manu vestra partim contritos, partim e diù possessis regionibus effugatos videmus Orientalem Ecclesiam, post longa captivitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediisse. Dicendum igitur ore; dicendum corde: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam, & vigiliis insistendum; ut quod cœpit adimpleat & manus vestras, quas hostium suorum sanguine consecravit, immaculatas usque ad finem, affluentes firma pietate, custodiat. Quapropter agite, filii in Christo desideratissimi rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum salute & ereptione pericula subieritis: patriam, domos, parentes posthabuistis, vosmet ipsos exilio addixistis, morti opposuistis: curate nunc ad meliora semper tendere: pacem cum omnibus conservare, ut possitis ad æternam pacem, Domini misericordia pervenire.

Hortatio Pastoralis.

§. 2. Plurima vobis significare per chartam & atramentum supersedemus, quoniam ex Apostolicæ sedis gremio carissimum fratrem Mauritium Portuensem Episcopum destinamus: ut qui per beati Petri Vicarium, sanctæ in Christo memoriæ prædecessorem nostrum Urbanum, tanti peregrinationem itineris assumpsistis, beati Petri solatiis semper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuistis, ipsum quoque ad finem caput in fide & obedientia teneatis. Vices etiam nostras eidem fratri Mauritio & Episcopo commisimus, ut cum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipsum nobis immò beato Petro, obsequi debeatis. Cui nimirum in præceptis dedimus, ut Ecclesiæ quam per vos Dominus liberavit, seu liberaturus est, ordinationi vigilanter immineat; si quæ minus canonicis regulis apta repererit, corrigat; & in eisdem cum vestro auxilio plantanda plantet, ædificanda ædificet.

Plurima significare superset quoniam Mauritium Portuensem Episcopum ad eum missurus est.

§. 3. Hortamur itaque, hortantesque: præcipimus, ut ei tanquam personam nostram præferenti, in omnibus obedire curetis.

Hortantes præcipit ut ei in omnibus obedire curent.

§. 4. Omnipotens Dominus & velle & posse in vobis tribuat, ut quæ eo autore facienda cognoscitis, ipso adjuvante impleatis. Ipse vos ab omnibus peccatis absoluat, & exilio vestro patriam æternam tribuat.

Pax & benedictio Apostolica.

§. 5. Datum Romæ quarto Nonas Maij, Indictionis octavæ per manum Joannis Diaconi.

II. Ex Labbe T. 10. Concil. pag. 660. Edita A. D. 1100.

Confirmatio electionis Norigaudi Episcopi Augustodunensis, ejusque Ecclesiæ jurium.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Fratri Norigaudo Eduensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

QUum divini dispensatione judicis ad hujus officii gradum licet indigni, promoti simus, ut Apostolorum principis vices in Ecclesiæ regimine teneamus: elaborandum nobis est, & annitendum omnino, ut in constituendis Ecclesiasticis negotiis, ejus monita, & institutiones devotione fidelissima, & fide devotissima æmulemur, cujus fides præcipua, & dilectio spectata domino extitit adeo, ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili pretioso sanguine redemptam suam Dei filius statuere, & confirmare voluerit Ecclesiam dicens. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit, ut ejus arbitrio in cælo, & in terta vel liganda ligarentur, vel solvenda solverentur. Quam potestatis suæ successionem ipse beato Clementi, & per eum omnibus concessit, qui ejus sedi justè præsidere, & Ecclesiam Dei canonica studuerint ordinatione disponere.

Omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam pertinere videntur Norigaudo omnibusque canonicè successuris confirmat.

§. 1. Cujus non fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte frater Norigaude, omnibusque tibi canonicè successuris, confirmamus omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam in qua te Canonicè credimus ordinatum pertinere videntur: tam in Ecclesiis, parochiis, cimiteriis, presbyteriis, cunctisque Ecclesiasticis ordinibus, quam etiam prædiis aliisque omnibus possessionibus, mobilibus, & immobilibus, quæ acquisita sunt, vel justè acquiri poterunt. Ut hæc omnia tibi, tuisque successoribus, ita liberè possidere liceat, sicut antecessor tuus in uno die ante suum obitum quiete & justè possidisse probatur.

Res quas à die ordinationis presbyter conquirere poterit in Ecclesia in qua est ordinatus, conquirere poterit, auferre, vel minuere sed intactata ea & illibata in ipsa in qua conquisita sunt permittat Ecclesia remanere.

§. 2. Illud autem Apostolica autoritate statuimus ut nulli presbytero, vel viventi, vel morienti, seu ad aliam religionem, vel ad quietam vitam transeunti, liceat, res quas à die ordinationis suæ in Ecclesia in qua est ordinatus, conquirere poterit, auferre, vel minuere sed intactata ea & illibata in ipsa in qua conquisita sunt permittat Ecclesia remanere.

A Pontifice excommunicatos in communionem recipi vetat.

§. 3. Illos etiam qui à nobis excommunicati vel ab officiis divinis pro suis fuerint excessibus remoti, ne aliquis in communionem recipere vel in Officium præsumat restituire, eadem auctoritate prohibemus.

§. 4. Sta-

Pro sepulturæ loco nullum penitùs ab aliquo pretium exigendum statuit.

§. 4. Statuimus quoque ut pro sepulturæ quidem loco, vel spatio, nullum penitus ab aliquo pretium exigatur: pro redemptione vero peccatorum, morientes, in Ecclesia, in qua fidei sacramenta acceperint, eleemosynam dare secundum Apostolica decreta statuimus omnino, & confirmamus.

Si quis ad aliam Ecclesiam se conferre voluerit de eo quod pro salute dare disposuerit partem Ecclesiæ matrici relinquat.

§. 5. Si quis autem ad aliam vivens sive moriens se conferre voluerit, de eo quod pro salute animæ suæ dare disposuerit, secundum Apostolica decreta matrici Ecclesiæ partem relinquat.

Sanctio poenalis.

§. 6. Si quæ sane Ecclesiastica sæcularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam præsumptuose venire tentaverit, hujusmodi ut sacrilegii reum à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ arcendum judicamus & confirmamus.

Pax & benedictio observantibus.

§. 7. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum retributorem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Joannis Scriniarii sacri Lateranensis Palatii.

Ego Paschalis Episcopus Catholicæ Ecclesiæ subscripsi. Et ego.

Data Laterani 18. Kal. Maij Anno Pontificatus. 1.

§. 8. Datum Laterani per manum Leonis scriptoris XVIII. Kal: Maii, indictione VIII. Anno dominicæ incarnationis MC. Pontificatus autem domini Paschalis secundi Papæ primo.

III. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 644. Edita An. Dom. 1104.

De reformandis moribus Compostellanæ Ecclesiæ deformibus, qui per bella in eam irrepserant.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Didaco Compostellano Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Hortatur Didacum ut in Ecclesia tales Diaconos Presbiteros-vè constituat qui dignè commissa sibi onera sustinere valeant.

ECclesia quam regendam, disponente domino, suscepisti, jamdiu, etiam cum pastorem habere videretur pastoris solatiis caret. Id circo strenuitati tuæ vigilantius insistendum est, ut in ea ritè omnia juxta normam sedis Apostolicæ disponantur. Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros seu Diaconos tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere. Porro quæ Presbyterorum intersunt, presbyteris; quæ Diaconorum diaconibus committantur; ut in aliena dispendia nullus obrepat.

Filios ex presbyteris ante legis susceptionem natos neque à dignitate Ecclesiastica neque à Sæculari repellit.

§. 1. Si qui sanè ante Romanæ Legis susceptionem secundum communem patriæ consuetudinem conjugia contraxerunt, natos ex eis filios neque à Sæculari neque à dignitate Ecclesiastica repellimus. Illud omnino incongruum est, quod per regionem vestram monachos cum sanctimonialibus habitare audimus, ad quod resecandum experientia tua immineat: ut & qui impræsentiarum simul sunt divisis longè habitaculis separentur, prout arbitrio & religiosorum virorum consilio melius visum fuerit; neque imposterum consuetudo hujusmodi præsumatur.

eos qui impræsentiarum simul sunt divisis longè habitaculis separari jubet.

Data Laterani Anno Pontificatus IV.

§. 2. Datum Laterani incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo tertio, nostri Pontificatus quarto.

Mandat Archiepiscopis & Episcopis Provinciarum Remensis, Senonensis ac Turonensis, ut Philippum Regem ejusque pellicem à vinculo excommunicationis absolvant; mox sequitur ejusdem Regis juramentum.

IV. Ex Labbe T. 10 Conc. p. 658. Edita An. D. 1104.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, per Remensem, Senonensem ac Turonensem Provincias, salutem & Apostolicam benedictionem.

Francorum Regem ejusque pellicem mutuum contubernium colloquiumque abjuraturos exultat.

SIgnificatum nobis est quorumdam vestrum Litteris, qui filius noster Francorum Rex feminam illam pro quâ totiens commonitus, immo excommunicatus fuit, juxta præceptum nostrum abjurare decreverit: ipsa etiam mulier regem abjurare parata sit: super quarum conversione personarum non minimum exultavimus quia super uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium esse Angelis Dei ipso Domino testante didicimus.

Lamberto Atrebatensi Episcopo supradictisque Archiepiscopis eos excommunicationis vinculo absolvendi causam committit.

§. 1. Quam nimirum causam fratri nostro Richardo Albanensi Episcopo reminiscimini à nobis fuisse commissam. Si ergo idem frater, Franciæ jam fines egressus est, non eamdem causam, aspirante Domino una vobiscum peragendam venerabili Fratri Lamberto Atrebatensi Episcopo committimus. Convenientibus itaque nobis in unum, si communis filius Francorum Rex, & illa ejus Lateralis tactis Sacrosanctis Evangeliis omnem carnalis copulæ consuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium, & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, numquam videlicet ad idem flagitium redituri, sicut quorundam vestrum litteris significatum est: satisfactionem eorum vice nostra vobiscum Atrebatensis Episcopus suscipiat, & à vinculo excommunicationis absolvat quatinus Largiente Domino, & filium Ecclesia, & Regem sibi Francia reconciliatum Episcopali Ministerio gratuletur.

Data Laterani per manum Joannis, III. Nonas Octobris

Data Laterani tertio Nonas Octobris.

JURAMENTUM PHILIPPI REGIS FRANCORUM.

Audias, tu Lamberte Atrebatensis Episcope, qui hic Apostolica vice fungeris: audiant Archiepiscopi, & præsentes Episcopi, quod ego Philippus Rex Francorum, peccatum, & consuetudinem carnalis & illicitæ copulæ quam hactenus cum Bertrada exercui, ulteriùs non exercebo sed peccatum istud & flagitium penitus, & sine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque femina mutuum colloquium & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, non habebo. Hæc omnia sicut Litteræ Papæ dicunt, & vos intelligitis, sine omni malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacrosancta Jesu Christi Evangilia.

Similiter & BERTRADA cum excommunicationis vinculo solveretur, tactis sacrosanctis Evangeliis in persona sua hoc idem juravit sacramentum. Actum Parisiis in præsentia domini Daimberti Senonensis, & Radulfi Turonensis, Archiepiscoporum; domini quoque Tuonis Carnotensis Episcopi. Humbaldi Autisiodorensis Episcopi, Joannis Aurelianensis Episcopi, Gualonis Parisiensis Episcopi, Manasse Meldensis Episcopi, Baldrici Noviomensis Episcopi,

Lam-

Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi, Humberti Silvanectenſis Epiſcopi; Abbatum quoque, Adæ Pariſienſis, Olrici ſimiliter Pariſienſis, Rainaldi de Prato ſancti Germani Pariſienſis, Rainoldi nihilominus Stampenſis, Archidiaconorum etiam qaamplurimum, & honorabilium Clericorum, & Laicorum, non parva multitudine inibi conſiſtentium. Talitar itaque ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate reincorporatus eſt Philippus Rex Francorum Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ matri ſuæ IV. Nonas Decembris indictione XIII. Anno autem Dei Chriſti MCIV. Pontificante vero in ſede Romana Paſchalis Papa II. anno ſexto.

V. Ex Marcâ Hiſp. Petri de Marcâ Col. 1243. Edita An. Dom. 1115.

Berengardo Gerundenſis Epiſcopo privilegia quæque confirmat.

PASCHALIS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Berengario Gerundenſi Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Exordium.

SIcut injuſta poſcentibus nullus tribuendus eſt effectus ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio.

Privilegia poſſeſſiones que confirmat.

§. 1. Tuis itaque, frater in Chriſto cariſſime Berengari, precibus annuentes, ad perpetuam ſanctæ Gerundenſis Eccleſiæ pacem ac ſtabilitatem præſentis decreti auctoritate ſancimus ut univerſi parrochiæ tuæ fines, ſicut à tuis anteceſſoribus uſque hodie poſſeſſi ſunt, ita omnino integri tam tibi quam tuis ſucceſſoribus in perpetuum conſerventur qui videlicet fines à meridie Barchinonenſis, ab oriente Auſonenſis, ab Aquilone Urgellenſis & Helenenſis parrochiæ limites tangunt, ab occidente in mare pertingunt. Confirmamus etiam eidem Gerundenſi Eccleſiæ univerſa quæ ad eam in præſenti indictione VIII. videntur legitimè pertinere, & quæcunque in futurum juſtè atque canonicè poterit adipiſci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerarijs vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur tam tuis quam Clericorum, & pauperum uſibus profutura.

Perturbari vexationibuſque fatigari vetat.

§. 2. Illud autem omnino interdicimus, ne liceat ejuſdem Eccleſiæ Clericis præbendas aut poſſeſſiones ejuſdem Eccleſiæ retinere, & ſuis uſibus vendicare poſtquam eos ad Epiſcopatum vel Abbatiam vel alias præpoſituras aliarum Eccleſiarum tranſire contigerit.

Interdicit ne liceat Clericis præbendas poſſeſſionesve retinere uſibuſque ſuis vendicare poſtquam eos ad alias præpoſituras tranſire contigerit.

§. 3. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Seculariſve perſonna hac noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiovè commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta ſervantibus ſit pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti quatinus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Sanctio pœnalis.

Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Pax Servantibus.

§. 4. Data Laterani per manum Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii XI. Kal: Februarii Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXV. Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papæ anno XVI.

Data XV. Kalend. Februarii Anno Pontificatus XVI.

Confirmat Stephano Epiſcopo Auguſtodunenſi univerſa privilegia Norigaudo pridem conceſſa.

VI. Et Labbe T.X. Concil. pag. 662. Edita A.D. 1116.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Stephano Auguſtodunenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Exordium.

JUſtis votis aſſenſum præbere, juſtiſque petionibus aures accommodare nos convenit, qui licet indigni, juſtitiæ cuſtodes atque præcones in excelſa Apoſtolorum principum Petri, & Pauli ſpecula poſiti, Domino diſponente conſpicimur.

Auguſtodunenſem Eccleſiam ſedis Apoſtolicæ auctoritate munit.

§. 1. Tuis igitur, frater in Chriſto cariſſime Stephane, juſtis petitionibus annuentes, Sanctam Auguſtodunenſem Eccleſiam, cui Domino autore præſides, Apoſtolicæ ſedis autoritate munimus.

Poſſeſſiones confirmat.

§. 2. Statuimus enim, ut oppida, villæ, ſeu Eccleſiæ poſſeſſioneſve, quas prædeceſſoris tui Aganonis temporibus, Auguſtodunenſis Eccleſia tenuit, tibi quoque ac ſucceſſoribus tuis quietæ, firmæ, & integræ conſerventur. Cætera etiam quæ eidem Auguſtodunenſi Eccleſiæ per tuam induſtriam recuperata vel adquiſita ſunt, videlicet Eccleſia Sanctæ Mariæ, & Sancti Lazari de Avalone, & Caſtrum Toilonum cum eorum pertinentijs, vel in futurum per Dei gratiam recuperari vel adquiri juſtè legitimèque contigerit, quieta ſemper integra in ejuſdem Eccleſiæ jure ac poſſeſſione permaneant.

Poſſeſſores que perturbari vetat.

§. 3. Decernimus ergo ut nulli omnino liceat eamdem Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur tam tuis quam Clericorum & pauperum uſibus profutura.

Pœna contraventium.

§. 4. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita; ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat: reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubiaceat, Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Pax & benedictio obſervantibus.

Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij II. Idus Martij Indictionis IX. Incarnationis Dominicæ Anno MCXVI. Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papæ Anno XVII.

Data 2. Idus Martii Pontificatus Anno. XVII.

GELASIUS SECUNDUS.
PONTIFEX CLXIII.
ANNO DOMINI MCXVIII.

GElasius Cajeta oriundus Paschali secundo successit anno Christi 1118. A Cincio Francipani mox pulsus, dein ab Henrico V. surrogato Gregorio VIII. depositus. Cæsarem in Germaniam redeuntem diris est persecutus, unde Schisma recruduit. Ipse in Galliam profugus obiit anno 1119. post Synodum Viennæ habitam. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe Tom. 10. Concil. Edita An. Dom. 1119.

Confirmatio Gualterii in Archiepiscopum Ravennatem post Schisma ejuratum, eique pallium cùm aliis juribus concedit.

GELASIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Gualterio Ravennatium Archiepiscopo Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

UNitati Divinæ Trinitatis gratiæ agendæ sunt, quæ per suæ caritatis Spiritum divisa conjungit, & multos in se animos unum facit: Ecclesia siquidem Ravennatium per multa jam tempora ab Apostolicæ Sedis unitate discissa, multas eidem Sedi Apostolicæ persecutiones intulit, & Ecclesiis multis perversi Schismatis fomite ministravit. Qua propter ad ejus nequitiam deprimendam, subjectarum in Ecclesiarum quasdam sibi Apostolica sedes assumpsit, ut vel sic eam ad humilitatis & unitatis tramitem revocaret. Sed cum tandem Divinæ majestati placitum fuit eamdem Ravennatium Ecclesiam misericordiæ suæ gratia ad unitatem, & obedientiam Matris suæ Romanæ Ecclesiæ revocavit. Iniquitatem namque suam illius filii recognoscentes, delicta patrum corrigere probaverunt: ut qui præteritis temporibus per tyrannidem regiam præsules regibus placentes accipiebant, nunc demum secundum Canonicas Sanctiones Episcopum Deo placentem eligerent, & Schismate abdicato in catholicæ congregationis gremium repedarent. Te siquidem, Reverendissime Frater Gualtere a disciplina fratrum regularium violenter assumptum, pro religionis ac sapientiæ prærogativa, in Beati Appollinaris cathedra communi voto ac desiderio posuerunt, & in Apostolicæ sedis obedientiam unanimiter redierunt.

Quas Ravennatium Ecclesiæ subjectas ut ad unitatis tramitem revocaret sibi sedes Apostolica assumserat Ecclesias restituit.

§. 1. Unde nos Divinæ Trinitatis unitati gratias agentes, personam tuam pro jure nostræ Ecclesiæ, ad Episcopale ministerium cooperante Domino consecrantes, tibi, & per te Ravennatium Ecclesiæ dignitatem omnem, quam ante illius divisionis tempora per Romanam Ecclesiam possederat, restituimus: & per præsentem privilegii paginam salvo in omnibus jure atque autoritate sedis Apostolicæ concedimus tibi, tuisque successoribus in ejusdem sedis Apostolicæ fide, atque obedientia permanentibus, Episcopatus Aemiliæ Provinciæ, id est Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Tmolæ Faventiæ, Fori Livii, Fori Pompoli, Bobii, Cæsennæ, Ficoclæ. Confirmamus etiam vobis ducatum Ravennæ, & Monasteria sancti Adalberti, & sancti Hilarii, Galliata seu cætera Monasteria & possessiones, per authentica privilegia ab antecessoribus nostris, & a Catholicis regibus tradita.

Monasteria possessionesque ab antecessoribus suis tradita confirmat.

§. 2. Pomposiani quoque Monasterii curam religioni tuæ salvo Ecclesiæ nostræ jure committimus: ut Regularis disciplinæ per tuam industriam, largiente Domino, reformetur. Præterea fraternitati tuæ pallium, Pontificalis videlicet officii plenitudinem, liberaliter concedimus quo fraternitas tua secundum Ecclesiæ tuæ morem ex Apostolicæ sedis concessione permissum se noverit induendum, cujus inimicum pallii volumus te per omnia genium vendicare. Hujus siquidem indumenti honor, humilitas, atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in properis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectam amicam bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, tum operibus juxta virtutem constantiæ insistens, tum insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, de alienis tanquam de propriis exultans gaudiis, & vitiis corrigendis piè sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justæ censuram non deserens. Hæc est frater carissime, pallii accepti dignitas: qua si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Pomposiani Monasterii curam salvo Ecclesiæ jure committit palliumque liberaliter concedit.

Hortatio Pastorolis.

Ego Gelasius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.

Signum manus meæ Gelasi, Deus in loco sancto suo.

§. 3. Datum Romæ per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, Kalendas Septembris, Indictione duodecima, Anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. Pontificatus autem domini Gellasij II. Papæ Anno I.

Data Kal. Septembris Pontificatus Anno I.

CALIXTUS SECUNDUS.
PONTIFEX CLXIV.
ANNO DOMINI MCXIX.

CAlixtus II. Guido anteà dictus in Cluniacensi Cœnobio Romanus Pontifex fuit electus Calendis Februariis anni 1119. sub Henrico V. Johanne Comneno Imperatoribus & Ludovico VI. tum in Galliis regnante. Ad celebrandum Concilium Lateranense generale primum adjecit animum quo præprimis Ecclesiam inter & Imperium discordia ob beneficiorum collactione orta in universum tolleretur dein subsidia contra Sarracenas pro Christianis decreta. Sedit annos V. menses X. dies XIII. obiit die XIII. Decembris anni 1124. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 845. Editum An. Dom. 1120.

Privilegium Monasterii Cluniacensis.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Pontio Cluniacensis Abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Religio-

Exordium.

REligionis Monasticæ modernis temporibus speculum, & in Galliarum partibus documentum B. Petri Cluniacense Monasterium, ab ipso suæ fundationis exordio sedi Apostolicæ in jus proprium est oblatum. Proinde Patres nostri sanctæ recordationis Joannes XI. item Benedictus VII. Joannes XII. Agapitus II. item Benedictus VI. Leo VII. item Leo IX. Gregorius. VI. item Gregorius VII. Alexander II. Stephanus. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Ecclesiæ Romanæ Pontifices, Locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis prærogativa donarunt, & universa ei pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus muniverunt.

A Prædecessoribus statutum est ut Monachi Laici vel, Ecclesiæ aliaque sub Apostolicæ tantum sedis tuitione ac jure permaneant.

§. 1. Statutum est enim, ut omnes Ecclesiæ, Cimiteria, Monachi, & Laici universi infra terminos habitantes qui sunt à rivo de Salnai, & ab Ecclesia Rusiaci, & Cruce de Lornant: à termino quoque molendini de Tornasach, per villam quæ dicetur Varentia, cum nemore Bursejo à termino etiam qui dicitur Perois ad rivum usque de Salnai: sub Apostolicæ tantum sedis jure, ac tuitione permaneant. Neque ipsi Cluniacensis loci Presbyteri, aut etiam Parochiani ad cujuslibet nisi Romani Pontificis, & Cluniacensis Abbatis cogantur ire Synodum vel conventum.

Nec ad cujuslibet Synodum vel conventum nisi Pontificis Romani, Abbatisque Cluniacensis Presbyteri cogantur ire.

§. 2. Sane pro Abbatis, Monachorum, seu Clericorum, infra prædictos terminos habitantium ordinatione, pro Chrismatis confectione, pro sacri Olei, Ecclesiarum, Altarium, & Cimiteriorum consecratione, Cluniacense Monasterium, quem maluerit, antistitem convocet.

Pro Abbatis ordinatione rerumque Ecclesiasticarum consecratione à Monasterio quem maluerit antistitem convocari potest.

§. 3. Cluniacenses Monachos ubilibet habitantes, nulla omnimodo persona, præter Romanum Pontificem, & Legatum qui ad hoc missus fuerit excommunicet aut interdicat. Porrò si Monachus, Clericus aut Laicus, sive cujuslibet ordinis professionisve persona, nisi fortè certa de causa excommunicata sit, Cluniacensium claustrorum mansiones elegerit; absque contradictione alicujus suscipiatur, & quæ de suo jure attulerit, liberè à Monasterio habeantur.

Cluniacences Monachi à nemine nisi à Romano Pontifice ejusque legato excommunicaturi sunt.

§. 4. Altaria, Cimiteria, & decimæ Cluniacensium Monachorum, & quæcumque juris eorum sunt, à nemine auferantur, vel minuantur.

Quæcumque eorum juris sunt à nemine minuantur.

§. 5. De Monachis aut monasteriis Cluniacensibus nulli Episcoporum, salvo jure canonico, si quod in eis habent liceat judicare: Sed ab Abbate Cluniacensi justitia requiratur. Quam si apud eum invenire nequiverit ad sedem Apostolicam recurratur.

Ab Abbate Cluniacensi aut à sede Apostolica si apud eum inveniri nequiverit justitia requiratur.

§. 6. In Abbatiis, quæ cum suis Abbatibus ordinationi Cluniacensis Monasterii datæ sunt videlicet S. Martialis Lemovicensis S Eparchi Angolismensis Monasterii novi Pictavis, S. Joannis Angeliacensis, Monasterii Lasatensis, Moysiacensis, Figiacensis, & S. Egidii Nemausensis; in Arvernia, Mausiacensis, Tiarnensis, Menacensis, in Episcopatu Eduensi, Vixeliacensis in Autissiodorensi, S. Germani; in Cameracensi, Hunoldi Curtis in Rotomagense, abbatia apud Pontisaram in Tarvanensi S. Bertini, & S. Vulmari; in Italia S. Benedicti super Padum: Sine Cluniacensis abbatis præcepto nullatenus eligantur.

In Abbatis Cluniacensi Monasterio subditis sine Abbatis præcepto nullatenus eligantur.

§. 7. Pro altaribus, & Ecclesiis sive decimis vestris, nulli Episcoporum facultas sit, gravamen aliquod vobis aut molestias irrogare. Sed sicut eorum promissione quædam ex parte, quædam ex integro habuistis, ita, & in futurum habeatis. Ecclesiarum vestrarum decimas, quæ à Laicis obtinentur, si secundum Deum eorum potestati subtrahere vestræ Religionis reverentia poterit: ad vestram, & pauperum gubernationem vobis liceat possidere. Decimas Laborum vestrorum, pro quibus tam vos, quam alios monasticæ religionis viros inquietare Episcopi consueverunt, illorum videlicet quos dominacaturas appellant, qui vestro sumptu à monasteriis, & cellæ vestræ clientibus excoluntur, sine omni Episcoporum & Episcopalium Ministrorum contradictione deinceps quietius habeatis, qui vestra peregrinis fratribus & pauperibus erogatis. Ecclesiæ omnes quæ ubilibet positæ sunt, seu Capellæ vestræ, & Cimiteria libera sint, & omnis exactionis immunia præter consuetam Episcopi paratam & justitiam in Presbyteros, si adversus sui ordinis dignatatem offenderint. Licetque vobis, seu fratribus vestris in Ecclesiis vestris presbyteros eligere. Ita tamen ut ab Episcopis, vel ab Episcoporum Vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant. Quam si commitere illi, quod absit ex pravitate voluerint: tunc Presbyteri, ex Apostolicæ sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur. Ecclesiarum vestrarum consecrationes si Diæcesani Episcopi gratis noluerint exhibere, à quolibet catholico suscipietis Episcopo. Nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres, pro qualibet interdictione vel excommunicatione, Divinorum Officiorum suspensionem patiantur: sed tam Monachi ipsi, quam famuli eorum, & qui se professioni monasticæ devoverunt, clausis Ecclesiarum januis, non admissis Diæcesanis. Divinæ servitutis officia celebrent, & sepulturæ officia peragant. Percussuram quoque proprii numismatis, vel monetæ quandocumque vel quandiu vobis placuerit, habeatis.

de decimis, Presbiterorum electione, aliisque privilegiis à prædecessoribus constitutis.

§. 8. Hæc igitur omnia sicut à nostris prædecessoribus constituta sunt: ita & nos autoritate Apostolica constituimus, & præsentis privilegii decreto confirmamus.

Privilegia quæque confirmat.

§. 9. Præterea fili in Christo Ponti, quem nos in Viennensis Ecclesiæ positi regimine, nostris per Dei gratiam manibus in Abbatem consecravimus: & personam tuam, & Locum cui Deo autore præsides totis dilectionis visceribus amplectentes, & quieti vestræ attentius providentes hæc adjicienda censuimus: ut abbatiarum vestrarum electis, nullus Episcoporum sine commendatitiis Cluniacensis abbatis litteris consecrationis, vel ordinationis manus imponat. Alioquin & consecrator, tanquam constitutionis Apostolicæ prævaricator, graviori subjaceat ultioni, & consecrati electio, sive ordinatio donec Apostolicæ sedi, & ejus Cluniacensi monasterio satisfiat, irrita habeatur.

Sine commendatitiis Cluniacensis Abbatis litteris quempiam eligi vetat talemque ordinationem irritam esse decernit.

§. 10. Porro presbyteris parochialium Ecclesiarum S. Mariæ, & S. Odonis Cluniacensium ejiciendi & suscipiendi in Ecclesiam ex antiqua consuetudine pœnitentes & nuptiales chartas faciendi licentiam indulgemus. Prohibentes, tam Matisconensem Episcopum, quam & alios super hoc, vel super aliis, quæ statuta sunt, vobis molestia irrogare. Si quis igitur ausu temerario ut in epistola superiore.

Ecclesiarum S. Mariæ & S. Odonis antiquam consuetudinem excipit. Matisconensem Episcopum aliosque molestias, irrogare vetat.

Ego Calixtus Catholicæ Eccclesiæ Episcopus subscripsi.

§. 11. Datum Valentiæ per manus Chrisogoni S.R.E. diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, VIII. Kalend: martij, Indict: XIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ Anno II.

Datum VIII. Kalend. Martii, anno Pontificatus 2.

Berardo Episcopo Matisconensi Episcopale munus interdicit, donec satisfaciat de illatis Monasterio Cluniacensi injuriis.

II. Ex Anecd. Martene T. 1. Col. 350. Anno circiter 1120.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri B. Matisconensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

QUæ B. Petri Clunianensi monasterio à te illata sunt, & nos & fratres nostros vehementer gravant. Post nostras enim commonitiones post scripta frequenter missa manum tuam quod hactenus inauditum est, super ipsam parochiam extendisti, clericos & laicos excommunicasti, & in B. Odonis Ecclesia divina penitùs celebrare officia prohibuisti; Monachis etiam graves prout asserunt injurias intulisti, & nonnulla eis pertinentia abstulisti. In his tamen omnibus paterna tibi benignitate pepercimus correctionem tuam, sicut venerabilis frater noster Hu: Lugdunensis Archiepiscopus ad nos veniens promiserat, expectantes. Tu autem, ut prius, sic & posteà pertinaciter restitisti. Hanc ergo præsumptionem & tantum Apostolicæ sedis contemtum ferre diutius non valentes, licet inviti propter præteritæ dilectionis & familiaritatis gratiam, ex rationabili fratrum nostrorum sententia, Episcopale tibi officium auctoritate sedis Apostolicæ interdicimus, donec à Cluniacensis Monasterii, & Clericorum, seu Laicorum, & ipsius Capellæ infestatione desistas, & nobis de contemtu tuo satisfacias.

Datum Laterani V. Idus Januarii.

Confirmat regimen Ecclesiæ Bornhemiensis commissum Affligemiensibus precibus Clementiæ sororis suæ Flandriæ Comitissæ.

III. Ex op. diplom. Miræi T. 1. p. 171. Editum A. D. 1121.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; dilecto filio Fulgentio Abbati, Affligimensis Monasterii, quod ad honorem B. Petri Apostolorum Principis in Cameracensi Diœcesi situm est, ejusque successoribus, regulariter substituendis in perpetuum.

Burgardus Cameracensis Episcopus Affligimensi Monasterio commisit Ecclesiam Bornhemensem ut in ea Monastici ordinis disciplina deinceps habeatur.

QUæ religionis intuitu statuuntur inconvulsa debent stabilitate servari. Siquidem venerabilis Frater noster Burgardus Cameracensis Episcopus, Consilio & assensu Archidiaconorum, ac reliquorum Clericorum Ecclesiæ suæ, consilio etiam, & hortatu Venerabilis Fratris nostri Rodulphi Remensis Archiepiscopi, sicut in eorum missis ad nos Litteris continetur necnon & rogatu & supplicatione Sifridi Bornhemiensis Abbatis & Fratrum suorum Affligimensi Monasterio Bornhemensem commisit Ecclesiam, ut in ea deinceps Monastici ordinis disciplina per Dei gratiam, habeatur.

§. 1. Olim quidem in loco eodem Ordo fuerat Canonicus institutus; sed guerris supervenientibus, tanta paupertatis inopia coarctatus est ut neque Ordinem Canonicum conservare, neque per se in Ecclesiastica quoque posset honestate persistere.

§. 2. Nos itaque tam prædictorum Fratrum quam & Sororis nostra (1) Clementiæ, Flandriensium Comitissæ, quæ ipsius loci dispensatrix est, petitionibus annuentes, & de religione vestra plurimum confidentes, prædictæ Bornhemensis Ecclesiæ commissionem præsentis privilegij pagina confirmamus.

§. 3. Statuentes, ut auctore Deo in Affligimensis monasterii unitate ac subjectione, sub regula monasticæ disciplinæ in perpetuum perseveret ita nimirum libera, & quieta sicut antea in Ordine Canonico fuerat, cum Altaribus de (a) Haveſdunc, Hingem, (b) Kereberga, (2) (c) Rimenham, (d) Merchecloa, & cum omnibus quæ in præsenti legitimè possidet, vel in futurum Largiente Deo, justè atque canonicè poterit adipisci.

(a) Haesdonck. (b) Keerberge. (c) Rymenan. (d) Meerbeke.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum facultas sit præfatam Bornhemensem Ecclesiam à dispositione vel subjectione vestri monasterij removere, seu qualibet occasione subtrahere, possessiones ejus auferre, vel temerariis vexationibus fatigare, sed ita sub vestro monasterio maneat, sicut à prædicto Fratre nostro Burgardo, Diœcesano Episcopo, constitutum, & ipsius chirographo confirmatum est.

Sanctio Pœnalis.

§. 5. Si quæ igitur in futurum cujuslibet dignitatis ordinisve persona, nostræ hujus Confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, honoris, & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Pax & benedictio observantibus.

§. 6. Qui verò conservator extiterit, Dei omnipotentis, & Apostolorum ejus Petri & Pauli benedictionem, & gratiam consequatur, Amen, Amen, Amen.

Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus laudavi.

Datum apud S. Petrum per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Bibliothecarij III. Februarii Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo, centeſimo vigeſimo primo Pontificatus autem Calixti II. Papæ, tertio.

Datum 3. Februarii Pontificatus Anno III.

Privilegium Maternitatis, quam vocat, Ecclesiæ S. Joannis Provinciæ Bisuntinæ in Ecclesiam S. Stephani ejusdem Provinciæ.

IV. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 836. Ex Chifflezii Historia Trenorciana Editum A. D. 1122.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Anserico, Manasse Decano, Stephano Archidiacono, Stephano Thesaurario, Hugoni Archidiacono, & cæteris Bisuntinæ Ecclesiæ B. Joannis Apostoli, & Evangelistæ Canonicis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

DEcessorum statuta, sicut legitima & justa, successorem convenit custodire ita debet etiam male facta salubri provisione corrigere. Ea propter nos surrectionem illam quæ domino prædecessori nostro sanctæ memoriæ Paschali

(1) CLEMENTIA Guilielmi Burgundiæ Comitis filia, Calixti II. Pontificis Romani Soror, primum Roberto II. Hierosolymitano, Flandriæ Comiti, post Godefrido Barbato, Lotharingiæ Brabantiæque Duci, nupta fuit.

(2) RIMENHAM, nunc *Rymenham*, Pagus est sub præfectura arculæa ad Diliam fluvium, primo lapide à Mechlinia, cui vicinus est Pagus de Keeberghe.

Papæ à Clericis S. Stephani de Maternitatis judicio facta est ad veritatis & justitiæ curavimus ordinem revocare.

De discordia inter Canonicos B. Joannis Apostoli Ecclesiæ & S. Stephani pro Episcopali Cathedra, Ecclesiasticaque Maternitate agitata.

§. 1. Inter vos enim & Canonicos S. Stephani super Episcopali Cathedra, & Ecclesiastica Maternitate, longo jam fuerat tempore agitata discordia. Siquidem Canonici S. Stephani, Ecclesiam suam Matricem antiquitus extitisse, sed propter ejus destructionem Episcopos ad Beati Joannis Ecclesiam fecessisse, prout poterant allegabant. E contra vos Ecclesiam vestram per longa temporum spatia Episcopalem sedem sine interruptione legitima possedisse, scriptorum memoria, & veterum virorum attestationibus firmabatis. Hæc profecto discordia cum ad prædicti domini nostri audientiam perveniset, nostro eam commisit examini finiendam eo quod ipsius vices illis in partibus gereremus: ita videlicet ut si Canonici S. Stephani quinque idoneis probare testibus possent quod post redintegrationem Ecclesiæ suæ infra annos triginta super querela hac quæstionem fecissent, per quam illorum videretur interrupta retentio, scilicet vel ante antistitem suum, vel ante Romanæ Legatum Ecclesiæ; in communi audientia hac probatione perfecta, privilegia eorum jus proprium obtinerent Episcopalis sedis apud B. Stephani Ecclesiam haberetur: alioquin vos à querela hac liberi maneretis, & Episcopalem teneretis sedem sicut prius tenueratis. Eandem quoque ipsius negotij decisionem, usque ad tunc proximam B. Mariæ assumptionem, idem dominus à nobis perfici, consummarique præcepit. Nos ejus obedientes mandatis adhibitis fratribus nostris, & Coepiscopis Gauceranno Lugdunensi, Hugone Gratianopolitano, Leodegario Vivariensi Berardo Matisconensi, Stephano Eduensi, Galtero Cabilonensi, Gauceranno Lingonensi, Pontione Bellicensi, Guidone Gebennensi, Gulinco Sedunensi & Pontio Abbate Cluniacensi, & decem & septem abbatibus, atque aliis religiosis viris apud Trenorcium utramque partem convenimus. Ubi cum pars vestra justitiæ suæ allegationes ostenderet nos probationis executionem à prædicto domino constitutam à S. Stephani Canonicis requisivimus qui vix tandem testes aliquot non tamen idoneos produxerunt. Alius enim pro commisso perjurio, sive turpi nativitate, alius pro sacrilegio, alius pro pretii conductione, alius pro excommunicatione quâ diu alligatus fuerat, reprobatus est. Sic præfati Beati Stephani Canonici, jam suæ partis causam defendere non valentes à probatione proposita in conspectu omnium defecerunt. Tunc ex communi fratrum judicio definitum est vestram Beati Joannis Ecclesiam debere Maternitatis prærogativam in perpetuum obtinere. Unde nos una cum eis, eandem vestram Ecclesiam ex tunc à querela illa liberam fore decrevimus Episcopalem in ea sedem permanere irrefragabiliter statuentes. Auctoritate insuper Apostolica in cujus vocati partes solicitudis fueramus sub anathematis obligatione præcipimus, ut nullus eam ulterius Clericus, sive Laicus inde inquietare, aut inquietanti favorem præsumeret ministrare. Hac promulgata ex communi deliberatione sententia Canonici Sancti Stephani ad nos secretius accesserunt, ut constituendæ inter vos, & illos pacis diem præfigeremus suppliciter postulantes. In quorum vobis non nihil doli, nihil prorsus versutiæ opinantes, supplicationi eorumdem annuimus, & diem eis, uti postulaverant, constituimus. Mox ipsi à nobis fraudis inito consilio discedentes unum ex fratribus suis, Petrum scilicet de Moneta, ad prædictum prædecessorem nostrum furtim, & nobis nihil omnino tale opinantibus direxerunt. Is postquam Curiæ se præsentavit multa ferens, & nonnulla confingens mendacia, inter cætera suggerere domino ausus est nos de prædicto negotio nihil fecisse, neque in ejus executionem obedire mandato sedis Apostolicæ voluisse. In hæc figmenta discedens & rursus ad curiam rediens, reliquos secum deceptores adduxit: congregatisque eis discussio quasi à principio facta est. Nouissime quædam illarum personarum quæ tam celebri, ut prædictum est, judicio reprobatæ fuerant, immo & aliæ nequaquam idoneæ, ad præfatam probationem admissæ sunt. Duo ex Clericis nostris, quos pro jam dicti confirmatione judicii miseramus advenerant: sed cum omnia quæ acta fuerant, diligenter exponerent proficere nullatenus potuerent. Canonici quippe S. Stephani ita jam Curiam totam figmentorum suorum fallacii & assentationum blandimentis asperserant: ut aliis nullum in ea locum habentibus, ipsi scriptum Maternitatis acceperint. Post aliquantum temporis illorum fraudem idem dominus & recognovisse asseritur, & super ea vehementius doluisse. Unde etiam tibi, carissime frater Archiepiscope Anserice per sui autoritatem scripti liberam contulit facultatem, Episcopalia in qua velles Ecclesia peragendi.

Ad Pontificatum evectus utramque partem ad suam secundò præsentiam convocat.

§. 2. Postea vero quam nos in Apostolicæ sedis Administrationem Divina fuimus gratia constituti, vos aures nostras super eadem querimonia iterum atque iterum propulsastis. Nos autem supradictam deceptionem, necnon & causam omnem plenius cognoscentes, utpote qui ab ipso pueritiæ nostræ tempore in illis educati partibus fuimus, & nostris totius rei veritatem oculis vidimus: utramque partem ad nostram secundo præsentiam convocavimus. Vos, ut mandatum fuerat, conveniistis, sed illi se nullis præmissis excusationibus subtraxerunt. Tertia tandem terminum tam eis, quam vobis in B. Lucæ festivitate præfiximus: sed in parte altera, etiam hac vice contempti fumus. Cum enim vos præsentes fueritis, & quindecim dies in curia permanentes, terminum transieritis: illi nec venerunt nec responsales aliquos transmiserunt. Quamobrem fratribus nostris Episcopis, & Cardinalibus, necnon & Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus qui nobiscum aderant visum est B. Stephani Canonicos diffugium petiisse, ne coram nobis negotium tractaretur, qui & ipsorum dolositatem, & justitiæ vestræ puritatem certissime sciebamus.

B. Joannis Ecclesiæ Canonicis Episcopatum Maternitatis que dignatatem adjudicat, & scriptum aliorum fraudis versutia à Prædecessore surreptum discissum decernit.

§. 3. Ex communi ergo eorumdem fratrum nostrorum consilio, illud Maternitatis scriptum quod per tantæ fraudis versutiam sæpedicto domino nostro surreptum est, apostolica autoritate cassamus: Statuentes ut nullum robur, nullam in posterum vim prorsus obtineat; sed in tota Bisuntinæ Civitatis parochia sola B. Joannis Ecclesia omnem Episcopalis sedis, & matricis Ecclesiæ possideat futuris temporibus dignitatem, quam priscis cognoscitur temporibus possedisse.

Omnes consuetudines Ecclesia S. Stephani B. Joannis Ecclesiæ persolutas deinceps eidem Ecclesiæ persolvi jubet.

§. 4. Porro consuetudines omnes, quas Ecclesia S. Sephani à tempore Hugonis Salinensis bonæ memoriæ Bisuntini Archiepiscopi, usque ad tempora fratris nostri Hugonis, qui in Jerosolymitana peregrinatione defunctus est, tam in spiritualibus, quam in temporalibus Ecclesiæ vestræ persolvit, quietè vobis deinceps, & eidem vestræ Ecclesiæ persolvantur.

Absolutionem super juramento ab utriusque

§. 5. Ad hæc absolutionem, quæ tam à te carissime in Christo frater, & Episcope Anserice, quam & ab Humbaldo Lugdunensi Ar-

Ecclesiæ Clericis factam confirmatamque roborat.

chiepiscopo, super juramento illo Clericis utriusque Ecclesiæ facta, & à nobis dum adhuc in partibus ultramontanis essemus confirmata est, præsentis quoque decreti pagina roboramus, & ratam perpetuo manere decernimus: auctoritate sedis Apostolicæ statuentes, & omnimodis præcipientes, ut neque vos S. Stephani Canonicos, neque ipsi, aut quælibet persona vos ulterius super juramento illo præsumat impetere. Si nostræ igitur sanctioni huic

Canonicos B. Stephani huic sanctioni contraire vetat si verò tentaverint licentiam dat de personis, eorumque Ecclesia justitiam exequendi.

B. Stephani Canonici audaci præsumptione contraire tentaverint: tibi dilecte in Christo frater Anserice Bisuntinæ Archiepiscope, tuisque successoribus licentiam damus de personis eorum, & de ipsa etiam Ecclesia cooperante Deo, donec satisfecerint justitiam exigendi.

Sanctio Pœnalis.

§. 6. Si qua etiam in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit: secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Pax & benedictio servantibus.

§. 7. Cunctis autem eidem B. Joannnis Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen, Amen.

Scriptum per manus Gervasij Scriniarii regionarii & notarii Sacri Palatii.

Datum Laterani, XIV. Kal. aprilis, Indict. XV. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXII. Pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ Anno IV.

Datum XIV. Kal. Aprilis Pontificatus anno IV.

Ego Calixtus, Catholicæ Ecclesiæ Episopus subscripsi.

Confirmatio jurium Primatus Toletanæ Ecclesiæ.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bernardo Toletano Primâti, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

V. Ex Labbe T. 10. Conc. pag. 852. Edita An. Do. 1122.

Exordium.

POstquam supernæ miserationis dignatio insignem quondam & inter Hispaniarum urbes magni nominis civitatem Toletanam studio & labore gloriosæ memoriæ Regis Idelfonsi de Sarracenorum tyrannide liberaverunt: Domini Prædecessores nostri Sanctæ Recordationis Urbanus & Paschalis Ecclesiæ Romanæ Pontifices ejusdem civitatis Ecclesiam pristinæ studuerunt restituere dignitati. Undè, reverendissime frater, & Coepiscope Bernarde, pallium tibi, pontificalis videlicet officii plenitudinem, conferentes, in totis Hispaniarum regnis primatem te privilegiorum suorum sanctionibus statuerunt sicut Prædecessores tuos prædictæ urbis Pontifices, constat antiquitus extitisse. Quorum nimirum patrum nostrorum vestigiis insistentes, tam tuis, quam & Reverendissimi nepotis nostri Idelfonsi Regis precibus duximus annuendum: ut autore domino, eundem tibi tuisque successoribus honorem, & per vos, Toletanæ Ecclesiæ confirmemus.

Pallium primatumque à Prædecessoribus in totis Hispaniarum regnis Bernardo concessis confirmat.

Solius Romani Pontificis judicio causas si quæ fuerint decidandas statuit.

§. 1. Apostolica igitur autoritate statuimus, ut per universa Hispaniarum Regna Primatus obtineas dignitatem. Verum personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes, censemus, ut solius Romani Pontificis judicio ejus causa, si qua fuerit decidatur.

Quæstiones inter Hispaniarum Præsules agitatas ad Primâtum referendas salvis Pontificis autoritate Metropolitanorumque privilegiis decernit.

§. 2. Te itaque universi Hispaniarum Præsules Primatem respicient; & ad te si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent: salva tamen in omnibus Romanæ Ecclesiæ autoritate, & salvis Metropolitanorum privilegiis singulorum.

Complutensem Parochiam cum terminis suis Toletanæ Ecclesiæ confirmat.

§. Sane Toletanam Ecclesiam præsentis privilegii stabilitate munimus, Complutensem ei Parochiam cum terminis suis, nec non, & Ecclesias omnes, atque Diæceses, quas jure proprio antiquitus possediſſe cognoscitur, confirmantes.

Ovetum Regionem & Palentiam Toletanæ Ecclesiæ subditas esse decernit.

§. 4. Episcopales præterea sedes Ovetum, Regionem, Palentiam, eidem Toletanæ Ecclesiæ, tanquam Metropoli subditas esse decernimus. Reliquas vero, quæ antiquis ei temporibus subjacebant cum dominus omnipotens Christianorum restituerit potestati suæ dignatione misericordiæ: ad caput proprium referendas decreti hujus autoritate sancimus. Porro illarum Diæceses civitatum, quæ Sarracenis invadentibus Metropolitanos proprios amiserunt, eo tenore vestræ subjicimus ditioni: ut quoad sine propriis extiterint Metropolitanis, tibi ut proprio, debeant subjacere: salvo tenore privilegii, quod à nobis Compostellanæ Ecclesiæ Pontifici est collatum. Si quæ autem Metropoles in statum fuerint proprium restitutæ, suo quæque Diæcesis Metropolitano restituatur: ut sub proprii pastoris regimine super divini collatione beneficii glorietur.

Diæcæses Civitatum quæ Sarracenis invadentibus Metropolitanos proprios amiserunt ejusdem Ecclesiæ subjicit ditioni.

§. 5. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit: secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei, & Domini Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in examine districtæ ultioni subjaceat.

Pæna contraventium.

§. 6. Cunctis autem eisdem Monasteriis justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Pax obsecrantibus.

Datum Mantiæ per manus Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii III. Nonas Novembris Indictione XV. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXII. Pontific. autem Calixti II. Papæ, Anno III.

Data 3. Nonas Novembris Pontificatus Anno III.

Concordatum Nationis Germanicæ antiquissimum circa electiones & Investituras Episcoporum & Abbatum inter Imp. Henricum V. & Papam Calixtum II. factum Vormatiæ in conventu Imperii, Præsente Legato sedis Romanæ Lamberto Cardinali Episcopo Ostiensi, cum aliis duobus Cardinalibus.

VI. Ex Leibnitii Cod. Dipl. jur. gent. p. 2. p. 1. An. Dom. 1122.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Ego HENRICUS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callixti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis Dei Apostolis Petro & Paulo, sanctæque; Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis quæ in Regno vel Imperio meo sunt, fieri electionem, & liberam Consecrationem.

Possessio-

Possessiones & Regalia Beati Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tempore Patris mei, sive etiam meo ablatæ sunt, & habeo, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum consilio Principum, & justitia, quæ habeo, reddam, quæ non habeo, ut reddantur fideliter adjuvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callisto Sanctæque Romanæ Ecclesiæ & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit debitam sibi justitiam faciam.

Ego CALIXTUS Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Dei Gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo Electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia Tua fieri absque simonia, & aliqua violentia, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio seniori parti consensum, vel auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure Tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris secundum officii mei debitum auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore hujus discordiæ. Anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Calendas Octobris.

HONORIUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXV.

ANNO DOMINI MCXXIV.

HOnorius II. cui prius nomen Lambertus Bononiensis ex Episcopo Ostiensi Pontificatu maximo donatus XIX. Kal. Januarii anni 1124. Verùm non sine Schismate quod Theobaldus sibi Pontificatus maximi partes usurpaverat. Ea tempestate Tanchelinus Adamitarum præsultor suam condidit hæresim, & Rex Gothorum Christianæ Religioni nomen dedit. Obiit Honorius XVI. Kal. Martij anno 1130. & in Basilica Salvatoris sepultus fuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe T. 1. pag. 910. Edita A. D. 1125.

Confirmatio excommunicationis latæ in Fulconem Comitem Andegavensem.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clericis Turonensibus Matris Ecclesiæ S. Mauricii, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Procœmium. SIcut boni & humiles filij sunt paternæ dilectionis nexibus arctius adstringendi, ita ingrati & inobedientes sunt rigore justitiæ coercendi.

Fulconem miratur divortium illiciti matrimonii filiæ suæ à Legato judicatum servare contempsisse,

§. 1. Siquidem compertum habuimus quod Fulco Andegavensis Comes divortium illiciti matrimonij filiæ suæ & Guillelmi filij Roberti Comitis à dilecto filio nostro J. Cardinali Presbytero Apostolicæ sedis Legato, & ab illis fratribus nostris Coepiscopis, & sapientibus viris accepta idoneorum probatione testium judicatum servare contemsit.

Eumque Legati nuntios duriùs accepisse.

§. 2. Præterea quod gravius est, uti accepimus, ad B. Petri sanctæ atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ injuriam prædicti Legati Nuntios ad eum directos capiens, & in arcta custodia per duas septimanas retinens, barbas eorum & capillos flammis exurere & Literas in conspectu hominum sub dio cremare præsumpsit.

Sententiam excommunicationis in terram Comitisque personam promulgatam confirmat.

§. 3. Unde Legatus idem in propriam Comitis terram interdictionis, & in personam ejus excommunicationis sententiam promulgavit. Nos ergo habito fratrum consilio, eamdem usque ad condignam satisfactionem sententiam ratam habemus. Interdictum autem præcipimus observari.

Datum Laterani pridie Idus Aprilis.

Damnatio parvæ consuetudinis exigendi pecunias ab his qui recipiuntur in Canonicos.

II. Ex spicil. Dacher. T. 8. nov. edit. pag. 479. Edita An. Dom. 1128.

HONORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Alexandro. Episcopo & Clero Leodienſi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

RElatione Fratrum vestrorum ad nos venientium comperimus hanc in vestra Leodiensi Ecclesia detestabilem ex antiquo fieri consuetudinem, ut quicumque ibi Canonicus fieri voluerit, oporteat eum Præposito & Decano determinatam pecuniam exhibere, & ad hoc de investituris Ecclesiarum, & Altarium Archidiaconos & Decanos facere accepimus. Scriptum est in Evangelio quia Dominus Noster vendentes & ementes ejecit de templo. Ideoque per præsentia scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatinùs tam prava consuetudo de cætero apud vos nullatenus conservetur, sed modis omnibus annihiletur Quod si quis deinceps præsumserit agere, nos & dantem & accipientem jubemus locum in Ecclesia ulterius non habere. Datum Laterani VII. Idus Novembris I.

INNOCENTIUS II.

PONTIFEX CLXVI.

ANNO DOMINI MCXXX.

DIe eodem quo Honorius vita functus Innocentius hujus nominis secundus, Cardinalium unius partis, & quidem potissimæ suffragio fuit electus anno MCXXX. cum altera pars Petrum Leonis Schismaticum eligeret, At Innocentius celebratis Claromontano, & Pisano Concilijs hunc & fautores anathemate feriit. Lotharium Imperij diademate donavit. A

Rogerio

Rogerio bello captus, quum eum Regem Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ creasset dimissus est. Petrus Abailardus, Arnaldus Brixiensis, & Petrus de Bruis nova, & impia dogmata spargunt. Demum his in Concilio Senonensi damnatis Innocentius obijt anno 1143. Octavo Kal. Octobris, cum Romanæ sedi præfuisset annos 13. Menses Septem. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe T. 10. Col. 946.

Lothario Imperatori concedit allodium Terrarum Comitissæ Mathildæ.

INNOCENTIUS PAPA SECUNDUS.

Lothario Imperatori Augusto & Riget Imperatrici.

SI autoritas Sacra Pontificum & potestas Imperialis vere glutino caritatis ad invicem complentur: omnipotenti debitus famulatus liberè poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquilitate gaudebit. Nihil enim in præsenti sæculo est Pontifice clarius, nihil rege sublimius: nihil est quod lumine clariore præfulgeat quam recta fides in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera Religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor justitiæ extitisse cognosceris, & novissimè diebus istis, nec personæ tuæ nec propriæ parcendo pecuniæ, pro beati servitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire, dignum profecto est ut nos, qui disponente Domino, universis catholicæ Ecclesiæ filijs debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus & tanquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum Imperij in suo robore conservandum & utilitatem ac liberationem catholicæ Ecclesiæ spectare noscuntur, tam Secundum Ecclesiasticum officium, quam temporaliter, imperatoriam potentiam augeamus.

Allodium à Comitissa Mathilda B. Petro collatum committit per annulumque investit modò per singulos annos centum argenti libras sibi suisque successoribus exolvat & proprietas ad jus S.R.E. post obitum revertatur.

§. 1. Hoc nimirum intuitu allodium bonæ memoriæ Comitissæ Mathildæ, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex apostolicæ sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non Principum & Baronum, per annulum investimus: ita videlicet ut centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exolvas, & post tuum obitum proprietas ad jus & dominium sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum integritate absque diminutione & molestia revertatur.

Se successoresque honorandos si in hanc terram venerint prout Apost. Sedes decreverit à Pontif. sancitum est.

§. 2. Quod si nos, vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transire oportuerit: tam in susceptione quam in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica sedes decreverit, honoremur.

Hujusque terræ rectores R. P. fidelitatem faciendos.

§. 3. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit Beato Petro & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant.

Cum præfato censu Henrico Bavariæ Duci Imp. genero, ejusque uxori concedit ita tamen ut hominium faciant & B. Petro fidelitatem jurent.

§. 4. Cæterum pro caritate vestra, nobili viro Henrico Bavariæ duci genero vestro, & filiæ vestræ uxoris ejus, eandem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus Apostolica benignitate concedimus: ita tamen ut idem Dux hominium faciat, & fidelitatem Beato Petro ac nobis nostrisque successoribus juret.

Post eorum obitum prædictum allodium S.R.E. reducendum statuit.

§. 5. Post quorum obitum, prædictum Comitissæ Mathildæ allodium & jus & dominium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: salvo tamen semper in omnibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jure ac proprietate.

Datum Laterani Sexto Idus Junij.

Erectio Ecclesiæ Januensis in Metropolim.

II. Ex Ughell. Ital. Sac. T. 4. Col. 1185. Vet. Edit. An. Do. 1133.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Syro Januensi, Archiepiscopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

JUstus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Si pro homine perdito humanatus est Dei filius & pro ejus redemptione, atque salute mortem ignominiosam pertulit. Catholica igitur, & Sancta Dei mater Ecclesia ne filij sui damnentur perpetuo, bona sua hilari vultu, & mente jucunda, quoniam id ipsum æquitatis, & justitiæ ratio postulat debet impendere. Quocirca sacrosancta sedes Apostolica animarum saluti providens, quoniam pro discordia, & guerra, quæ inter dictam Januensem Civitatem & Pisas olim argutissimo id favente inimico humani generis orta est, incomparabiles hominum clades Christianorum captivitates, & Ecclesiarum destructiones innumeræ provenerunt, ut de cætero tam detestabilis lis, & dissensio conquiescat personam tuam, & per te Januensem Ecclesiam à præfata civitate, quæ Beato Petro ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis, & ad serviendum prompta extitit, & de cætero se id facturam propensius pollicetur decorem & exaltationem, prærogativa gloriosa sublimat.

In Archiepiscopum Syrum promovet eumque Pallii genio decorat, & tres Episcopatus ei successoribusque subjicit.

§. 1. Te igitur frater charissime Syre Archiepiscope Pallii genio decorantes, & gratia ampliori donantes. In Archiepiscopum promovemus, & tres Episcopatus in Corsica, Moranen, videlicet Nebolensem, & tertium, cujus sedem constituimus Ecclesiam Sancti Petri de Acci, qui habeat unam plebem de Marana & aliam de Meria, atque Vobzensem & illum de Brunate, quem modo novum statuimus tibi, tuisque successoribus Metropolitico jure subjicimus.

Januenses Archiepiscopos & Pisanos à solo R. P. consecrandos statuit.

§. 2. Verum tamen Episcopatum Januensem, & te videlicet, ac posteros tuos ab omni emancipatos subjectione in manu propria liberè retinemus, statuentes, ut Januensis Archiepiscopus eo ordine, quo & Pisanus à solo Romano Pontifice consecretur.

Si unus eorum à suffraganeis consecratus fuerit alter verò similiter consecretur.

§. 3. Quod si forte Pisanus Archiepiscopus à suis suffraganeis fuerit consecratus, Januensis quoque à suis nihilominus similiter consecrerur.

Abbatiam quoque de Tyro salva S.R.E. proprietate Syro committit.

§. 4. Deinde vero infra Ecclesiam præferens, videlicet diebus Cæna Domini & Pascha, Ascensione Domini Pentecoste, in festivitate Apostolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, tribus festivitatibus S. Mariæ Natali Domini Epiphania, & in die anniversarij consecrationis tuæ. In consecrationibus, quoque Episcoporum, Basilicarum, & Ordinationibus Clericorum, Abbatiam quoque de Tyro ad meliorationem, salva Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprietate ac consensu

Possessiones & Regalia Beati Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tempore Patris mei, sive etiam meo ablatæ sunt, & habeo, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum consilio Principum, & justitia, quæ habeo, reddam, quæ non habeo, ut reddantur fideliter adjuvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callisto Sanctæque Romanæ Ecclesiæ & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit debitam sibi justitiam faciam.

Ego CALIXTUS Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Dei Gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo Electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia Tua fieri absque simonia, & aliqua violentia, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio seniori parti consensum, vel auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure Tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris secundum officii mei debitum auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore hujus discordiæ. Anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Calendas Octobris.

HONORIUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXV.

ANNO DOMINI MCXXIV.

HOnorius II. cui prius nomen Lambertus Bononiensis ex Episcopo Ostiensi Pontificatu maximo donatus XIX. Kal. Januarii anni 1124. Verùm non sine Schismate quod Theobaldus sibi Pontificatus maximi partes usurpaverat. Ea tempestate Tanchelinus Adamitarum præsultor suam condidit hæresim, & Rex Gothorum Christianæ Religioni nomen dedit. Obiit Honorius XVI. Kal. Martij anno 1130. & in Basilica Salvatoris sepultus fuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe T. 1. pag. 910. Edita A. D. 1125.

Confirmatio excommunicationis latæ in Fulconem Comitem Andegavensem.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clericis Turonensibus Matris Ecclesiæ S. Mauricii, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Procœmium. SIcut boni & humiles filij sunt paternæ dilectionis nexibus arctius adstringendi, ita ingrati & inobedientes sunt rigore justitiæ coercendi.

Fulconem miratur divortium illiciti matrimonii filiæ suæ à Legato judicatum servare contempsisse,

§. 1. Siquidem compertum habuimus quod Fulco Andegavensis Comes divortium illiciti matrimonij filiæ suæ & Guillelmi filij Roberti Comitis à dilecto filio nostro J. Cardinali Presbytero Apostolicæ sedis Legato, & ab illis fratribus nostris Coepiscopis, & sapientibus viris accepta idoneorum probatione testium judicatum servare contemsit.

Eumque Legati nuntios duriùs accepisse.

§. 2. Præterea quod gravius est, uti accepimus, ad B. Petri sanctæ atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ injuriam prædicti Legati Nuntios ad eum directos capiens, & in arcta custodia per duas septimanas retinens, barbas eorum & capillos flammis exurere & Literas in conspectu hominum sub dio cremare præsumpsit.

Sententiam excommunicationis in terram Comitisque personam promulgatam confirmat.

§. 3. Unde Legatus idem in propriam Comitis terram interdictionis, & in personam ejus excommunicationis sententiam promulgavit. Nos ergo habito fratrum consilio, eamdem usque ad condignam satisfactionem sententiam ratam habemus. Interdictum autem præcipimus observari.

Datum Laterani pridie Idus Aprilis.

Damnatio parvæ consuetudinis exigendi pecunias ab his qui recipiuntur in Canonicos.

II. Ex spicil. Dacher. T. 8. nov. edit. pag. 479. Edita An. Dom. 1128.

HONORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Alexandro. Episcopo & Clero Leodienſi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

RElatione Fratrum vestrorum ad nos venientium comperimus hanc in vestra Leodiensi Ecclesia detestabilem ex antiquo fieri consuetudinem, ut quicumque ibi Canonicus fieri voluerit, oporteat eum Præposito & Decano determinatam pecuniam exhibere, & ad hoc de investituris Ecclesiarum, & Altarium Archidiaconos & Decanos facere accepimus. Scriptum est in Evangelio quia Dominus Noster vendentes & ementes ejecit de templo. Ideoque per præsentia scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatinùs tam prava consuetudo de cætero apud vos nullatenus conservetur, sed modis omnibus annihiletur Quod si quis deinceps præsumserit agere, nos & dantem & accipientem jubemus locum in Ecclesia ulterius non habere. Datum Laterani VII. Idus Novembris I.

INNOCENTIUS II.

PONTIFEX CLXVI.

ANNO DOMINI MCXXX.

DIe eodem quo Honorius vita functus Innocentius hujus nominis secundus, Cardinalium unius partis, & quidem potissimæ suffragio fuit electus anno MCXXX. cum altera pars Petrum Leonis Schismaticum eligeret, At Innocentius celebratis Claromontano, & Pisano Concilijs hunc & fautores anathemate feriit. Lotharium Imperij diademate donavit. A

Rogerio

Rogerio bello captus, quum eum Regem Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ creasset dimissus est. Petrus Abailardus, Arnaldus Brixiensis, & Petrus de Bruis nova, & impia dogmata spargunt. Demum his in Concilio Senonensi damnatis Innocentius obijt anno 1143. Octavo Kal. Octobris, cum Romanæ sedi præfuisset annos 13. Menses Septem. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe T. 10. Col. 946.

Lothario Imperatori concedit allodium Terrarum Comitissæ Mathildæ.

INNOCENTIUS PAPA SECUNDUS.

Lothario Imperatori Augusto & Riget Imperatrici.

SI autoritas Sacra Pontificum & potestas Imperialis vere glutino caritatis ad invicem complentur: omnipotenti debitus famulatus liberè poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquilitate gaudebit. Nihil enim in præsenti sæculo est Pontifice clarius, nihil rege sublimius: nihil est quod lumine clariore præfulgeat quam recta fides in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera Religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor justitiæ extitisse cognosceris, & novissimè diebus istis, nec personæ tuæ nec propriæ parcendo pecuniæ, pro beati servitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire, dignum profecto est ut nos, qui disponente Domino, universis catholicæ Ecclesiæ filijs debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus & tanquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum Imperij in suo robore conservandum & utilitatem ac liberationem catholicæ Ecclesiæ spectare noscuntur, tam Secundum Ecclesiasticum officium, quam temporaliter, imperatoriam potentiam augeamus.

Allodium à Comitissa Mathilda B. Petro collatum committit per annulumque investit modò per singulos annos centum argenti libras sibi suisque successoribus exolvat & proprietas ad jus S.R.E. post obitum revertatur.

§. 1. Hoc nimirum intuitu allodium bonæ memoriæ Comitissæ Mathildæ, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex apostolicæ sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non Principum & Baronum, per annulum investimus: ita videlicet ut centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exolvas, & post tuum obitum proprietas ad jus & dominium sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum integritate absque diminutione & molestia revertatur.

Se successoresque honorandos si in hanc terram venerint prout Apost. Sedes decreverit à Pontif. sancitum est.

§. 2. Quod si nos, vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transire oportuerit: tam in susceptione quam in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica sedes decreverit, honoremur.

Hujusque terræ rectores R. P. fidelitatem faciendos.

§. 3. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit Beato Petro & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant.

Cum præfato censu Henrico Bavariæ Duci Imp. genero, ejusque uxori concedit ita tamen ut hominium faciant & B. Petro fidelitatem jurent.

§. 4. Cæterum pro caritate vestra, nobili viro Henrico Bavariæ duci genero vestro, & filiæ vestræ uxoris ejus, eandem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus Apostolica benignitate concedimus: ita tamen ut idem Dux hominium faciat, & fidelitatem Beato Petro ac nobis nostrisque successoribus juret.

Post eorum obitum prædictum allodium S.R.E. reducendum statuit.

§. 5. Post quorum obitum, prædictum Comitissæ Mathildæ allodium & jus & dominium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: salvo tamen semper in omnibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jure ac proprietate.

Datum Laterani Sexto Idus Junij.

Erectio Ecclesiæ Januensis in Metropolim.

II. Ex Ughell. Ital. Sac. T. 4. Col. 1185. Vet. Edit. An. Do. 1133.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Syro Januensi, Archiepiscopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

JUstus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Si pro homine perdito humanatus est Dei filius & pro ejus redemptione, atque salute mortem ignominiosam pertulit. Catholica igitur, & Sancta Dei mater Ecclesia ne filij sui damnentur perpetuo, bona sua hilari vultu, & mente jucunda, quoniam id ipsum æquitatis, & justitiæ ratio postulat debet impendere. Quocirca sacrosancta sedes Apostolica animarum saluti providens, quoniam pro discordia, & guerra, quæ inter dictam Januensem Civitatem & Pisas olim argutissimo id favente inimico humani generis orta est, incomparabiles hominum clades Christianorum captivitates, & Ecclesiarum destructiones innumeræ provenerunt, ut de cætero tam detestabilis lis, & dissensio conquiescat personam tuam, & per te Januensem Ecclesiam à præfata civitate, quæ Beato Petro ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis, & ad serviendum prompta extitit, & de cætero se id facturam propensius pollicetur decorem & exaltationem, prærogativa gloriosa sublimat.

In Archiepiscopum Syrum promovet eumque Pallii genio decorat, & tres Episcopatus ei successoribusque subjicit.

§. 1. Te igitur frater charissime Syre Archiepiscope Pallii genio decorantes, & gratia ampliori donantes. In Archiepiscopum promovemus, & tres Episcopatus in Corsica, Moranen, videlicet Nebolensem, & tertium, cujus sedem constituimus Ecclesiam Sancti Petri de Acci, qui habeat unam plebem de Marana & aliam de Meria, atque Vobzensem & illum de Brunate, quem modo novum statuimus tibi, tuisque successoribus Metropolitico jure subjicimus.

Januenses Archiepiscopos & Pisanos à solo R. P. consecrandos statuit.

§. 2. Verum tamen Episcopatum Januensem, & te videlicet, ac posteros tuos ab omni emancipatos subjectione in manu propria liberè retinemus, statuentes, ut Januensis Archiepiscopus eo ordine, quo & Pisanus à solo Romano Pontifice consecretur.

Si unus eorum à suffraganeis consecratus fuerit alter verò similiter consecretur.

§. 3. Quod si forte Pisanus Archiepiscopus à suis suffraganeis fuerit consecratus, Januensis quoque à suis nihilominus similiter consecrerur.

Abbatiam quoque de Tyro salva S.R.E. proprietate Syro committit.

§. 4. Deinde vero infra Ecclesiam præferens, videlicet diebus Cæna Domini & Pascha, Ascensione Domini Pentecoste, in festivitate Apostolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, tribus festivitatibus S. Mariæ Natali Domini Epiphania, & in die anniversarij consecrationis tuæ. In consecrationibus, quoque Episcoporum, Basilicarum, & Ordinationibus Clericorum, Abbatiam quoque de Tyro ad meliorationem, salva Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprietate ac consensu

tibi venerabilis Frater Archiepiſcope Syre committimus.

Pœna contraventium.

§. 5. Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica Sæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Pax ſervantibus.

§. 6. Cunctis autem hæc noſtra ſtatuta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Guillelmus Prænestinus Epiſcopus.

Ego Joannes Oſtienſis Epiſcopus.

Ego Rudolphus Ortanus Epiſcopus.

Ego Joannes tit. S. Chyſogoni Presbyter Cardinalis.

Ego Anſelmus Preſ. Card. tit. S. Laurentii in Lucina.

Ego Lucas Presb. Card. tit. SS. Joannis, & Pauli.

Ego Martinus Presb. Card. tit. S. Stephani in Cælio Monte.

Ego Rainerius Senenſis Epiſcopus.

Ego Rolandus Roſſellanus Epiſcopus.

Ego Ildizo Saonenſis Epiſcopus.

Ego Romanus Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.

Ego Gregorius Diaconus Card. SS. Sergij, & Bachi.

Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

Ego Oddo Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum.

Ego Guido Diac. Card. SS. Coſmæ, & Damiani.

Datum 14. Kal. Aprilis Anno Pontificatus IV.

Datum Groſſeti per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij 14. Kal. Aprilis Indic. II. Incarnationis dominicæ Anno 1133. Pontif. vero D. Innocentij PP. Secundi anno quarto.

III. Ex op. diplom. Miræi T. I. p. 385.

Confirmat immunitatem Eccleſiæ Marſnenſis & ſubſtitutionem Monachorum loco Canonicorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; dilecto filio Oddoni, Abbati Monaſterij Sancti Remigii, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Exordium.

LOcorum venerabilium curam nos admonet, de eorum quiete atque utilitate ſollicite cogitare. Nec dubium quod ſi ſervorum Dei petitionibus benigne concurrimus, noſtris opportunitatibus clementem Dominum reperimus.

Oddonis poſtulationibus annuens, libertatem Eccleſiæ de Marſna ab Alexandro quondam Leodienſi Epiſcopo ei conceſſam & ejus Ar-

§. 1. Ideoque dilecte in domino fili, Oddo Abbas tuis rationabilibus poſtulationibus clementer annuimus atque libertatem Eccleſiæ de Marſna ad Monaſterium Beati Remigii pertinentis ab Alexandro quondam Leodienſi Epiſcopo tibi conceſſam & ab Hermanno ejus Archidiacono & Fratribus ſuis laudatam atque firmatam præſentis ſcripti pagina roboramus, & futuris temporibus inconvulſam manere decernimus, ut videlicet, tam in præpoſitura, quam etiam in Canoniis decedentibus Clericis, qui præfatæ Eccleſiæ Beneficia poſſident juxta prudentiam & diſpoſitionem tuam & ſucceſſorum tuorum, loco eorum, Monachi ſubſtituantur.

chidiacono firmatam roborat, Clericiſque decedentibus beneficia poſſidentibus Monachos ſubſtitui jubet.

Præpoſitus qui eidem loco præfuerit, ſacerdotem ſub præbenda qualem ipſe providerit Leodienſi Archidiacono præſentabit.

§. 2. Præpoſitus verò qui ex parte tua vel ſucceſſorum tuorum, eidem loco præfuerit, Sacerdotem ſub tali præbenda, qualem ipſe Præpoſitus, conſenſu Abbatis & Fratrum Cænobij Sancti Remigii, qui pro tempore fuerit, providerit, conſtituto Leodienſi Archidiacono præſentabit; à quo nimirum animarum ſibi cura committetur, & ipſe Sacerdos de omni Epiſcopali & Synodali jure, ſecundum Leodienſis Epiſcopatus conſuetudinem reſpondebit.

Conceſſionem infringi aut qualibet occaſione convelli vetat.

§. 3. Nulli ergo hominum liceat eamdem conceſſionem, Monaſterio Beati Remigii factam, infringere vel mutare, aut qualibet occaſione convellere; ſed omnia tibi tuiſque ſucceſſoribus integra conſerventur; quemadmodum præſentis ſcripti ſanctione præfati Alexandri quondam Epiſcopi conceſſione noſcitur inſtitutum.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Si qua ſanè Eccleſiaſtica Sæculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetua iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & ſanguine Dei, ac Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Pax obſervantibus.

§. 5. Cunctis autem hanc noſtram confirmationem ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis tit. S. Joannis & Pauli.

Ego Theodorus S. Ruffinæ Epiſcopus.

Ego Guidus Diaconis Cardinalis Sancti Adriani.

Ego Chryſogonus Diaconus Card. S. Mariæ in Porticu.

Datum IIX. Kal. Decembris Anno Pontificatus VII.

Datum Piſis per manum Aimerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Cancellarii IX. Kal. Decembris, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ II. anno ſeptimo.

IV. Ex Labbe Tom. 10. Col. 951. An. Dom. 1139.

Regium titulum Rogerio Siciliæ Regi ab Honorio conceſſum confirmat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Rogerio illuſtri & glorioſo Siciliæ Regi, ejuſque hæredibus in perpetuum.

Procemium.

QUos diſpenſatio Divini conſilij ad regimen & ſalutem populi ab alto elegit, & prudentia, juſtitia, aliarumque virtutum decore decenter ornavit dignum & rationabile eſt, ut Sponſa Chriſti, Sancta & Apoſtolica Romana mater Eccleſia, affectione ſincera diligat, & de ſublimi ad ſublimiora promoveat. Manifeſtis ſiquidem probatum eſt argumentis quod egregiæ memoriæ ſtrenuus & fidelis miles Beati

Petri Robertus Guiscardus prædecessor tuus Dux Apuliæ, magnificos & potentes hostes Ecclesiæ viriliter expugnavit, & posteritati suæ dignum memoria nomen & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illustris recordationis Rogerius, per bellicos sudores, & militaria certamina, inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & Christianæ Religionis diligens propagator, utpote bonus & devotus filius, multimoda obsequia matri Suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ impertivit. Unde & prædecessor noster Religiosus & prudens Papa Honorius nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimum de te sperans, & prudentia ornatum, justitia monitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valde dilexit, & ad altiora provexit.

Siciliæ Regnum ab Honorio antecessore suo concessum, confirmat.

§. 1. Nos ergo ejus vestigiis inhærentes & de potentia tua ad decorem & utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ spem atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ, quod utique prout in antiquis refertur historiis, Regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem antecessore nostro concessum cum integritate honoris Regij & dignitate regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apostolica autoritate confirmamus.

Ducatum Apuliæ ab eodem collatum confirmat, Principatumque Capuanum insuper concedit.

§. 2. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum & insuper Principatum Capuanum integre nihilominus nostri favoris robore communimus, tibique concedimus.

De his tamen P. R. ab hæredibus ligium homagium faciendum, & fidelitas juranda.

§. 3. Et ut ad amorem atque obsequium B. Petri Apostolorum Principis, & nostrum ac successorum nostrorum, vehementius astringaris: hæc ipsa, id est Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, heredibus tuis, qui nobis & successoribus nostris, nisi per nos & successores nostros remanserit, ligium homagium fecerint, & fidelitatem quam tu jurasti juraverint, tempore videlicet competenti, & loco non suspecto, sed tuto nobis & ipsis, atque salubri, duximus concedenda: eosque super his quæ concessa sunt, Deo propitio, manutenebimus.

Censusque sexcentorum scifatorum per singulos Annos persolvendus.

§. 4. Quod si per eos forte remanserit, ijdem heredes tui nihilominus teneant quod tenebant sine diminutione. Census, autem sicut statutum est, id est sexcentorum scifatorum, à te tuisque heredibus nobis nostrisque successoribus singulis annis reddatur, nisi forte impedimentum interveniat removente vero te impedimentum, nihilominus persolvetur.

Hortatio Pastoralis.

§. 5. Tua ergo, filii carissime, interest, ita te erga honorem atque servitium Matris tuæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotum & humilem exhibere, ita temet ipsum in ejus opportunitatibus exercere ut de tam devoto & glorioso filio sedes Apostolica gaudeat, & in ejus amore quiescat.

Pœna contraventium.

§. 6. Si qua sive Ecclesiastica Sæcularisve potentia huic nostræ concessioni temere contraire tentaverit, donec præsumptionem suam satisfactione coerceat, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat & quousque resipuerit anathematis sententia percellatur. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Albericus Ostiensis Episcopus.

Haimericus S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis.

Datum VI. Kal. Augusti Anno Pontificatus 10.

Datum in territorio Mamanensi per manum Haimerici Cancellarij, VI. Kal: Augusti, Indictione Secunda, Incarnationis Dominicæ Anno millesimo centesimo trigesimo nono, Pontificatus vero, Anno decimo Domini Innocentij Papæ Secundi.

CÆLESTINUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXVII.

ANNO DOMINI MCXLIII.

Cælestinus II. Tuscus, Guido antea vocatus, primus sine populi suffragio, quod Romani prisca jura Senatus in integrum restituere satagerent, Pontifex fuit renunciatus Anno 1143. die quo Innocentius decesserat. Willielmum Eboracensem improbum hominem, & ab Innocentio prædecessore damnatum Eboracensi præfecit Episcopatui, eumque à S. Bernardi criminationibus acriter defendit. Menses quinque & dies tredecim Pontificatum obtinuit. Obiit Anno 1144. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

LUCIUS SECUNDUS.

Anno 1144.

PONTIFEX CLXVIII.

ANNO DOMINO MCXLIV.

Lucius II. Anno eodem quò Cælestinus decessit S. Romanæ Sedi est suffectus, Gerardus anteà dictus, Civis Bononiensis. Alphonsus Portugalliæ Dux pietatis ergo Ducatum suum constituit Romanæ Ecclesiæ vectigalem. Arnoldus dignitatem Senatoriam, & equestrem ordinem revocare quum studuisset, Romanos in Pontificem conscitavit, quibus obsistens Pontifex incerto lapidis ictù percussus diem obiit extremum Anno altero ex quo ad Pontificatum fuit assumptus. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

EUGENIUS TERTIUS.

Anno 1145.

PONTIFEX CLXIX.

ANNO DOMINI MCXLV.

Eugenius prius Bernardus Pisanus vocatus: S. Bernardi discipulus post Lucii mortem Pontificatum obtinuit anno 1145. Hic metù Romanorum in Galliam profugus ibi resedit, cui corpus Decretorum à Gratiano Monacho fertur esse traditum. Mox in Italiam reversus obiit Tibure anno 1153. suæ sedis octavo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

I. Ex Anecd. Martene T. V. Col. 412. An Dom. circiter 1150. Ex Schedis Colbertinis.

Mandat ad Bermundum Biterrensem antistitem, ut Trencavello Vicecomiti Biterrensi permittat Capellam suo in Palatio construere.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bermundo Biterris Episcopo S. & A. B.

NObilis vir Trencavellus à Jerosolymis rediens, & per nos transitum faciens, à nobis suppliciter postulavit, quatenus Capellam in suo Palatio strui eo tenore concederemus, ubi ipse Capellanum idoneum debeat invenire, & tibi post-modum ut ei animarum curam tribuas repræsentet, & in vita sua non interdicatur à divinis Officiis, nisi fortè ipse, vel aliquis de familia ejus culpam commiserit. Et quoniam petitio ejus toleranda est, ut Ecclesiæ tuæ, propter hoc detrimentum non possit in posterum provenire, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus Capellam eo tenore quo diximus ædificare permittas; & cùm ab eodem Trencavello invitatus fueris, ipsam Capellam consecrare non renuas, salvâ nimirùm in aliis tuâ, & Ecclesiæ tuæ integrâ justitiâ.

Datum Tusculani VI. Idus Octobris.

II. Ex Labbe Tom. 10. An. Dom. 1153.

Canonicis S. Petri Romanæ quartam oblationum partem concedit.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Bernardo Presbytero Cardinali Sancti Clementis, & Ecclesiæ Beati Petri Archipresbytero, atque cæteris ejusdem Ecclesiæ Canonicis, tam præsentibus quam futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Procœmium. BEatorum Petri & Pauli tam eminens & tam gloriosa societas, ut & ambo sint Doctores Gentium, auctores Martyrum, Principes Sacerdotum: & cum inter universos Apostolos peculiari quadam prærogativa præcellant, æqualitatis in cælo meritis disparitatem non sentiunt. Petro ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu Christo claves regni cælorum sunt commissæ: Paulus à Deo electus est, ut de multitudine gentium regnum cælorum impleat sua prædicatione. Petrus, petra est & fundamentum fidei, & ne metuamus in soliditate nos firma sustentat: Paulus ne pravo hæreticorum dogmate vulneremur, mortalitatis honestate & invincibili ratione fidei nos armat. Petrus Principatum tenens, ex potestate ligat & solvit: Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile vel ligatione dignum in nobis appareat, mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum nostrum est ac domus fortitudinis & in fide ejus plantati & radicati sumus: Paulus vas electionis prædestinatos à Deo & electos cælestis tubæ sonoritate vocavit; & pro nobis sine intermissione orans, ne à fide & veritate deviemus, apud Deum interveniendo nos protegit. Cum igitur ij duo maxima Seminaria Dei Ecclesiam illustrantia, pari & amicabili splendore & fraterno amore præfulgeant: æquitatis & justitiæ persuadet ratio, ut nos, qui licet indigni Christi vices in terris agimus, & in ejusdem Apostolorum principis cathedra residere conspicimur, domesticam beati Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia eam provisione in suis necessitatibus adiuvemus.

Quartam oblationum partem quæ de Altari, de arca, omnibusque Ministeriis proveniunt Canonicis concedit & confirmat.

§. 1. Hujus itaque rationis debito provocati, dilecti in Domino filij, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari ejusdem beati Petri Apostoli, & tam de arca, quam de omnibus Ministeriis ipsius Ecclesiæ, præterquam de Ministerio beati Leonis proveniunt, vobis, ex consensu fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium, sedis Apostolicæ auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina confirmamus. Ita videlicet, ut semper, cum volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in vestris manibus retinendi atque custodiendi: seu aliis quibus volueritis cum nostrorum successorum consensu vendendi: Salva in omnibus aliis & retenta in nostris & successorum nostrorum manibus ipsius ecclesiæ libera dispositione atque custodia.

Hortatio Pastoralis.

§. 2. Hoc autem ideo facere dignum diximus, ut vos die ac nocte studiosè in Dei laudibus desudantes, tam in Missarum celebratione quam in Matutinis est aliis horis, pro vivorum ac defunctorum salute, attenta diligentia & honeste decantandis, prædictam Beati Petri Ecclesiam obsequio debito veneremini: & Dei fideles apostolorum limina devotione debita visitantes, locum ipsum in majori devotione ac veneratione semper habeant,

Poena contraventium.

§. 3. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit hujus nostræ concessionis paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona id attentare præsumpserit secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat reamque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Pax servantibus.

§. 4 Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco Servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & in futurum præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego EUGENIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Bosonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris, quarto Idus Aprilis, Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, pontificatus vero domini Eugenii III. Papæ Anno nono. Locus plumbi.

Datum IV. Idus Aprilis, Pontificatus Anno IX.

ANASTASIUS IV.

PONTIFEX CLXX.

ANNO DOMINI MCLIII.

ANastasius, Conradus antea vocatus, Civis Romanus anno 1153. Pontifex eligitur Pauperum amantissimus. Palatium apud S. Mariæ Rotundæ Templum magni-

Petri Robertus Guiscardus prædecessor tuus Dux Apuliæ, magnificos & potentes hostes Ecclesiæ viriliter expugnavit, & posteritati suæ dignum memoria nomen & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illustris recordationis Rogerius, per bellicos sudores, & militaria certamina, inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & Christianæ Religionis diligens propagator, utpote bonus & devotus filius, multimoda obsequia matri Suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ impertivit. Unde & prædecessor noster Religiosus & prudens Papa Honorius nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimum de te sperans, & prudentia ornatum, justitia monitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valde dilexit, & ad altiora provexit.

Siciliæ Regnum ab Honorio antecessore suo concessum, confirmat.

§. 1. Nos ergo ejus vestigiis inhærentes & de potentia tua ad decorem & utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ spem atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ, quod utique prout in antiquis refertur historiis, Regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem antecessore nostro concessum cum integritate honoris Regij & dignitate regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apostolica autoritate confirmamus.

Ducatum Apuliæ ab eodem collatum confirmat, Principatumque Capuanum insuper concedit.

§. 2. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum & insuper Principatum Capuanum integre nihilominus nostri favoris robore communimus, tibique concedimus.

De his tamen P. R. ab hæredibus ligium homagium faciendum, & fidelitas juranda.

§. 3. Et ut ad amorem atque obsequium B. Petri Apostolorum Principis, & nostrum ac successorum nostrorum, vehementius astringaris: hæc ipsa, id est Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, heredibus tuis, qui nobis & successoribus nostris, nisi per nos & successores nostros remanserit, ligium homagium fecerint, & fidelitatem quam tu jurasti juraverint, tempore videlicet competenti, & loco non suspecto, sed tuto nobis & ipsis, atque salubri, duximus concedenda: eosque super his quæ concessa sunt, Deo propitio, manutenebimus.

Censusque sexcentorum scifatorum per singulos Annos persolvendus.

§. 4. Quod si per eos forte remanserit, ijdem heredes tui nihilominus teneant quod tenebant sine diminutione. Census, autem sicut statutum est, id est sexcentorum scifatorum, à te tuisque heredibus nobis nostrisque successoribus singulis annis reddatur, nisi forte impedimentum interveniat removente vero te impedimentum, nihilominus persolvetur.

Hortatio Pastoralis.

§. 5. Tua ergo, filii carissime, interest, ita te erga honorem atque servitium Matris tuæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotum & humilem exhibere, ita temet ipsum in ejus opportunitatibus exercere ut de tam devoto & glorioso filio sedes Apostolica gaudeat, & in ejus amore quiescat.

Pœna contraventium.

§. 6. Si qua sive Ecclesiastica Sæcularisve potentia huic nostræ concessioni temere contraire tentaverit, donec præsumptionem suam satisfactione coerceat, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat & quousque resipuerit anathematis sententia percellatur. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Albericus Ostiensis Episcopus.

Haimericus S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis.

Datum VI. Kal. Augusti Anno Pontificatus 10.

Datum in territorio Mamanensi per manum Haimerici Cancellarij, VI. Kal: Augusti, Indictione Secunda, Incarnationis Dominicæ Anno millesimo centesimo trigesimo nono, Pontificatus vero, Anno decimo Domini Innocentij Papæ Secundi.

CÆLESTINUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXVII.

ANNO DOMINI MCXLIII.

Cælestinus II. Tuscus, Guido antea vocatus, primus sine populi suffragio, quod Romani prisca jura Senatus in integrum restituere satagerent, Pontifex fuit renunciatus Anno 1143. die quo Innocentius decesserat. Willielmum Eboracensem improbum hominem, & ab Innocentio prædecessore damnatum Eboracensi præfecit Episcopatui, eumque à S. Bernardi criminationibus acriter defendit. Menses quinque & dies tredecim Pontificatum obtinuit. Obiit Anno 1144. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

LUCIUS SECUNDUS.

Anno 1144.

PONTIFEX CLXVIII.

ANNO DOMINO MCXLIV.

Lucius II. Anno eodem quò Cælestinus decessit S. Romanæ Sedi est suffectus, Gerardus anteà dictus, Civis Bononiensis. Alphonsus Portugalliæ Dux pietatis ergo Ducatum suum constituit Romanæ Ecclesiæ vectigalem. Arnoldus dignitatem Senatoriam, & equestrem ordinem revocare quum studuisset, Romanos in Pontificem conscitavit, quibus obsistens Pontifex incerto lapidis ictù percussus diem obiit extremum Anno altero ex quo ad Pontificatum fuit assumptus. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

EUGENIUS TERTIUS.

Anno 1145.

PONTIFEX CLXIX.

ANNO DOMINI MCXLV.

Eugenius prius Bernardus Pisanus vocatus: S. Bernardi discipulus post Lucii mortem Pontificatum obtinuit anno 1145. Hic metù Romanorum in Galliam profugus ibi resedit, cui corpus Decretorum à Gratiano Monacho fertur esse traditum. Mox in Italiam reversus obiit Tibure anno 1153. suæ sedis octavo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

I. Ex Anecd. Martene T. V. Col. 412. An Dom. circiter 1150. Ex Schedis Colbertinis.

Mandat ad Bermundum Biterrensem antistitem, ut Trencavello Vicecomiti Biterrensi permittat Capellam suo in Palatio construere.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bermundo Biterris Episcopo S. & A. B.

NObilis vir Trencavellus à Jerosolymis rediens, & per nos transitum faciens, à nobis suppliciter postulavit, quatenus Capellam in suo Palatio strui eo tenore concederemus, ubi ipse Capellanum idoneum debeat invenire, & tibi post-modum ut ei animarum curam tribuas repræsentet, & in vita sua non interdicatur à divinis Officiis, nisi fortè ipse, vel aliquis de familia ejus culpam commiserit. Et quoniam petitio ejus toleranda est, ut Ecclesiæ tuæ, propter hoc detrimentum non possit in posterum provenire, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus Capellam eo tenore quo diximus ædificare permittas; & cùm ab eodem Trencavello invitatus fueris, ipsam Capellam consecrare non renuas, salvâ nimirùm in aliis tuâ, & Ecclesiæ tuæ integrâ justitiâ.

Datum Tusculani VI. Idus Octobris.

II. Ex Labbe Tom. 10. An. Dom. 1153.

Canonicis S. Petri Romanæ quartam oblationum partem concedit.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Bernardo Presbytero Cardinali Sancti Clementis, & Ecclesiæ Beati Petri Archipresbytero, atque cæteris ejusdem Ecclesiæ Canonicis, tam præsentibus quam futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Procœmium. BEatorum Petri & Pauli tam eminens & tam gloriosa societas, ut & ambo sint Doctores Gentium, auctores Martyrum, Principes Sacerdotum: & cum inter universos Apostolos peculiari quadam prærogativa præcellant, æqualitatis in cælo meritis disparitatem non sentiunt. Petro ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu Christo claves regni cælorum sunt commissæ: Paulus à Deo electus est, ut de multitudine gentium regnum cælorum impleat sua prædicatione. Petrus, petra est & fundamentum fidei, & ne metuamus in soliditate nos firma sustentat: Paulus ne pravo hæreticorum dogmate vulneremur, mortalitatis honestate & invincibili ratione fidei nos armat. Petrus Principatum tenens, ex potestate ligat & solvit: Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile vel ligatione dignum in nobis appareat, mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum nostrum est ac domus fortitudinis & in fide ejus plantati & radicati sumus: Paulus vas electionis prædestinatos à Deo & electos cælestis tubæ sonoritate vocavit; & pro nobis sine intermissione orans, ne à fide & veritate deviemus, apud Deum interveniendo nos protegit. Cum igitur ij duo maxima Seminaria Dei Ecclesiam illustrantia, pari & amicabili splendore & fraterno amore præfulgeant: æquitatis & justitiæ persuadet ratio, ut nos, qui licet indigni Christi vices in terris agimus, & in ejusdem Apostolorum principis cathedra residere conspicimur, domesticam beati Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia eam provisione in suis necessitatibus adiuvemus.

Quartam oblationum partem quæ de Altari, de arca, omnibusque Ministeriis proveniunt Canonicis concedit & confirmat.

§. 1. Hujus itaque rationis debito provocati, dilecti in Domino filij, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari ejusdem beati Petri Apostoli, & tam de arca, quam de omnibus Ministeriis ipsius Ecclesiæ, præterquam de Ministerio beati Leonis proveniunt, vobis, ex consensu fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium, sedis Apostolicæ auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina confirmamus. Ita videlicet, ut semper, cum volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in vestris manibus retinendi atque custodiendi: seu aliis quibus volueritis cum nostrorum successorum consensu vendendi: Salva in omnibus aliis & retenta in nostris & successorum nostrorum manibus ipsius ecclesiæ libera dispositione atque custodia.

Hortatio Pastoralis.

§. 2. Hoc autem ideo facere dignum diximus, ut vos die ac nocte studiosè in Dei laudibus desudantes, tam in Missarum celebratione quam in Matutinis est aliis horis, pro vivorum ac defunctorum salute, attenta diligentia & honeste decantandis, prædictam Beati Petri Ecclesiam obsequio debito veneremini: & Dei fideles apostolorum limina devotione debita visitantes, locum ipsum in majori devotione ac veneratione semper habeant,

Poena contraventium.

§. 3. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit hujus nostræ concessionis paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona id attentare præsumpserit secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat reamque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Pax servantibus.

§. 4 Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco Servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & in futurum præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego EUGENIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Bosonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris, quarto Idus Aprilis, Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, pontificatus vero domini Eugenii III. Papæ Anno nono. Locus plumbi.

Datum IV. Idus Aprilis, Pontificatus Anno IX.

ANASTASIUS IV.

PONTIFEX CLXX.

ANNO DOMINI MCLIII.

ANastasius, Conradus antea vocatus, Civis Romanus anno 1153. Pontifex eligitur Pauperum amantissimus. Palatium apud S. Mariæ Rotundæ Templum magni-

ficentissimum erexit: annonæ penuriæ, nedum Urbem tunc temporis premente, sed Europam penè universam etiam extra Urbis mœnia degentibus alimenta largitus est. Gratianus decreti compilator, Petrus Lombardus, & Petrus Comestor Scholasticæ Theologiæ antesignani ea tempestate floruerunt. Obiit Pontifex anno 1154. Pontificatum tenuit anno uno mensibus quatuor diebus 24. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 38.)

HADRIANUS IV.
PONTIFEX CLXXI.
ANNO DOMINI MCLIV.

Anno 1154.

HAdrianus IV. Anastasium excepit natione Anglus anno 1154. qui sede Pontificia conscensa Romanos primo, quod S. P. Q. jura restituere conabantur, mox Willelmum Siciliæ Regem diris est persequutus. Cum Friderico Enobarbo non unam ob causam contendit. Tandem Romani Senatus metù Ananiam se contulit, ibique muscâ suffocatum obiisse tradunt anno 1159. sedis 4. Mense decimo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 40.)

I. Ex Miscell. Baluzii T. 2. pag 224. Edita An. Do. 1156.

Excommunicatio Gaufredi Comitis Ruscinonensis, qui legitimâ uxore dimissâ adulteram sibi copulaverat.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Berengario Narbonensi Archiepiscopo & Apostolicæ sedis Legato & Artaldo Helenensi Episcopo, & universis Baronibus per Helenensem Episcopatum constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Procœmium.

QUæ à prædecessoribus nostris rationabiliter sunt statuta, nullius temeritate volumus perturbari, sed inconvulsa ea mandamus & illæsa ab omnibus observari. Prædecessor autem noster felicis memoriæ Papa Eugenius Comitem Gaufredum & eam quam tenet adulteram excommunicationis vinculo innodavit, pro eo videlicet quod legitima uxore dimissa, non est veritus adulteram sibi matrimonio copulare.

Legitimâ etiam Comitis uxore defunctâ nunquam ei sit liberum pellicem sibi matrimonio copulare.

§. 1. Et quia ut nobis dicitur pertinaciter adhuc in sua iniquitate perdurat, eandem sententiam ratam habentes, mandamus eam ab omnibus inviolabiliter observari, statuentes ut eidem Comiti nunquam sit liberum, legitima etiam uxore defuncta, tam sibi matrimonio copulare, quam non est dubium manifesto adulterio polluisse.

Filios in adulterio procreatos spurios perpetuòque paterna hereditate ex-

§. 2. Filios autem quos ex adultera in adulterio procreauit, qui spurii à jure censentur, decernimus perpetuò paterna hereditate carere, nec eis liceat ullo tempore aliquid hereditatis ipsius Comitis jure successionis patere vel habere. Si verò ab eis hoc fuerit aliquando attentatum excommunicationis vinculo se noverint innodandos.

Bulla Hadriani Papæ quarti, Confirmationis compositionem inter Episcopum & Comitem Gebennensem.

II. Anno 1157.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri, Arducio Gebennensi Episcopo Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Arducium eique commissam Ecclesiam sub B. Petri ipsiusque protectione suscipit.

QUotiens (1) a fratribus nostris Episcopus talia postulantur, que & equitati conveniant & a rationis tramite non recedant, decet nos animo libenti concedere, & eorum vota oportet nos, effectu operis prosequente complere. Ea propter Venerabilis in Christo, Frater Episcope, justis postulationibus tuis, grato concurrentes assensu, personam tuam, & commissam tibi Ecclesiam sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus.

Compositionem inter Episcopum Comitemque Gebennensem confirmat.

§. 1. Compositionem vero que inter te & dilectum filium nostrum, nobilem virum Amedeum Gebennensem Comitem in presentia Venerabilium fratrum nostrorum S. Viennensis, E. Lugdunensis & P. Tarentasiensis Archiepiscoporum, J. Gratianopolitani, & Guillelmi Belicensis Episcoporum, & quorundam religiosorum Abbatum, super quibusdam controversiis que inter vos agebantur, utriusque partis assensu rationabiliter facta est, juxta tue postulationis instantiam, tibi & per te Ecclesie tue auctoritate Apostolica confirmamus cujus videlicet compositionis tenor sicut in Instrumento exinde facto continetur, in subsequentibus invenitur annexus.

De sacerdotibus feudum terramve Comitis tenentibus.

§. 2. Predictus si quidem Frater noster Petrus Tarentasiensis Archiepiscopus, & dilecti filii nostri Almadricus Precentor Gebennensis Ecclesie, & Willelmus Alberici Decanus, Lambertus de Anassiaco Decanus, & Artoldus Decanus, Gualterius Canonicus & Capellanus, Pontius de Filingio Canonicus, Magister Petrus de Tolno Canonicus, Aymo Vicedominus Gebennensis, Amedeus de Nangiaco, Petrus de Nangiaco, Aymericus de Nangiaco, Falco Turumbertus, Cono de Ruppe: a gravaminibus Sacerdotum & Diaconorum tibi à Comite illatis incipientes, quoniam tu exinde querimoniam feceras, ita inter vos composuerunt, ut si fundum vel terram Comitis Sacerdotes vel Diacones tenerent, eidem ex equo servirent; si vero terram ejus dimittere vellent, investituram dimitterent, & secundum quod ab eo tenuerant, usamentum facerent, & sic Episcopo & Ecclesie Gebennensi, in pace per omnia remanerent.

De Comitis suorumve servis nisi eorum assensu nullatenus ab Episcopo Ordinandum.

§. 3. Quia etiam Comes adversus te querimoniam fecerat, quod eos qui servili conditione sui erant ordinaveras, super hoc ita est difinitum, ut qui ante Sacerdotes vel Diacones ordinati erant, in pace tibi dimitterentur, & deinceps servos Comitis, vel suorum, nisi eorum assensu nullatenus ordinares.

De feudo Decimarum.

§. 4. De feudo quoque Decimarum conquestus est Comes, sed quia pretendebas difinitionem per compositionem super ipsas decimas à Comite tibi factam esse, ita positum

(1) Hanc Bullam cum Originali contulimus ejusque Orthographiam intactam reddidimus.

est

est, ut compositionem esse factam ostenderes, & teneretur; sin autem feudum Decimarum Comiti dimitteres, salvo quidem Episcopali jure & Apostolice sedis mandato.

De Castris super Ecclesia à Comite nuper constructis & de Willelmo Mavallensi cujus hominium indebite Comes acceperat.

§. 5. Tu vero post hec aliam proposuisti querimoniam de Castris super Eccleſia a Comite nuper constructis, & de Willelmo de Marvallo cujus hominium Comes indebite acceperat, & proinde ab Eccleſia Gebennensi cujus per omnia esse debuerat, alienaverat; inde nimirum prefati concordatores sic de Castris composuerunt, ut quecunque super terram Eccleſie per Comitem constructa fuerant, si probari posset, omnino destruerentur: alioquin si super terram Comitis erecta essent, integra remanerent, ita sane quod rebus Eccleſie in aliquo non nocerent.

§. 6. Preterea de Willelmo Mavallensi ita est ordinatum, ut quia vir nobilis est, si vellet feudum Comitis dimitteret, & hominio Comitis irrito facto ad Gebennensis Eccleſie dominium & Episcopi rediret; si mallet feudum Comitis & ejus dominium tenere feudum Eccleſie in pace dimitteret, & exinde nullam exactionem Comes Eccleſie faceret.

De filio Maynerii ab Episcopo Comiti ablato.

§. 7. De cetero querimonia Comitis fuit de filio Maynerii quem tu ei abstuleras, super quo satis ad plenum a te responsum est habitum, videlicet quod mater ad dominium Eccleſiæ Gebennensis attinebat, & propter hoc filio Maynerii feudum Eccleſie dederat, quia ex parte matris queſierat & ad ipsum spectabat. Quocirca positum est, si Comes ipsum filium Maynerii habere vellet, ille feudum Eccleſie ad pacem dimitteret, & a Comite vel ab aliquo nulla ex hoc gravamina Eccleſie inferrentur.

De hominibus & terris à Comite suisque Eccleſiæ interceptis.

§. 8. Porro de hominibus & terris Eccleſie a Comite & a suis interceptis & superceptis à te querimonia deposita fuit, super communi consilio compositorum dictum fuit, ut in quibus partibus Gebennensis Episcopatus hujusmodi controverſia habebatur, pro examinanda veritate circa locorum affinitates quatuor ex parte tua & quatuor ex parte Comitis homines boni testimonii & indigene, ad jusjurandum censura Eccleſiastica cogerentur, & quod ipsos constaret tactis sacro sanctis reliquiis de justa posſeſſione Eccleſie vel Comitis profiteri, ab utroque vestrum firmiter imposterum teneretur.

In compoſitione hac apud Sayſel, facta, quid Episcopo, quid Comiti in dominio & justicia Gebennensis Civitatis attineret continetur.

§. 9. Inter cetera verò, que continentur in compoſitione apud Sayſel facta, continerentur & hec, ut recordationes facte post jusjurandum per homines Episcopi & Comitis Amaldricum videlicet Gebennenſem Cantorem & Canonicum, Wilelmum Born. Decanum, Richardum Vicedonnum, Willelmum de Boſco, sicut recitate fuerant communi assensu tui scilicet & Comitis in presentia memorati Petri Tarentaſiensis Archiepiscopi & Amedei Lausannensis Episcopi, atque Abbatum totius Gebennensis Episcopatus, Rodulphi de Alta-comba, Stephani Chisiriacensis, Moysi de Bonomonte, Borch. de Habundantia, Pontij de Six, nec non Rodulphi Agaunensis Abbatis, & multorum religioſorum & honeſtorum virorum assiſtentium in Episcopali domo apud Gebennas, quid Episcopo, quid Comiti in dominio & justicia Gebennensis Civitatis attineret firmiter ab utriusque tenerentur.

De his quæ ad Episcopum pertinent.

§. 10. Recordationes sunt iste; Bannum totius Geneve, in omnibus & per omnia, tuum solummodo esse; Justiciam & dominium cujusque sit homo ad te tantummodo pertinere; Adventicios quoque ex quo per annum & diem Gebennis moram fecerint tuos solummodo esse, Comes vero in tota Geneva nullos homines capere debet; Hoſpitalitatem, placitum generale, foraciones vini, coroadam & mutationes domorum, si dominus mortuus fuerit, debes ut dominus possidere; Forum totius Ville, & Justiciam fori, ad te solummodo pertinere; Pedagium, ripale & pascua similiter. Comes quoque per se vel aliquem de suis in pascuis Gebennensibus, nullas equitaturas capere debet; Monetam in manus tuas tantummodo esse; si quis vero latro captus fuerit, ipsum & omnia ejus, tu habere debes; statio Comitis Gebennis in cognitione tua sit, ita tamen ut Comes & familia ejus Eccleſie & civibus & Eccleſiasticis rebus non noceat; Comes etiam aut aliqui de suis vadimonia sua per vim alicui & nisi eque valent minime ponant, & non aliter quam ad pacem creditoris eadem dimittant; Hactenus Episcopalia.

Et de his quæ ad Comitem spectare videntur.

§. 11. De his vero que ad Comitem spectare videntur sunt hec; Comes est, & bonus Advocatus sub Episcopo esse debet; Tantam denique familiaritatem, ex dilectione in domo Episcopali habere debet, quod in mutationibus officiorum ejusdem domus, si tu inde queſtionem habueris druuliam ibi ad modum habere debet. Tu quoque si adversus aliquem de familia sua commotus vel iratus fueris, ad Comitem refugium habebit, & donec tibi congruè satisfaciat, Comiti eundem tenere licebit: simili modo de familia Comitis a te per omnia tenebitur.

De peragenda justicia.

§. 12. Quamvis vero de Latrone sicut superius continetur fiat, si ad dampnamdum, vel aliquam inde justiciam faciendam fuerit deputatus, Comiti tamen properagenda justicia reddetur; Consequenter & de monetariis si falsam aliquando monetam fecerint, jussu tuo Comes justiciam faciet.

Quadraginta libræ a Comite Episcopo pro restauratione damni sunt persolvendæ, Canonicis vero damnum ad eorum libitum Comes emendatarus est.

§. 13. Quoniam igitur Comes modum excedento multa & maxima dampna tibi intulerat & Canonicis similiter domoſque hominum tuorum diruendo destruxerat, dixerunt Compoſitores, ut quadraginta libras pro restauratione dampni Comes tibi persolveret; Canonicis vero dampnum suum ad eorum libitum & misericordiam emendaret; In redintegratione quoque domorum hominibus quorum fuerant ad eorum pacem emendationem Comes faceret. Dictum & autem ut omnibus hominibus tuis quos Comes pro malivolentia inter se & te habita odio habuerat, pacem redderet, Similiter & tu ipse hominibus Comitis pacem faceres, exceptis illis qui tua abstulerant, illa videlicet, que Comes minime habuerat, de quibus dictum est, ut Comes tibi super ipsis justiciam donec ablata juxta bene placitum tuum redderentur, faceret; sin autem tu ipse justitiam tuam proinde faceres, Comes vero in nullo tibi contradiceret.

De piscatione.

§. 14. De piscatione vero unde tu querimoniam feceras, ita positum est ut bonas consuetudines quas homines tui ab antiquo per lacum habuerant semper in pace haberent.

Et de Rodulpho sancti Gervasii.

§. 15. Fuit & querimonia tua te die piscationis in Venna quam Comes abstulerat, super quo a compoſitoribus dictum est, ut quando Comitem vocare velles, in Curiam tuam veniret, ac per cognitionem Curie in pace remaneret; De Rodulpho quidem Sancti Gervasii, quia Comes inde conqueſtus fuerat, sic positum est ut investitura Eccleſie remaneret, & si Comes vellet super hoc in Curiam tuam veniret, & secundum quod dictum erat

vel adhuc diceretur, jus suum uterque possideret.

Hanc compositionem inviolabiliter observandam statuit eamque præsenti privilegio munivit.

§. 16. Si quis vero pacem hanc vel concordiam temerario ausu infringere temptaverit, dictum est ab ipsis Compositoribus, ut tu inde justiciam facias, & Comes infra quadraginta dies & tua pro facta justicia non offendat. Ut igitur compositio ipsa futuris semper temporibus inviolabiliter observetur eam Apostolice sedis auctoritate duximus confirmandam, & presenti privilegio muniendam.

Sanctio Pœnalis.

§. 17. Decernimus itaque, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, secundo tertiove commonitus, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni.

Pax & benedictio servantibus.

§. 18. Cunctis verò eam servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Ad te Amen.





† Ego ADRIANUS Catholice Ecclesie Episcopus.

† Ego Gregorius Sabinensis Ecclesie Episcopus.
† Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Savine.
† Ego Girardus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio monte.
† Ego Henricus Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei.
† Ego Otto Diaconus Cardinalis tituli Sancti Georgii ad velum aureum.
† Ego Rodulphus Diaconus Cardinalis Sancte Lucie in Scepta....
† Ego Guydo Diaconus Cardinalis Sancte Marie in porticu.
† Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicholai in Carcere Tuliano.
† Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.
† Ego Boso Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosme & Damiani.
† Ego Albertus Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.

Datum Lat. per manum Rolandi Sancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XII. Kal. Junii, indictione quinta, Incarnationis Dominice, anno millesimo quinquagesimo, septimo, Pontificatus verò Domini Adriani Pape quarti, anno tertio.

Data XII. Kalend. Junii, Pontificatus Anno 3.





Sigilli Originali Bullæ pendentis ex Archivis Reipub. Genevensis expromptæ similitudinem ex vero effinximus.

III. Ex Archivis Reipublicæ Genevensis expromptæ.

ANNO 1157.

Alia Bulla ejusdem Papæ, per quam confirmat quascunque Largitionis factas Ecclesie Gebennensi per Serenissimum D. Fredericum Imperatorem, & possessiones & bona quecunque, quæ Geb. Ecclesia habebat, vel haberet in futurum, usibus illius perpetuis corroborat.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; venerabili Fratri Arducio Gebennensis Ecclesie Episcopo, ejusque successoribus, Canonice substituendis, in perpetuum.

CUm (1) ex injuncto nobis à Deo Apostolatus officio, quo cunctis Christi fidelibus authore Domino preminemus, singulorum Paci & tranquillitati debeamus intendere, Presertim pro illorum quiete, oportet nos esse sollicitos, qui Pastorali dignitate sunt prediti, & ad officium Pontificale promoti. Nisi enim nos eorum utilitatibus intendentes, ipsorum jura, in quantum Deo permittente possumus, integra conservemus, & auctoritate Apostolica, eos a pravorum incursibus defendamus, de illorum salute non vere poterunt esse solliciti, qui sibi ad regendum, Domino sunt disponente, commissi.

§. 1. Eapropter, venerabilis in Christo frater Gebennensis Episcope, tuis justis postulationibus gratum impertimur assensum, & prefa-

Ecclesiam Gebennensem sub B. Petri ipsiusque protec-

(1) Collatam cum originali & intactam reddidimus.

tam

tione suscipit, & largitiones ab Imperatore Episcopo & Ecclesiæ factas confirmat & roborat.

tam Gebennensem Ecclesiam, cui, Deo autore, preesse dinosceris, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut ea que charissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum Imperator, ad Regale jus pertinentia, tibi, & Ecclesie tue, intra Civitatem Gebennensem & extra, pietatis intuitu noscitur legitime contulisse, & scripti sui pagina roborasse, sicut in ipso scripto continetur, tibi tuisque successoribus, auctoritate sedis Apostolice integre confirmamus, & hujus privilegii munimine, roboramus.

Possessiones quascunque illibatas conservari jubet,

S. 2. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem Ecclesia impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant.

Vexationibusque fatigarivetat.

S. 3. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, supradictam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva nimirum in omnibus, Apostolicæ sedis auctoritate:

Pœna contraventium.

S. 4. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam, sciens, contra eam temere venire tempraveririt, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque, se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat; atque in extremo examine, districte ultioni subjaceat.

Pax jura servantibus.

S. 5. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini Jesus Christi. Quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem, premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen.





† Ego ADRIANUS Catholice Ecclesie Episcopus.

† Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Savine.

† Ego Gregorius Sabinensis Ecclesie Episcopus.

† Ego Girardus Cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio monte.

† Ego Almricus Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei.

† Ego Otto Diaconus Cardinalis tituli Sancti Getorri ad velum aureum.

† Ego Rodulphus Diaconus Cardinalis in Septa Sancte Lucie.

† Ego Guido Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu.

† Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tuliano.

† Ego Arditio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.

† Ego Boso Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosme & Damiani.

† Ego Albertus Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.

Data XII. Kal. Junij Pontificatus anno 3.

Datum Lat. per manum Rolandi Sancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XII. Kal. Junii, Indictione quinta, Incarnationis Dominice, anno millesimo quinquagesimo, septimo, Pontificatus verò Domini Adriani Pape quarti, anno tertio.

Sigilli originalis efficta similitudo.



ALEXANDER TERTIUS. PONTIFEX CLXXII.

ANNO DOMINI MCLIX.

ADriano succeſſit Alexander cui oppoſitus à Friderico Imp. Victor IV. & hoc mortuo Paſchalis III. & Calixtus III. Poſt triennalem abſentiam à Romanis Alexander fuit revocatus. Fridericum Imperatorem Venetiis pede cervici ejus impoſito calcavit uſus verbis illis Pſalmi: ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis. Obiit anno 1182. Pontificatus vigeſimo ſecundo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 40.

Enarrat quomodo à Romanis ſit exceptus.

I. Dacher. Spicil. T. 3. nov. Edit. pag. 538. An. Dom. 1165.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Henrico Remenſi, Archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

ANoſtra vel ſucceſſorum noſtrorum memoria nulle tempore elabetur, quomodo vos in devotione B. Petri & noſtra conſtanter & ſemper & firmiter perſiſtere, & nobis non modicum honoris & reverentiæ curaveritis & larga obſequia exhibere. Unde nos id præ oculis ſemper habentes firmum propoſitum & promptam gerimus voluntatem, vos ſicut honorabiles Fratres, & immobiles columnas Eccleſiæ arctiori caritate diligere, & ad honorem & profectum veſtrum & Eccleſiarum veſtrarum ferventiori deſiderio aſpirare. Quia vero vos proſperitatibus Eccleſiæ congaudere & plurimum congratulari cognoſcimus, præſentium ſignificatione Fraternitates veſtræ cognoſcatn, quod nos diverſa maris pericula, & graves hoſtium & iniquorum incurſus, divina potentia, & Apoſtolorum meritis evadentes, tandem ad portum ſalutis pervenimus, & à Senatoribus populoque Romano devotiſſime invitati, nono Calendas Decembris Urbem intravimus in omni pace & tranquillite ſuſcepti, & illam nobis, & Fratribus noſtris reverentiam honorem & devotionem prædicti Senatores, Nobiles Civitatis, Clerus Populuſque Romanus exhibuerunt, qua nulla major alicui anteceſſorum noſtrorum, ſicut omnia ora teſtantur, aliquando exhibita fuiſſe probatur. Unde & credimus, & de miſericordia Dei ſperamus, quod in proximo Eccleſia Dei plena pace & proſperitate gaudebit. Rogamus autem Fraternitatem veſtram, monemus, & exhortamur in Domino quatenus ſicut devotiſſimi viri ad augmentum & exaltationem Eccleſiæ ſolita devotione intendatis & alios in B. Petri & noſtra reverentia exemplo veſtro ſtudeatis propenſius ſolidare. Data Laterani VIII. Calendas Decembris.

Dat. VIII. Kal. Decembris.

II. Ex Arch. Angl. Rymer T. I. pag. 30.

Templum quod ſitum eſt Jeroſolymis, variis communit Privilegiis, prohibens ne quis temere prædictum locum perturbet.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Edit. An. Dom. 1172.

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Oddoni Magiſtro Religioſæ Militiæ Templi quod Jeroſolymis ſitum eſt, ejuſque ſucceſſoribus & Fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem vitam Profeſſis in perpetuum.

Exordium.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio; Proinde dilecti in domino filii, de nobis & pro vobis omnipotentem Dominum collaudamus, quoniam in univerſo mundo veſtra Religio & veneranda inſtitutio nuntiatur. Cum enim natura eſſetis filii iræ, & ſeculi voluptatibus dediti, nunc per aſpirantem gratiam, Evangelii non ſurdi auditores effecti, relictis pompis ſecularibus & rebus propriis, dimiſſa etiam ſpatioſa via quæ ducit ad mortem, arduum iter, quod ducit ad vitam, humiliter eligiſtis, atque ad comprobandum quod in Dei militia ſpecialiter computemini, ſignum viviſicæ crucis in veſtro pectore aſſidue circumfertis.

Laudat eos quod ab incurſibus Paganorum fratres defenſare minimè formidant.

§. 1. Accedit ad hoc quod, tanquam viri Iſraelitæ atque inſtructiſſimi divini prælii bellatores, veræ Karitatis Flamma ſuccenſi, dictum Evangelium operibus adimpletis, quo dicitur, Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Unde etiam juxta ſummi Paſtoris vocem, animas veſtras pro fratribus ponere, eoſque ab incurſibus Paganorum defenſare minime formidatis; & cum nomine cenſeamini milites Templi, conſtituti eſtis à Domino Catholicæ Eccleſiæ defenſores, & inimicorum Chriſti impugnatores.

Hortaturque ut pro Paganorum ſpurcitiâ eruenda expugnando intrepidè laborent.

§. 2. Licet autem veſtrum ſtudium & laudanda devotio in tam ſacro opere, toto corde & tota mente deſudet, nihilominus tamen univerſitatem veſtram exhortamur in Domino, atque in peccatorum remiſſionem, auctoritate Dei & Beati Petri Apoſtolorum Principis, tam vobis, quam ſervitoribus veſtris injungimus ut pro tuenda Catholica Eccleſia, & ea, quæ eſt ſub Paganorum tirannide, de ipſorum ſpurcitia eruenda expugnando inimicos crucis, invocato Chriſti nomine, intrepide laboretis.

Spoliarum portionem alicui dare cogi prohibet, eoſque cum omnibus poſſeſſionibus ſub Apoſt. ſedis tutela ſuſcipit.

§. 3. Ea etiam quæ de eorum ſpoliis ceperitis, fidenter inuſus veſtros convertatis &, ne de his contra velle veſtrum, portionem alicui dare cogamini, prohibemus. Statuentes ut Domus ſeu Templum, in quo eſtis ad Dei laudem & gloriam, atque defenſionem ſuorum fidelium & liberandam Dei Eccleſiam congregati, cum omnibus poſſeſſionibus, & bonis ſuis quæ inpræſentiarum legitime habere cognoſcitur, aut in futurum conceſſione Pontificum liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, perpetuis futuris temporibus ſub Apoſtolicæ ſedis tutela, & protectione conſiſtat.

Fratres inibi Dom. ſervientes caſtè & ſine proprio vivendos Magiſtroque ſuo in omnibus obediendos ſtatuit.

§. 4. Præſenti quoque decreto ſancimus ut vita religioſa, quæ in domo veſtra eſt, divina inſpirante gratia inſtituta, ibidem inviolabiliter obſervetur; & fratres inibi, omnipotenti Domino ſervientes caſtè & ſine proprio vivant, & profeſſionem ſuam dictis & moribus comprobantes Magiſtro ſuo, aut quibus ipſe præceperit in omnibus, & per omnia ſubjecti & obedientes exiſtant.

Domus om-

§. 5. Præterea quemadmodum domus ipſa

ANNO 1172.

hujus sacræ institutionis vestræ, & ordinis fons & origo esse promeruit; ita nichilominus omnium locorum, ad eam pertinentium, caput & magistra in perpetuum habeatur.

§. 6. Ad hæc adjicientes præcipimus ut obeunte te, dilecte in domino fili Oddo, vel tuorum quolibet successorum, nullus ejusdem domus fratribus præponatur, nisi militaris & religiosa persona quæ vestræ conversationis habitum sit professa, nec ab aliis, nisi ab omnibus fratribus insimul, vel à saniori parte, qui præponendus fuerit, eligatur.

§. 7. Porro consuetudines, ad vestræ Religionis & officii observantiam à Magistro & fratribus communiter institutas, nulli Ecclesiasticæ secularive personæ infringere vel minuere sit licitum; easdem quoque consuetudines à vobis aliquanto tempore observatas & scripto firmatas, non nisi ab eo qui Magister est consentiente tamen saniori parte capituli, liceat immutari.

§. 8. Prohibemus siquidem & omnimodis interdicimus, ut fidelitates, hominia, sive juramenta, vel reliquas securitates, quæ à secularibus frequentantur, nulla Ecclesiastica secularisve persona à Magistro & Fratribus ejusdem domus exigere audeat.

§. 9. Illud autem scitote quoniam sicut vestra sacra institutio & religiosa militia divina est providentia stabilita, ita nichilominus, nullius vitæ religiosioris obtentu, ad locum alium vos convenit transvolare; Deus enim, qui est incommutabilis & æternus, mutabilia corda non approbat, sed potius sacrum propositum semel, inceptum, perduci vult usque in finem debitæ actionis.

§. 10. Quot & quanti sub militari cingulo & clamide terreni Imperij Domino placuerunt, sibique memoriale perpetuum reliquerunt? Quot & quanti in armis bellicis constituti pro Testamento Dei, & paternarum legum defensione, suis temporibus fortiter dimicarunt, atque, manus suas in sanguine infidelium domino consecrantes, post bellicos sudores æternæ vitæ bravium sunt adepti? Videte itaque vocationem, vestram tam milites, quam servientes, atque juxta Apostolum unusquisque vestrum, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Ideoque fratres vestros semel devotos, atque in sacro collegio vestro receptos, post factam in vestra militia professionem, & habitum religionis assumptum revertendi ad sæculum nullam habere præcipimus facultatem, nec aliqui eos fas sit, post factam professionem, semel assumptam crucem dominicam, & habitum vestræ Religionis abjicere, vel ad alium locum, seu etiam Monasterium, majoris sive minoris religionis obtentu, invitis sive inconsultis fratribus aut eo, qui Magister extiterit, liceat transmigrare, nullique Ecclesiasticæ secularive personæ ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat.

§. 11. Et quoniam, qui sunt Ecclesiæ defensores de bonis Ecclesiæ debent vivere ac sustentari, de rebus mobilibus, vel se moventibus, seu de quibuslibet, quæ ad vestram venerabilem domum pertinent, à vobis decimas exigi, contra voluntatem vestram, omnimodis prohibemus.

§. 12. Ut autem ad plenitudinem salutis, & curam animarum vestrarum nichil vobis desit, & Ecclesiastica sacramenta, & divina Officia vestro sacro Collegio commodiùs exhibeantur, simili modo sancimus, ut liceat vobis honestos Clericos, & sacerdotes, secundum Deum, quantum ad vestram conscientiam, ordinatos, undecumque ad vos venientes suscipere, & tàm in principali domo vestrâ, quàm etiam in obedientiis & locis sibi subditis, vobiscum habere, dummodò, si è vicino sunt, eos à propriis Episcopis expectatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini teneantur obnoxii: quod si Episcopi eosdem vobis fortè concedere noluerint, nichilominùs tamen eos suscipiendi & retinuendis auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, licentiam habeatis.

§. 13. Si verò aliqui horum, post factam professionem, turbatores religionis vestræ, aut domus, vel etiam inutiles apparuerint, liceat vobis eos, cum saniori parte capituli, amovere eisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere voluerint, licentiam dare, & loco ipsorum alios idoneos substituere, qui etiam unius Anni spatio in vestrâ Societate probentur: Quo peracto, si mores eorum hoc exegerint, & ad vestrum servitium utiles inventi fuerint, tunc demùm professionem faciant regulariter vivendi & Magistro suo obediendi: Ita tamen ut eundem victum & vestitum vobiscum habeant, nec non lectisternia; excepto eo quòd clausa vestimenta portabunt.

§. 14. Set nec ipsis liceat de capitulo, vel curâ domûs vestræ se temerè intromittere, nisi quantùm à vobis fuerit injunctum. Curam quoque animarum tantùm habeant, quantùm à vobis fuerint requisiti.

§. 15. Præterea nulli personæ, extra vestrum Capitulum, sint subjecti; tibique dilecte in domino Fili Oddo, tuisque successoribus, tanquam Magistro & Prælato suo in omnibus & per omnia obedientiam deferant.

§. 16. Præcipimus insuper ordinationes eorundem Clericorum, qui ad sacros gradus fuerint promovendi à quocumque malueritis Catholico suscipiatis Episcopo, siquidem gratiam & communionem Apostolicæ sedis habuerit, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat.

§. 17. Eosdem autem pro pecunia prædicare aut lucro, vosque pro ejusmodi causa, eos ad prædicandum mittere prohibemus; nisi forte Magister Templi, qui pro tempore fuerit, certis ex causis id faciendum esse providerit.

§. 18. Quicumque sane ex his in vestro collegio suscipientur, stabilitatem loci, conversionem morum, seque militaturos Domino diebus vitæ suæ, sub obedientia Magistri Templi, posito scripto super altare, in quo contineantur ista, promittant; salvo quoque Episcopis jure Episcopali tam in decimis, quam in oblationibus & sepulturis.

§. 19. Nichilominus vobis concedimus facultatem, in locis sacro Templo collatis, ubi familia vestra habitat oratoria construere, in quibus utique ipsa familia divina Officia audiat; ibique si quis ex vobis, vel ex eadem familia mortuus fuerit, tumuletur; indecens enim est, & animarum periculo proximum religiosos fratres, occasione adeundæ Ecclesiæ, se virorum turbis & Mulierum frequentiæ immiscere.

§. 20. Cæterum decimas, quas consilio; & consensu Episcoporum, de manu Clericorum, vel laicorum studio vestro extrahere poteritis, illas etiam, quas consentientibus Episcopis; & eorum Clericis acquiretis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus.

§. 21. Decernimus insuper, auctoritate Apostolica, ut ad quemcumque locum vos venire contigerit, ab honestis atque catholicis sacerdotibus penitentiam, unctiones, seu alia quælibet sacramenta ecclesiastica vobis suscipere liceat, ne forte, ad perceptionem spiritualium bonorum vobis quippiam de esse valeat.

ANNO 1172.

§. 22. Quia vero in Christo omnes unus sumus, & non est personarum differentia apud Deum, tam remissionis peccatorum quam alterius beneficentiæ, atque Apostolicæ benedictionis, quæ vobis indulta est, etiam familiam vestram, & servientes vestros volumus esse participes.

§. 23. Cum autem fratres vestri, qui ad suscipiendas collectas destinati fuerint, in Civitatem Castellum, vel vicum advenerint, si forte locus ille interdictus sit, in jocundo eorum adventu, pro Templi honore, & eorumdem Militum reverentia, semel in anno aperiantur Ecclesiæ, &, exclusis excommunicatis divina Officia celebrentur.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat prædictum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur vestris & aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura.

§. 25. Si quis igitur hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

§. 26. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus benedictionem & gratiam consequantur Amen. Amen. Amen.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 569.

Epistola Alexandri Papæ III. ad Joscium Archiepiscopum Turonensem & ejus suffraganeos Confirmat sententiam interdicti latam in Cismarinam terram regis Angliæ propter vim illatam S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Jo. Turonensi Archiepiscopo & universis suffraganeis ejus & Ecclesiasticis personis in sua provincia constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.

IN Apostolicæ sedis specula licet immeriti constituti, universorum excessus per nos aut per eos qui sunt in partem sollicitudinis nobis commissæ assumti, provida debemus circumspectione corrigere, & singulorum erratibus pontificali moderantia obviare: ne nobis dissimulantibus, vitia videantur virtutibus prævalere.

§. 1. A memoria siquidem nostra non excidit, qualiter pro pace Sanctæ recordationis Thomæ Cantuariæ Archiepiscopi, cujus anima Deo, sicut credimus prætioso Martyrio dedicata in Cœlis cum sanctis habitat, juxta Officij nostri debitum solliciti & vigiles existentes, venerabilibus fratribus nostris Willelmo Senonensi Apostolicæ sedis legato & Ro. Rothomagensi Archiepiscopis mandaverimus, ut si Rex Anglorum ei Ecclesiam suam in omni pace & libertate non dimitteret, & ablata non restitueret, nec pacem quam secum fecerat firmiter conservaret, terram ejus Cismarinam interdicto subjicerent: & si uterque aliquo casu interesse non posset, vel nollet, alter nihilominus mandatum nostrum studiosius adimpleret.

§. 2. Quia vero prænominato Ro. Rotomagensi nolente mandatum nostrum exequi, id per jam dictum Senonensem est adimpletum, nos de communi fratrum nostrorum consilio, sententiam quam idem Archiepiscopus de mandato & auctoritate nostra in totam terram Cismarinam prædicti regis Angliæ protulisse dinoscitur, ratam & firmam habentes, & eam auctoritate Apostolica confirmantes, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ sub periculo ordinis & Officij vestri præcipimus, quatinus eamdem sententiam in terra quæ est in ditione memorati Regis, usque ad dignam satisfactionem firmiter, & inviolabiliter observetis, & ab aliis faciatis inviolabiter observari: nec aliquis vestrum eam relaxare, vel contra ipsam sine mandato Romani Pontificis vel legati ab eo destinati divina officia celebrare præsumat. Data Tuscul. II. Idus Maij.

IV. Ex Labbe Tom. X. Col. 1263.

De matribus quæ prolis suæ procurant interitum: de incestis, & alia fœda libidine: de iis qui cum ficca fæce vini, & micis panis vino intinctis, Missam faciunt: de matrimoniis sine sacerdotali benedictione factis.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Upsellensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus.

VICE beati Petri Apostolorum principis, largiente Deo & Domino nostro, qui ait, *Speculatorem te dedi domui Israël*, super gentes & regna, licet immeriti, in Apostolicæ sedis specula constituti: pontificalis officii debito pro universis compellimur solicitudinem gerere, & antiquo hosti, qui tanquam sævissimus leo circuit quærens quem devoret, pastorali providentia obviare, ne gregem Dominicum invadat, & diversis eum viciorum morsibus laceret. Inde est, quod vehementi cor nostrum doloris pulsatur stimulo, audito quod in partibus vestris in tantum libido crudelis & turpis excreverit, ut quædam mulieres prolis suæ procurent interitum, earumque corruptores tam horrendo & detestabili facinori, non solum consentire, verum etiam persuadere præsumant: & alii incestuosa conjunctione, plerique cum jumentis abominanda se pollutione commaculent. Quæ quantum sint gravia, & creatori nostro penitus inimica, ipsa sceleris atrocitas satis demonstrat; quam nec audientium aures sine ingenti possunt horrore percipere.

Si enim qui jactato in terram semine prolem nolebat ex uxore suscipere, percussus à Domino testamenti veteris seriè dinoscitur: qua pœna feriendus esse monstratur, qui natum proprium non abhorret occidere, & mavult interire quam vivere? Cujus utique criminis pœna, illud etiam persuadentes vel consentientes involui, beatus Augustinus ostendit dicens: "se periculose decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas "existere, qui manibus hominem occidunt, & "non potius eos per quorum consilium & fraudem & exhortationem, homines extinguntur. "Nam Judæi Dominum nequaquam propriis "manibus interfecerunt, sicut scriptum est: *Nobis non licet interficere quemquam.* Sed tamen il- "lis mors Domini imputatur, quia ipsi eum "lingua interfecerunt dicentes: *Crucifige, crucifige eum.*"

Incestum vero quantum sacri abhorreant cano-

nes

ANNO 1181.

„ nes, concilium Ilerdense demonstrat: Cum „ his, inquit, qui incestus se pollutione commaculant: quamdiu in ipso detestando & illicito „ carnis contubernio perseverant, nec sumere „ cibum ulli Christianorum, sicut Apostolus „ jussit, licebit. „ Porro scelus cum jumentis coeuntium quanta sit animadversione plectendum, legislator Moyses declarat, cum etiam ipsa interfici animalia jubeat, quæ tali contaminata flagitio indignam refricant acti memoriam.

Quia igitur abominabilem horum excessuum præsumptionem severa satis districtione congruit insequi: prædictos propriæ prolis necatores, & tam ipsum facinus persuadentes, quam consentientes, seu quoslibet parricidas, aut cum matre, filia, consobrina, vel nepte agentes, quam cum jumentis coeuntes, artiori pœnitentiæ jugo curetis compescere: & nisi senio confecti, vel corporis fuerint debilitate seu egestate oppressi, eos ad sedem apostolicam compellatis venire, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina visitare ut in sudore vultus sui, & viarum labore, superni judicis iram evadere, & ipsius misericordiam valeant invenire.

Ad hæc qui dormiendo, non voluntate, sed casu filios suos oppressisse inveniuntur: triennio si iidem filii fuerint baptizati; si vero absque sacro baptismate decesserint, quinquennio pœnitentiæ disciplinis subjaceant. Sacerdotes, quos ab his studiosius præcavere convenit, officii sui perpetua executione priventur. Verum si qui parentum absentes fuerint quando eorum filii suffocantur, aut si id sub aliena custodia contigerit: extra culpam erunt: si tamen eos non furiosæ, sed congruenti custodiæ ipsos se crediderint tradidisse.

Præterea non sine cordis amaritudine quosdam sacerdotes contra apostolicas institutiones, cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis, Missam celebrare audivimus: & fideles laïcos non Christiano more, absque sacerdotali benedictione & Missa, matrimonium contrahere. Unde sæpe illicita contingit fieri conjugia, & inter legitimas personas divortium intervenire Sane cum omne crimen, atque omne peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Cum enim magister veritatis, discipulis suis sacramentum commendaret nostræ salutis: non siccam fæcem vini, non micas panis vino intinctas accepit, sed panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis. Quia igitur secus agere, evangelicæ & apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ penitus est adversum: apostolica prohibemus autoritate, ut cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis, vel alio modo quam Dominus instituit, nullus de cætero sacrificare attentet: sed secundum formam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem & vinum aqua mixtum in sacrificio corporis & sanguinis Christi offeratis.

Cæterum clandestina, & absque sacerdotali benedictione non debere contrahi conjugia, aut nisi inter legitimas personas, quæ infra septimum gradum nulla consanguinitatis linea conjunguntur: nec contracta, nisi canonice & consensu Episcopi dissolvi: multorum sanctorum Patrum declarat auctoritas. Vositaque muniti sanctorum Patrum sanctionibus & ecclesiasticis institutis, hæc quæ dicta sunt, diligenter servate, & ab aliis præcipite inviolabiliter observari: dispensationis moderamine utentes, ut qui in quinto vel quarto gradu conjuncti sunt, eos non separetis, sed ne amplius taliter conjungantur, pontificali autoritate & districtione prohibeatis. Datum Tuscul. v. Idus Septembris.

ANNO 1181.

LUCIUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXIII.

ANNO DOMINI MCLXXXI.

LUcius III. Lucensis, Hetruscus, Ubaldus Allucingolus Bonagiuntæ Mordi filius, ex Canonico Lucensi, Presbiter Cardinalis tit. S. Praxedis ab Innocentio II. & Episcopus Ostiensis, & Velitrnus ab Hadriano IV. factus, creatus Romæ quarto Kal. Septembris, & coronatus 3. Kal. anno 1181. sedit annos 4. menses 2. dies 28. Creavit Cardinales 15. Obiit Veronæ 7. Kal. Decembris 1185. Corpus ejus in Cathedrali Ecclesia sepultum. Non vacavit sedes. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 47.)

I.

Templariis Privilegia ab Alexandro concessa confirmat.

Ex Archiv. Angl. Rymer. Tom. I. pag. 54.

LUCIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Arnaldo Magistro religiosæ militiæ Templi, quod Jerosolimis situm est, ejusque fratribus tàm præsentibus quàm futuris in perpetuum.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Proindè, dilecti in Domino filii de vobis & pro vobis omnipotentem Dominum collaudamus, quoniam in universo mundo vestra religio & veneranda institutio nuntiatur.

Cum enim natura essetis filii iræ & sæculi voluptatibus dediti, nunc per aspirantem gratiam Evangelii non surdi auditores effecti, relictis Pompis sæcularibus, & rebus propriis, dimissa etiam spatiosa via, quæ ducit ad mortem, ardum iter, quod ducit ad vitam, humiliter elegistis, atque ad comprobandum quod in Dei militia specialiter computemini, signum vivificè crucis in vestro pectore assiduè circum fertis.

Accedit ad hoc quod tanquam veri Israëlitæ, atque instructissimi divini prælii bellatores, verè charitatis flamma succensi dictum Evangelicum operibus adimpletis, quo dicitur, majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde cum summi Pastoris vocem juxta, animas vestras pro fratribus ponere, eosque ab incursibus Paganorum defensare minimè formidetis, & cum nomine censeamini milites constituti estis à Domino Catholicæ Ecclesiæ defensores, & inimicorum Christi impugnatores.

Licet autem vestrum studium & laudanda devotio in tam sacro opere toto corde, & totâ mente desuder nichilominus tamen universitatem vestram exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem auctoritate Dei, & Beati Petri Apostolorum Principis, tàm vobis quàm servitoribus vestris injungimus, ut pro tuenda Catholica Ecclesia & ea, quæ est sub Paganorum tirannidè, de ipsorum spurcitia eruenda, expugnando inimicos crucis invocato Christi nomine intrepidè laboretis.

ANNO 1181.

Ea etiam, quæ de ipsorum spoliis ceperitis, fidenter in usus vestros convertatis, & ne de his, contra velle vestrum, portionem alicui dare cogamini prohibemus.

Statuentes ut domus seu Templum, in quo estis ad Dei laudem & gloriam atque defensionem suorum fidelium, & liberandam Dei Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus & bonis suis, quæ in præsentiarum legitimè habere cognoscitur, aut in futurum concessione Pontificum liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, perpetuis futuris temporibus sub Apostolicæ sedis tutela & protectione consistat.

Præsenti quoque Decreto sanccimus, ut vita religiosa quæ in vestra domo est divina inspirante gratia, instituta ibidem inviolabiliter observetur, & fratres, inibi omnipotenti Domino servientes, castè & sine proprio vivant, & professionem suam dictis & moribus comprobantes, magistro suo, aut quibus ipse præcepit in omnibus, & per omnia subjecti & obedientes existant. Prætereà quemadmodum domus ipsa hujus sacræ vestræ institutionis & ordinis, fons & origo esse promeruit; ita nichilominus omnium locorum ad eam pertinentium caput & magistra in perpetuum habeatur.

Ad hæc adicientes præcipimus, ut obeunte te, dilecte in Domino fili Arnalde, vel tuorum quolibet successorum, nullus ejusdem domus fratribus præponatur, nisi militaris & religiosa persona, quæ vestræ conversationis habitum sit professa; nec ab aliis, nisi ab omnibus fratribus insimul, vel à saniori, ac puriori eorum parte, qui præponendus fuerit, eligatur.

Porrò consuetudines ad vestræ religionis & officii observantiam à magistro & fratribus communiter, institutas nulli Ecclesiasticæ secularisve personæ infringere vel minuere sit licitum. Easdem quoque consuetudines à vobis aliquanto tempore observatas, & scripto firmatas, non nisi ab eo qui magister est consentiente tamen saniori parte capituli, liceat immutari.

Prohibemus autem & omnimodis interdicimus ut fidelitates hominia, sive juramenta, vel reliquas securitates, quæ à secularibus frequentantur, nulla Ecclesiastica secularisve persona à magistro, & fratribus ejusdem domûs exigere audeat.

Illud autem scitote quum sicut vestra sacra institutio & religionis militia divina est providentia stabilita, ita nichilominus, nullius vitæ religiosoris optentu, ad locum alium vos convenit transvolare. Deus enim qui est incommutabilis & æternus mutabilia corda non approbat, sed potiùs sacrum propositum semel inceptum, perduci vult usque in finem debitæ actionis. Quot & quanti sub militari cingulo & clamide terreni Imperii Domino placuerunt sibique memoriale perpetuam reliquerunt? Quot & quanti in armis bellicis constituti pro Testamento Dei & paternarum legum defensione suis temporibus fortiter dimicarunt, atque manus suas in sanguinem infidelium Domino consecrantes post bellicos sudores eternæ vitæ bravium sunt adepti? Videte itaque vocationem vestram fratres tàm milites quàm servientes, atque juxta Apostolum unusquisque vestrum in qua vocatione vocatus est in ea permaneat. Ideòque fratres vestros semel devotos, atque in sacro Collegio vestro receptos, post factam in vestra militia professionem & habitum religionis assumptum revertendi ad sæculum nullam habere præcipimus facultatem. Nec alicui eorum fas sit, post factam professionem semel assumptam crucem Dominicam, & habitum vestræ professionis abjicere, vel ad alium locum, seu etiam monasterium, majoris, sive minoris religionis optentu invitis, sive inconsultis fratribus, aut eo qui magister extiterit liceat transmigrare. Nullique Ecclesiasticæ secularive personæ ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat.

ANNO 1181.

Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Cæterum decimas, quas Consilio & consensu Episcoporum, de manu Clericorum vel Laicorum habere poteritis: illas etiam quas consentientibus Episcopis & eorum Clericis acquiretis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus.

Ut autem ad plenitudinem salutis & curam animarum vestrarum nichil vobis desit, & Ecclesiastica sacramenta & divina officia vestro sacro Collegio exhibeantur commodiùs, simili modo sanccimus, ut liceat vobis honestos Clericos, & Sacerdotes, secundum Deum, quantum ad vestram scientiam, ordinatos, undecumque ad vos venientes suscipere, & tàm in principali domo vestra, quàm etiam in obedientiis, & locis sibi subditis vobiscum habere, dummodò, si è vicino sunt eos à propriis Episcopis expetatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini teneantur obnoxii. Quod si Episcopi eosdem vobis concedere forte noluerint, nichilominus tamen eos suscipiendi & retinendi auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ licentiam habeatis.

Si verò aliqui horum, post factam professionem, turbatores religionis vestræ, aut domus, vel etiam inutiles apparuerint, liceat vobis eos cum saniori parte capituli amovere, eisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere voluerint, licentiam dare, & loco ipsorum alios idoneos substituere, qui etiam unius anni spatio in vestra Societate probentur. Quo pacto, si mores eorum hoc exigerint & ad vestrum servitium utiles inventi fuerint, tunc demùm professionem faciant regulariter vivendi, & magistro suo obediendi; ita tamen ut eundem victum, & vestitum vobiscum habeant, nec non lectisternia, excepto eo quòd clausa vestimenta portabunt. Set nec ipsis liceat de capitulo, vel cura domus vestræ se temerè intromittere, nisi quantum à vobis eis fuerit injunctum. Curam quoque animarum tantùm habeant, quantùm à vobis fuerint requisiti.

Præterea nulli personæ extra vestrum capitulum, sint subjecti, tibique dilecte in Domino fili Arnalde, tuisque successoribus, tanquam magistro & Prælato suo, secundum statuta ordinis vestri obedientiam deferant. Consecrationes vero altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta à Diœcesanis suscipiatis Episcopis, siquidem Catholici fuerint, & gratiam atque Communionem Apostolicæ sedis habuerint, & ea gratis & absque pravitate aliqua vobis voluerint exhibere, alioquin liceat vobis Catholicos, quoscumque malueritis, adire antistites, qui, nimirùm nostra fultus auctoritate, quæ postulantur indulgeant.

Clericos autem pro pecunia prædicare aut lucro, vosque pro ejusmodi causa eos ad prædicandum mittere prohibemus, nisi forte magister Templi, qui pro tempore fuerit, certis ex causis id faciendum esse decreverit.

Si quando verò loca deserta fuerint eidem venerabili domui ab aliquo pia devotione collata, liceat vobis ibidem Villas ædificare, Ecclesias & Cimiteria ad opus hominum ibidem

ma-

ANNO 1181.

manentium fabricare : ita tamen ut in vicinia illa Abbatia vel Religiosorum virorum Collegium non existat ; quæ ob hoc valeat perturbari.

Cum autem terræ cultæ vobis quolibet justo titulo conferuntur, facultatem & licentiam habeatis ibidem oratoria construendi Cimiteria faciendi, ad opus transeuntium, & eorum tantummodo qui de vestra fuerint mensa. Indecens enim est, & animarum periculo proximum, Religiosos fratres, occasione adeundæ Ecclesiæ, se virorum turbis & mulierum frequentiæ immiscere.

Quicunque sanè in vestro Collegio susciпientur, stabilitatem loci conversionem morum, seque militaturos Domino diebus vitæ suæ sub obedientia magistri Templi, posito scripto super Altare, in quo contineantur ista promittent.

Decernimus ergo ut receptores fraternitatum vestrarum sive collectarum, salvo jure Dominorum suorum, in Beati Petri & nostra protectione consistant, & per terras, in quibus fuerint pacem habeant.

Simili modo sanccimus ut quicumque in vestra fraternitate fuerit receptus, si forte Ecclesia, ad quam pertinet, à divinis officiis erit prohibita eumque mori contigerit, eidem sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus vel nominatim fuerit interdictus.

Præterea si quis fratrum vestrorum, qui ad recipiendas easdem fraternitates vel collectas à vobis fuerint missi, in quamlibet Civitatem, Castellum, vel Vicum advenerint si forte locus ipse à divinis officiis sit interdictus, pro omnipotentis Dei reverentia, & eorum jocundo adventu semel in anno aperiantur Ecclesiæ, & exclusis excommunicatis, divina ibi officia celebrentur.

Statuimus etiam ut nulli Episcopo in Ecclesiis, vobis utroque jure subditis, interdicti vel excommunicationis sententiam liceat promulgare. Verumtamen, si generale interdictum fuerit in locis illis prolatum exclusis excommunicatis & nominatim interdictis, clausis januis, absque signorum pulsatione, planè divina officia celebretis.

Decernimus insuper auctoritate Apostolica ut apud quemcumque locum vos venire contigerit, ab honestis atque Catholicis Sacerdotibus pœnitentiam, unctionem, seu alia quælibet sacramenta Ecclesiastica suscipere liceat, ne forte ad perceptionem spiritualium bonorum vobis quippiam deesse valeat.

Quia vero omnes in Christo unus sumus, & non est personarum differentia apud Dominum, tàm remissionis peccatorum, quàm alterius benificientiæ, atque Apostolicæ benedictionis quæ vobis indulta est, etiam familiam & servientes vestros volumus esse participes.

Nulli ergo omnino hominum liceat prædictum locum temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, vestris atque aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura. Salva in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate.

Si quis igitur hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus benedictionem & gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen.

ANNO 1181.

11.

De quibusdam abusibus in Diœcesi Pictavensi corrigendis.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo Pictavensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Anecd. Martene. Tom. I. pag. 620.

CUm sit in Lateranensi concilio constitutum ad immoderatam quorumdam avaritiam coërcendam, & tollendam materiam jurgiorum, ne beneficia Ecclesiastica, donec vacaverint, promittantur : grave nobis est & molestum, quòd in diœcesi tua Abbates & priores instituta salubria furdâ aure transire, & hujusmodi promissiones illicitas facere perhibentur. Unde ne hæc enormitas quæ salubri fuerat constitutione præcisa, vires ex dissimulatione resumens pernicioſa licentia denuo inolescat ; fraternitati tuæ præsentibus litteris indulgemus, ut hujusmodi promissionibus irritatis, si occasione dissentionum quæ exinde frequenter emergunt, culpa illorum qui præsentationem habere noscuntur, ultra sex menses Ecclesias vacare contingerit, liceat tibi de auctoritate Apostolicæ sedis, omni contradictione, vel appellatione cessante, de personis idoneis sine præjudicio tamen eorumdem imposterùm ordinare. Nolumus autem ut ex hoc majoribus Ecclesiis vel debita reverentia minuatur. Ut etiam injunctum tibi officium tantò liberiùs exequaris, quantò apostolicum tibi videris adesse præsidium, sollicitudini tuæ præsenti auctoritate concedimus, ut Abbatissas & alias mulieres, quæ in Episcopatu tuo domibus religiosis præesse noscuntur, per quarum insufficientiam & negligentiam Deo devotæ fœminæ observantiam Religionis exorbitant, cum consilio dilectorum filiorum nostrorum sancti Cypriani & de Pinu Abbatum corrigere valeas ; & si inventæ fuerint contumaces, absque appellationis diffugio disciplina Ecclesiastica coercere : ut quæ remediorum fomenta non sentiunt, putrida ferro vulnera resecentur : salvis Ecclesiis quæ nullo mediante Romano Pontifici sunt subjectæ. Ad hæc autem præposituram Ecclesiæ tuæ cum vacaret, idoneæ assignandi personæ cum assensu majoris & sanioris partis capituli liberam tibi tribuimus facultatem. Quod si super ea, vel super alio Ecclesiæ tuæ beneficio cuilibet conferendo tuæ devotioni scripsimus, arctari te nolumus mandatum apostolicum adimplere, sed nisi honesta persona & beneficio digna extiterit pro qua litteras Apostolicas contigerit emanare. Hoc autem propter futuram Ecclesiæ tuæ quæ vacaret proponitur . . . idonei assignandi tuis nobis litteris intimetur, ne fortè per ignorantiam veritatis denuò tibi scribere compellamur. Cùm verò de jure & consuetudine ad Episcopum Pictavensem qui pro tempore fuerit pertinere dicitur in conventualibus Ecclesiis Clericorum in diœcesi Pictavensi, & nihilominus in Ecclesia Dauracensi unum canonicum facere præsenti paginâ prohibemus, ne quis, appellationis pretextu, quod tibi competit in hac parte debeat impedire. Sanè cùm quidam viri religiosi qui ad unum prioratum regendum vix sufficiunt, plerumque duos ambitione damnabili appetant, & detinere præsumant ; discretioni tuæ præcipimus, ut hanc præsumptionem compescas, & tàm Abbates, quàm Archipresbyteros, decanos per tuam diœcesim constitutos

ANNO 1181.

ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remotâ, compellas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Veronæ III. Idus Martii.

III. Ex opt. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1189.

Donationes Godefridi I. Henrici I. & Godefridi II. Brabantiæ Ducum, in favorem equitum Templariorum confirmat.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: dilectis filiis magistro & fratribus domus militiæ Templi salutem & Apostolicam benedictionem.

JUSTIS petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu piam concessionem bonæ memoriæ Godefridi, quondam Ducis Lotharingiæ vobis & domui vestræ rationabiliter factam, ratam esse decernimus, eamque, ut indissolubilem obtineat firmitatem, præsentibus litteris duximus inserendam.

Statuit namque divinitus inspiratus, ut quindecim mansos & Maresium & prata usque ad flumen Lane, in loco ubi sylva fuit, & vadit secùs terram Monachorum Sanctæ Mariæ & terram viri nobilis Gosowini, ex dono suo, propria consentiente uxore sua, habeatis in posterùm & ad utilitatem domus vestræ utiliter teneatis.

Præterea nepos ejus Godefridus Dux Lotharingiæ, cum propriæ uxoris assensu donum à prædicto Godefrido Avo suo factum recognovit & ratum habuit, & ad exemplar ipsius relevamentum hominum suorum, tàm in Ducatu de Brabantia, quàm in Comitatu de Arescot: & in tota terra, & in Ducatu suo, sicut ex Autentico scripto ejus agnovimus, vos habere concessit.

Adjiciens, ut quicumque de fratribus vestris in Curia ejus pro reditu illo colligendo morabitur, pro se & duobus scuteriis & tribus equitaturis fœnum & avænam habebat, & candelas, & ferraturas equorum de Curia ipsa percipiat.

Quæ utique omnia, sicut piæ & rationabiliter data sunt & concessa, rata esse decernimus, & eavo bis & domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere & ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Arimini x. Kal. Julii.

ANNO 1184.

IV. Ex spicil. Dacher. Tom. III. pag. .....

Canonicis Carnotensibus prohibet pluralitatem beneficiorum & residentiam præscribit.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Episcopo, & dilectis filiis G. Decano & capitulo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM ab eo cui plus committitur, ampliùs exigatur, dignum est & consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra præ aliis honorantur studiosius illi deserviant, & utilitati ipsius intendant.

Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus Apostolica statuendum, ut honores Carnotensis Ecclesiæ aliis de cætero minimè concedantur, nisi qui secundum antiquam & rationabilem consuetudinem residentiam se promisserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur honoribus alieni.

Ad hæc auctoritate Apostolica inhibemus, ne quis in alia Ecclesia beneficium habens, in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut Plebanum Presbyterum admittatur, nisi Priori cesserit beneficio, & ab proprio fuerit Episcopo absolutus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Velletr. XVI. Calendas Februarii.

V. Ex Archivis Reipublicæ Genevensis exprompta collataque cum originali.

Confirmatio Sententiæ contra Comitem Gebennensem.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Viennensi Archiepiscopo & Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUOCIENS in malefactores Ecclesiarum Ecclesiastice districtionis, Sententia pro eorum excessibus canonice promulgatur, tamdiu in sua debet firmitate consistere, donec malefactores ipsi cogantur cum satisfactione condigna, quæ perperam gesserant emendare. Hinc est quod Sententiam quam in Comitem Gebennensem & terram ejus pro dampnis & injuriis Gebennensis Ecclesiæ canonice promulgatis auctoritate Apostolica confirmamus, & usque ad satisfactionem debitam præcipimus inviolabiliter observari. Dat. Velletr. Kal. Julii.

ANNO 1185.

URBANUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXIV.

ANNO DOMINI MCLXXXV.

URbanus III. Mediolanensis, Lambertus Cribellus anteà vocatus, Joannis Cribelli filius, Ecclesiæ Mediolanensis Archidiaconus, mox Presbyter Cardinalis ab Alexandro III. factus, creatus Veronæ 7. Kal. Decembris, & coronatus 8. Kalend. Jan. 1185. Sedit annum 1. menses 10.

dies

ANNO 1185.

dies 25. Creavit Cardinales duos. Obiit Ferrariæ 14. Kalend. Novembris, anno 1187. cujus corpus in Cathedrali Ecclesia Ferrarienſi ſepultum eſt. Vacavit ſedes diem unum. (*Magni Bullarii Romani. Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 47.)

I. Ex Archiv. Reipublicæ Genevenſis exprompta collataque cum originali.

Bulla Papæ Urbani III. quæ confirmat Sententiam latam per Robertum Archiepiſcopum Viennenſem & Hugonem Abbatem Bonævallis ſuper Controverſiis exiſtentibus inter Arducium Epiſcopum & Willelmum Comitem.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Nantellino Gebennenſi Epiſcopo Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX tenore autentici Scripti nobis innotuit, quod cum diſcordia que ſuper bannis & juſticiis Eccleſiæ tuæ & hominibus adventiciis vel aliis ad Civitatem pertinentibus inter bonæ memoriæ Arducium Anteceſſorem tuum & Willelmum Comitem Gebennenſem emerſerat, Venerabilis Frater noſter Robertus Archiepiſcopus Viennenſis & dilectus filius Hugo Abbas Bone Vallis ſuſcepiſſent de aſſenſu partium terminandam. Comes jurejurando & in verbo veritatis Epiſcopus promiſerunt eorum arbitrium inviolabiliter obſervare. Multi etiam obſides de recipiendo & ſervando arbitrio juraverunt. Veritate itaque diligentiùs inquiſita decreverunt ut recordationes olim factè per homines Eccleſiæ atque Comitis, & eorundem juramento firmate perpetuo inviolabiliter obſerventur.

Unde quoniam, ut majorem habeat firmitatem arbitrium ipſum, ſcripto noſtro poſtulas roborari, tuis juſtis poſtulationibus annuentes, illud ſicut in ſcripto autentico continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ejus vero talis eſt tenor. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Ego Robertus, &c.*

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Veronæ 11. Id. Decembr.

II.

Approbatio ordinem Fratrum Cruciferorum, Hoſpitalis Bononienſis.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ben. magiſtro & Fratribus cruciferis Hoſpitalis domus Bononienſi, tàm præſentibus quàm futuris communem vitam ducentibus in perpetuum.

Ex Labbe Tom. X. Conc. Col. 1745.

CUM Anteceſſor tuus, fili Prior, à prædeceſſore noſtro Fel. mem. Alexandro Papa lapidem primarium ad Eccleſiam conſtruendam acceperit, in territorio Bononienſi, ubi domus veſtra, nunc conſtructa dignoſcitur: nos veſtris poſtulationibus inducti, eandem Eccleſiam in quâ divino eſtis & pauperum obſequio mancipati, in jus & proprietatem Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem Eccleſia veſtra cum Hoſpitali in præſentiarum, juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum; largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

ANNO 1187.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum Hoſpitale & Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, &c.

Sanè novalium veſtrorum, quæ propriis manibus, vel ſumptibus colitis, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat.

Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas, è ſæculo fugientes ad converſionem & pauperum Chriſti ſervitium recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere.

Inhibemus autem ne aliqua Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, in domum veſtram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum veſtrorum de ipſa domo audeat ejicere violenter.

Clerici etiam, qui ad domos veſtras ordinati fuerint, & aſſumpti, nulli alii quam tibi fili Prior, præſtare obedientiam compellantur.

Prohibemus inſuper ne cui liceat vos, aut domos veſtras, interdicto, vel excommunicationi, ſine manifeſta & rationabili cauſa, & legitima citatione ſubjicere.

Præſenti pagina decernentes, ut nullus Eccleſiarum Prælatus à domibus veſtris quicquam exigere, præter libram ceræ, audeat, vel etiam extorquere. Salvis cenſibus illis, qui nunc in quibuſdam domibus veſtris conſtituti ſunt de conſenſu Epiſcoporum annuatim percipiendi.

Nihilominùs etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus veſtris, ubi tot Fratres aſſiduè commorantur, quibus ſit Eccleſia neceſſaria, liceat vobis oratoria erigere, & Cæmeteria fabricare.

Quorum ſepulturam liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepiliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Chriſma quoque Oleum Sanctum, dedicationes Eccleſiarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros fuerint ordinationes promovendi, & cætera Eccleſiaſtica ſacramenta, à quocumque malueritis Catholico recipiatis Epiſcopo, qui noſtra fultus authoritate, quod poſtulatur impendat.

Ad indicium autem quod eâdem domus veſtra ſpecialiter Beati Petri exiſtat, duodecim imperiales nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvatis.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam & Hoſpitale temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit. Secundò, tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis

ANNO 1181.

ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remotâ, compellas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Veronæ III. Idus Martii.

III. Ex opt. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1189.

Donationes Godefridi I. Henrici I. & Godefridi II. Brabantiæ Ducum, in favorem equitum Templariorum confirmat.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: dilectis filiis magistro & fratribus domus militiæ Templi salutem & Apostolicam benedictionem.

JUSTIS petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu piam concessionem bonæ memoriæ Godefridi, quondam Ducis Lotharingiæ vobis & domui vestræ rationabiliter factam, ratam esse decernimus, eamque, ut indissolubilem obtineat firmitatem, præsentibus litteris duximus inserendam.

Statuit namque divinitus inspiratus, ut quindecim mansos & Maresium & prata usque ad flumen Lane, in loco ubi sylva fuit, & vadit secùs terram Monachorum Sanctæ Mariæ & terram viri nobilis Gosowini, ex dono suo, propria consentiente uxore sua, habeatis in posterùm & ad utilitatem domus vestræ utiliter teneatis.

Præterea nepos ejus Godefridus Dux Lotharingiæ, cum propriæ uxoris assensu donum à prædicto Godefrido Avo suo factum recognovit & ratum habuit, & ad exemplar ipsius relevamentum hominum suorum, tàm in Ducatu de Brabantia, quàm in Comitatu de Arescot: & in tota terra, & in Ducatu suo, sicut ex Autentico scripto ejus agnovimus, vos habere concessit.

Adjiciens, ut quicumque de fratribus vestris in Curia ejus pro reditu illo colligendo morabitur, pro se & duobus scuteriis & tribus equitaturis fœnum & avænam habebat, & candelas, & ferraturas equorum de Curia ipsa percipiat.

Quæ utique omnia, sicut piæ & rationabiliter data sunt & concessa, rata esse decernimus, & eavo bis & domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere & ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Arimini x. Kal. Julii.

ANNO 1184.

IV. Ex spicil. Dacher. Tom. III. pag. .....

Canonicis Carnotensibus prohibet pluralitatem beneficiorum & residentiam præscribit.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Episcopo, & dilectis filiis G. Decano & capitulo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM ab eo cui plus committitur, ampliùs exigatur, dignum est & consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra præ aliis honorantur studiosius illi deserviant, & utilitati ipsius intendant.

Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus Apostolica statuendum, ut honores Carnotensis Ecclesiæ aliis de cætero minimè concedantur, nisi qui secundum antiquam & rationabilem consuetudinem residentiam se promisserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur honoribus alieni.

Ad hæc auctoritate Apostolica inhibemus, ne quis in alia Ecclesia beneficium habens, in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut Plebanum Presbyterum admittatur, nisi Priori cesserit beneficio, & ab proprio fuerit Episcopo absolutus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Velletr. XVI. Calendas Februarii.

V. Ex Archivis Reipublicæ Genevensis exprompta collataque cum originali.

Confirmatio Sententiæ contra Comitem Gebennensem.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Viennensi Archiepiscopo & Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUOCIENS in malefactores Ecclesiarum Ecclesiastice districtionis, Sententia pro eorum excessibus canonice promulgatur, tamdiu in sua debet firmitate consistere, donec malefactores ipsi cogantur cum satisfactione condigna, quæ perperam gesserant emendare. Hinc est quod Sententiam quam in Comitem Gebennensem & terram ejus pro dampnis & injuriis Gebennensis Ecclesiæ canonice promulgatis auctoritate Apostolica confirmamus, & usque ad satisfactionem debitam præcipimus inviolabiliter observari. Dat. Velletr. Kal. Julii.

ANNO 1185.

URBANUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXIV.

ANNO DOMINI MCLXXXV.

URbanus III. Mediolanensis, Lambertus Cribellus anteà vocatus, Joannis Cribelli filius, Ecclesiæ Mediolanensis Archidiaconus, mox Presbyter Cardinalis ab Alexandro III. factus, creatus Veronæ 7. Kal. Decembris, & coronatus 8. Kalend. Jan. 1185. Sedit annum 1. menses 10.

dies

ANNO 1185.

dies 25. Creavit Cardinales duos. Obiit Ferrariæ 14. Kalend. Novembris, anno 1187. cujus corpus in Cathedrali Ecclesia Ferrarienſi ſepultum eſt. Vacavit ſedes diem unum. (*Magni Bullarii Romani. Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 47.)

I. Ex Archiv. Reipublicæ Genevenſis exprompta collataque cum originali.

Bulla Papæ Urbani III. quæ confirmat Sententiam latam per Robertum Archiepiſcopum Viennenſem & Hugonem Abbatem Bonævallis ſuper Controverſiis exiſtentibus inter Arducium Epiſcopum & Willelmum Comitem.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Nantellino Gebennenſi Epiſcopo Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX tenore autentici Scripti nobis innotuit, quod cum diſcordia que ſuper bannis & juſticiis Eccleſiæ tuæ & hominibus adventiciis vel aliis ad Civitatem pertinentibus inter bonæ memoriæ Arducium Anteceſſorem tuum & Willelmum Comitem Gebennenſem emerſerat, Venerabilis Frater noſter Robertus Archiepiſcopus Viennenſis & dilectus filius Hugo Abbas Bone Vallis ſuſcepiſſent de aſſenſu partium terminandam. Comes jurejurando & in verbo veritatis Epiſcopus promiſerunt eorum arbitrium inviolabiliter obſervare. Multi etiam obſides de recipiendo & ſervando arbitrio juraverunt. Veritate itaque diligentiùs inquiſita decreverunt ut recordationes olim factè per homines Eccleſiæ atque Comitis, & eorundem juramento firmate perpetuo inviolabiliter obſerventur.

Unde quoniam, ut majorem habeat firmitatem arbitrium ipſum, ſcripto noſtro poſtulas roborari, tuis juſtis poſtulationibus annuentes, illud ſicut in ſcripto autentico continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ejus vero talis eſt tenor. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Ego Robertus, &c.*

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Veronæ 11. Id. Decembr.

II.

Approbatio ordinem Fratrum Cruciferorum, Hoſpitalis Bononienſis.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ben. magiſtro & Fratribus cruciferis Hoſpitalis domus Bononienſi, tàm præſentibus quàm futuris communem vitam ducentibus in perpetuum.

Ex Labbe Tom. X. Conc. Col. 1745.

CUM Anteceſſor tuus, fili Prior, à prædeceſſore noſtro Fel. mem. Alexandro Papa lapidem primarium ad Eccleſiam conſtruendam acceperit, in territorio Bononienſi, ubi domus veſtra, nunc conſtructa dignoſcitur: nos veſtris poſtulationibus inducti, eandem Eccleſiam in quâ divino eſtis & pauperum obſequio mancipati, in jus & proprietatem Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus.

Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem Eccleſia veſtra cum Hoſpitali in præſentiarum, juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum; largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

ANNO 1187.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum Hoſpitale & Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, &c.

Sanè novalium veſtrorum, quæ propriis manibus, vel ſumptibus colitis, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat.

Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas, è ſæculo fugientes ad converſionem & pauperum Chriſti ſervitium recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere.

Inhibemus autem ne aliqua Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, in domum veſtram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum veſtrorum de ipſa domo audeat ejicere violenter.

Clerici etiam, qui ad domos veſtras ordinati fuerint, & aſſumpti, nulli alii quam tibi fili Prior, præſtare obedientiam compellantur.

Prohibemus inſuper ne cui liceat vos, aut domos veſtras, interdicto, vel excommunicationi, ſine manifeſta & rationabili cauſa, & legitima citatione ſubjicere.

Præſenti pagina decernentes, ut nullus Eccleſiarum Prælatus à domibus veſtris quicquam exigere, præter libram ceræ, audeat, vel etiam extorquere. Salvis cenſibus illis, qui nunc in quibuſdam domibus veſtris conſtituti ſunt de conſenſu Epiſcoporum annuatim percipiendi.

Nihilominùs etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus veſtris, ubi tot Fratres aſſiduè commorantur, quibus ſit Eccleſia neceſſaria, liceat vobis oratoria erigere, & Cæmeteria fabricare.

Quorum ſepulturam liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepiliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Chriſma quoque Oleum Sanctum, dedicationes Eccleſiarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros fuerint ordinationes promovendi, & cætera Eccleſiaſtica ſacramenta, à quocumque malueritis Catholico recipiatis Epiſcopo, qui noſtra fultus authoritate, quod poſtulatur impendat.

Ad indicium autem quod eâdem domus veſtra ſpecialiter Beati Petri exiſtat, duodecim imperiales nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvatis.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam & Hoſpitale temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit. Secundò, tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis

ANNO 1187.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis inveniant Amen.

Ad te Domine levavi animam meam.

✝ Ego URBANUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Henricus Albanensis Episcopus.
† Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
† Ego Theobaldus Hostiensis, & Velletrensis Episcopus.
† Ego Petrus Presbit. Card. tit. S. Susannæ.
† Ego Laborans Presbit. Card. S. Mariæ Transtiberim tit. S Callisti.
† Ego Pandulphus Prebist. Card. tit. XII. Apostolorum.
† Ego Melior Presbit. Card. SS. Joannis & Pauli, tit. Pammachii.
† Ego Adælardus tit. S. Marcelli, Presbit. Card.
† Ego Jac. Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
† Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
† Ego Roland. S. Mariæ in Porticu, Diac. Card.
† Ego Petrus S. Nicolai in carcere Tullian. Diac. Card.
† Ego Rad. S. Georgii ad velum aureum, Diac. Card.

Datum Veronæ, per manum Moysi Lateranensis Canonici, viceagentis Cancellariæ VII. Kal. Aprilis Indict. V. Incarnationis Dominicæ, anno MCLXXXVII. Pontificatus vero D. Urbani Papæ III. anno 2.

Ne Domus Claustrales Laïcis dentur aut locentur.

III. URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri R. Episcopo, & dilectis filiis Decano, & capitulo Carnotensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Dacher. T. III. Spic. pag. 550.

AUDIVIMUS & audientes nequivimus non mirari, quod Laici quidam in Claustro vestro domos jure hæreditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas Clericorum quies in honesto strepitu sæpè turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis præpeditur. Joculatoribus quidem aleatoribus, cauponibus & mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur.

Volentes igitur communi Ecclesiæ honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus, ne domos Canonicales ulterius Laicis, per quos honestati Ecclesiasticæ derogetur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constituimus etiam de domibus, quas Laïci in Claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honestâ familiâ, exclusis mulieribus turpibus inhabitare noluerint, ut non nisi Clericis, vel personis regularem vitam professis gratis, vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Ven. XII. Kal. Martii.

ANNO 1187.

GREGORIUS VIII.
PONTIFEX CLXXV.
ANNO DOMINI MCLXXXVII.

GRegorius Beneventanus, priùs vocatus Albertus omnium suffragio electus est anno 1187. tempore Friderici Imperatoris. Post dies quinquaginta septem Pontificatus sui obiit. (*Magni Bullarii Rom. Tom. I. hujus Edition. Luxemb.* 1727. *fol.* 48.)

Pro justitiâ faciendâ & litibus componendis.

I. Labb. T. X. Concil. Col. 1752.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, omnibus Prælatis Ecclesiarum ad quos litteræ iste pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUONIAM ad Episcoporum maximè spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit: prospicere tenemur & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem Ecclesiæ laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & allevare labores, de consueta sedis Apostolicæ misericordia duximus statuendum, ut litteræ prædecessoris nostri Domini Urbani à tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro fas cienda justitia & litigiis dirimendis, quæ tamen manifestum alicujus præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eumdem habeant tempore nostræ administrationis effectum quem habere, si adhuc viveret debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum; ut nemo ad nos pro excusatione hujusmodi, accepta per illum justitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ sexto Kalendas Novembris.

CLEMENS III.
PONTIFEX CLXXVI.
ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

ANNO 1188.

CLemens Romanus priùs Paulinus anno 1188. Gregorio successit. Bellum contra Saracenos decrevit, cùm Philippo Galliæ Rege hinc tributa, seu decimas Saladinas quas vocant exigens. Siciliæ turbas post Guillelmi Regis obitum sedare conatus est. Obiit anno 1191. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 49.)

Privilegium concessum Scotorum Ecclesiæ & Regi quod à nullo possint excommunicari nisi à Papa, vel ab ejus Legato à latere anno 1188.

I. Baron. Tom. XII. pag. 809.

ANNO 1188.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Willelmo illustri Scotorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM universi Christi jugo subjecti, ad sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant & favorem: illos tamen specialius convenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem, ac devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius electionis favorem tantò amplius provocetur, & ejus reverentiæ devotiori affectione subdantur, quantò benevolentiæ ipsius & gratiæ pignus se noverint certiùs assecutos.

Ea propter charissime in Christo fili reverentiam, ac devotionem, quam ad Romanam te habuisse a longis retrò temporibus Ecclesiam novimus, attendentes præsentis scripti pagina duximus statuendum, ut Scoticana Ecclesia Apostolicæ sedi, cujus filia specialis existit, nullo, mediante debeat subjacere. In qua hæ sedes Episcopales esse noscuntur: Ecclesiæ videlicet Sancti Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinensis, Aberdonensis, Moraviensis, Resensensis, Katinensis, & nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius latere destinato in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit decernimus non valere. Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.

Prohibemus autem, ut controversiæ, quæ fuerint in Regno illo de possessionibus ejus exortæ ad examen extra Regnum positorum judicium non trahantur, nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra hujus libertatis statuta apparuerint impetrata, vel imposterùm istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari nullum tibi, vel ipsi Regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Præterea libertates, & immunitates tibi, vel eidem Regno vel Ecclesiis in eo constitutis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus observatas, ratas habemus & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Idus Martii Pontificatus nostri, Anno primo.

Quod Monachi & Canonici Regulares per oppida soli non morentur.

II. Ex Anecd. Martene Tom. I. pag. 631.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Henrico Bituricensi Archiepiscopo Aquitaniæ Primati, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM in Lateranensi concilio fuerit generaliter interdictum, ne Monachi aut etiam Canonici Regulares singuli in oppidis, vel aliis locis popularibus habitent: sunt nonnulli qui capellanorum vices agentes in parochialibus Ecclesiis soli morantur, & suæ professionis immemores conversari sæculariter non formidant. Nos itaque providere volentes, ne quod provida fuit in concilio deliberatione statutum, pro privato aliquorum commodo irritetur, præsenti fraternitati tuæ scripto concedimus; ut Abbates eorum de illis reducendis ad claustrum, aut adimplendo quod in Decreto exprimitur, non differas diligentiùs commonere. Si verò Abbates commonitionem tuam fortasse contempserint, tu quod scribimus auctoritate nostra remoto appellationis obstaculo exequaris. Ad hoc nihilominùs tibi auctoritate Apostolica indulgemus, ut si Monachi vel Canonici in tua diœcesi constituti infra tres menses ad Ecclesias in quibus illis præsentatio competit, & ad te institutio pertinet, non præsentaverint idoneos capellanos, tu non expectata diutiùs præsentatione illorum easdem Ecclesias appellatione remotâ canonicè ordinandi liberam habeas facultatem. Sic tamen ut ex hoc illis in posterum nullum debeat præjudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis v. Idus Julii Pontificatus nostri anno I.

ANNO 1188.

CÆLESTINUS III. PONTIFEX CLXXVII.

ANNO 1191.

ANNO DOMINI MCXCI.

CÆlestinus priùs, Hyacinthus dictus successit Clementi anno 1191. Henricum VI. Germaniæ Regem, una cum uxore ejus constantia Imperiali consecratione Romæ donavit. Richardo Anglo cum illo in Oriente absente magnates, quidam Regni turbas darent auxilio fuit. Imperatorem & Leopoldum Austriæ Ducem censuræ subjecit, prioreque mortuo, Friderico filio ejus Siciliam dedit. Episcopi Belluacensis captivi Loricam videns respondit Richardo: *Non est filius meus, vel Ecclesiæ, potiùs Martis quàm Christi miles:* obiit anno 1198. sedis anno VI. mensibus circiter novem. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 49)

Privilegium Ecclesiæ Scotorum: Anno 1192.

I. Baron. Tom. XII. pag. 852.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Willelmo illustri Scotorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM universi Christi jugo, subjecti apud sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant & favorem; illos tamen specialius convenit promotionis munimine confoveri, quorum fidem & devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius dilectionis favorem tantò amplius provocentur, & ejus reverentiæ devotiori effectione subdantur, quantò benevolentiæ ipsius & gratiæ pignus se noverint certiùs assecutos. Ea propter, charissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem quam ad Romanam te abuisse à longis retrò temporibus Ecclesiam novimus, attendentes, præsentis scripti paginam duximus statuendum, ut Scoticana Eccle-

ANNO 1192.

sia Apostolica sedis, cujus filia specialius existit nullo mediante, debeat subjacere. In qua hæ sedes Episcopales esse noscuntur: Ecclesiæ, videlicet, sancti Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinnensis, Aberdonensis, Moraviensis, Rosænensis, Cathinensis. Et nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius latere destinato in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica sede propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversiæ quæ fuerint in Regno illo de possessionibus ejus exortæ, ad examen extra Regnum positorum judicum non trahantur nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua verò scripta contra hoc libertatis statutum apparuerint impetrata, vel imposterùm, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipsi Regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Prætereà libertates & immunitates, tibi, vel ei Regno, vel Ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus observatas ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Idus Martii Pontificatus nostri: anno primo.

II. Ex Archivis Piscannensis monasterii.

Ne interdicto subjiciantur Ecclesiæ monasterio Piscannensi subjectæ.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, in quorum parochiis Ecclesiæ monasterii Piscannensis existunt, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM Piscannense monasterium specialiter beati Petri juris existat, nec dubium vobis debet existere, nec incertum, quin injuriæ fratrum in eo Domino famulantium specialiter videantur ad Romanam Ecclesiam reddundare: ideòque universitati vestræ auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne Ecclesias prædictorum fratrum diœcesana vobis lege subjectas sine manifesta & rationabili causa ullus vestrum interdicto supponat, & occasione unius Ecclesiæ à qua nonnumquam aliquid forte delinqueretur, aliæ ejusdem diœcesis, sicut à quibusdam vestrum hactenus perpetratum esse accepimus, ulla sententia prægraventur. Ad hæc si aliquis parochianus cujusquam Ecclesiarum vestrarum animadversione fuerit canonica percellendus, nequaquam pro unius culpa tota parochia divinorum celebratione fraudetur, nisi dominus loci fuerit qui peccavit, vel in culpa sua favorem habuerit aliorum. In Monachos autem ejusdem Ecclesiæ nullus contra privilegia sedis Apostolicæ excommunicationis & interdicti sententiam audeat promulgare: sciturі quod si contra hujus prohibitionis tenorem quisquam vestrum venire præsumpserit, factum ejus impunitum nequaquam auctore Deo relinquemus, & quod in fratrum prædictorum gravamen fuerit perpetratum, firmitatem aliquam non habebit. Datum Lateranis Kalendis Aprilis Pontificatus nostri: anno secundo.

ANNO 1197.

III. Archiv. Ang. Rymer. Tom. I. pag. 93.

De non solvendis pensionibus, & non promitendis Ecclesiis antequam vacent.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Monachis sancti Pancratii de Levves, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUÆ in præjudicium Ecclesiarum, præter juris ordinem, perperam attemptantur auctoritate sunt Apostolica corrigenda, & cum nobis immineat, ex injunctè servitutis officio, de singulis Ecclesiis per universum orbem diffusis, paterna sollicitudine cogitare, ipsarum debemus utilitati consulere, & onera sublevare tenemur.

Accepimus siquidem quod ad instantiam quorumdam nobiliam, quibus favorem vestrum non poteratis de facili denegare, primas, secundas, & tertias vacantes Ecclesias quibusdam Clericis promisistis, quibus interim certas solvitis pensiones, ex quarum solutione Ecclesia vestra non modicum aggravatur; ea propter vestris postulationibus favorem Apostolicam impendentes, vos & Ecclesiam vestram, ab hujusmodi promissionibus, Apostolicæ sedis auctoritate, absolvimus, & ad talium pensionum solutionem decernimus non teneri; districtiùs inhibentes ne Ecclesias, antequam vacent, alicui promittere præsumatis, vel de ipsis aliquem investire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis v. Kalendas Maii Pontificatus nostri: Anno sexto.

INNOCENTIUS TERTIUS.

ANNO 1198.

PONTIFEX CLXXVIII.

ANNO DOMINI MCXCVIII.

INnocentius Anagnia oriundus, priùs Lotharius dictus anno 1198. Cœlestinum excepit. Concilium Lateranense anno 1215. Hierosolimæ recuperandæ ergò celebravit, ubi varia fidei dogmata statuit. Sancti Dominicus & Franciscus hac tempestate suos ordines instituere Prædicatorum primus, Minorum alter. Almaricus de erroribus convictus post obitum exhumatus combustus est. Joannem Angliæ Regem quod minùs jure Archiepiscopum creasset Innocentius excommunicavit, qui resipiscens Regna sua Apostolicæ sedi subjiecit. In Oriente tùm Balduinus Græcam Ecclesiam Romanæ junxit. Obiit Pontifex Perusiæ anno 1216. Pontificatum tenuit annos 18. menses 5. dies aliquot. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 52.)

ANNO 1199.

I. Ex Arch. Reipublicæ Genevensis exprompta.

Papæ Innocentii III. Bulla, quâ Episcopo Genevensi potestatem concedit, Censuris Ecclesiasticis ejus Ecclesiæ Clericos cogendi ut sacris ordinibus initientur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Gebennensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUI ad recipienda Ecclesiastica beneficia libenter accedunt, ad suscipiendos ipsis beneficiis annexos ordines, cum pro officiis beneficia conferantur, non debent difficiles inveniri, sed ad exhibenda ipsis Ecclesiis servitia per que beneficia recipere dinoscuntur, se promptos exhibere pariter & paratos.

Ad audientiam siquidem nostram te significante pervenit, quod quidam Clericorum Ecclesiæ tuæ sacros ordines recipere negligunt & recusant; licet pro ordinatorum defectu eadem Ecclesia in divinis officiis non modicum sustineat detrimentum.

Volentes igitur sicut officii nostri sollicitudo exposcit Ecclesiarum utilitatibus imminere, fraternitati tuæ auctoritate duximus præsentium indulgendum, ut Clericos Ecclesiæ tuæ quos ad hoc idoneos esse cognoveris, ad suscipiendos sacros ordines per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellendi liberam habeas facultatem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis, x. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno secundo.

II. Ex Collect. Martene Tom. I. Col. 793.

Ad Episcopos provinciæ Turonensis, ut suos hortentur ad ferendas suppetias Balduino Imperatori Constantinopolitano.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, Turonensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus, salutem & Apostolicam benedictionem.

VIR unus de Ramatha duas sibi copulavit uxores, Annam videlicet & Fenennam; sed quæ priùs fuit prolis gloriâ decorata, quoniam superbivit, ubi altera cœpit fœcunditate sobolis in Domino exultare, meruit infirmari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem quæ sub umbra legis historialiter leguntur accidisse, cùm secundum Apostolum omnia illis contingerent in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiæ revelatæ, ut à Moysi facie sublato velamine, per Evangelicæ doctrinæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aëris eluceſcat, & significatum pro significatis appareat evidenter. Mediator etenim Dei & hominum CHRISTUS JESUS, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet & Latinum, ipsas sibi conjunxit per fidei sacramenta; sed & alter eorum, videlicet Græcus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus & eorum Angelis mentionem facit in Apocalypsi Joannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiæ agitatus, ab unitate discessit, non attendens quòd cum Sponsus præmisisset in Canticis: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; statim subjunxit: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, reginæ & concubinæ laudaverunt eam; nam multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc autem supergressa est universas.* Postquam autem Græcorum populus, rupto vinculo pacis, ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem, renuens confiteri quòd Spiritus sanctus qui est unitatis æqualitatisque connexio, procedat à Filio, sicut à Patre procedit. Quia igitur circa processionem Spiritus Sancti profiteri tenuit veritatem, merito tenebras mentis incurrit, cum ipse Spiritus omnem doceat veritatem, sicut Filius in Evangelio protestatur; spirituali etenim intellectu privatus, quia in Spiritum peccavit, fermentum non ejecit à domo, ubi epulantur in azimis sinceritatis & veritatis; sed veteri fermento retento, CORPUS CHRISTI, quantumin ipso comedit fermentatum. Benedictus autem Deus & Pater Domine nostri JESU CHRISTI, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui volens Ecclesiam suam consolari, ut Effraim convertatur ad Judam, & ad Jerusalem Samaria revertatur; super eumdem populum quasi montem caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac ejus portas sanctificati Domini sunt ingressi. Græcorum imperium à superbis ad humiles, à superstitiosis ad religiosos, à Schismaticis, ad Catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cum enim Christianus exercitus illuc cum Alexio filio Isacii advenisset, & capta urbe Constantinopoli, idem fuisset Alexius coronatus, dictus exercitus ibidem proposuit hyemare: sed quæ novus Imperator pro beneficiis ab eo collatis retribuere studuerit longum esset præsenti paginâ enarrare. Verùm ut multa breviter perstringamus, eorum malitia quasi Amorræorum iniquitate completa, dextera Domini fecit virtutem, & exaltavit exercitum Christianorum, illos dignâ ultione percutiens, atque eorum terram auro & argento gemmisque refertam, frumento, vino & oleo stabilitam, & bonorum omnium copiis affluentem exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, & eorum terrâ pariter subjugata, carissimum in CHRISTO filium B. comitem Flandriæ & Hasnoniæ ad Imperii regimen voluntate Domini & unanimi sublimarunt, ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum: *Subjiciam*, inquit, *ante faciem ejus gentes; & dorsa regum vertam, aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur, ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo ei thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit, ut Apostolicæ sedis devotos Clericos, simul & laïcos, nobiles & ignobiles cujuslibet conditionis & sexus dignaremur exhortationibus invitare, ut ad ipsius accedant imperium, ab eo secundum qualitates & merita personarum gratas divitias accepturi. Attendentes igitur quòd mutatio hujus imperii, dexteræ mutatio sit excelsi; & ab eo factum sit istud, qui tempora mutat, & transfert regna, cùm per illud imperium Terræ sanctæ possit utiliùs subveniri: quin potiùs per illud ista credantur posse recuperari de levi, fraternitatem vestram monemus & exhortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus tàm Clericos, quàm

ANNO 1204.

ANNO 1192.

sia Apostolica sedis, cujus filia specialius existit nullo mediante, debeat subjacere. In qua hæ sedes Episcopales esse noscuntur: Ecclesiæ, videlicet, sancti Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinnensis, Aberdonensis, Moraviensis, Rosænensis, Cathinensis. Et nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius latere destinato in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica sede propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversiæ quæ fuerint in Regno illo de possessionibus ejus exortæ, ad examen extra Regnum positorum judicum non trahantur nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua verò scripta contra hoc libertatis statutum apparuerint impetrata, vel imposterùm, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipsi Regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Prætereà libertates & immunitates, tibi, vel ei Regno, vel Ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus observatas ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Idus Martii Pontificatus nostri: anno primo.

II. Ex Archivis Piscannensis monasterii.

Ne interdicto subjiciantur Ecclesiæ monasterio Piscannensi subjectæ.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, in quorum parochiis Ecclesiæ monasterii Piscannensis existunt, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM Piscannense monasterium specialiter beati Petri juris existat, nec dubium vobis debet existere, nec incertum, quin injuriæ fratrum in eo Domino famulantium specialiter videantur ad Romanam Ecclesiam reddundare: ideòque universitati vestræ auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne Ecclesias prædictorum fratrum diœcesana vobis lege subjectas sine manifesta & rationabili causa ullus vestrum interdicto supponat, & occasione unius Ecclesiæ à qua nonnumquam aliquid forte delinqueretur, aliæ ejusdem diœcesis, sicut à quibusdam vestrum hactenus perpetratum esse accepimus, ulla sententia prægraventur. Ad hæc si aliquis parochianus cujusquam Ecclesiarum vestrarum animadversione fuerit canonica percellendus, nequaquam pro unius culpa tota parochia divinorum celebratione fraudetur, nisi dominus loci fuerit qui peccavit, vel in culpa sua favorem habuerit aliorum. In Monachos autem ejusdem Ecclesiæ nullus contra privilegia sedis Apostolicæ excommunicationis & interdicti sententiam audeat promulgare: sciturі quod si contra hujus prohibitionis tenorem quisquam vestrum venire præsumpserit, factum ejus impunitum nequaquam auctore Deo relinquemus, & quod in fratrum prædictorum gravamen fuerit perpetratum, firmitatem aliquam non habebit. Datum Lateranis Kalendis Aprilis Pontificatus nostri: anno secundo.

ANNO 1197.

III. Archiv. Ang. Rymer. Tom. I. pag. 93.

De non solvendis pensionibus, & non promitendis Ecclesiis antequam vacent.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Monachis sancti Pancratii de Levves, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUÆ in præjudicium Ecclesiarum, præter juris ordinem, perperam attemptantur auctoritate sunt Apostolica corrigenda, & cum nobis immineat, ex injunctè servitutis officio, de singulis Ecclesiis per universum orbem diffusis, paterna sollicitudine cogitare, ipsarum debemus utilitati consulere, & onera sublevare tenemur.

Accepimus siquidem quod ad instantiam quorumdam nobiliam, quibus favorem vestrum non poteratis de facili denegare, primas, secundas, & tertias vacantes Ecclesias quibusdam Clericis promisistis, quibus interim certas solvitis pensiones, ex quarum solutione Ecclesia vestra non modicum aggravatur; ea propter vestris postulationibus favorem Apostolicam impendentes, vos & Ecclesiam vestram, ab hujusmodi promissionibus, Apostolicæ sedis auctoritate, absolvimus, & ad talium pensionum solutionem decernimus non teneri; districtiùs inhibentes ne Ecclesias, antequam vacent, alicui promittere præsumatis, vel de ipsis aliquem investire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis v. Kalendas Maii Pontificatus nostri: Anno sexto.

INNOCENTIUS TERTIUS.

ANNO 1198.

PONTIFEX CLXXVIII.

ANNO DOMINI MCXCVIII.

INnocentius Anagnia oriundus, priùs Lotharius dictus anno 1198. Cœlestinum excepit. Concilium Lateranense anno 1215. Hierosolimæ recuperandæ ergò celebravit, ubi varia fidei dogmata statuit. Sancti Dominicus & Franciscus hac tempestate suos ordines instituere Prædicatorum primus, Minorum alter. Almaricus de erroribus convictus post obitum exhumatus combustus est. Joannem Angliæ Regem quod minùs jure Archiepiscopum creasset Innocentius excommunicavit, qui resipiscens Regna sua Apostolicæ sedi subjiecit. In Oriente tùm Balduinus Græcam Ecclesiam Romanæ junxit. Obiit Pontifex Perusiæ anno 1216. Pontificatum tenuit annos 18. menses 5. dies aliquot. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 52.)

ANNO 1199.

I. Ex Arch. Reipublicæ Genevensis exprompta.

Papæ Innocentii III. Bulla, quâ Episcopo Genevensi potestatem concedit, Censuris Ecclesiasticis ejus Ecclesiæ Clericos cogendi ut sacris ordinibus initientur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Gebennensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUI ad recipienda Ecclesiastica beneficia libenter accedunt, ad suscipiendos ipsis beneficiis annexos ordines, cum pro officiis beneficia conferantur, non debent difficiles inveniri, sed ad exhibenda ipsis Ecclesiis servitia per que beneficia recipere dinoscuntur, se promptos exhibere pariter & paratos.

Ad audientiam siquidem nostram te significante pervenit, quod quidam Clericorum Ecclesiæ tuæ sacros ordines recipere negligunt & recusant; licet pro ordinatorum defectu eadem Ecclesia in divinis officiis non modicum sustineat detrimentum.

Volentes igitur sicut officii nostri sollicitudo exposcit Ecclesiarum utilitatibus imminere, fraternitati tuæ auctoritate duximus præsentium indulgendum, ut Clericos Ecclesiæ tuæ quos ad hoc idoneos esse cognoveris, ad suscipiendos sacros ordines per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellendi liberam habeas facultatem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis, x. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno secundo.

II. Ex Collect. Martene Tom. I. Col. 793.

Ad Episcopos provinciæ Turonensis, ut suos hortentur ad ferendas suppetias Balduino Imperatori Constantinopolitano.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, Turonensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus, salutem & Apostolicam benedictionem.

VIR unus de Ramatha duas sibi copulavit uxores, Annam videlicet & Fenennam; sed quæ priùs fuit prolis gloriâ decorata, quoniam superbivit, ubi altera cœpit fœcunditate sobolis in Domino exultare, meruit infirmari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem quæ sub umbra legis historialiter leguntur accidisse, cùm secundum Apostolum omnia illis contingerent in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiæ revelatæ, ut à Moysi facie sublato velamine, per Evangelicæ doctrinæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aëris eluceſcat, & significatum pro significatis appareat evidenter. Mediator etenim Dei & hominum CHRISTUS JESUS, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet & Latinum, ipsas sibi conjunxit per fidei sacramenta; sed & alter eorum, videlicet Græcus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus & eorum Angelis mentionem facit in Apocalypsi Joannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiæ agitatus, ab unitate discessit, non attendens quòd cum Sponsus præmisisset in Canticis: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; statim subjunxit: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, reginæ & concubinæ laudaverunt eam; nam multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc autem supergressa est universas.* Postquam autem Græcorum populus, rupto vinculo pacis, ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem, renuens confiteri quòd Spiritus sanctus qui est unitatis æqualitatisque connexio, procedat à Filio, sicut à Patre procedit. Quia igitur circa processionem Spiritus Sancti profiteri tenuit veritatem, merito tenebras mentis incurrit, cum ipse Spiritus omnem doceat veritatem, sicut Filius in Evangelio protestatur; spirituali etenim intellectu privatus, quia in Spiritum peccavit, fermentum non ejecit à domo, ubi epulantur in azimis sinceritatis & veritatis; sed veteri fermento retento, CORPUS CHRISTI, quantumin ipso comedit fermentatum. Benedictus autem Deus & Pater Domine nostri JESU CHRISTI, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui volens Ecclesiam suam consolari, ut Effraim convertatur ad Judam, & ad Jerusalem Samaria revertatur; super eumdem populum quasi montem caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac ejus portas sanctificati Domini sunt ingressi. Græcorum imperium à superbis ad humiles, à superstitiosis ad religiosos, à Schismaticis, ad Catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cum enim Christianus exercitus illuc cum Alexio filio Isacii advenisset, & capta urbe Constantinopoli, idem fuisset Alexius coronatus, dictus exercitus ibidem proposuit hyemare: sed quæ novus Imperator pro beneficiis ab eo collatis retribuere studuerit longum esset præsenti paginâ enarrare. Verùm ut multa breviter perstringamus, eorum malitia quasi Amorræorum iniquitate completa, dextera Domini fecit virtutem, & exaltavit exercitum Christianorum, illos dignâ ultione percutiens, atque eorum terram auro & argento gemmisque refertam, frumento, vino & oleo stabilitam, & bonorum omnium copiis affluentem exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, & eorum terrâ pariter subjugata, carissimum in CHRISTO filium B. comitem Flandriæ & Hasnoniæ ad Imperii regimen voluntate Domini & unanimi sublimarunt, ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum: *Subjiciam*, inquit, *ante faciem ejus gentes; & dorsa regum vertam, aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur, ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo ei thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit, ut Apostolicæ sedis devotos Clericos, simul & laïcos, nobiles & ignobiles cujuslibet conditionis & sexus dignaremur exhortationibus invitare, ut ad ipsius accedant imperium, ab eo secundum qualitates & merita personarum gratas divitias accepturi. Attendentes igitur quòd mutatio hujus imperii, dexteræ mutatio sit excelsi; & ab eo factum sit istud, qui tempora mutat, & transfert regna, cùm per illud imperium Terræ sanctæ possit utiliùs subveniri: quin potiùs per illud ista credantur posse recuperari de levi, fraternitatem vestram monemus & exhortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus tàm Clericos, quàm

ANNO 1204.

ANNO 1204.

Laïcos efficaciter inducatis, ut ad capescendas spirituales, & pariter temporales divitias ad præfatum Imperatorem accedant, qui ut verbis ejus utamur, cùm sufficiat universis: quos ad eum Christianæ Religionis zelus adduxerit, singulos vult & potest, secundum status suos varietatemque natalium & augere divitiis, & honoribus ampliare, ut Constantinopolitano Imperio roborato, & in devotione Apostolicæ sedis ibidem Ecclesia stabilita idem Imperator ad expugnandas barbaras nationes, quæ terram in qua Deus Rex noster ante sæcula nostram dignatus est salutem operari, peccatis exigentibus detinent occupatam in manu forti & brachio extenso valeat properare, sperantes in Domino JESU CHRISTO, quòd ipse qui per eum incœpit mirabiliter operari, opus incœptum ad laudem & gloriam nominis mirabiliùs consummabit.

III. Ex Anecdot. Martene Tom. I. Col. 795.

Ad priorem de Charitate, approbat consuetudinem orandi pro malefactoribus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis priori & conventui de Charitate, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

SI justa filii hominum judicarent, & animadverterent diligenter impensam sibi gratiam Redemptoris, qui pro nobis tradidit semetipsum, usque ad mortem factus obediens, ut nos de inimici faucibus liberaret, sanctam Ecclesiam, sponsam ejus, quam ipse proprio sanguine dedicavit, & in ea famulantes studerent propensiùs honorare, atque à læsione ipsorum suas retraherent penitùs voluntates. Verùm quod dolentes referimus; tanta est peccatis exigentibus, nunc malitia hominum super terram, & in tantum excrevit audacia malignantium, quòd non solùm ad res Ecclesiasticas avidas manus extendunt, & pro suo diripiunt arbitrio voluntatis, immò etiam ecclesias & possessiones earum quasi signum ad sagittam ponentes, viros religiosos odio execrabili prosequuntur, sanctum eorum otium nequiter perturbantes. Et quoniam hujusmodi homines, licèt censeantur nominis christiani, à CHRISTI tamen operibus sunt alieni, lætantes cum male fecerint, & in rebus pessimis exultantes, & admoniti sæpius, à sua nolunt desistere pravitate, nolentes intelligere ut bene agant; sed iniquitatem in suis cubilibus meditantes, cum malefactoribus ipsis, sicut vestrâ relatione didicimus, per vos resistere non possitis; mos in vestra Ecclesia inolevit, ut cum aliquis malefactor res monasterii vestri occupat per violentiam, vel diripit per rapinam, & monitus vobis satisfacere non procurat, vos in missarum solemniis, cùm Patri Filius pro mundi reatibus immolatur, Ecclesiæ pavimento prosternitis, & pro persequentibus exoratis; oculos levantes ad Dominum, & humiliter supplicantes, ut vestri misereri dignetur, qui prope est invocantibus ipsum in veritate, timentium se peragit voluntates, & orationes exaudit eorum, faciens eos salvos. Cum igitur orare pro persequentibus non solum præcepto, verum etiam exemplo Dominico instruamur, nos præmissam consuetudinem piam esse credentes, præsentium vobis auctoritate concedimus, quatenus eam minimè deseratis, sed ipsam humiliter ac devotè servetis: ita quòd orationibus vestris à malo revocentur iniqui, vosque optatâ pace fruamini ac quiete.

Datum Lateranis II. Idus Aprilis, Pontificatus nostri, anno VII.

ANNO 1210.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 817.

Ad Episcopos Galliæ, de vitanda simonia in receptione Monachorum aut sanctimonialium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis in Regno Franciæ constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

MULTOTIENS audivimus & à multis quod in quibusdam Monachorum monialium & aliorum religiosorum Monasteriis per vestras diœceses constitutis consuetudo damnabilis, immò damnatus & damnandus abusus usque adeò inolevit, ut penè penitùs nulla persona recipiatur in ipsis absque labe simoniacæ pravitatis. Ne igitur clamorem totiens iteratum videamur, quod absit, simulando fovere, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus semel in anno hujusmodi monasteria singuli per vestras diœceses visitantes, sub anathematis interminatione veteris, ne qua persona de cætero recipiatur in eis per hujusmodi pravitatem, semper in vestris synodis denunciantes hoc ipsum, & circa eas quas sic receptas invenietis auctoritate Apostolica, sublato appellationis obstaculo, statuatis quod saluti & honestati videritis expedire. Datum Lateranis XV. Kal. Maii, Pontificatus nostri, anno XIII.

V. Ex Dacher. T. III. Spic. pag. 578.

Joannem Anglorum Regem, qui Regnum Angliæ Romanæ Ecclesiæ donaverat in Apostolicam protectionem admittit: Anno 1214. Legitur hic Regium Diploma Joannis, quamvis Matthæus Paris, ut testatur Dacherius aliud Diploma ad annum 1213. referat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Joanni illustri Anglorum Regi, ejusque de sua uxore liberis hæredibus in perpetuum.

REX Regum, & Dominus dominantium Jesus Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ita Regnum & Sacerdotium in Ecclesia stabilivit, ut sacerdotale sit Regnum & sacerdotium sit regale, sicut in Epistola Petrus & Moyses in lege testantur; unum præficiens universis, quem suum in terris Vicarius ordinavit; ut sicut ei flectitur omne genu cœlestium; terrestrium, & etiam infernorum, ita illi omnes obediant & intendant, ut sit unum ovile & unus Pastor. Hunc itaque Reges sæculi propter Deum adeò venerantur, ut non reputent se ritè regnare, nisi studeant ei devotè servire. Quod tu, fili charissime, prudenter attendens, illo misericorditer inspirante in cujus manu sunt corda Regum, & quo voluerit vertit illa, teipsum, & Regna tua etiam temporaliter ei subjicere decrevisti, cui noveras spiritualiter esse subjecta; ut in unam Vicarii Christi personam, quasi corpus & anima, Regnum & sacerdotium uniantur ad magnum utriúsque commodum & augmentum. Ille utique hoc dignatus est operari, qui cum sit alpha & omega, finem retulit ad principium, & principium protraxit ad finem, ut ille Provinciæ, quæ olim sacrosanctam Ecclesiam Romanam propriam in spiritualibus habuere magistram, nunc etiam in

tem-

ANNO 1214.

temporalibus dominam habeant specialem. Tu quippe quem Deus ad hoc idoneum ministrum elegit, tàm te etiam quàm Regna tua, Angliæ videlicet, & Hiberniæ, cum omni jure, ac pertinentiis suis devota & spontanea voluntate, ac communi consilio Baronum tuorum, Deo & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, nobisque ac successoribus nostris in jus & proprietatem sub annuo mille Marcharum censu offerens concessisti, sicut in tuo continetur authentico scripto aurea Bulla munito, cujus de verbo ad verbum talis tenor existit.

Joannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, omnibus Christi fidelibus præsentem chartam inspecturis, salutem in Domino. Universitati vestræ per hanc chartam aurea Bulla munitam volumus esse notum, quia cum Deum & matrem nostram, sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proindè divina misericordia plurimum indigere noscamur, nec quid quod dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda, nisi nos ipsos habeamus & Regna nostra. Volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem, gratia Sancti Spiritûs inspirante non vi inducti, nec timore coacti; sed nostra bona spontaneaque voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum offerimus, & liberè concedimus Deo, & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio III. ejusque Catholicis successoribus totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ, cum omni jure & pertinentiis suis pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri tàm pro vivis quàm pro defunctis. Et amodo illa à Deo & Ecclesiâ Romanâ tamquam feudarius recipientes & tenentes in præsentia venerabilis Patris nostri Domini Nicolai Tusculani Episcopi Apostolicæ sedis Legati, & Pandulphi Domini Papæ, Subdiaconi & familiaris, fidelitatem exinde prædicto Domino nostro Papæ Innocentio, ejusque Catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ, secundum subscriptam formam fecimus & juravimus, & hommagium etiam legium, pro prædictis Regnis Deo, & SS. Apostolis Petro & Paulo, & Romanæ Ecclesiæ, & eidem Domino nostro Papæ Innocentio, per manus prædicti Legati, loco & vice ipsius Domini Papæ recipientis, publicè fecimus; successores & hæredes nostros de uxore nostra in perpetuum obligantes, ut simili modo Summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere.

Ad indicium autem hujus nostræ perpetuæ oblationis & concessionis volumus & stabilimus, ut de propriis & specialibus reditibus prædictorum Regnorum nostrorum pro omni servitio & consuetudine, quod pro ipsis facere deberemus, salvo per omnia denario Beati Petri, Ecclesia Romana mille Marchas sterlingorum percipiat annuatim, scilicet in festo S. Michaëlis quingentas Marchas, & in Pascha quingentas Marchas; septingentas scilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro Regno Hiberniæ, salvis nobis & hæredibus nostris justitus, libertatibus, & regalibus nostris. Quæ omnia sicut supradicta sunt, rata esse volentes perpetuò atque firma obligamus nos & successores nostros contra non venire. Et si nos, vel aliquis successorum nostrorum hoc attentare præsumpserit, quicumque fuerit ille, nisi ritè commonitus resipuerit, cadat à jure Regni, & hæc charta oblationis & concessionis nostræ semper firma permaneat.

Ego Joannes Dei gratia Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ, ab hac horâ in antea fidelis ero Deo, & Beato Petro, & Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocentio III. ejusque successoribus Catholicè intrantibus; non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio, ut vitam perdant, vel membra, vel mala captione capiantur. Eorum damnum si scivero impediam & remanere faciam si potero. Alioquin eis quàm citiùs potero intimabo, vel tali personæ dicam quàm eis credam pro certo dicturam. Consilium quod mihi crediderit per se, vel per nuncios seu litteras suas secretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam me sciente. Patrimonium Beati Petri, & specialiter Regnum Angliæ, & Regnum Hiberniæ adjutor ero ad tenendum, & defendendam contra omnes homines pro posse meo. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Evangelia.

De quibus ne possit in posterùm dubitari, ad majorem securitatem prædictæ oblationis & concessionis nostræ præsentem chartam fieri fecimus, & aurea Bulla nostra signari, ac pro censu hujus præsentis, & primi anni mille Marchas sterlingorum per manum prædicti Legati Ecclesiæ Romanæ persolvimus. Testibus D. Stephano Cantuariensi Archiepiscopo. DD. Wilelmo Londoniensi, Petro Vintoniensi, Herveo Elienſi, Ugone Lincolniensi, W. de Gran-Cancellario nostro; W. Comite Sarr. fratre nostro Comite Cestrensi; W. Marescallo Comite Pembroc; W. Comite de Ferrariis, S. Comite de Winton, Roberto de Ros; W. Brillier, Petro filio Hereberti, Matthæo filio Heremberti, & Brien ..... de Insula Dapifero nostro. Datum per manum magistri Ric. ..... de Mansto Archid. Ricemundiæ, & Norrhumbel apud S. Paulum Londoniæ 3. die Octobris anno ab Incarnatione Domini 1213 Regni verò nostri 15. Nos autem oblationem & concessionem hujusmodi piè ac providè factas, gratas & ratas habentes personam tuam & personas hæredum tuorum cum prædictis Regnis & pertinentiis eorumdem, & omnibus bonis aliis rationabiliter nunc possessis, & in posterùm possidendis, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, tibi & ipsis secundùm præscriptam formam de communi consilio Fratrum nostrorum suprascripta Regna concedentes in feudum, & præsenti Privilegio confirmantes, ita quòd quilibet hæredum tuorum cum Regni coronam acceperit, feudum hujusmodi summo Pontifici & Romanæ Ecclesiæ publicè recognoscat, & fidelitatis eis exhibeat juramentum. Nulli ergo, &c.

† Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Joannes Sabinensis Episcopus.
† Ego Hugo Velletrensis & Hostiensis Episcopus.
† Ego Ben .... Portuensis & S. Rufinæ Episcopus.
† Ego Cinthius tituli S. Laurentii in Lucina Presbiter Cardinalis.
† Ego Cinthius SS. Joannis & Pauli Presbit. Cardin. tituli Pammachii.
† Ego Petrus tituli Sancti Marcelli Presbiter Cardinalis.
† Ego Leo tituli S. Crucis in Hierusalem Presbiter Cardinalis.
† Ego Pet. S. Pudentianæ tituli Pastoris Presbiter Cardinalis.
† Ego Guala S. Martini Presbiter Cardinalis tituli Equicii.

ANNO 1214.

† Ego Joannes tituli S. Praxedis Presbit. Cardinalis.
† Ego Guido . S. . . in carcere Tullano Diaconus Cardinalis.
† Ego Victorianus SS. Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis.
† Ego SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Datum Romæ, apud S. Petrum per manus Raynaldi Domini Innocentii Acolyti, & Capellani XI. Kal. Maii Indict. II. Incarnationis Domini, anno M. CC. XIV. ejusdem Domini Innocentii, anno XVII.

VI. Ex Spicil. Dacher. Tom III. pag. 577.

Ad Philippum Francorum Regem, ne impositerùm usuras in suo Regno patiatur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio nostro Philippo Regis Franciæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUANTO melior est anima corpore, tanto spiritualia sunt temporalibus præferenda; unde commodum temporale non est cum spirituali damno quærendum, ne unde lucrum quæritur temporale, inde spirituale periculum oriatur, teste veritate quæ dicit: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*

Auditis itaque literis, quas tu & quidam Barones tui contrà dilectum filium R. tituli Sancti Stephani in Cælio-monte Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, super variis articulis destinatis diversas querimonias continentes: protinùs nobis & querelas contrà eumdem Legatum propositas, & responsiones ipsius fecimus explicari, easque tibi probabiliter moderatas præsentibus literis mittimus intercluſas, hoc tuæ Serenitati breviter respondentes: quòd licet idem Legatus à nobis super usurariis non acceperit speciale mandatum, quia tamen in Regno tuo plùs solito usuraria pestis increverit; in tantum facultates Ecclesiarum, Militum, aliorumque multorum devorans & consumens, quòd nisi tanto langori adhiberetur efficax medicina, intendere non sufficerent ad subsidium Terræ Sanctæ, propter quod ipsum duximus specialiter destinandum; unde ipse tamquam spiritualis medicus adversùs hanc mortiferam pestem, de consilio virorum prudentum in diversis Conciliis ad curandas animas salubre remedium adinvenit; quo circâ non decet tuam Regalem prudentiam, quæ inter cæteros Principes sæculares Christianitatis titulo est insignis, pro aliquo temporali commodo spiritualem impedire profectum, sicut per quasdam literas ad diversas communias destinatas te fecisse dolemus, quas ut prudentiori retractes consilio, præsenti paginæ fecimus intercludi: Serenitatem Regiam exhortantes, quatenùs nec impedias nec facias impediri quominùs in regno tuo Ecclesiastica jurisdictio valeat exerceri. Nos enim prædicto Legato præcipimus, ut ad huc super his, quantum cum Deo potest, necessarium adhibeat moderamen, ne in aliquo modum excedat, honestas consuetudines & usus rationabiles non immutans, limam omnium generali Concilio reservando; unde volumus & mandamus, ut interim idem negotium hinc inde modestè procedat, quia tunc super his & aliis cum sacri approbatione Concilii statuemus, quod spiritualiter & temporaliter videbimus expedire. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Idus Maii, Pontificatûs nostri anno septimo decimo.

ANNO 1215.

VII. Archiv. Anglic. T. I. pag. 197.

De electione libera universis & singulis Ecclesiis Angliæ Regni concessa: anno 1215.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis universis Ecclesiarum Prælatis, per Angliam constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

DIGNIS laudibus attollimus magnificentiam Creatoris quòd, postquam idem qui est mirabilis & terribilis in consiliis super filios hominum, aliquamdiù toleravit, ut perflando discurreret per Areolam horti sui spiritus tempestatis, quasi ludens taliter in orbe terrarum ut sic ostenderet infirmitatem & insufficientiam nostram nobis, statim, cùm voluit, Aquiloni dixit Fla, & Austro noli prohibere imperàsque ventis & mari; statuit procellam in auram, ut nautæ portum quietis inveniant peroptatum.

Cùm enim inter Regnum & sacerdotium Anglicanum, non sine magno periculo, atque dampno, super electionibus Prælatorum gravis fuerit controversia diutiùs agitata, illo tandem, cui nichil est impossibile, quique, ubi vult, spirat mirabiliter, ex mera & spontea voluntate, de consensu communi suorum Baronum, pro salute animæ suæ ac prædecessorum, & successorum suorum, vobis concessit, & suis literis confirmavit ut de cætero in universis & singulis Ecclesiis, ac Monasteriis, Cathedralibus, & Conventualibus totius Regni Angliæ in perpetuum liberè fiant electiones quorumcumque Prælatorum, majorum etiam & minorum.

Nos igitur, hoc gratum & ratum habentes, concessionem hujusmodi vobis, & per vos Ecclesiis & successoribus vestris, prout in ejusdem Regis, literis perspeximus contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Ad majorem autem firmitatem & perpetuam memoriam hujus rei præfatas Regis literas, super hoc confectas, præsentibus inseri fecimus; quarum tenor est talis.

Joannes, Dei gratiâ, Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Ballivis, & omnibus, has literas visuris, salutem.

Quoniam inter nos & venerabiles Patres nostros Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum totius Angliæ Primatem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Willelmum Londoniensem, Eustachium Elyensem, Egidium Herefordensem, Jocellinum Bathoniensem, & Glastoniensem, & Hugonem Lincolniensem, Episcopos, super dampnis & ablatis eorum, tempore interdicti, per Dei gratiam, de mera & libera voluntate utriusque partis, plenè convenit, volumus non solùm eis quantum secundùm Deum possumus satisfacere, verùm etiam toti Ecclesiæ Anglicanæ salubriter & utiliter in perpetuum providere.

Inde est quod, qualiscumque consuetudo temporibus nostris, & prædecessorum nostrorum hactenus in Ecclesia Anglicana fuerit observata,

&

ANNO 1215.

& quicquid juris nobis hactenus vendicaverimuqu n electionibus quorumcumque Prælatorum, nos ad ipsorum petitionem pro salute animæ nostræ, & prædecessorum, ac successorum nostrorum Regum Angliæ, liberaliter mera & spontanea voluntate, de communi assensu Baronum nostrorum concessimus & constituimus, & hac præsenti charta nostra confirmavimus ut de cætero, universis & singulis Ecclesiis Monasteriis, Cathedralibus, & Conventualibus, totius Regni nostri Angliæ, liberè sint in perpetuum electiones quorumcumque Prælatorum majorum & minorum; salva nobis & hæredibus nostris custodia Ecclesiarum & Monasteriorum vacantium quæ ad nos pertinent.

Promittimus etiam quod nec impediemus, nec impediri permittemus per nostros, nec procurabimus quin, in singulis & universis Ecclesiis & Monasteriis memoratis, postquam vacaverint Prælaturæ, quemcumque voluerint liberè sibi præficiant electores Pastorem; petita tamen priùs à nobis & hæredibus nostris licentia eligendi, quam non denegabimus nec differemus.

Et, si fortè, quod absit, denegaremus vel differemus, nichilominus procedent electores ad electionem Canonicam faciendam, & similiter post celebratam electionem nostet requiratur assensus, quem non denegabimus nisi aliquid rationabile proposuerimus, & legitimè probaverimus propter quod non debeamus consentire.

Quare volumus & firmiter jubemus nequis, vacantibus Ecclesiis vel Monasteriis contra hanc nostram concessionem & constitutionem in aliquo veniat, vel venire præsumat: siquis verò contra hoc aliquo unquam tempore venerit maledictionem omnipotentis Dei, & nostram incurrat.

Testibus.

P. Wintonienſi Episcopo,
W. Comite Warennæ,
R. Comite Cæstriæ,
S. Comite Wintoniæ,
G. de Mandevilla Comite Glouceſtriæ & Essexie,
W. Comite de Ferrariis,
W. Briwer,
W. Filio Geroldi,
W. de Cantilupo,
H. de Neivillis,
Roberto de Vere,
W. de Hunteingefeld.

Datum per manus magistri Ricardi de Mariscis Cancellarii nostri, decimo quinto die Januarii, apud novum Templum London, anno Regni nostri decimo sexto.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostram confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lateran. tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri, anno decimo octavo.

Pacta inter Regem Angliæ, & Barones ejusdem Regni damnantur: anno 1215.

ANNO 1215.

VIII. Archiv. Anglic. T. I. pag 203.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis Christifidelibus hanc paginam inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

ET si chariſſimus in Christo filius noster Joannes Rex Anglorum illustris, Deum & Ecclesiam vehementer offenderit; unde nos eum vinculo excommunicationis innodavimus, & Regnum ejus Ecclesiastico subjecimus interdicto; ipse tamen (illo misericorditer inspirante qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat) tandem conversus ad cor, Deo & Ecclesiæ humiliter satisfecit; in tantùm quod non solùm recompensationem pro damnis, & restitutionem exhibuit pro ablatis, verùm etiam plenariam libertatem contulit Ecclesiæ Anglicanæ.

Quinimò utraque sententia relaxata, Regnum suum tàm Angliæ quàm Hiberniæ, Beato Petro & Ecclesiæ Romanæ concessit.

Recipiens illud à nobis in feudum sub annuo censu mille Marcharum, fidelitatis nobis inde præstito juramento; sicut per privilegium ejus apparet aurea Bulla munitum.

Adhuc etiam omnipotenti Deo ampliùs placere desiderans, signum vivificæ Crucis reverenter accepit, profecturus in subsidium Terræ Sanctæ; ad quod se magnificè præparabat: sed humani generis inimicus, qui semper consuerit bonis actibus invidere, suis callidis artibus adversus eum Barones Angliæ concitavit; ita ut ordine perverso in illum insurgerent, postquam conversus Ecclesiæ satisfecit, qui assistebant eidem quando Ecclesiam offendebat.

Orta siquidem inter eos dissentionis materia, cum plures dies statuti fuissent ad tractandum de pace; utrumque interim solennes nuncii ad nostram fuerunt præsentiam destinati.

Cùm quibus habito diligenti tractatu, post plenam deliberationem scripsimus per eosdem Stephano Cantuarienſi Archiepiscopo & Episcopis Anglicanis; præcipiendo mandantes, ut ad reformandam inter utrosque veram & plenam concordiam diligens impenderent studium & operam efficacem, omnes conjurationes & conspirationes, si quæ fuerant fortè præsumptæ à tempore subortæ discordiæ inter Regnum & Sacerdotium, Apostolica denunciantes auctoritate cassatas, & per excommunicationis sententiam inhibentes, ne talia de cætero præsumerentur à quoquam. Magnates & nobiles Angliæ monendo prudenter, & efficaciter injungendo, ut per manifesta devotionis & humilitatis indicia, ipsum Regem sibi placare studerent: Ac deinde si quid ab eo ducerent postulandum, non insolenter sed humiliter implorarent; regalem conservantes ei honorem & exhibentes servitia consueta, quæ ipsi & prædecessores eorum sibi & prædecessoribus suis impenderunt, cùm ab eis, ipse Rex non debet absque judicio spoliari, ut sic quod intenderent possent facilius obtinere.

Nos enim eundem Regem, per litteras nostras rogavimus & monuimus, & per præfatos Archiepiscopum, & Episcopos nihilominus rogari & moneri mandavimus, in remissionem sibi peccaminum injungentes; quatenus prædictos magnates & nobiles benignè tractaret, & justas eorum petitiones clementer admitteret, ut & ipsi congaudendo cognoscerent, eum in me-

lio-

ANNO 1215.

liorem ſtatum divina gratia eſſe mutatum, ac per hoc ipſi & hæredes eorum ſibi & hæredibus ſuis deberent promptiùs & devotiùs famulari: plena eis in veniendo, morando & recedendo ſecuritate conceſſa; ita quod ſi fortè nequiret inter eos concordia provenire, in curia ſua per pares eorum, ſecundùm leges & conſuetudines Regni ſuborta diſſentio ſopiretur.

Verùm antequam nuncii cùm hoc provido & juſto mandato rediiſſent, illi juramento fidelitatis omnino contempto, (cùm etſi Rex eos injuſtè gravaſſet, ipſi tamen non debuiſſent ſic agere contra eum: ut in cauſa ſua iidem judices & executores exiſterent) vaſſalli contra dominum, & milites contra Regem publicè conjurantes, non ſolùm cum aliis, ſed cum ejus manifeſtiſſimis inimicis præſumpſerunt contra eum arma movere; occupantes & devaſtantes terras illius, ita quoque quod civitatem Londinenſem, quæ ſedes eſt Regni, proditione ſibi traditam invaſerunt.

Interim autem præfatis nunciis revertentibus, Rex obtulit eis ſecundùm formam mandati noſtri juſtitiæ plenitudinem exhibere; quam ipſi omnino ſpernentes, cœperunt manus extendere ad pejora. Undè Rex ipſe ad audientiam noſtram appellans eis exhibere juſtitiam coram nobis, ad quem hujus cauſæ judicium ratione Dominii pertinebat, quod ipſi ſunt penitùs aſpernati.

Deinde obtulit illis ut tàm ab ipſo, quàm ab illis quatuor viri eligerentur prudentes, qui una nobiſcum ſubortam inter eos diſcordiam terminarent; promittens quod ante omnia revocaret univerſos abuſus, quicumque fuiſſent in Anglia ſuo tempore introducti: ſed nec hoc illi dignati ſunt acceptare.

Tandem illis Rex propoſuit, quod cum Regni Dominium ad Romanam Eccleſiam pertineret, ipſe non poterat, nec debebat, abſque noſtro ſpeciali mandato, quicquam de illo in noſtrum præjudicium immutare: Unde rurſus ad noſtram audientiam appellavit; ſeipſum ac Regnum cum omni honore ac jure ſuo Apoſtolicæ protectioni ſupponens.

Sed, cum nullo modo proficeret, poſtulavit ab Archiepiſcopo & Epiſcopis ut noſtrum exequerentur mandatum: Jus Eccleſiæ Romanæ defenderent ac tuerentur eundem ſecundùm formam privilegii Cruce ſignatis indulti.

Porrò cum ipſi nihil horum facere voluiſſent; videns ſe omni auxilio & conſilio deſtitutum; quicquid illi auſi ſunt petere, non eſt auſus ipſe negare. Unde compulſus eſt per vim & metum, qui cadere poterat in virum etiam conſtantiſſimum compoſitionem inire cum ipſis, non ſolùm vilem & turpem; verùm etiam illicitam & iniquam, in nimiam derogationem ac diminutionem ſui juris pariter & honoris.

Quia vero nobis à Domino dictum eſt in Propheta, conſtitui te ſuper gentes & Regna ut evellas & deſtrues, ædifices & plantes: Itemque per alium Prophetam, diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes: Nos, tantæ malignitatis audaciam diſſimulare nolentes, in Apoſtolicæ ſedis contemptum; Regalis juris diſpendium, Anglicanæ gentis opprobrium & grave periculum totius negotii crucifixi (quod utique immineret, niſi per authoritatem noſtram revocarentur omnia quæ à tanto principe Cruce ſignato taliter ſunt extorta, & ipſo volente ea ſervare) ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, auctoritate quoque Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, ac noſtra, de communi fratrum noſtrorum conſilio, compoſitionem hujuſmodi reprobamus penitùs & damnamus; ſub intermina tione Anathematis prohibentes, ne dictus Rex eam obſervare præſumat, aut Barones cum complicibus ſuis ipſam exigant obſervari: tàm chartam, quàm obligationes, ſeu cautiones, quæcumque pro ipſa, vel de ipſa, ſunt factæ irritantes penitùs & caſſantes; ut nullo unquam tempore aliquam habeant firmitatem.

Datum Anagniæ, nono Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri, decimo octavo.

ANNO 1215.

Excommunicatio Generalis Baronum Angliæ.

IX. Rymer. Archiv. Angl. Tom. I. pag 208.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Vvintonienſi Epiſcopo, Abbati de Redinge, & Pandulpho Eccleſiæ Romanæ Subdiacono, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

MIRAMUR plurimum & movemur quod cum chariſſimus in Chriſto filius noſter, Joannes illuſtris Rex Angliæ, ſupra ſpem Domino & Eccleſiæ ſatisfecerit, & præſertim fratri noſtro Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo; & Epiſcopis ejus quidam eorum, minus quàm oportuerit & decuerit, ad ſanctæ Crucis negotium, Apoſtolicæ ſedis mandatum & fidelitatis præſtitæ juramentum debitum imò nullum habentes reſpectum; ei contra perturbatores Regni, quod ad Romanam Eccleſiam ratione dominii pertinere dinoſcitur, auxilium non præſtiterint vel favorem, quaſi conſcii, ne dicamus ſocii conjurationis iniquæ: quia non caret ſcrupulo ſocietatis iniquæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.

Ecce qualiter patrimonium Romanæ Eccleſiæ Pontifices præfati defendunt? Qualiter cruce ſignatos tuentur? Imò qualiter ſe opponunt his, qui deſtruere molliuntur negotium crucifixi? Pejores proculdubio Saracenis exiſtentes; cum illum conantur à Regno depellere, de quo potiùs ſperebatur quod deberet ſuccurrere Terræ Sanctæ.

Unde ne talium inſolentia, non ſolùm in periculum Regni Angliæ, verùm etiam in perniciem aliorum Regnorum, & maxime in ſubverſionem totius negotii crucifixi valeat prævalere; nos ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, ac noſtra, omnes hujuſmodi perturbatores Regis ac Regni Angliæ, cum complicibus & fautoribus ſuis excommunicationis vinculo innodamus, & terras eorum Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto.

Præfato Archiepiſcopo, & Coepiſcopis ſuis in virtute obedientiæ diſtrictiſſimæ injungentes, quatenus noſtram ſententiam ſingulis diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candellis accenſis, ſolenniter per totam Angliam publicare procurent; donec ſatisfecerint Domino Regi de damnis & injuriis irrogatis, & ad ejus obſequium fideliter revertantur.

Univerſis inſuper ejuſdem Regis Vaſſallis in remiſſionem peccatorum ex parte noſtra injungentes, ut contra perverſores hujuſmodi præfato Regi tribuant conſilium & juvamen.

Siquis autem Epiſcoporum hoc noſtrum præceptum neglexerit adimplere, ſciat ſe ab Epiſcopali officio ſuſpenſum & ſubjectorum obedientiam eſſe ſubtractam, quia juſtum eſt ut eis inferiores non obediant, qui ſuo ſuperiori obedire contemnunt.

Ne igitur mandatum alicujus tergiverſatione valeat impediri, excommunicationis cauſam prædictorum, cum cæteris quæ ad hoc negotium

per-

ANNO 1215.

pertinuerint, vobis duximus committendam: per Apostolica vobis scripta mandantes; quatenus protinùs omni appellatione postposita, procedatis sicut videretis expedire.

Excommunicatio specialis in Barones Angliæ.

X. Ex Archiv. Angl. Rym. Tom. I. pag. 211.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Abbati de Albendune, Archidiacono Pictavienſi, & magiſtro Roberto Officiali Norwicenſis Eccleſiæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

AD veſtram volumus pervenire notitiam, quod nos nuper in generali Concilio conſtituti, excommunicavimus & anathematiſavimus ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac noſtra, Barones Angliæ cum adjutoribus & fautoribus ſuis, qui Joannem illuſtrem Regem Anglorum Cruce ſignatum & vaſſallum Romanæ Eccleſiæ perſequuntur; mollientes ei Regnum auferre, quod ad Romanam Eccleſiam dignoſcitur pertinere.

Inſuper excommunicamus, & anathematiſamus omnes illos qui ad occupandum, vel invadendum Regnum ipſum, aut impediendum euntes in ejuſdem Regis ſuccurſum, operam vel opem impenderunt.

Et terras eorumdem Baronum Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto.

Aggravamus etiam in eoſdem fortius manus noſtras, ſi nec ſic à ſuo deſtiterint iniquo propoſito, cum in hac parte pejores ſint Saracenis: decernentes, ut ſi quis Clericus cujuſcumque dignitatis, aut ordinis prædictas excommunicationis aut interdicti ſententias violare præſumpſerit, anathematis ſe ſciat mucrone percuſſum: & ni quantocius reſipuerit, ab omni officio & beneficio deponendum.

Quo circa diſcretioni veſtræ, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo, mandamus quatenus per totam Angliam publicare faciatis præſcripta: eademque faciatis auctoritate noſtra, ſublato cujuſlibet conditionis & appellationis obſtaculo, inviolabiliter obſervari.

Volumus etiam nihilominùs & mandamus, ut quoſdam Barones Angliæ, quos venerabilis frater noſter Wintonienſis Epiſcopus, & dilecti filii Abbas de Reding, & magiſter Pandulphus Subdiaconus & familiaris noſter, delegati à nobis, excommunicatos perſonaliter nominaverunt, quia ipſos in præſcriptis culpabiles invenerunt, videlicet, cives illos Londinenſes, qui fuerunt principales prænominate perverſitatis auctores; & Robertum filium Walteri, S. Comitem Wintonienſem, R. filium ejus, G. de Mandevilla, & Willelmum fratrem ejus, Comitem de Clare, & G. filium ejus, H. Comitem de Hereford, R. de Percy, E. de Veſci, J. Conſtabularium Ceſtriæ, Willelmum de Mumbray, Willelmum de Albineto, W. filium ejus, R. de Ros, & W. filium ejus, P. de Brus, R. de Creſci, Joannem filium ejus, Ranulphum filium Roberti, R. Comitem Bigod; H. filium ejus, R. de Ver, Fulconem filium Warini, W. Malet, W. de Monte acuto, W. filium Mareſcalli, W. de Bello campo, S. de Kime, R. de Monte Begonis, Nicolaum de Stutevilla: nec non & alios in prædictorum judicum ſententia nominatim expreſſos, cum complicibus & fautoribus eorumdem auctoritate Apoſtolica excommunicatos per totam Angliam publicè denunciari faciatis: & ab omnibus arctiùs evitari, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis ſolemniter innovari, hujuſmodi ſententiam facientes ac denunciantes inviolabiliter obſervari: Civitatemque Londinenſem Eccleſiaſtico ſuppoſitam interdicto; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, magiſtrum etiam Gervaſium Londinenſem Cancellarium, qui ſicut à judicibus præfatis accepimus, dicti Regis, & ſuorum manifeſtiſſimus extitit perſecutor, excommunicatum publicè denuncietis ac ſuſpenſum, graviori etiam pœna, niſi congruè ſatisfecerit, puniendum.

Quod ſi vos omnes, &c.

Datum Laterani, decimo ſeptimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri: Anno decimo octavo.

ANNO 1216.

HONORIUS III.

PONTIFEX CLXXIX.

ANNO DOMINI MCCXVI.

ANNO 1216.

HOnorius Romanus anteà dictus Cenſius Sabellus, Innocentio ſucceſſit anno 1216. A Scotis Anglis, & Francis haud pauca tributa exegit: S. Dominici ordinem Pontificiâ firmavit auctoritate, mox magiſtri ſacri Palatii munus fundavit: Petrum Cortenæum Imperatorem Conſtantinopolitanam coronavit. Obiit anno 1227. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 63.)

Prælatos Hiberniæ arguit, quod pullulantem inter ſubditos hæreſim tolerarent: anno 1219.

I. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 875.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis & dilectis filiis cæteris Eccleſiarum Prælatis, & capitulis per Hiberniam conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

EXpectavimus hactenus, expectantes ſi monitis & ſtatutis concilii generalis, exculta Domini Sabaoth vinea floruiſſet, ſi Aaron virga turgentibus gemmis erupiſſet in flores & dilatatis foliis amigdala produxiſſet, ſi geminaſſent mala punica, & ficus produceret groſſos ſuos: quia ficus præcoquas anima Sponſi deſiderat & ſponſa diligit botros cypri. Sed ecce dolentes dicimus ante meſſem ſeges effloruit, & vinea ferè tota & ficus ac virga magis aruit, & vindemiator manum ad carcallum non revocat: ſed ſic ſemper vindemiat, quod poſt vindemiatores racemos aliquos colligere vix valemus. Nam unuſquiſque ferè in viam ſuam abiit, & ad ſuam negotiationem revolat à regiis nuntiis damnabiliter ſe excuſans. Jam quidam miniſtri Altaris ſicut jumenta non ſolùm in ſtercore computreſcunt; ſed peccatum ſuum velut Sodoma prædicant, nec abſcondunt, facti ruina & laqueus populorum. Quidam etiam Eccleſiarum Prælati, qui gladios ancipites in ſuis manibus acceperunt, ad faciendam vindictam & increpationes in populis, errantes non

ANNO 1219.

corrigunt, membra putrida non excidunt, à caulis oves contagiosas & morbidas non excludunt, vulnus, livorem & plagam tumentem non ligant, nec curant, neque fovent oleo vel amplastro: propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaad non censetur esse medicus vel resina. Proinde in consilium subditorum venire anima prælatorum convincitur, dum iidem proximorum vitiis non resistunt: sicque manus mulierum misericordium parvulos suos coquunt. Hi etiam bona sibi commissa dissipant & consumunt, dispergunt sanctuarii lapides in capite omnium platearum, indignos promovent, pernicioſis stipendia Ecclesiastica largiuntur, in suis Ecclesiis conventicula de sanguinibus congregantes. Tales utique non attendunt quod Eli filios suos palpans de cella retrosum cecidit, & principes populorum, quia non cohibebant Hebræos initiantes Beelphegor, & cum Madianitis in eorum oculis coëuntes præcepto Domini suspensi sunt in patibulo contra solem. Quia cum de manibus Prælatorum negligentium sanguis requiratur pereuntium subditorum, dùm fortiori bus instat fortior cruciatus, sit durum judicium eis qui præsunt. Claustrales quam plurimi qui fregerunt jugum, ruperunt vincula, quin etiam sicut stercus terræ jam contemtibiles sunt effecti, se non corrigunt, subditos non castigant, capitula juxta concilii generalis statutum, non celebrant, ne in lucem prodeant opera tenebrarum & à lumine arguantur. Propter hæc siquidem hæreses invalescunt: quia cum perpauci hodie murus æneus vel columna ferrea sint Prælati, vix est qui se opponat murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso: eo quod conscientia remordente, dùm canes muti projectum in terra ramunculum in os habent, & sint quasi baculus arundineus jam confractus; nec latratu nec baculo arceat lupos dilacerantes Ecclesiam, & in ipsam ululatus validos emittentes. Cùm igitur non possimus dissimulare de cætero vel conniventibus oculis pertransire tantum Cleri contagium & populi Christiani discrimen, quod procedit & proficit ex negligentia Prælatorum evacuantium per incuriam & torporem sanctiones canonicas, & statuta salubria Concilii generalis, increpationis securim comminantem excidium nunc radicibus infructuosæ arboris applicamus; confossæ ficulneæ conphinum stercoris apponentes antequam maledictionis gladio feriatur, & arceat, si fructum non fecerit in futurum quem jam diutiùs expectat. Quo circa universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus, quatenus præteritam negligentiam novo studio redimentes, per sollicitudinem geminatam sic præfati statuta concilii, & illa præsertim quæ salutem respiciunt animarum, deinceps conservetis, & faciatis à vestris subditis inviolabiliter observari, quod possitis exinde laudem consequi, & æterna præmia promereri, nec quemquam vestrum pœnam oporteat formidare, ad quam ex nunc potenter accingimur, contra desides & remissos. Invigiletis autem propensius ad hæreticam pravitatem è vestris finibus, si forsan irrepserit, penitùs extirpandam: quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, & ut draco stellas de cælo detrahit, & mulieri tendit insidias, cupiens filium quem concepit devorare. Ponat etiam unusquisque gladium super femur per medium castrorum transiens de porta in portam, nec parcat fratri proximo vel amico, qui statutis concilii vilipensis morum vel vitæ abjicit honestatem, vel non observat in tonsura, vestibus, & aliis modestiam Clericalem. Præcaventes sollicitè ne beneficia conferatis indignis, nec quemquam permittatis habere plures personatus, seu parochiales Ecclesias habitas post Concilium generale quibus cura sit animarum, annexa, nisi forsan super hoc habeat indulgentiam sedis Apostolicæ specialem. Abbates vero Nigri ordinis celebrare hoc anno provinciali concilia non obmittant, prout exiſtit in præscripto Concilio stabilitum, & ut bonorum studium commendare possimus, & punire negligentiam perversorum, super hoc ab illis certiorari volumus & mandamus. Sanè cum olim vas aureum manna plenum Christi Corpus deitatem continens præfigurans, in arca fœderis auro tecta infra Sancta sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur; dolemus plurimum, & tristamur quod in provinciis sacerdotes sanctiones canonicas immò divinum judicium contemnentes, sanctam Eucharistiam incautè custodiunt & immundè & indevotè contrectant, quasi nec creatorem timeant vel recreatorem diligant, aut judicem omnium expavescant: quamquam Apostolus terribiliter commineturdeteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quam transgressores legis Mosaicæ, qui mortis sententia plectebantur. Ne igitur de cætero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari; mundo etiam & signato semper honorificè collocata devotè ac fideliter conservetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, quilibet reverenter inclinet, idem faciens cum ipsam portat Presbyter ad infirmum; quàm in decenti habitu superpositò mundo velamine ferat & referat manifestè & honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati graviter punire non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram volunt effugere ultionem. Attendat igitur unusquisque ut sic mandatum nostrum juxta susceptum officium exequatur, quod nemo coronam ejus accipiat, vel de suo loco ejus candelabrum amoveri contingat, sed potiùs coronari gloria & honore.

Datum Viterbii XIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri: Anno IV.

Ad Archiepiscopum Bituricensem, contra Judæos in Biturià novas synagogas constituentes.

I I.
Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 878.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Bituricensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PERVENIT ad audientiam nostram, quod Judæi in tua diœcesi habitantes, synagogas de novo contra sanctiones canonicas construere præsumpserint, ideò fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, synagogas ipsas facias demoliri, fideles si qui se opposuerint; per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo.

Datum Lateranis XIV. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno IV.

Nu-

ANNO 1223.

III. Ex Saracini noticie Istoriche d'Ancona.

Numerum Canonicorum Anconitanæ Ecclesiæ, duodenarium decernit.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis capitulo Anconitano, Salutem & Apostolicam benedictionem.

ECCLESIARUM utilitati, tranquillitati consulitur, cum numerus personarum Domino famulantium, cum eisdem facultatibus provide coaptatur: cum ergo venerabilis Frater noster Anconitanus Episcopus Ecclesiæ nostræ facultatibus provida consideratione pensatis duodenarium Canonicorum, numerum in eadem Ecclesia; Nos precibus vestris benignum impendentes assensum, statutum, quod super hoc idem Episcopus fecit, providè factum esse, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communivimus, statuentes, ut salvo Apostolicæ sedis mandato, nullus ad minorem numerum compellere.

Vos possit invitos, nisi ut excrescerent ipsius Ecclesiæ facultates, quod in eâ personarum numerus videretur merito ampliandus; Nulli ergo hanc paginam nostræ confirmationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, primaJulii Pontificatus nostri: Anno octavo.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 929.

Petit ab Episcopis Galliæ unam præbendam in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis & dilectis filiis universis Ecclesiarum Prælatis per Regnum Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

SUPER muros Jerusalem custodes positi, quanto eminentiorem speculam dignitatis attendimus, tantò in eminentiori debito sollicitamur officii, ut vigilanti custodia nobis & aliis vigilemus, nobis quoque per meritum, aliis per exemplum, quatenus in conspectu Altissimi conscientiæ puritas conservetur, & in facie propriæ famæ integritas non lædatur. Multum enim cedit ad commodum, ut & conscientiam fama non deserat & famam conscientia contemni non exponat. Sed potiùs mutuis promoveantur suffragiis & mutuis sibi promotionibus suffragentur: propter quod in vestibus Aaron mala punica cum tintinnabulis dependebant. Porrò dum attendimus, quid onus honoris exposcat, quid sarcina dignitatum desideret, multa nos cura sollicitat, multæ nos sollicitudinis urgemur instantia, qualiter Deo satisfaciamus & homini, & si non ut volumus & debemus, saltem prout permittimur & valemus. Sanè multos multotiens & audivimus & vidimus murmurantes propter expensas, quas venientes ad sedem Apostolicam faciebant. Scimus autem quid ex talibus inferebat præsumtio detractorum, quid labia dolosa, quid lingua magniloqua præsumebant, cum nonulli sermones in publico monstrantes, & mittentes periculosius jacula in occulto, Romanam niterentur mordere Ecclesiam, parari non solùm ea quæ vigor justitiæ, sed etiam quæ judicium æquitatis, nec non benignitatis gratia consummabat suis loquutionibus depravare, præsertim apud eos, qui aures prurientes habebant & graves & erectas ad malum. Illos quoque in talibus frequenter experti sumus ostendere, qui missi procurare negotia, dum ea quæ illis ad necessarias deputabantur expensas, suis voluptatibus applicabant, ad miserabile subsidium mendacii recurrentes, alienis moribus impingebant quod propriè defraudaverant. Quia verò in iis contra sedem Apostolicam detractionis obrepebat occasio; & Ecclesiis, & Ecclesiarum Prælatis, nec non & aliis videbatur imminere gravamen; cum fratribus nostris diligenter curavimus habere tractatum, quo studio, qua cautela, secundum Deum & hominem inveniremus in talibus salubrem provisionis effectum; & tandem, prout Domino placuit, communi, & unanimi deliberatione consilii rem non novam, nec inexcogitatam à prædecessoribus nostris sumus aggressi, volentes quod illi salubri consilio providerent efficaci opere consummare, videlicet ut ad opus sedis Apostolicæ in singulis Cathedralibus Ecclesiis & aliis præbendalibus singulæ præbendæ reserventur, & interim donec id fiat competentes in eis reditus assignentur. In monasteriis verò, & cæteris domibus regularibus, ac aliis collegiatis Ecclesiis, nec non de bonis Episcoporum secundùm facultates suas constituantur certi reditus præbendas æquantes, quorum proventus in commune recepti, tàm in nostras quàm fratrum nostrorum necessitates, capellanorum, necnon cancellariæ, ostiariorum aliorumque sedis Apostolicæ officialium convertantur, ut sic & provideantur nostris in vitæ necessariis & gratis omnibus omnia pro quibuscumque venientibus negotiis ministrentur, nec sit qui per se, vel per alium, expresse, vel tacitè, aliquid exigat, vel etiam sponte oblata recipiat, præter villæ reditum consuetum. Quod si quis Gieziacus tantæ cupiditati animam audebit exponere, tantæ pœnæ duritiæ subjacebit, quod præter publicæ confusionis opprobrium, culpam in pœna cognoscet. Quis igitur frater gratiæ, quis devotionis filius, quis sponsi & sponsæ dilectus, ad hujusmodi stratum Ecclesiæ consilio & auxilio non assurget? An non licet, non decet, non expedit, ut sic filiæ dextram porrigant ad subsidia matris, quæ occupationibus multis & magnis involvitur pro necessitatibus filiorum? Nonne id quam plures Ecclesiarum Prælati magnique testimonii viri tempore generalis Concilii sua dabant? Nonne ad id toto videbantur desiderio aspirare? Tunc tamen sedes Apostolica distulit, ne videretur ad hoc Concilium evocasse. Ne igitur tàm pii, tàm sancti propositi consummatio retardetur, per quod crescere poterit decor Ecclesiæ Dei, multaque subtrahi occasio detrahendi: universitatem vestram monemus, rogamus, & exhortamur in Domino per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus ad executionem provisionis hujusmodi tàm in Cathedralibus, quàm in aliis Ecclesiis, ut dictum est, impendentes sic opere ut operam efficacem, quod interprete facto monstretur quantum Domûs Dei vos decor alliciat, quantum sponsi & sponsæ amor accendat, quantum multorum relevatio moneat, quantumque utilitas generalis inducat. Cæterum cùm ad relevanda Ecclesiarum onera, & gravamina Prælatorum, prout possumus, intendamus, de

ANNO 1225.

ANNO 1226.

præbendis Clericis Romanis, vel aliis, à sede Apostolica concessa duximus providendum, ut postquam fuerint supradicta completa, cùm eos vacare contigerit, ad proprias Ecclesias revertantur, ne si successivè conferantur extraneis, sicut aliquando consuevit, filiis Ecclesiarum, qui continuo servitio residen, redderentur inutiles, & voluntate quodammodo fierent alienæ.

Datum Lateranis v. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri: Anno IX.

V. Ex Archivis Ang. Rymer. Tom. I. pag. 285.

Ad Episcopos Angliæ, quod pecunias pro expensis Regis colligant.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Prælatis ac Rectoribus Ecclesiarum, in Hibernia constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

NON leditur libertas Ecclesiastica set defenditur, si inde defensori ejus, statu rerum & temporum exigente, subsidium liberale exhibetur.

Cùm ergo charissimo in Christo filio nostro, Henrico Regi Angliæ illustri, multa immineant necessariarum onera expensarum, ac propter hoc sibi mandaverimus à Clero Angliæ subsidium exhiberi, universitatem vestram sollicitandam duximus & hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes quatenus, cum Regnum Hiberniæ ad ipsum pertinere noscatur, ac per hoc eidem incumbat defendere Ecclesiarum vestrarum libertates & jura, vosque deceat, sibi tamen exposcere videtur necessitas, liberaliter subvenire, collectam, pensatis singularum Ecclesiarum facultatibus, faciatis ad expensarum ipsius Regis onera supportanda, cum venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Dublini, voce aliquos vestros, prudentiæ ac probatæ fidei eligentes, qui pecuniam recipiant pro subventione hujusmodi colligendam, eamque assignent, ipsi Archiepiscopo & duobus aliis qui ad hoc idonei videbuntur; per eos ad expensas ipsius Regis, quæ videbuntur ei & Regno suo magis necessariæ ministrandam.

Mandatum nostrum taliter impleturi, quod ipsum Regem ad vestram, & Ecclesiarum vestrarum favorem per hoc specialiter inclinetis, gratamque vicissitudinem ab eo expectare possitis tempore oportuno.

Nolumus autem quod exhibitio subventionis hujusmodi trahatur, ad consequentiam, vel præjudicium generet Ecclesiasticæ liberati.

Datum IV. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri: Anno decimo.

VI. Has ex Archivis Casinensi habet R. P. Bernardus Montfaucon in Diario Italico pag. 329.

Bullæ ubi Monasterium quoddam Constantinopolitanum ad tribuit Monasterio Casinensi.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Casinensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM à nobis petitur quod justum est, & honestum, tàm vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollecitudinem officii nostri ad debitum producatur effectum. Cùm igitur bonæ memoriæ Benedictus tituli sanctæ Susannæ, Presbyter Cardinalis, legationis exercens officium in partibus Romaniæ, Monasterium Sanctæ Mariæ de Virgioti extra civitatem Constantinopolitanam infrà duo milliaria situm, cùm universis pertinentiis suis rationibus & proprietatibus auctoritate legationis ejusdem vobis, & per vos Monasterio concesserit Casinensi; ita tamen quod Monachi Græci commorantes ibidem per vos inde nullatenus expellantur; sicut in ejusdem authentico perspeximus pleniùs contineri; Nos vestris justis præcibus inclinati concessionem ipsam, sicut proindè facta est, ratam habentes auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Anagnæ XIII. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno primo.

GREGORIUS IX.

PONTIFEX CLXXX.

ANNO DOMINI MCCXXVII.

ANNO 1226.

ANNO 1227.

GRegorius priùs Ugolinus appellatus, anno 1227. ad Pontificiam sedem est assumtus. Fridericum II. Imperatorem quod juramentum ab Italis poscceret sacris dimovit, à Romanis Civibus Duce Hunibaldo Româ pulsus Regum Galliæ opem imploravit. Ejus jussu Raymundus Decretalium libros quinque ex prioribus compilationibus collegit anno 1230. vulgatos. Obiit anno 1240.

I. Ex Anecdot. Martene Tom. I. Col. 947.

Mandat confirmari sententiam excommunicationis in ducem Britanniæ, & interdicti in terras ejus latam, & si non resipuerit vasallos ejus ab obedientia illi debita absolvi.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri M Episcopo, & magistris de la Valle & R. de Danfront Canonicis Cenomanensibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

SI nobilis vir Comes Britanniæ potentiam recognosceret à Domino sæculorum, studeret utique ipsam in ejus beneplacitis exercere, diligendo justitiam, quæ diligit diligentes se, & sectando quæ ad omnia valet pietatem. Sed quod dolentes referimus, gratiæ gratis ingratus, quasi de industria recessit à Deo, nec attendens quod sit malum & amarum Dominum reliquisse, nec ejus apud ipsum esse timorem, cor suum contra ipsum pertinaciter elevavit, & spiritu ad superbiam obfirmato, se contra Omnipotentem patenter erexit, eique manifestè rebellans, non solùm tetendit contra eum damnabiliter manum suam, verùm etiam alios ad rebellandum iniquis conjurationibus sibi colligans animavit. Cùm enim sciat, vel scire debeat, quod unica CHRISTI sponsa cum sponso unum est corpus, nec alteri sine altero

in-

ANNO 1228.

injuria vel molestia valeat irrogari : dictus comes, ut sponsam provocet Ecclesiam liberam utique : utpote sanguine CHRISTI redemptam, nititur de terra sua damnabiliter ancillare, non attendens quod non est dignus cum filiis liberæ testamento patris hæres adscribi, qui matrem gestit subjicere servituti ; alias quasi filius degenerans in privignum, matrem multipliciter tribulat & affligit. Præcisos siquidem ab Ecclesiæ corpore per excommunicationis sententiam sibi quasi gratanter incorporans : non solùm eis gratanter communicat, sed alios communicare compellit, quia in curia sua illos ad agendum admittit, nec patitur ut eis excommunicationis sententia opponatur. Quin etiam quemcumque in excommunicatione perdurantem, monitum ab Ecclesia redire ad unitatem Ecclesiæ compellere parvipendit, nec à ballivis, vel subditis suis, compelli permittit. Et sic contemptis Ecclesiæ clavibus, enervatur in partibus illis vigor Ecclesiasticæ disciplinæ in enorme dispendium fidei, & grave scandalum Ecclesiæ generalis. Cùm autem venerabiles fratres nostri, Rhedonensis, Macloviensis, Dolensis, Briocensis, & Trecorensis Episcopi, proinde attendentes quod si non annunciarent impietatem suam impio, ille quidem in impietate sua moreretur ; sanguis autem ejus requireretur de manu eorumdem ; ipsum monuerunt diligenter, ut ad Ecclesiæ rediens unitatem, ab hujusmodi ejus præsumptionibus abstineret : ille renuens accipere disciplinam eligensque perire potiùs quàm parere ; non solùm monitis nullatenus acquievit, sed exinde graviùs indignatus novas nocendi maneries adinvenit. Ut enim alios in errorem suum alliceret multos complices, cum Baronibus & aliis militibus apud Rothonense Monasterium colloquium celebravit, multis iniquè suggessit, quod Ecclesia gravabat eumdem, excommunicans ferè ne faveat prohibendo, astruens quoque fallaciter omnes laïcos ab Ecclesia multipliciter aggravari, & specialiter in tertia parte judicii defunctorum, nec non in decimis subtrahendis de manibus laïcorum, sophisticum, impium, & nequissimum juramentum præstitit, & recepit ab eis, quod servabunt sessivas suas, nec de cætero Ecclesiasticorum sopitas tolerabunt : ut sic sub velamento justitiæ quod de bonis Ecclesiasticorum habent, iniquè retinerent, & qui tenentur reddere non persolvant. Conjuratores autem hujusmodi se reputant obligatos ad excommunicatos minimè devitandos, nec compellendos quantocumque tempore in excommunicatione perstiterint, indurati & ad tertiam partem judicii defunctorum Ecclesiis parochialibus non reddendam, laudabilem consuetudinem pietate fidelium nequiter infringendo, & ad alia multa teneri se credunt quæ vergunt in periculum animarum. Baillivi verò & senescalli comitis supradicti juramentum prænotatum à militibus & aliis hominibus ejus, qui apud Rothonense Monasterium non convenerant, extorquentes, eos expresse ad prædictos articulos obligarunt. Quare prædicti Episcopi nolentes, sicut nec debebant, tantam nequitiam contra Deum & Ecclesiam concinnatam æquanimiter comportare, in omnes illos qui præstiterant, vel præstarent hujusmodi sacramentum, seu præstitutum in Ecclesiarum præjudicium observarent, generalem excommunicationis sententiam pertulerunt : excommunicantes nihilominus comitem nominatum pro eo quod quasi contemnens claves Ecclesiæ, excommunicatos non solùm non vitat, sed nec evitari permittit, eos passim ad agendum & alios actus . . . . . admittendo compellit ut tenetur, vel compelli permittit redire ad Ecclesiæ unitatem. Licet prædictus Redonensis Episcopus in personam ejusdem comitis excommunicationis & interdicti in terram, quam tenet de demanio in diœcesi Redonensi, sententias promulgasset, pro damnis & injustitiis, quas sibi & capitulo Redonensi super hominibus & possessionibus suis temerè irrogarat : propter quod etiam idem Episcopus ad vos nostras litteras impetravit, ut easdem sententias facientes firmitus observari, illos, qui eidem comiti faverent in crimine, censura percellatis eadem : nec permitterentur prædictos Episcopum & capitulum ab eodem comite vel fautoribus suis temerè molestari : molestatores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo : contestaturi nihilominus quod nisi comes ad cor rediens mala attentata celeriter revocaret, & Deo & hominibus satisfaceret competenter, nos absolveremus à fidelitate vassallos ipsius. Cæterum quamvis mandatum Apostolicum fideliter exsequentes, sæpe dictum comitem super hiis monueritis diligenter ; ipse tamen nolens intelligere ut bene agat, non solùm memoratis Episcopis & capitulo satisfacere, & alia revocare, quæ contra Ecclesiam egerat, non curavit : verùm etiam factus de protervo protervior, eosdem Redonensem, Briocensem, Trecorensem Episcopos suis redditibus spoliatos ab Ecclesiis suis exsulare compellis, propter quod exsules ipsi in prædictum comitem excommunicationis sententiam promulgantes, singuli diœceses suas supposuerunt Ecclesiastico interdicto. At dictus comes percussus non dolens, immo malleum velut stipulam reputans, Ecclesias & Ecclesiasticas personas odio prosequitur nequiori ; quia si qui de terra sua injuriantur eisdem quod frequentius & tutius faciunt, scientes se inde illi placere, non solùm injuriam passis defensionis auxilium denegat requisitus : verùm etiam faciens injuriantibus non patitur decimas trahi de manibus laïcorum, nec permittit eos in foro Ecclesiastico super decimis conveniri : & pietatis invisor terrarum eleemosynas Ecclesiis non sustinet fieri consuetas, Ecclesias modis omnibus quibus potest evacuat & enervat. Clericorum autem parentes & alios consanguineos, si laïcos super aliquibus injuriis auctoritate Apostolicâ, seu Metropolitanicâ extra suam diœcesim trahunt in causam, comes & baillivi ejus capi faciunt, & à subditis ejus capi permittunt, & tamdiu detineri captivos, donec renuntient quæstioni : alias Ecclesias, breviter, intolerabilibus cruciat injuriis & jacturis, sicut nobis prædictorum Episcoporum lacrymosa querela ; & aliorum Prælatorum fide dignorum solemnis insinuatio patefecit. Cùm igitur tanta sævitia vel perfidia non sit ulterius toleranda, cùm etsi ex se minus sit enormis, multo tamen propter exempli perniciem existens enormior, facilè posset in subversionem fidei & Ecclesiasticæ libertatis exterminium redundare : discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictas & excommunicationis & interdicti sententias solemniter publicantes, & facientes per partes publicari vicinas, renovetis easdem singulis Dominicis diebus & festivis, & faciatis auctoritate nostrâ, submoto appellationis obstaculo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, totamque terram ejus, necnon loca ad quæ idem comes pervenerit superponentes Ecclesiastico interdicto : ita quod ibi nullum divinum offi ium celebretur, præter pœnitentiam morientium &

ANNO 1228.

baptismata parvulorum, donec idem comes super præmissis omnibus satisfaciat competenter. Prænotatum autem juramentum apud Rothonense monasterium celebratum, quod præsumptum illicitè, licitè servari non potest, mutantes, juratores ut id abjurent, appellatione remotâ, per censuram Ecclesiasticam compellatis. Clericos quoque in ejus servitio familiariter commorantes, ut ab ipso recedant, monitione præmissâ, per subtractionem beneficiorum & excommunicationis sententiam, appellatione remotâ, cogatis. Alios quoque complices & fautores, nisi moniti resipuerint, sententiâ simili percellatis. Quod si fortè dictus comes nec sic ad cor redierit, ut Deo & Ecclesiæ, & injuriam passis super præmissis omnibus intra quatuor menses postquam à vobis monitus fuerit, satisfactionem exhibeat competentem; vassos & confœderatos ejus à fidelitatis & confœderationis ipsius juramentis penitùs absolvatis. Quod si non omnes hiis exsequendis potestis interesse: tu ea, frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Verùm quia qui medicinalem Petri gladium non formidant, sæculari sunt gladio comprimendi, ne de sua malitia glorientur; Serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur attentè, quatenus prudenter attendens, quod nisi præfatus comes in hujusmodi protervia confundantur, gravia inde pericula possent formidari, fidei zelo succensus, & parentum suorum exemplis inhærens, illum ut ad Ecclesiæ redeat unitatem tradità tibi cœlitus potestate compellat, ita prosecuturus com. . . . . CHRISTI, quod exinde propitiationem divinam uberiùs merearis, & nos sinceritatem tuam debeamus meritò commendare.

Datum Assisii IV. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno II.

II. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 954.

Ad universos Episcopos & Ecclesiæ Prælatos, ut fratres Prædicatores ad officium prædicationis, & confessiones audiendas benignè recipiant.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & aliis Ecclesiarum Prælatis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUONIAM abundavit iniquitas & refriguit charitas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærentes, tàm contra promulgatas hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicaverat in evangelizatione verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum fratrum propositum & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos. Caritatem vestram rogantes & exhortantes in Domino, ac per Apostolica scripta mandantes, quatinus dilectos filios fratres ordinis memorati pro reverentia divina & nostra ad officium prædicandi ad quod sunt ex professione sui ordinis deputati recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi dei semen devotè suscipiant, & confiteantur eisdem, cum ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire & pœnitentias injungere, sedulò ammonentes pro vestra & Apostolicæ sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati tamquam bona ac fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum feliciùs consummando, optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum. Quia verò sæpe vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & angelus satanæ in angelum lucis se plerumque simulate transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus si qui de Prædicatorum fratrum ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint, ad questum se pecuniæ convertendo, per quod religionem eorum qui paupertatem professi sunt contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem.

Datum Lateranis XVII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri: Anno III.

III. Saracini notiche Istoriche d'Ancona.

Anconitanos arguit ob commissa scelera in Episcopum Belluacensem, & ni obediant mandatis sedis Apostolicæ, eis excommunicationis sententiam minatur.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, potestati & populo Anconitano.

VESTRIS excessibus imputandum quod nostræ salutationes alloquium nos, vobis cogitis denegare, cùm exigentibus culpis vestris, & reddideritis vos indignos; dum enim rebellionis vestræ protervitas, dum enormitas vestrorum excessuum diversorum ad memoriam reducuntur, non ad præmia conferenda; sed ad pœnam inferendam potiùs provocamur; vos autem divinæ patientiæ improvidi abusores gratiæ nostræ, & obliti beneficiorum à sede Apostolica perceptorum non attendentes qualiter, monetam comitatum Portum, & alia jura, quæ nullis de Marchia sunt concessa ad nostram curiam pertinentia; Ecclesia Romana vos substinuit hactenus habuisse, olim Othoni tunc excommunicato ab alienati, retrorsum matris vestræ dulcedine abutentes; necnon ut comiti Celenensi & aliis Ecclesiæ inimicis, violata religione fidei adhæsistis, ac cæteris redeuntibus in pertinacia vestra persistitis diutiùs nimium impudenter, & quia non ista sufficerent, conversâ dexterâ in viscera matris vestræ conspirantes, conjurationes cùm quibusdam sequacibus vestris, contra Ven. Fratrem nostrum Belluacensem Episcopum, tunc Marchiæ Rectorem damnabiliter inistis, non absque nostra injuria manifesta; & quia Romana Ecclesia hæc hactenus per patientiam toleravit, ut vos ad pœnitentiam revocaret; propter quod pœnitentes excessum commissorum à committendis debueratis causis abstinere; vos peccata peccatis addentes proteriores effecti, nec (per sicut accepimus) & non utique acceptamus; immò grave gerimus, & molestum, cùm Auximatis excommunicatis conjurationes denuò, & conspirationes alias facere præsumpsistis contra constitutiones, & pœnas super hoc æditas & excommunicationis sententiam dilecti filii nostri &c. Tituli Sancte Praxedis Præsbyteri Cardinalis Rectoris Marchiæ temerè, veniendo in nostram & Apostolicæ sedis injuriam & contemptum,

ANNO 1234.

quia verò nil infelicitùs fœlicitate peccantium, quàm penalis impunitas fuſtinetur, & frequenter miſericordia eſt invicta; quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, cùm non attendatis obducti cœca caligine prærogativam honoris, & gratia, quam vos ſæpiùs à ſede Apoſtolica præcepiſtis, & dignum ſit, ut qui ex proſperis inſanivit; vos adverſa proſternant. Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, ob debito fidelitatis, & pœna mille Marcharum, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus præter juratoriam idoneam, & ſufficientiſſimam cautionem de ſtando præciſè mandatis noſtris; Vicariis, Rectoribus ejuſdem, infra unius menſis ſpatium à præſentium receptione præſentis; & tu Poteſtas cum Sindico, & ſex de majoribus Civitatis noſtræ plenè à communi mandatum habentibus, ad præſentiam noſtram accedas; mandatum Apoſtolicum recepturus, alioquin cum privilegium mercatur amittere, qui præmiſſa ſibi abutitur poteſtate, omnibus præmiſſis beneficiis, & privilegiis, ſeu conceſſionibus ſuper hoc obtentis à ſede Apoſtolica; Vos privamus, dantes venerabili Fratri noſtro Auximano Epiſcopo, & dilecto filio noſtro magiſtro Cæſario Vicario Lectoris ejuſdem, noſtris litteris in mandatis. Ut vos privatos hujuſmodi beneficiis, ſeu conceſſionibus, juxta mandatum noſtrum, ac de poteſtate, & conſilium excommunicatos per totam diœceſim Aconitanam, & partes vicinas publicè nuntient, & faciant ab omnibus tanquam excommunicatos artiùs evictari, & vicinarum interdici vobis commercia civitatum, & civitatem ipſam Eccleſiaſtico interdicto ſupponat contradicentes, &c.

Datum Laterani, x. Kalendas Decembris: Anno ſeptimo.

Quod Theobaldus Navarræ, Rex revocet ſtatuta contra libertatem Eccleſiæ: Anno 1236.

I V. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 993.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio illuſtri Regi Navarræ & comiti Campaniæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

REx qui Regni regit æterni dominium, qui erexit Eccleſiam ſuper Catholicæ fidei fundamentum, Reges terrarum ad ipſius Eccleſiæ obſequium ſuis monitis excitans, & orbis principes multis ad ejus devotionem exemplis invitans, illam præcipit a mortalibus honorari, pro qua ipſe immortalis formam ſervi accipiens, crucis patibulum & mortis non expavit ſubire tormentum, exaltans illum qui miniſtris ipſius præſtat obſequium, & Regnum ei ſuâ miſeratione perpetuans, qui ad tempus ſponſæ ſuæ votis favorabiliter obſecundat. Porrò, fili chariſſimè, in progenitoribus chariſſimi in CHRISTO filii noſtri Franciæ Regis illuſtris, & præſertim inclytæ recordationis CAROLO-MAGNO colligere poteris evidenter, diligenter attendens qualiter idem CAROLUS Romano Pontifici Vicario JESU-CHRISTI & ſucceſſori Beati PETRI, cui Dominus terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura commiſit, obediens pro defenſione Eccleſiæ, ſe laboribus & anguſtiis multis expoſuit, quantum exinde honoris, laudis & gloriæ reportavit. Sed forſan ad tuam notitiam non pervenit quod idem contra perſecutores ipſius Eccleſiæ regium pluries congregans exercitum bellatorum, de ipſis magnificè triumphavit; & Imperatore Conſtantinopolitano Eccleſiaſticam negligente, defendere libertatem, Eccleſia gladii ſpiritualis & materialis optinens à Domino poteſtatem, ut alterum ipſa exerceat, & ut alterum indicet, Imperium eidem CAROLO, qui non ſolùm violatores libertatis Eccleſiaſticæ, ſed & rerum Eccleſiaſticarum ſuâ virtute compeſcuit turbatores, contulit, & ipſum alias immenſis gloriæ titulis inſignivit, in perſonam ejus continuans gratiam, quam retroactis temporibus ZACHARIAS Papa PIPINO patri ſuo fecerat, quem ad Regni Francorum ſolium exaltarat. Propter quod ipſe CAROLUS Eccleſiam à qua omnem honorem ſuſceperat; cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipſius juriſdictioni ſubjecti, ſtatutum à Theodoſio Imperatore pro Eccleſiæ libertate editum inviolabiliter obſervarent; videlicet ut quicumque litem habens, ſive petitor fuerit, vel initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cùm negotium peroratur, ſive cùm jam cœperit promi ſententia, ſi judicium el gerit ſacroſanctæ ſedis antiſtis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi pars altera refragatur, ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur, & omnes cauſæ quæ prætorio, & etiam civili jure tractantur, Epiſcoporum terminatæ ſententiis perpetuæ robur obtineant firmitatis, & negotium quod judicio ipſorum deciditur, nequaquam ulterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifeſtâ potes ratione perpendere, quantùm iniquum videatur & abſonum, ſi honor Eccleſiæ, quæ tam grandis libertatis privilegio donata cognoſcitur, in illis immunitatibus, quæ multò prædictis noſcuntur eſſe minores, tuo & tempore decurtetur. Cæterum non ſolùm reliqui ejuſdem Regis prædeceſſores, ſed & progenitores tui exaltationem Eccleſiarum propriam exemplo ſimili reputantes, ſe Chriſtianæ fidei, ſe matris conſtituerunt Eccleſiæ defenſores; & ſtudioſius attendentes, quod Deo, qui eos multæ potentiæ gloria ſublimarat, nihil rependere poterant ſimile; ut tamen oſtenderent ingratitudinis vitio ſe carere. Eccleſias multis dotarunt facultatibus immenſis, donaverunt libertatibus, vel etiam potiùs à qua ipſi omnem poteſtatem acceperant, in libertate debita ſervaverunt, reputantes indignum, ut locus ubi divinum nomen excollitur, ubi CHRISTUS in altaris hoſtia in noſtrorum redemptionem criminum immolatur, alicujus ſubjiciatur oneribus, cum ſit ſupra intellectum hominis honorandus. Si ergo propriæ ſervat propago vitis originem, ſi ſuccus idem ramos vivificat & radicem, vix creditur, ut eiſdem progenitoribus tuis, quibus parificaris honore dominii, patiaris te contrarium moribus & inferiorem virtutum actibus inveniri. Quin imò ſperamus quod gratia bonitatis quæ eiſdem progenitoribus tuis quaſi erat innata, ad tuam derivata perſonam, te nihil permittat efficere quod libertati & honori Romanæ Eccleſiæ & membrorum ejus poſſit in aliquo derogare; cum ſapor fontium conceſſus origini fluentibus in ipſo rivulis non valeat abnegari. Sed ecce audivimus & dolemus, quod chariſſimus in CHRISTO filius noſter Franciæ Rex illuſtris, tu, & alii Barones malorum uſi conſilio Eccleſiam, quæ vos ex utero ſanctificationis regeneravit in filios, ac pro ſalute veſtra immaculatum Agnum offert jugiter Deo Patri, in ſervitutem cupientes redigere, ut jam non liberæ velitis vocari filii, ſed ancillæ; immò ſponſam Regis æterni, qui eos ſuo ſanguine à ſervitute perpetua liberavit, conantes miſerabiliter ancillare, communi ſtatu-

ANNO 1236.

to, vel potiùs destitutione contra libertatem ipsius, sicut dicitur, firmavistis, ut homines vestri viris Ecclesiasticis, vel Ecclesiarum hominibus in foro non teneantur Ecclesiastico respondere: quin immò si judex Ecclesiasticus in eos ob contumaciam excommunicationis sententiam tulerit, hujusmodi sententiam rerum occupatione suarum, vel eorum ad quorum instantiam excommunicati fuerant, in contemptum clavium Ecclesiæ, adversus quas non possunt portæ inferi prævalere, relaxare cogatur: & quod deterius est, Archiepiscopos, Episcopos & alias personas Ecclesiasticas, & eorum homines super quibuscumque causis civilibus, ordinem juris scripti & antiquæ consuetudinis pervertentes, vestro parere judicio coartatis, licèt ab antiquis temporibus ea libertate usque ad hæc tempora in Regno Franciæ observata, usa fuerit Ecclesia Gallicana, ut laïci personis Ecclesiasticis & Ecclesiarum hominibus in judicio Ecclesiastico responderent. Sed ecce convenit, immò ad tui honoris incrementum accedet, quod frequenter infra pectoris tui arcana revolvens, quod non solum prædecessores tui, quibus ex honore impenso Ecclesiæ multiplicis laudis titulus & honoris accrevit, totis eam studuerunt viribus honorare; sed & multis retroactis temporibus Valentianus Imperator suffraganeis „ Mediolanensis dixit Ecclesiæ: Talem in Pon„ tificali constituite sede, cui & nos qui guber„ namus Imperium sincerè nostra summitamus „ capita, & ad ejus monita, dum tamquam ho„ mines delinquimus, necessario veluti ad curan„ tis medicamina recurramus, aures tuas illis si qui te ad afflictionem Ecclesiarum pravis seductionibus nitantur inducere, minimè præbeas, & ea tibi suggerentibus quibus animæ detrimentum incurris auditum penitùs interdicas. Hinc est quod excellentiam regiam rogandam duximus & monendam, quatenus cum signaculum crucis profecturus in subsidium Terræ sanctæ susceperis, & personam tuam pro Dei & Ecclesiæ servitio multis laboribus & periculis deputaveris, ac ob id te oporteat summa providere cautela, ne quid à tua serenitate contingat fieri, propter quod vas tanti possit meriti vacuari, ob divinæ reverentiam majestatis & Apostolicæ sedis honorem, statutum prædictum & alia Ecclesiasticæ contraria libertati, quantum in te est revocans, & procurans ab eisdem Rege & baronibus revocari, ac Ecclesiam Gallicanam in pristino statu & honore conservans, eam non molestes, nec patiaris ab aliis molestari; quin immò viros Ecclesiasticos indulta tibi cœlitus potestate protegens, & defendens, rebelles Ecclesiæ ad ipsius mandatum & unitatem redire compellas: ita quod ex hoc Deum aliquatenus non offendas. Cæterum cum olim felicis recordationis Honorius Papa prædecessor noster in omnes aliqua statuta contra Ecclesiæ libertatem edentes, nisi infra duos menses statuta ipsa revocent, excommunicationis sententiam tulerit; & super hoc canonem latæ sententiæ promulgarit, nos ipsius tenorem tibi ne id tuam serenitatem lateat duximus transmittendum. Qui talis est. *Noveritis quod nos nuper in Basilica principis Apostolorum, præsente carissimo in Christo filio nostro F. illustri Romanorum Imperatore & semper Augusto, in celebratione Missarum, postquam capiti suo imposuimus imperii diadema, de consilio fratrum nostrorum, accensis candelis, excommunicavimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & fautores, receptatores & defensores eorum, necnon & qui de cætero servari fecerint statuta, edita, consuetudines vel potiùs abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem, nisi ea capitularibus suis infra duos menses post hujusmodi sententiæ publicationem, fecerint amoveri. Item excommunicamus statuarios & scriptores statutorum, necnon potestates, consules, rectores, consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta vel consuetudines editæ fuerint vel servatæ, necnon & illos qui secundum ea præsumserint judicare, vel publicam formam scribere judicata.*

Datum Viterbii XII. Kalendas Martii, Pontificatus nostri: Anno IX.

INNOCENTIUS IV.

PONTIFEX CLXXXII.

ANNO DOMINI MCCXLIII.

ANNO 1243.

INnocentius IV. Genuensis Sinibaldus Filiscus, priùs appellatus anno 1243. Pontifex est electus. Patris Juris elogium ob ejus singulariter peritiam obtinuit. Commentarios scripsit in libros Decretalium Gregorii IX. Celebravit Concilium Lugdunense primum adversus Imperatorem Fridericum. Purpureum Galerum Cardinalibus S. R. E. concessit. Obiit anno 1254. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 82.)

I. Saracini notizie Istoriche d'Ancona. pag. ...

Quod Auximani teneantur reficere damna illata, per exercitum Friderici Imperatoris populo Anconitano: Anno 1246.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Episcopo Anconitano, indevoti Deo & Ecclesiæ.

NONNULLI de Civitate Auximana, postquam Friderico quondam Imperatori damnabiliter adhæserunt, tùm in hoc potissimum moliti experiri sævitiam, quod Anconitanam Ecclesiam ex diris injuriis affecerint, & jacturis enormibus deformarent; cùm autem propter hoc ipsa Ecclesia, quasi ad nichilum sicut accepimus sit redacta; nos eam debita consolationis volentes delinere remediis, & ejusdem persecutoribus condignè merita compensare mercedis præsentium auctoritate statuimus, ut dicti Auximani omniaque per se ipsos: vel eorum procuratores per exercitum præfati Friderici à tempore; quo ipse occupavit Marchiam, de jam dictis bonis Ecclesiæ sunt comsumpta restaurare teneantur; nulli ergo constitutionis, &c. dat. ... Non: Idus Maii: Anno quarto.

II. Saracini notizie Istoriche d'Ancona. pag.

Facultatem dat Episcopo Anconitano revocandi. quæcumque bona in feudum tenerent Alfini, Auximani, &c.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Episcopo Anconitano.

NE glorientur reprobi suæ perversitatis opera, sive condignis meritorum stipendiis præteritis gementibus filiis Ecclesiæ, quod multis, per illos gravati fuerint detrimentis, deceat

pro-

ANNO 1243.

providentiâ ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc ad conſolationem mentium ſalubriter providere; ſanè tua inſinuatione percepimus, quod nonnulli Aeſini, Senogallienſes, & Auximanæ civitatum & diœceſum prædictarum Eccleſiarum Frederico quondam Imperatori damnabiliter adhærentes, Anconitanam Eccleſiam, cujus quidam ex ejus feudatariisque, alii verò cenſuales exiſtunt, turbare diverſis injuriis, & pravis præſumpſerunt afficere nocumentis, ut autem eis digni ſint in diſpendium, quod ab iniquitate ipſorum taliter eſſe præſumptum Fraternitati tuæ per tenorem præſentium concedimus facultatem, ut terras, poſſeſſiones, & alia quæ in feudum, ſeu ſub annuo cenſu ipſi ab Anconitana Eccleſia tenerent ad manus, liberè revocare valeas, & aliis perſonis conferre Apoſtolicæ ſedis devotis auctoritate præſentium concedimus facultatem.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1029.

Quod Fratres Prædicatores obſequiis Prælatorum, ac Principum immorantes ſuis ſuperioribus devotè obediant.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis fratrum Prædicatorum in Alemannia conſtitutis, qui Prælatorum aut Principum obſequiis immorantur, vel eidem ſunt modo aliquo deputati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IN conſpectu Dei & hominum decens & expediens eſſe dignoſcitur, ut præclara religio, quam fratres veſtri Ordinis prætendunt habitu oſtendatur effectu: in eo præcipuè qui ſe, ſuos, & ſua reliquerunt, obtentu divini nominis, nihil ſibi retineant propriæ voluntatis, ſed obedientiæ jugum cum diſtrictione pertrahant, ut ſic divina propitiante clementia perennis vitæ bravium comprehendant. Cum itaque Apoſtolici dignitas depoſcit officii perſonas divinis adſcriptas laudibus ſpecialiter ad ea quæ ſalutis exiſtunt opportunis temporibus exhortari; univerſitatem veſtram rogamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto per Apoſtolica vobis ſcripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus præ oculis diligenter habito quid profeſſi fueritis, quando Religionis habitum aſſumſiſtis, omni occaſione poſtpoſita dilectis filiis magiſtro & priori provinciali veſtris, ac eorum vicariis ordinis memorati ſic ſtudeatis reverenter intendere, ac humiliter obedire, quod eis & ceteris fratribus ipſius ordinis vertatur in gaudium & vobis redundet ad cumulum meritorum; alioquin ne veſtræ inconſultæ voluntatis arbitrium ſit vobis in perniciem, & pacem præfati ordinis ſcandalo damnoſo perturbet, prædictis magiſtro & priori, ac vicariis eorum damus noſtris litteris in mandatis, ut vos ad id per cenſuram Eccleſiaſticam & ſublationem habitus, ac per tranſlationem ad alium ordinem congruentem, monitione præmiſſa, ceſſante appellatione, compellant; Non obſtante aliquo privilegio vel indulgentia, vobis ſeu quibuſlibet aliis ab Apoſtolica ſede conceſſis, de quibus in litteris noſtris plenam, aut expreſſam oporteat fieri mentionem. Datum Lugduni II. Kalendas Decembris Pontificatus noſtri anno VII.

Privilegium Civibus Inſulæ Majoricarum, ne in poſterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo, ac dilectis Filiis Clero, Conſulibus, Juratis, & univerſitati Inſulæ Majoricarum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PROpter maris pericula Inſulam veſtram undique circumdantis, ac frequentes piratarum, ac paganorum incurſus ad Terram firmam diſtantem ab Inſula ipſa fieri per ducenta milliaria, prout aſſeritis, pervenire ſinè gravi diſpendio non poteſtis. Cum itaque nonnulli, ſicùt accepimus ad loca remota, ſæpe vos citari procurent, & propter impedimenta præmiſſa litibus cedere, ſeù cum Adverſariis damnoſas inire cogamini pactiones. Nos obtentu Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Aragonum, qui favente divinæ virtutis auxilio dictam inſulam de manibus Paganorum eripuit, & pro vobis Apoſtolicam gratiam per ſpeciales Litteras imploravit, diſpendiis veſtris in hac parte occurrere ſollicitudine paterna, volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut per litteras Apoſtolicæ Sedis aut Legatorum ejus, quæ de ipſa Inſula, & Indulgentia hujuſmodi plenam, & expreſſam non fecerint mentionem extra eandem Inſulam, ſupèr bonis, quæ infra ipſam habebitis vos, vel aliquis veſtrum non poſſitis de cætero ab aliquibus conveniri dummodò parati ſitis ibidem coràm competenti Judice de vobis conquerentibus Juſtitiæ plenitudinem exhibere. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni prid. Idus Maii Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

V. Ex Archivis Reipub. Genevenſis exprompta.

Quâ Epiſcopo Genevenſi permittit omnibus illis qui eum vel ejus Diœceſis Eccleſias mœrore afficiunt, ſacris myſteriis interdicere.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Gebennenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

PEtitio tua nobis exhibita continebat quod nonnulli Nobiles & Barones tuæ diœceſis ad bona Eccleſiarum ipſius diœceſis manus avidas extendentes, bona ipſa frequenter diripiunt ac Eccleſias ipſas & perſonas eccleſiaſticas ac te etiam gravibus afficiunt injuriis & jacturis.

Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut ſuper hoc adhibere ſalubre remedium curaremus. Tuis igitur ſupplicationibus inclinati, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut tales quod ab hujuſmodi deſiſtant injuriis per excommunicationis in perſonas & in terras eorum interdicti ſententias mediante juſticia valeas cohercere.

Non obſtante ſi aliquibus à ſede Apoſtolica ſit indultum quod interdici vel excommuni

ANNO 1243.

cari non possint, vel terræ eorum supponi ecclesiastico interdicto, seu quod non possint conveniri coram ordinario vel alio quocunque judice per litteras sedis ipsius quandiu parati fuerint coram deputatis eis ab eadem sede judicibus respondere absque speciali dictæ sedis mandato faciente plenam de indulto hujus-modi mentionem, sive aliqua alia indulgentia prædictæ sedis generali vel speciali de qua vel cujus toto tenore oporteat in nostris litteris mentionem fieri & per quam effectus præsentium impediri valeat vel differri.

Datum Lugduni, III. Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

Johannes Pann.

VI. Ex MSS. P. P. Prædicat. Rothomagensium.

Quod nulli ex Fratribus Prædicatoribus liceat in electionem vel postulationem de se factam ad Episcopatum, vel alias dignitates invitis superioribus, consentire. Quodque nullus Archiepiscopus nec Apostolicæ sedis Legatus, aliquem de fratribus ad Episcopatum vel alias dignitates assumere præsumat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro ordinis Fratrum Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui fratres tui ordinis in aliquibus Ecclesiis in Episcopos eliguntur vel postulantur: iidem fratres, licet proprium velle non habebant aut nolle propter hoc quod renunciaverunt mundo & propriæ voluntati, & per se nequeant consentire, tamen irrequisitis prioribus suis provincialibus, quorum licentia & Testimonium essent in talibus requirenda, dum electionibus, sive postulationibus de se factis temere consentiunt, & locorum Archiepiscopi fratres ipsos in Episcopos assumere ac ordinare præsumunt: propter quod plerumque in eodem ordine scandalum generatur, super quo provideri per sedem Apostolicam humiliter postulatis.

Cum autem prædictum ordinem, cum sit rectæ vitæ speculum, salutiferæ conversationis exemplar, velimus semper de bono in melius, Deo propitio, prosperari: auctoritate præsentium de speciali gratia districtius inhibemus, ut nulli præfati ordinis fratres, si eos in Episcopos eligi, aut postulari forte contigerit electioni sive postulationi de se factæ audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicumque alius prælatus, vel etiam Legatus sedis ipsius dictos fratres, nisi de tua, vel ipsorum priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia & consensu, aut sedis ejusdem speciali mandato ad Episcopatus & alias dignitates extra dictum ordinem assumere vel ordinare præsumat.

Nos enim decernimus irritum & inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi à quibuscumque contigerit attentari auctoritate Sedis Apostolicæ semper salva. Nulli ergo &c. Datum Perusii III. Id. Julii, Pontificatus nostri anno IV.

Similes postmodum Litteras dedit Clemens Papa IV. Viterbii III. Calendas Junii Pontificatus sui anno IV.

Ordo sanctæ Crucis Huyensis Leodiensis Diœcesis, approbatus & confirmatus per Innocentium IV. sub Regula S. Augustini & Constitutionibus Fratrum Prædicatorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Dilecto filio Electo Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm dilecti filii prior & fratres Sanctæ crucis Leodiensis Dioecesis supradictæ secundum Regulam sancti Augustini & quasdam Institutiones fratrum prædicatorum, sicut asserunt, Domino famulari nobis humiliter supplicaverint, ut ipsis utendi Divinis officiis & institutionibus eorundem licentiam largiremur, ita tamen quod alium habitum deferre valeant, ac possessiones recipere, si eis pietatis intuitu à Christi fidelibus conferantur. Volentes igitur in hac parte tibi deferre, qui eorum Dioecesanus existis, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus eisdem authoritate nostra postulata concedas, si videris expedire. Datum Lugduni decimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Sequitur Littera executoria Electi Leodiensis super commissione sibi facta.

HEnricus Dei gratia Leodiensis Ecclesiæ Electus Dilectis filiis priori & fratribus Sanctæ Crucis extra muros oppidi Huyensis nostræ Dioecesis salutem in Domino. Noveritis, quod cum in anno à Nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo ultima die mensis Novembris recepimus per manus vestras quasdam Litteras Apostolicas à Sanctissimo in Christo Innocentio quarto Divina providentia nobis specialiter directas quarum tenor de verbo ad verbum noscitur esse talis: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei etc. ut proximè suprà. Super quod mandatum Apostolicum nos qui de approbatione & confirmatione ordinis *Cruciferorum sub titulo Sanctæ Crucis* per certa indulta Apostolica verissimè sumus informati, vosque fons, & tanquam Caput totius ordinis memorati in Loco vestro propè Huyum nostræ Leodiensis Diœcesis per Sedem Apostolicam institûti, & quia Ecclesiam Christi fidelibus temporibus nostris diligenter affectamus augmentare, ac etiam vos Crucis servitores ob reverentiam cruciferi, in cujus titulo & passione estis vos reverenter signati, in vestris bonis affectionibus & contemplationibus conservare Divinis per nostrum consilium cum matura & discreta deliberatione, visa & considerata supplicatione vestra in litteris Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Papæ, nostræ consensu & specialiter ad experientiam nostram commissa, etiamque Beati Augustini Regula approbata, visisque Institutionibus fratrum Prædicatorum, inter quos prædictas institutiones plurima Capitula cum prologo præcedenti, videlicet, *Quoniam ex præcepto Regulæ iubemur habere* cor unum, & *animam unam in Domino* etc. ad usum vestrum, (prout nobis promisistis) in eodem libro compilantur, qui Liber Institutionum, seu statutorum nuncupatur, in quo primo determinat de officio Ecclesiæ, & Inclinationibus, de suffragiis mortuorum, de jejuniis, de cibo & colatione, de Inclinationibus, de infirmis & minutione, de Lectis & vestitu, de rasura & silentio, de

ANNO 1243.

VII. Extracta ex Manusc. parvo Bullario Conventus S. Crucis Parisiensis.

reci-

ANNO 1248.

recipiendis novitiis & eorum instructione, de professione quæ primò debet fieri ab omnibus profitentibus in quibuscumque Domibus existentibus Priori Huyensi, prout in dicta Constitutione plenius continetur de levi culpa, de gravi culpa, de graviori, & gravissima culpa, de apostatis, de Domibus concedendis & construendis, de electione priorum, qui omnes per Priorem Huyensem tenentur confirmari & instituì, de electione Definitorum Capituli generalis, de Capitulo quotidiano, de Capitulo generali quod quolibet anno in Huyense celebratur, ad quod Capitulum omnes priores . . . . . vel procuratores Domus suæ, sive Conventus convenire sunt astricti. De visitatoribus qui per priorem Huyensem committuntur nisi de se voluerit visitare, & priores exules super filias domus, secundum quod in dicta Constitutione continetur. De Itinerantibus, de Conversis, sub quibus Institutionibus, seu Constitutionibus præmissis vobis & successoribus vestris, omnibusque aliis fratribus habitum deferentibus sanctæ Crucis, & à Domo vestra dependentibus, in quibuscumque locis existentibus tam præsentibus quàm futuris utendi de Divinis officiis & Institutionibus præmissis, ac etiam tenendi possessiones in communi si à Christi fidelibus vobis, & omnibus membris vestris intuitu pietatis conferantur, authoritate Domini nostri Papæ in hac parte nobis commissa concedimus facultatem, atque pro temporibus futuris vos, & successores vestros in perpetuum secundum Constitutiones, seu Institutiones præmissas & Regulam B. Augustini memoratam regulariter vivere autoritate præmissa per præsentes concedimus, in cujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro fecimus insigniri. Datum in Castro nostro Huyensi Anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, ultima die mensis Decembris.

ALEXANDER QUARTUS PONTIFEX CLXXXIII.

ANNO DOMINI MCCLIV.

ANNO 1254.

ALexander Anagninus, antea Raynaldus, vel Rolandus nuncupatus Innocentium excepit, sub quò Guelphorum, & Gibelinorum turbis Italia æstuabat. Obiit anno 1261. Pontificatus Sexto. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 106.)

I. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1059.

Revocatio quarundam literarum, & sententiæ ab Innocentio IV. latæ in Regulares: anno 1254.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Venerabilibus universis Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & cæteris personis Ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus, cujuscumque ordinis & professionis existant, salutem & Apostolicam benedictionem.

NOn insolitum est neque novum, ut ea quæ per occupationem vel in festinantia fiunt, pro eo quod congruè lineam deliberationis præterunt, in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora & elimatiora per attentionem plenioris discussionis emanent. Sanè quædam ab Apostolica Sede tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri litteræ processerunt; in quibus ipse universis religiosis cujuscumque professionis vel ordinis existant, districtè in virtute sanctæ obedientiæ injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis & festivis non reciperent de cetero in suis Ecclesiis seu Oratoriis temerè ad divina, nec ipsos ullatenus ad pœnitentiam admitterent, sine suorum Licentia Sacerdotum: nec eis in suis prædicarent Ecclesiis ante Missarum Solemnia, pro quibus audiendis prima diei parte iidem parochiani consueverunt, & debent in suis Ecclesiis convenire: nec sermones etiam solemnes facerent illa hora, sed nec ad prædicandum solemniter ad Parochias alienas accederent nisi essent ab earum sacerdotibus invitati; vel saltem nisi se ad id humiliter paterent & obtinerent admitti; nec ea die qua Diocesanus Episcopus vel alius loco ejus prædicaret solemniter maximè in Ecclesia cathedrali, aliquis ipsorum in eadem civitate vel loco præsumeret prædicare. Si verò in casu licito Parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omniumque obtentu consequerentur hujusmodi sepulturæ portionem canonicam, vel non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum Episcopo vel Sacerdoti de cujus Parochia mortuus est assumptus exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum hujusmodi transgressor contra prædicta vel aliqua prædictorum venire præsumeret, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subjaceret, & nihilominus à Diocesano ad præmissa & singula observanda per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra hujusmodi indulgentiis & privilegiis Apostolicis valituris. Verum quia super præmissis Litteris cogitare attentius & studiosius deliberare proponimus pacis commodum, & quietis solatium Ecclesiis & personis Ecclesiasticis potissimè cupientes præfatas litteras & si quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo contra præfatos religiosos & aliquos ex ipsis, generaliter & specialiter, præter formam communem & solitam processere, ac mandata seu præcepta facta in eis, vel earum auctoritate duximus penitus revocanda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per hujusmodi litteras vel occasione mandatorum seu præceptorum aut sententiæ quam continent, nihil prorsus agatis cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem.

Datum Neapoli XI. Calendas Januarii Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1254.

II. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1060.

Quod nullus fratrum Prædicatorum alii possit peccata confiteri, quàm suis Prælatis, nisi urgente necessitate: anno 1254.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm magister & Priores Ordinis vestri more periti medici vinum & oleum sciant infundere vulneribus sauciati, auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne aliquis vestrum aliis quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat nisi necessitatis urgente periculo, vel nisi forsan dictus magister vel Prior proprius alicui fratri licentiam

ANNO 1255.

dederit fr atri alteri ejusdem Ordinis confitendi. Nulli ergo &c.

Datum Neapoli VIII. Calendas Martii Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1063.

Quod Fratres Prædicatores & Minores in Diœcesibus eorum constituti, vel qui ad præsentiam Prælatorum pervenerint permittantur uti liberè suis observantiis, statutis & Indulgentiis Apostolicæ Sedis: anno 1255.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus prioribus, decanis, Archidiaconis, præpositis, archipresbyteris & aliis Ecclesiarum prælatis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PAtris æterni benignitas pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute inter personas plurimas divinis obsequiis deputatas viros in Ecclesia sua sancta constituit conversationis & vitæ honestate conspicuos, ac scientiæ titulis insignitos. Hi sunt dilecti Deo & hominibus fratres ordinis Prædicatorum & minorum, qui suum semper affectum ad amorem cœlestium dirigentes, virtutem nominis divini per orbem terræ publicant, & pro christianæ religionis ampliando cultu vigili attentione desudant. Hi sunt qui vitam & merita Beatissimi Pauli Apostoli contemplantes gloriantur in sola cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis Paradisi. Hi sunt qui hostes animæ per scutum fidei & loricam justitiæ & gladium Spiritus, salutis galeam & hastam perseverantiæ debellantes, obtinere satagunt, ut catholicis universis fidei, spei & charitatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat, & hæreticæ pravitatis insania evanescat.

De tantorum siquidem meritorum provenit claritate, quod vos fratres eosdem effectu sincerissimo in Christo diligimus, & ipsos ubique terrarum statu gaudere pacifico affectamus, pro re indigna & nimis amara ducentes, si quis de numero fidelium, & potissimè prælatorum, eos aliquibus turbat injuriis vel offensis. Rogamus itaque devotionem vestram, & per Dei misericordiam obsecramus, per Apostolica Scripta vobis mandantes, ac in remissione peccaminum injungentes, quatenus illos qui sunt in vestris civitatibus & diocesibus constituti, seu qui in præsentiam vestram quandocumque pervenerint pro divina & nostra reverentia affabiliter ac benigne recipere, ac eos vestræ caritatis studeatis affluentia confovere permittendo ipsos uti liberè regularibus eorum observantiis & statutis per Sedem Apostolicam approbatis, ac etiam indulgentiis & litteris quas circumspecta pietas sedis ejusdem eis olim concessisse dignoscitur de gratia speciali. Ceterum prædictos fratres de favoris vestri plenitudine plenius honorantes, eis liberaliter concedatis, ut quæ sunt opportuna pro animarum salute ab eis auctoritate nostra liberè valeant exerceri, præsertim cum ipsi cordi habebant ministerium suum ita laudabiliter & prudenter exsequi, quod exinde apud vos possint sinceram & stabilem benevolentiam promereri. Preces autem nostras quas vobis ex intimo cordis affectu dirigimus, sic adimpleat vestra sinceritas quod propter hoc vobis gratiosi favoris præmia opportuno tempore compensemus.

Datum Neapoli V. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

ANNO 1256.

IV. Ex Anecd Martene Tom. I. Col. 1066.

Quod Minister Generalis Fratrum Minorum, Obligatos Ordini Fratrum Prædicatorum non recipiat: anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis generali Ministro & fratribus ordinis minorum salutem & Apostolicam benedictionem.

QUo vos in Christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius ut in cunctis providi fitis & vigiles affectamus, turbationis non modicæ spiritum assumentes, sed de vobis quandoque contrarium ad nos relatu perveniat aliquorum. Sane ammirantes accepimus quod vos non absque offensa rectitudinis, quæ in vestris dicitur actibus haberi continuè specialis, fratres Prædicatores & eorum ordini obligatos frequenter ad vestrum recipiatis ordinem, unitatem spiritus in pacis vinculo non servantes. Verum cum ex hoc scissuræ possint & scandali oriri materia, quæ solatium pacis æternæ quærentibus debet omnimodis existere peregrina, universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus tam fratres eosdem, quàm eorum ordini voto vel juramento etiam obligatos nullatenus de cetero prætextu indulgentiæ alicujus seu aliquarum Litterarum obtentarum à sede Apostolica vel etiam obtinendarum in posterum, quæ de præsentibus expressam non fecerint mentionem, nisi prioris sui petita & obtenta licentia, recipere præsumatis: Alioquin decernentes irritum & inane quidquid per vos in hac parte contra præceptum nostrum contigerit attentari, præsentium auctoritate statuimus, ut hujusmodi præsumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, à qua nunquam absolvi valeant, nisi se apud Sedem Apostolicam personaliter repræsentent, ab ea sicut sibi visum fuerit absolvendi. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji, Pontificatûs nostri anno II.

Similes dedit idem Pontifex Litteras ad Fratres Eremitas Ordinis S. Augustini & sancti Guillelmi Viterbii III. Nonas Martii Pontificatus sui anno IV.

V. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1067.

Ne quis apud Fratres Minores recipiatur ad professionem ante annuam probationem, anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filis generali Ministro & fratribus ordinis fratrum minorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

NOn solum in favorem conversi, sed etiam monasterii probationis tempus à Sanctis patribus est indultum, ut ille asperitates istius & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati Benedicti præcipitur ut ad conversionem noviter venienti non facilis tribuatur ingressus: Sed ficut docet Apostolus num sit ex Deo Spiritus comprobetur; & dura & aspera per quæ itur ad Deum exponantur. Præterea in eadem regula subjungitur; & dicatur ei; Ecce lex sub qua militare desideras, si eam observa-

Reg. Sancti Bened. cap. 58.

re

ANNO 1256.

re potes, ingredere; alioquin libet venisti, liber discede. Insuper felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster statuit, ut positi in probatione novitii ante susceptum religionis habitum qui dari professionibus consuevit, seu ante professionem emissam ad statum pristinum redire possint liberè infra annum & ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam Locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ professionibus conceduntur, ut novitiorum, ac professorum habitus discernatur. Licet igitur Zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicitè cupiatis, quia tamen decet & expedit, ut conscientiæ puritatis non desit judicium rationis ne unde spiritualis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri Ordinis, seu renunciationem seculi faciendam recipere præsumatis, nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quominus infra eumdem annum probationis, ad aliam religionem quam maluerit transeat sicut de sua processerit liberè voluntate. Non obstantibus statuto contrario, si quod à vobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris à sede Apostolica impetratis seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra hujusmodi nostram inhibitionem quemquam recipere præsumeritis decernimus eum qui taliter receptus fuerit nullatenus esse vestro ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjiciendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consueverit. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji Pontificatus nostri anno II.

VI. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1068.

Quod nullus Prælatus possit Fratres Prædicatores ad secum manendum, & sua negotia procuranda assumere: anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitionibus vestris tam piis quam providis paternæ benignitatis gratia, quæ filiis utiliora prospicit, assensum benivolum impendentes, ut nullus legatus nisi de latere nostro missus auctoritate litterarum sedis Apostolicæ specialem de præsentibus non facientium mentionem, aut Prælatus aliquis de fratribus vestri ordinis ad sua seu Ecclesiæ suæ negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos prior provincialis ipsorum tamquam idoneos & discretos sibi duxerit, quosque subjacere volumus ordinis disciplinæ auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis II. Idus Maji Pontificatus nostri anno II.

ANNO 1261.

URBANUS QUARTUS PONTIFEX CLXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXI.

URbanus Trecensis, nomine Jacobus Pantaleo, obscuro genere ortus, successit Alexandro IV. anno 1261. Crucem contrà Manfredum, qui se Siciliæ Regem fecerat Pontificibus infestum, sumi jussit. Dein Orvetum secedens Carolum Comitem Andegavensem in Italiam vocavit, utriusque Siciliæ Regem illum facturus. Festum posteà Corporis Christi, quia in Longobardiâ sacrificio incredulo sacris operante sanguis ex Hostia profluxerat, instituit. Obiit anno 1264. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 120.

Collegia Begghinarum, & Reclusarum Diœcesis Leodiensis in suam potestatem suscipit: anno 1261.

I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. Pag. 429.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis Collegiis Begghinarum, & Reclusarum Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

SEdes Apostolica devotas, & humiles filias ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eas tamquam pia mater suæ protectionis munimine confavere.

Ea propter dilectæ in Christo filiæ vestris postulationibus annuentes, personas vestras, & Loca, in quibus sub communi vita degistis, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, Domino dante, poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præstatis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum hanc paginam nostræ protectionis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Viterbii nonis Julii Pontificatus nostri anno primo.

Alterum in favorem Begghinarum Leodiensium: anno 1261.

II. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. Pag. 430.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Decano Leodiensi salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PIum esse dignoscitur, ut gloriantibus in malitia per nos taliter obsistatur, quòd repressis eorum insultibus vacantes Divino cultui liberiùs possint in observantia mandatorum

ANNO 1265.

Domini delectari. Cum itaquè dilectæ Filiæ Beghinæ & Reclusæ Leodiensis Diocesis à nonnullis, qui nomen Dei recipere in vacuum non formidant, prout accepimus, diversis affligantur molestiis, ea pressuris, nos earum providere quieti, & malignorum malitiis obviare volentes, discretionibus per Apostolica scripta mandamus, quatenùs præfatis Beghinis adversus raptorum, prædonum, & invasorum audaciam efficaci præsidio defensionis assistens, non permittas ipsas in personis, & Bonis suis, ac litibus molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, præsentibus post triennium minimè valituris.

Datum Viterbii quinto Idus Julii Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1265.

CLEMENS QUARTUS,

PONTIFEX CLXXXV.

ANNO DOMINI MCCLXV.

CLemens Gallus anno 1265. priùs Guido Grossus vocatus, arma tractaverat, dein juri operam dedit: Uxore mortuâ, Cardinalis in Angliam missus, absens Papa electus, & Viterbii coronatus est. Trium annorum, & decem mensium fuit Pontifex. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 133.)

†. Ex Spicil. d'Acheri Tom. 3. Pag. 648. nova edit.

Declarat ac decernit Angliæ Regem, ac Filium ejus Edmundum Regni Siciliæ veros nunquam fuisse possessores. anno 1265.

Litteræ CLEMENTIS Papæ IV.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

OLim Regno Siciliæ ad dispositionem & ordinationem Apostolicæ Sedis, ad quam specialiter pertinet cum juribus, districtibus & pertinentiis suis plenè, ac liberè devolato, ac Sede ipsa circa statum ipsius Regni sollicitè cogitante, illiusque Regimen alicui Catholico, & devoto Principi capiente committere, qui ad laudem Dei honorem, & pacem Ecclesiæ, ac tranquillitatem, & profectum fidelium ipsius Regni ejus solio præsideret, tandem inter Sedem ipsam, & Clarissimum in Christo filium nostrum Henricum Illustrem Regem Angliæ, de Regno ipso in feudum dilecto filio nobili viro Eadmundo ejusdem Regis nato, sub certis conditionibus concedendo habitus est tractatus. Et quia Rex ipse multa ergà Romanam Ecclesiam devotione refulget, suumque genus fidei semper claruit puritate, providit tunc Sedes ipsa, cum eodem Rege tractatum hujusmodi consummare, undè relato, & exposito ex parte ipsius Eadmundi felicis Recordationis Alexandro Papæ quarto prædecessori nostro, quod dilectus filius Magister Albertus, Notarius noster tunc Apostolicæ Sedis Legatus eidem Eadmundo & hæredibus suis prædictum Regnum Siciliæ, ac totam terram quæ est citra Farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ Romanæ cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (exceptis civitate Beneventana, cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis) in feudum de speciali auctoritate, & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quasi prædecessoris nostri concesserat, salvis Libertatibus, & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni, & terræ, tam in electionibus, quàm in aliis spectantibus ad easdem.

ANNO 1265.

Quodque idem Innocentius Prædecessor concessionem hujusmodi supplendo defectum si quis in ea fuerit de plenitudine potestatis authoritate Apostolica confirmarat, eidem Eadmundo Regnum, & terram predicta in feudum de novo concedens, prout in suis Litteris dicebatur plenius contineri: Præfatus Alexander prædecessor, concessionem, & confirmationem hujusmodi sub conditionibus in Privilegio Apostolico indè confecto expressis, ratas & gratas habeas, ipsas de Fratrum suorum approbavit consilio, & assensu, & sub eisdem conditionibus, illas auctoritate Apostolica innovans, Regnum, & Terram predicta cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, de Fratrum ipsorum consensu dicto Eadmundo ac ejus hæredibus utriusque sexus, in feudum sub eisdem conditionibus perpetuò concessit, & etiam confirmavit. Reservavit autem expressè in eodem privilegio sibi, & in sua voluntate, & potestate remansit, dicere, pronunciare vel proferre in scriptis, vel sinè scriptis, de consilio vel sine consilio Fratrum suorum prædictis Rege, & Eadmundo, ac alio etiam quocumque, cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni Juris solemnitate, approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem hujusmodi, quas præfatis Eadmundo, & heredibus, sub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino esse nullumque robur, vel valorem habere, aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas, & irritas nuntiare, si memoratus Rex, quasdam ex dictis conditionibus, statutis, terminis non impleret, ita quod post hujusmodi pronuntiationem, seu irritationem, vel dictum præfatæ approbationis innovatio, concessio & confirmatio, nullius essent, vel haberentur efficaciæ, vel momenti.

Et licèt prædicta sedes plurimum affectaverit, adhibendo quam potuit diligentiam, quod ipsius Regni negotium pietatis Rege ac Eadmundo prosequentibus illud, laudabiliter proficeret, & per illorum studia, & auxilia successibus convalesceret prosperis, & processibus promoveretur optatis, idque diutius exuberante, circa ipsos Apostolica gratia, non sine innumeris, & magnis dispendiis, gravibusque periculis, & dolenda jactura ejusdem negotii exspectarit, eis tamen omnino deficientibus, nec opem, aut operam promotioni dicti negotii præbentibus opportuna, neque conditiones adimplentibus supra dictas, ipsum negotium speratis suffragiis, non adjutum, & continuis impugnatum adversis, profectum non habuit, sed multis debilitatum defectibus periculosè languit, Ecclesia incurrente ac sustinente per hoc maxima detrimenta.

Quia igitur manifestum est, & notorium, prædictas non fuisse conditiones impletas, & liberum est nobis, & in nostra voluntate, ac potestate consistit, eisdem conditionibus non impletis, dicere pronuntiare in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum nostrorum, prædicto Rege, ac Eadmundo, & quocumque alio non vocatis, & absque omni Juris solemnitate, præfatas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem vacuas prorsus esse, aut revocare

ipsas

ANNO 1265.

ipsas, & irritas nuntiare, sicut in ipso Privilegio est expressum: Nos habito nihilominus fratrum nostrorum consilio, & assensu auctoritate Apostolica sententialiter dicimus, pronuntiamus, & proferimus, prædictas approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem vacuas esse omninò, nullumque robur, vel valorem habere, ac revocamus, cassamus, & irritamus easdem & cassas, & irritas nuntiamus, ita quod deinceps, nullius sint, vel habeantur efficaciæ, seu momenti.

Memorata verò concessio, quæ de Regno, & Terra præfatis à prædicto Notario & ejusdem concessionis confirmatio, ac nova de illis concessio, quæ à dicto Innocentio Papa de Fratrum suorum consilio, nominato Eadmundo, & ejus hæredibus, factæ fuisse dicantur, in nullo sibi prodesse, ac nullum conferre Jus, nullamque utilitatem eidem præstare possunt, nec ullum commodum, aut adminiculum, vel favorem, cum ab eodem Notario talis concessio nunquam processerit, & constet ipsum concessionem hujusmodi non fecisse. Nec prodest, nec juvat, si forsan hujus concessionis tenor ejusdem Innocentii Papæ Literis ostendatur insertus, qui facti non continet veritatem; insertione hujusmodi, quæ non ad publicationem, sed ad confirmationem facta exstitit, ad probationem minimè suffragante. Nec confirmatio, & suppletio ipsius Innocentii Papæ, si sequutæ fuerunt, potuerunt præbere concessioni, quæ reverà nequaquam præcesserat, nec facta fuerat, vim aliquam, seu efficaciam, vel vigorem. Nec suo interventu efficere, quod falsum foret verum, vel id quod verè non erat, haberet essentiæ veritatem: ipsaque confirmatio, & suppletio, ac prædicta ejusdem Innocentii Papæ, nova concessio invalidæ sunt penitùs, & inanes, ut potè nullam omninò habentes radicem, nec aliquod fundamentum. In iis enim hoc intendebat, & agebat idem Innocentius, ut hujusmodi processum memorati Notarii firmiter roboraret, cui (cum nullatenùs intervenisset) nullum profectò poterat dari robur, & quod fabricatur, cum struitur, vel componitur super eo, quod existentiam nullam habet, solidum quidem, & stabile non est, sed instabile, totaliter, & infirmum. At etsi hujusmodi prædicti Notarii concessio, ad quam de speciali auctoritate, ac mandato ejusdem Innocentis præcessisse asseritur, facta fuisset, nihilominus tamen vacua, & inefficax prorsùs esset, cum conditiones apponendæ, quarum expressionem, & declarationem idem Notarius in ipsa concessione reservasse arbitrio certarum dicitur personarum expressæ, vel declaratæ per ipsas Personas non fuerint, nec possint amodò declarari, aliquibus Personarum ipsarum, de medio jam sublatis, quibus, & reliquis superstitibus, quod simul id facerent, fuerat reservatum, & hoc ipsum de præfata nova concessione ipsius Innocentii, meritò dici potest, cum idem innovando præmissam ejusdem Notarii concessionem, seu quæ priùs ille concessisse dicebatur, noviter concedendo, ab ipsius intentione Notarii, quoad conditiones inferendas minimè recesserit, sed fuerit eam potiùs prosequutus; quamvis, & aliàs rationabiliter impugnetur, cum sedes Apostolica in agendis tàm arduis, multam servare consueverit gravitatem, & ad concessiones rerum sic grandium & sublimium sinè maturo consilio & deliberatione solemni, ac expresso consensu Cardinalium non procedat.

Illa denique collatio, sivè concessio, quam dictus Notarius quibusdam à præfato Rege constitutis Procuratoribus fecisse dicitur, de jam dicto Regno tenendo in feudum à memorato Eadmundo sub conditionibus per ipsum Notarium, & quosdam alios ordinandis, de quibus conditum exstiterat, quorumque jam aliqui sunt defuncti; adjecto in ipsa quod si prædictus Innocentius Papa eam gratam, & ratam haberet, & ex certa scientia, literarum ipsius Notarii, super illa confectarum, tenorem de verbo ad verbum suis litteris insereret, valida esset, & firma, alioquin cassa, & irrita haberetur, & nullius esset omninò momenti, valorem non habet aliquem, vel vigorem; præsertim quia conditiones ipsæ, nec ordinatæ postea fuerunt, nec possunt ulteriùs ordinari, sicut ad irritationem alteriùs concessionis superiùs est expositum. Nec apparet, neque ostenditur hujusmodi collatio, seu concessio per eumdem Innocentium confirmata: quare præmissa, etiam si fortè ipsa, vel aliqua ex eis apparere, vel ostendi contingeret, nullum prorsùs valorem, nullamque firmitatem haberent, nec possent Ecclesiæ Romanæ, circa liberam ipsius Regni dispositionem inferre alicujus obstaculi nocumentum.

Et quamquam felicis Recordationis Urbanus Papa quartus prædecessor noster reservata sibi tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno cum quovis alio Principe, vel cum quacumque alia Persona mallet sua, & ejusdem Ecclesiæ libertate, præfatos Regem, & Eadmundum de Fratrum suorum Consilio, Authoritate Apostolica per suas citaverit litteras, ut si forsan in prædicto Regno, per quamcumque concessionem, sive collationem eis, vel ipsorum alteri de prædicto Regno ab Apostolica sede, vel ejus Nuntiis, seu Legatis factam, vel ex quacumque alia causa crederent se aliquod Jus habere infrà quatuor menses à die receptionis litterarum ipsarum, quos eis pro peremptorio assignavit termino; per se, vel Personas idoneas de toto negotio sufficienter instructas, cum omnibus Juribus, & monimentis suis, Apostolico se conspectui præsentarent, propositurі jus suum si quod se in prædicto Regno Siciliæ habere confiderent, ac facturi de illo fidem plenariam, & justam sententiam recepturi. Hujusmodi tamen citatio, & talis causæ, vel quæstionis suspicio nequaquam impedire possunt super ejusdem Regni, ordinatione ipsius Ecclesiæ libertatem; cum nec litigiosum factum sit ipsum Regnum de cujus profecto Dominio inter petitorem, & possessorem quæstio non movetur, nec etiam rebus sic se habentibus, ut nunc sunt inter eamdem Ecclesiam, & præfatum Regem Angliæ, vel dictum Eadmundum super ipsius Regni Dominio lis posset institui, ejusdem Regni possessione, nec apud Nos, nec apud ipsos, vel eorum alterum existente, quæ sicut Jure cavetur, reali parit, & parat adversarium actioni: præsertim cum idem Urbanus, qui securus, & certus erat, quod de prædicto Regno liberè disponere poterat, in hujusmodi citatione quæ de ipsius affluente gratia, & benignitate processit libertatem tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno sibi expressè curaverit reservare.

Consideratis itaque præmissis omnibus diligenter, & attenta examinatione discussis, ac vigilanti studio comprehensis, nec non solerter Ecclesiæ Romanæ perquisitis, & inspectis regestis, & ipsius Innocentii Papæ, ac prædicti Notarii processibus, super eodem Regno, circa prædictum Eadmundum habitis perfectè visis, & examinatis, & intentè auditis dictis, & assertionibus antiquorum ipsius Ecclesiæ Cardinalium, nec non, & ipsius Notarii, ac aliorum fide dignorum de ipsa Ecclesia, qui de toto negotio, & processibus hujusmodi plenam

ANNO 1265.

notitiam habuerunt; ac plenariè intellectis ipsius Ecclesiæ super hoc validis munimentis, & pensatis vigilanter omnibus, quæ in iis attenденda forent, & cognita plenius veritate, Authoritate Apostolica de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu declaramus, manifestamus, notificamus, & denuntiamus, quod licitum, & liberum omnino est nobis, & Ecclesiæ Romanæ de præfatis Regno Siciliæ, & Terra, omnibusque suis Juribus, districtibus, & pertinentiis, quæ quidem ad Nos, & eamdem Ecclesiam specialiter, & plenariè spectant disponere, providere, statuere, & ordinare, quodque liberè, ac plenè, absque omni ambiguitate, secura conscientia possumus ipsa in feudum concedere, ac eorum regimen, & gubernationem committere prout nobis, & ipsi Ecclesiæ placuerit, & viderimus expedire.

Et quod supra dictus Eadmundus, & præfatus Rex Angliæ, cui nulla tamquam à sede Apostolica, vel de ipsius mandato, aut Authoritate de ipsius Regno collatio, vel concessio facta fuit, ſcù quævis alia Persona, præter ipsam Ecclesiam in eisdem Regno, & Terra nihil pænitùs juris habet. Nec ipse Eadmundus, nec memoratus Rex Pater ejus, nec aliquis alius possunt Nos, & eamdem Ecclesiam quomodolibet impedire, nec aliquod umquam interponere obstaculum, quin de ipsis Regno, & Terrâ prò nostro beneplacito liberè ordinemus.

Ut autem hæc nostra pronuntiatio, prolatio, revocatio, cassatio, irritatio, & nuntiatio, ac declaratio, manifestatio, notificatio, & denuntiatio illibatæ perpetuò maneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem, eas in præsenti conferibi, & annotari pagina fecimus, nostra, & Fratrum nostrorum subscriptionibus ad perpetuam memoriam roborare. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ pronuntiationis, prolationis, revocationis, cassationis, irritationis, & nuntiationis, ac declarationis, manifestationis, notificationis, ac denunciationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Odo Tusculanus Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Ego Frater Joannes Portuensis Episcopus.

Ego Rodulphus Albanensis Episcopus.

Ego Anderus Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Guido tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego Guillelmus Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Anibaldus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Ottavianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Ottobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmydin Diaconus Cardinalis.

Ego Gottifridus S. Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Jordanus S. S. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Actum Perusii quarto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1265.

II.

Ex spicil. Dacheri Tom. 3. nov. edit. pag. 650.

Suo & Apostolicæ sedis nomine Regnum Siciliæ Carolo Andegavensi Comiti confert anno 1265.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam.

CUm jam dudum tractatum fuisset de Regno Siciliæ dilecto filio Nobili Viro Carolo Comiti Andegaviæ, & Provinciæ, sub certis conditionibus concedendo felicis Recordationis Urbanus Papa quartus prædecessor noster tractatum hujusmodi plena voluntate resumens dilectum filium, Magistrum Albertum Notarium nostrum ad eumdem Comitem destinavit certis conditionibus eidem notario traditis sub quibus si Comes ipse acceptaret easdem Regni collatio fieret, prout idem prædecessor de suorum Fratrum consilio duceret ordinandum. Cumque ipse Notarius ad eumdem perveniens Comitem, & super ipsis conditionibus sollicitè, ac prudenter conferens cum eidem Domino prædecessori, quid ipse Comes addi, quid minui, quid omninò tolli, quidque immutari vellet, & peteret fideliter retulisset, idem prædecessor deliberatione cum fratribus suis habita, quasdam super eisdem conditionibus modificationes edidit, intendens per hoc ejusdem Comitis satisfacere voluntati.

Sed hujusmodi tractatu prædecedente contigit ipsum Comitem in senatorem Urbis eligi, & ad illius regimen revocari, & licet in eisdem conditionibus contineretur expressè, quod sibi non liceret, vel quod non posset in Urbe ipsa senatoriam recipere dignitatem, & præfatus prædecessor diligenter attendens, quod, si prædictus Comes regimen ipsum taliter susciperet, Jus Ecclesiæ Romanæ ad cujus Dominium dicta Urbs plenè pertinet, graviter læderetur, & volens indemnitati ejusdem Ecclesiæ præcavere, ipsi Comiti speciales super has Literas direxisset, idem Comes tamen senatum ipsius Urbis, seu dictum regimen recepit, contra formam in ejusdem litteris deprehensam. Quod cum postmodum ad eorumdem prædecessoris, & Fratrum notitiam pervenisset, ipsi congruos exquisivere modos, certalque perscrutati sunt vias, quibus idem Comes posset saltem ad tempus eodem uti Senatu, vel dictum regimen exercere: quod ad promotionem negotii præfati Regni multum sibi valere poterat, & prodesse, ita quod ipso finito tempore dictum senatum, vel regimen dimittere teneretur, & generaretur præjudicium eidem Romanæ Ecclesiæ, quæ sola in solidum dictæ Urbis Dominium sibi justissimè vendicans, & non sortis impatiens in hac parte sustinere non posset sine gravissimo præjudicio, & enormi jactura, sive in perpetuum, sivè ad longum tempus quemquam inibi dominare.

Undè idem prædecessor dilectum filium nostrum S. tituli S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem pro prædicto ipsius Regni negotio in Franciam, commisso sibi plenæ legationis officio dirigens, & duas sibi formas super ejusdem Senatus articulo exprimens, & exhibens, ut si prima dicto Comiti non placeret saltem sisteret, & quiesceret in secunda, inter alia continentia totum ipsum negotium præfato Cardinali imposita, & injuncta, commisit eidem,

quod

ANNO 1265.

quod postquam tam super dicti Senatus Capitulo, quàm super quibusdam conditionibus, & modificationibus, ac ceteris aliis cum ipso Comite concordasset, conscriptis, vel lectis omnibus in præsentia carissimi in Christo Filii nostri Regis Franciæ illustris posset idem Cardinalis dicto Comiti promittere ipsius prædecessoris, & Ecclesiæ Romanæ nomine, quod postquam sine gravi scandalo Ecclesiæ Gallicane de exhibenda ipsi Comiti decima Ecclesiasticorum proventuum, quam petierat ordinatum existeret, & concessum, & negotium pro quo carissimus in Christo filius noster Rex Anglorum illustris, & Eadmundus natus ejus erant ipsius prædecessoris authoritate citati, foret per Apostolicam sedem decisum, & pax inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam illustrem Reginam Francorum, & ipsius comitem existeret reformata, vel saltem per eumdem Cardinalem, vel per alius, seù alios, quos idem Rex Franciæ duceret deputandos talis super pace hujusmodi tractatus procederet, quo esset idem Rex Franciæ contentus, daretur ipsi Comiti ab eadem Sede præfatum Regnum Siciliæ, cum Juribus, & pertinentiis suis, sub conditionibus tractatis, & hinc inde firmatis, seù acceptatis, non mutatis, nec augendis seù minuendis in totum, vel aliquam sui partem, & de sic dando ipso Regno, daret idem Cardinalis dicto Comiti suas litteras; ejusdem Comitis litteris de sic recipiendo præfato Regno ab eodem Cardinali versa vice receptis. Finalem autem concessionem, & investituram ejusdem Regni sibi dictus prædecessor specialiter reservavit.

Præfatus verò Cardinalis tàm super dicto senatûs Articulo, quàm super condictionibus, & omnibus aliis cum ipso Comite conveniens, & concordans, fecit eidem Comiti de conferendo sibi prædicto Regno Siciliæ promissionem nomine ipsius prædecessoris, & ejusdem Ecclesiæ Romanæ juxtà præmissam ab eodem prædecessore traditam sibi formam, eodem Comite promissionem de illo sic recipiendo similiter faciente, datis, & receptis super hoc litteris hinc inde, prout in ipsis litteris dicitur contineri.

Porro dicto Prædecessore interim viam universæ carnis ingresso, & nobis licèt immeritis in Apostolatûs officio substitutis eidem, præfati Cardinalis, & Comes transmissis propter hoc solemnibus nuntiis nobis humiliter supplicarunt, ut cum de prædicta decima exhibenda in subsidium jàm juxtà ipsius prædecessoris intentionem, & votum ordinatum existeret, & circa præfatæ pacis tractatum idem Cardinalis juxtà beneplacitum ejusdem Regis Franciæ processerit, cujus in hoc dictus voluit prædecessor considerari, & inspici voluntatem: præmissum negocium prò quo jam dictus Rex Angliæ, & Eadmundus citati fuerant per definitivam sententiam decidere, ac ad perfectionem, & consummationem præfati negotii Regni Siciliæ procedere curaremus.

Nos autem, & Fratres Nostri super iis attentè pensantes, & sollicitè conferentes, comperimus eumdem prædecessorem prædictis Regi Angliæ, & Eadmundo suas litteras destinasse, per quas inter alia ipsos, reservata sibi tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso negotio cum quovis alio Principe, vel cum quacumque alia persona mallet sua, & Romanæ Ecclesiæ libertate, de Fratrum suorum consilio, Apostolica Authoritate citavit, ut si forsan in prædicto Regno Siciliæ per concessionem factam eidem Eadmundo à felicis recordationis Alexandro Papa IV. prædecessore nostro, seù prò quacumque alia collatione, seù concessione, si quam ipsis, vel earum alteri de ipso regno ab Apostolica Sede vel ejus Nuntiis, seù legatis factam fore assererent, vel ex quacumque alia causa crederent se aliquod jus habere, quatuor Menses, à die receptionis litterarum ipsorum computandos, quos eis prò peremptorio assignavit termino, per se vel personas idoneas de toto negotio sufficienter instructas cum omnibus Juribus, & munimentis eorum Apostolico sè conspectui præsentarent proposituri jus suum, si quod se in prædicto Regno Siciliæ habere confiderent, ac facturi de ipso fidem plenariam, & justam sententiam recepturi. Expresè prædicens, & apertè pronuncians, quod sive comparerent, sive non, ipse extum ad jus prædecessor Ecclesiæ declarandum, & perpetuum silentium iis, quos in eodem Regno Siciliæ jus non habere constaret imponendum, & pronunciandum, discernendum, & statuendum quidquid super hoc eidem Ecclesiæ, ipsiusque honori, ac libertati suadente Justitia expedire videret, constanter procederet eorum absentia non obstante.

Comperimus insuper præfatas litteras fuisse præfatis Regis Angliæ, & Eadmundo per Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Cusentinum, quem idem Urbanus prædecessor propter hoc specialiter ad ipsos direxerat, presentatas. Constitit etiam Nobis, quod ipsi nec intra Terminos, nec in Termino, nec etiam post Terminum comparuerunt apud Sedem Apostolicam per idoneos Procuratores, seù personas sufficienter instructas, propter quod forsitan videbatur, quod contumaces existerent, nosque procedere in negotio eis sic absentibus sine juris offensione possemus.

Sed ad defensionem ipsorum non inconvenienter dici poterat, quod etiamsi nullam habebant excusationem absentiæ, debebat tamen à Nobis propter subsequutum dicti prædecessoris qui eos citaverat obitum novum emanare citationis Edictum, cum jure civili sit cautum, quod licèt ab Antecessore impletus sit numerus Edictorum, solet tamen unus dare successor. Quod si jure urgente Judices alii observant, multo magis Romanum decet observare Pontificem, cujus extentior debet esse humanitas, sicut liberior est potestas; ut in quo est plenitudo Authoritatis, sit & mansuetudinis amplitudo. Id quoque eorum munimen non incongrue veniebat, quod hujusmodè peremptorii dilatione pendente, cum adhuc tantùm restaret de tempore, quod citatis ad veniendum sufficere forte poterat, vel mittendum, gravis, & amara turbatio in Anglia supervenit prædicto Rège Angliæ, ac dilecto filio, nobili Viro Eduardo ejus primogenito à subditis suis hostiliter subactis, & miserabiliter, ac ignominiosè tractis. Et licet dictus Eadmundus citrà mare in potestatem hostium non devenerit, tamen filius familias, & minor annis personam non habuit in judicio existendi, nec eidem suus ater assistere potuit sua per suos libertate privatus, quare non immeritò videbatur, quod neutiquam posset de Jure contumax judicari.

Super iis igitur plena discussione præmissa, & habito Fratrum nostrorum consilio ad hujus decisionem negotii per prolationem definitivæ sententiæ, cum id fieri non valeret considerato statu in quo est manifesta justitiæ læsione non duximus procedendum. Sanè nobis, & eisdem Fratribus circa præfati Regni Siciliæ negotium instanter vigilantibus, & anxiè cogitantibus super ipso, cum promissio à præfato Cardinali memorato Comiti de illo sibi conferendo facta, nobis ad præmissam decisionem, ut dictum est non procedentibus minimè posset inspecta forma quam prædicto eidem

ANNO 1265.

Cardinali Urbanus Papa ſuper hoc dederat adimpleri, & ſi contingeret præfatum Regem Angliæ de novo, vel iteratè citari multæ confuſioni ex eadem dilatione ſubderetur negotium, magnaque ipſi Comiti, & Eccleſiæ Romanæ in tantam expectationem diſpendia, & gravia ipſius Eccleſiæ fidelibus pericula imminerent; Viam aliam breviorem & expeditam provida deliberatione præelegimus, per quam facilius, & melius ad complementum eodem negotio procedente ipſius Eccleſiæ, ac dicti Comitis honori, & commodo, & bono fidelium ipſorum ſtatui provideretur efficacius, & utilius & ingruentia damna & diſcrimina plenius, & ſalubrius vitarentur. Recenſentes itaque, ac relegentes tractatus multiplices inter ipſam Eccleſiam, & prædictos Regem Angliæ, & Eadmundum ſuper eodem Regno habitis, & proceſſus ejuſdem Eccleſiæ circa illos plenè invenimus, & apertè vidimus, & cognovimus, quod ipſa Eccleſia ejuſdem Regis fide ſincera, & clara devotione penſata, volentes ipſum in ſuo Filio magnificè honorare, ac in ejuſdem Regni negotio aliis Catholicis Principibus anteferre ſupradictus Alexander Papa relato, & expoſito ſibi ex parte præfati Eadmundi, quod prædictus Notarius tunc Apoſtolicæ ſedis legatus ipſi Eadmundo, & Hæredibus ſuis Regnum dictum Siciliæ in feudum de ſpeciali authoritate, & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quarti prædeceſſor noſter conceſſerat; quodque idem Innocentius conceſſiones hujuſmodi ſupplendo defectum, ſi quis in ea fuerat authoritate Apoſtolica confirmavit, eidem Eadmundo Regnum prædictum in Feudum de novo concedens, prout in ſuis dicebatur litteris contineri, conceſſionem & confirmationem hujuſmodi ſub conditionibus in privilegio Apoſtolico indè confecto expreſſis, approbavit de Fratrum ſuorum Conſilio, & aſſenſu, & ſub eiſdem conſiderationibus perpetuò conceſſis innovans Regnum prædictum dare Fratrum ipſorum conſenſu dicto Eadmundo & ejus hæredibus ſub eiſdem conditionibus perpetuò conceſſit, & etiam confirmavit. Reſervavit autem expreſſè in eodem privilegio ſibi, ac in ſua voluntate, & poteſtate remanſit dicere, pronunciare, vel proferre in ſcriptis, vel ſine ſcriptis, de conſilio, vel ſine conſilio Fratrum ſuorum prædictis Regi, & Eadmundo, ac alio etiam quocumque cujus forſitan intereſſet nequaquam vocatis, & absque omni Juris ſolemnitate approbatione, innovatione, conceſſione, & confirmatione hujuſmodi, quas præfatis Eadmundo, & hæredibus ſub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino eſſe, nullumque robur, vel valorem habere; aut revocare, caſſare, & irritare ipſas, & caſſas, & irritas nuntiare, ſi memoratus Rex quaſdam ex dictis conditionibus ſtatutis terminis non impleret. Ita quod poſt hujuſmodi pronuntiationem, ſui irritationem vel dictum præfatæ approbatio, innovatio, conceſſio, & confirmatio nullius eſſent, vel haberentur efficaciæ, vel momenti.

Unde nos quia manifeſtum eſt, & notorium prædictas non fuiſſe conditiones impletas, utentes libertate, ac poteſtate in ipſo Privilegio per dictum Alexandrum Papam eidem Romanæ Eccleſiæ reſervata, ſententialiter pronuntiavimus, habito nihilominus Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu prædictas approbationem, innovationem, conceſſionem & confirmationem, vacuas eſſe omnino nullumque robur, & valorem habere, ac revocavimus, caſſavimus, & irritavimus illas, & caſſas, & irritas nuntiavimus, ita quod nullius de cætero efficaciæ haberentur.

Advertimus inſuper, & liquidò novimus, quod hujuſmodi conceſſio, quæ de Regno ipſo à prædicto Notario, & ejuſdem conceſſionis confirmatio, ac nova de illis collatio, quæ à dicto Innocentio Papa de Fratrum ſuorum conſilio nominato Eadmundo, & hæredibus factæ fuiſſe dicuntur nullum omnino valorem, nullamque firmitatem habeant, cum Eccleſiæ Romanæ diligenter perquiſitis, & inſpectis regeſtis, & ipſius Innocentii Papæ, ac prædicti Notarii proceſſibus ſuper eodem Regno circa prædictum Eadmundum habitis perfectè viſis, & examinatis, & intentè auditis, & comprehenſis dictis, & aſſertionibus antiquorum ipſius Eccleſiæ Cardinalium, nec non & ipſius Notarii, ac aliorum fide dignorum de ipſa Eccleſia, qui de toto negotio, & proceſſibus hujuſmodi plenam notitiam habuerunt, ac plenariè intellectis ipſius Eccleſiæ ſuper hoc validis monimentis, ac conſideratis, & diſcuſſis vigilanter omnibus, quæ in iis attendenda, & diſcutienda forent, clarè patuerit, & conſtiterit manifeſtè, certis, vivis, & efficacibus rationibus, quod hujuſmodi conceſſio, confirmatio, & collatio, etiamſi forte ipſas, vel aliquas, ſeu aliquas ex eis apparere, vel oſtendi contingeret in nullo ipſi Eadmundo prodeſſe, ac nullum conferre Jus, nullamque utilitatem eidem præſtare poſſent, nec ullum commodum, aut adminiculum, vel favorem, tamquam vacuæ penitus, & inanes, nec poſſent eidem Eccleſiæ circa liberam ipſius Regni diſpoſitionem inferre alicujus obſtaculi nocumentum. Sed neque prædicta, quæ à præfato Urbano Papa emanavit citatio, nec illius cauſæ, vel quæſtionis ſuſpicio cujus fuit deciſio poſtulata impedire poſſunt ſuper hoc ipſius Eccleſiæ libertatem, cum nec litigioſum factum ſit ipſum Regnum de cujus profecto Dominio inter petitorem, & poſſeſſorem quæſtio non movetur, nec etiam rebus ſic ſe habentibus ut nunc ſunt inter eamdem Eccleſiam, & præfatum Regem Angliæ, vel dictum Eadmundum ſuper ipſius Regni Dominio lis poſſet inſtitui, de ejuſdem Regni poſſeſſione, nec apud nos, nec apud ipſos, vel eorum alterum exiſtente, quæ ſicut Jure cavetur, reali parat, & parit Adverſarium actioni: Præſertim cum idem Urbanus, qui ſecurus, & certus erat, quod de prædicto Regno liberè diſponere poterat in hujuſmodi citatione, quæ de ipſius affluente gratia, & benignitate præceſſit, libertatem tractandi, diſponendi, & ordinandi de ipſo Regno ſibi expreſſè curavetit reſervare. Propter quod nos conſideratis præmiſſis omnibus diligenter, & præcognita veritate plenius, Authoritate Apoſtolica de Fratrum noſtrorum Conſilio, & aſſenſu declaravimus, quod licitum & liberum omnino erat nobis, & Eccleſiæ Romanæ, de præfato Regno Siciliæ, omnibuſque ſuis Juribus, diſtrictibus, & pertinentiis quæ quidem ad nos, & eamdem Eccleſiam ſpecialiter, & plenariè ſpectant diſponere, providere, ſtatuere, ac ordinare, quodque liberè, ac plenè absque omni ambiguitate, ſecura conſcientia poteramus illud in feudum concedere, ac ejus regimen, & gubernationem committere, prout nobis & ipſi Eccleſiæ placeret, & expediens videretur, & quod ſupra dictus Eadmundus, & præfatus Rex Angliæ, cui miſſa, unquam à ſede Apoſtolica, vel de ipſius mandato, aut authoritate de ipſo Regno collatio, vel conceſſio facta fuit, ſeu quævis alia perſona, præter prædictam Eccleſiam in eodem Regno nihil penitus Juris habebat; nec prædictus Eadmundus, nec memoratus Rex Pater ejus, nec aliquis alius poterant nos, & eamdem Eccleſiam quomodo libet impedire, nec aliquod umquam

ANNO 1265.

ANNO 1265.

interponere obstaculum, quin de ipso Regno liberè ordinaremus pro nostræ beneplacito voluntatis.

Eu ergo diuturni tractatus inter eamdem Ecclesiam, & præfatum Comitem super memorato Regno Siciliæ habiti fine laudabili concludantur dilatione, ac tarditate repulsis, quæ suspensionis dispendio damnificantes negotia eorum effectum subvertere, ac evacuare profectum, ad salutarem consummationem eorumdem tractuum nostrorum animum firmiter dirigentes, de fratrum nostrorum consilio & assensu dicimus, diffinimus, & ordinamus, præfati Regni Siciliæ negotium in persona ejusdem Comitis, ut infra dicitur fore complendum, & acceptata ab ipso ordinatione à nobis facta super senatus Articulo, quæ inferius inseritur, & factis, & impletis per eum, quæ habentur in illam; nec non, & acceptatis aliis, quæ in hac pagina continentur, & super acceptatione ejusmodi exhibitis ab eodem Comite suis patentibus, & authenticis literis totum tenorem ipsius paginæ continentibus præfato Cardinali, vel alii Personæ, quam ad hoc duxerimus deputandam, dictum Regnum esse concedendum eidem sub conditionibus inferius annotatis, ipsumque vocandum, & certum sibi terminum fore præfigendum à nobis, quem ex nunc ei assignamus, videlicet festum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli primo venturum, ut ipse infra eumdem terminum personaliter ad Apostolicam Sedem perveniens, de manibus nostris, si nos propitiante Deo vivos invenerit, alioquin de manu illius, quem nobis in Apostolatus Officio invenerit substitutum, aut à Collegio Cardinalium prædictæ Romanæ Ecclesiæ, si, quod absit forte vacaret, recipiat sub ipsis conditionibus dictum Regnum, ut sic in omni eventu, sive videlicèt tunc, prout Domino placuerit vixerimus, sive non, perficiatur in persona ejus præfatum negotium, & ipsius Regni concessio sibi fiat, obtineatque in hoc sui desiderii complementum.

Super prædicto ejus Senatus Articulo plurimum meditantes, & quid supra dicto Comiti, quid ipsi Ecclesiæ, quidque præfati Regni negotio circa illum potiùs expedire satagentes discernere, ac quid utiliùs cuique foret eligere cupientes in eo considerationis nostræ defiximus oculum, & Judicium deliberationis firmavimus, quod decentius, & melius pro singulis Apostolica providentia suadente cognovimus, & illud tamquam convenientius duximus ordinandum. Consulentes, & providentes per hoc saluti, & honori ejusdem Comitis, & in nullo ipsius profectibus, & utilitatibus detrahentes, ac ipsum perfectiùs dirigentes negotium, & firmiùs solidantes. Ceterum volumus, & decernimus, quod eodem Comite acceptante prædicta, & sicut præmissum est, suas super hoc litteras concedente, ac veniendi ad prædictam sedem iter arripiente præfatus Cardinalis de Proventibus quos collegit, vel colliget, congruum ei subsidium tribuat, & contrà Manfredum quondam Principem Tarentinum, & Saracenos Luceriæ per Terras suæ Regionis verbum Crucis prædicet, & faciat prædicari. Ut autem hæc nostra definitio, & ordinatio, & hoc nostrum Decretum, & alia præmissa illibata perpetuò maneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem ea in præsenti conscribi, & annotari pagina fecimus, nostra, & Fratrum nostrorum subscriptionibus, nostraque Bulla, & eorundem Fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roborata.

Conditiones autem sunt hæ: Civitas Beneventana, quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit, & in suum domanium, & dominium cum omnibus Juribus, & pertinentiis retulit, & totum tenementum Civitatis ejusdem, cum finibus ejus antiquis eidem Ecclesiæ, & in ejus proprietate liberè remanebit, nullo Jure ipsi Comiti, vel cuicumque alii de Regno prædicto, ibi retento, seù quomodolibet reservato. Fines autem, seù Termini Territorii, seu districtus, aut tenimenti Civitatis ejusdem, cum de illis ad præsens constare non posset, tempore, quo tractatus, sive negotium consummandum erit per aliquas deputandas ad hoc Personas idoneas distinguentur.

Idem autem Comes, & sui in Regno Siciliæ hæredes in dicta Civitate, & ejus Territorio ac pertinentiis suis, quæ ipsi remanebunt Ecclesiæ, vel in Urbe, seù in Campania, vel Maritima, sive in Ducatu Spoletano, aut in Marchia Anconitana, vel in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, seù in aliis quibuscumque terris, aut Domaniis, sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex subcessione, vel legato, aut venditione, sive donatione, aut alio quocumque Jure, vel titulo, seù contractu, nihil umquam sibi acquirent, vel vindicabunt, seù poterunt acquirere, vel quomodolibet vindicare: & nihil umquam recipient, habebunt, vel retinebunt, seù poterunt recipere, habere, vel etiam retinere, ac nullam potestariam, seù Capitaniam, vel Rectoriam, nullumque alium honorem, nullamque dignitatem, seù potestatem senatoriam, vel quamcumque aliam, aut administrationem, vel commendam, nec quodcumque aliud officium recipient, seù recipere poterunt, habebunt, seù retinebunt, vel habere, seù retinere poterunt in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis hæredibus ipsius Comitis, qui eidem Comiti in dicto Siciliæ Regno succedent. Nolumus enim, quod delictum aliorum hæredum qui succedent ei in Comitatibus, & aliis terris suis, in pœnam hæredis, qui est ei successurus in dicto Regno, aliquatenùs extendatur. Nè vero hujusmodi alii hæredes ipsius Comitis, contra ea, quæ in isto continentur Articulo, aliquo forsan tempore venire præsumant, acquirendo, vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo, seù retinendo sibi aliquid in terris in Articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo, seù retinendo in eisdem terris potestariam, seù Capitaniam, vel aliquid aliud de iis, quæ in articulo continentur eodem, sic super hoc duximus providendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum hæredum ejusdem Comitis ullo umquam tempore liceat sibi quidquam in eisdem Terris, acquirere, seù vindicare, recipere, habere, vel etiam retinere, aut recipere, vel habere potestariam, seù Capitaniam, vel Rectoriam, aut aliquid aliud ex iis, quæ prout dictum est in eodem Articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secum præsumpserit eo ipso excomunicatus existat, nec ipse, nec ejus Posteri in perpetuum possint in eodem Regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio deferretur, sed ab illa repellatur omninò, & nihilominùs ille, qui tunc ejusdem Regni Gubernaculis præsidebit, Romano Pontifici contrà eum potenter assistere tenentur.

Item prò prædicta Civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos exponet per septennium prò lignaminibus omnia nemora, ipsius Regni, & Terræ quæ est citrà Farum, usque ad confinia Terrarum Romanæ Ecclesiæ, & omnem materiam ad ædificia opportunam, puta lapides arenam, quæ pateolana vocatur, cementum, & similia, sinè præjudicio jurium singularium Personarum ad unam dictam prope

ANNO 1265.

ANNO 1265.

Beneventum. Præstabit quoque ipsis Beneventanis securitatem per totum Regnum, & Terram prædictam, nisi in Terra sua de novo delinquant, quod propter ad ipsum de jure justitia pertinebit. Privilegia etiam dictæ Civitati à Regibus, & Principibus concessa, illibata servabit. Omnia statuta per quemdam Federicum olim Romanum Imperatorem, seù quoscumque alios Reges Siciliæ facta contrà libertatem Civitatis ejusdem revocabit, & in omnibus, & per omnia, quæ libertatis fuerint cæteris Regnicolis parificabit eamdem, nec aliqua statuta, seù aliquas leges condet in posterum, per quæ dictæ Civitati directè, vel indirectè possint præjudicia generari, & prò Apostolicæ sedis, & Beati Bartholomæi Patroni Civitatis ejusdem reverentia fidantias ab omnibus remitti faciat, & remittet eisdem. Fidantiarum autem remissio, est concessio libertatis, ut Cives Beneventani possint liberè proprias Vineas, & Terras excolere, ipsarumque fruges, & fructus recolligere, ac easdem Vineas, & Terras vendere, & de ipsis prò sua voluntate disponere sine aliqua exactione, vel munere, vel etiam datione.

Item totum ejusdem Regni residuum perpetuò concedetur in fædum eidem Comiti, & hæredibus suis ex eo legitimè, sicùt infrà dicitur, descendentibus sub infrascriptis, & suprà scriptis condictionibus, quæ proùt competet in concessioni Privilegio exprimentur; Ità videlicet, quod si in ejus, vel hæredum ipsorum obitu legitimum, prout subsequitur hæredem, ipsos, quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè revertatur. Si enim Comes ipse Regnum à Nobis receperit, descendentes per rectam lineam, ex eodem, & ipsius hæredibus Siciliæ Regibus mares, & Feminæ in eodem Regno succedent; sic tamen, quod de liberis duobus Maribus in eodem gradu, per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, & de duabus feminis primogenita, & de mare, & femina in eodem gradu similiter concurrentibus masculis omnibus aliis præferatur.

Si verò eumdem Comitem, quod absit sinè liberis ex eo legitimè descendentibus mori contigerit, possit ei in Regno, & Terra prædictis succedere dumtaxat nobilis Vir Alphonsus Comes Pictavensis germanus ejusdem. Et si dictus Alphonsus eidem Carolo non superviveret, possit ei succedere unus ex filiis Ludovici illustris Regis Franciæ, videlicèt major natu post illum, qui succedet in Regno Francorum, & hæc gratia, vel successio tam ex parte ipsius Caroli, quàm ex parte illorum erit tantummodo personalis, ita scilicèt, quod ad alterum filiorum, vel heredum ipsius Alphonsi, si Alphonsum ipsum præmori Carolo prædicto contigerit hujusmodi successio se extendet. Sed hujusmodi major natu succedet in Regno Siciliæ, & Terra prædictis. Similiter etiam nullus filiorum, vel hæredum ipsius majoris natu, si idem major natu præfato Carolo non supervixerit, hujusmodi successionem habebit; sed Regnum Siciliæ, ac Terra prædicta, ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè devolventur. Si verò Alphonsum, & majorem natu prædictos præmori Carolo præfato contigerit, nullus alius ipsi Carolo sinè liberis ex ipso legitimè descendentibus decedenti in eisdem Regno & Terra succedet, sed liberum erit eidem Romanæ Ecclesiæ de ipsis Regno Siciliæ, & Terra disponere juxta suæ beneplacitum voluntatis. Si autem prædictos Alphonsum, & majorem natu post successionem hujusmodi, aut eorum hæredes, sine liberis ex ipsis legitimè descendentibus mori contigerit, Regnum Siciliæ, & Terra prædicta similiter ad eamdem Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè revertentur. Sed si aliquem de aliis successoribus ejusdem Comitis Regem, vel Reginam Siciliæ sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, hæ personæ, videlicèt Regis, vel Reginæ sine prole legitima sui Corporis decedentis Frater, vel soror, ac Collaterales superiores, mares, & feminæ ut puta patrui, & Avunculi, Amitæ, & Materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat illis collateralibus, quos prædictus Comes habet ad præsens, & habebit dum vixerit, & qui post ejus obitum ex eisdem forsitan orientur exceptis: Collaterales etiam inferiores succedent similiter Mares, & feminæ, ut puta Nepos, vel Neptis ex Fratre, vel sorore, & inferiùs usque ad eumdem tantummodo quartum gradum. Quod autem de Feminæ, rectæ lineæ, ac collateralium superiùs est expressum, intelligendum est tàm de nuptis, quàm etiam de innuptis, dummodo nuptæ sint Fidelibus, & Ecclesiæ devotis, & sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicèt prior gradus posteriori præferatur, sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, & Marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem hujusmodi nulla superstite Regnum ipsum sicut prædicitur ad Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem liberè revertatur.

Item prò toto generali Censu ipsorum Regni, & Terræ, octo millia unciarum auri ad pondus ipsius Regni in Festo Beati Petri ubicúmque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur; Si verò idem Comes, vel ejus in dicto Regno hæredes, quocumque termino non solverint integrè censum ipsum, & expectati per duos Menses terminum ipsum immediatè sequentes de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino, & infrà subsequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolverint; totum Regnum Siciliæ, ac tota Terra prædicta, Ecclesiastico erunt suppositi interdicto. Si verò nec in tertio termino, nec infrà duos Menses proximos plenam satisfactionem illius ejusdem census sibi duxerint consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino, & duobus proximè sequentibus Mensibus, non sit de octo millibus hujusmodi primi termini ipsi Ecclesiæ integrè satisfactum ab eisdem Regno, & Terra ipsorumque jure cadant ex toto, & Regnum, & Terra ad Romanam Ecclesiam integrè, ac liberè revertentur. Si autem de Censu octo millium unciarum hujusmodi primi termini infrà dictos tertium Annum, & duos subsequentes Menses plenariè satisfecerint, nihilominùs semper prò singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint; vel illa non solverint similes penas incurrent, salvis aliis penis, & Processibus, quæ, vel qui de Jure inferri, & haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

Item post quam dictus Comes, præfatum Regnum, vel tantùm de ipso acquisiverit, & habuerit, quod etiam si aliquæ Civitates, vel munitiones, aut aliqua alia Loca ipsius Regni adhuc ei rebellia fuerint, reputetur, & possit ipsius Regni Rex, & Dominus reputari, solvet Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcarum sterlingorum per certos, & diversos Terminos ad hoc statuendos, tempore,

ANNO 1265.

quo erit tractatus, vel negotium consummandum. Quod si dictus Comes in hujusmodi Terminis illa non solverit, liberum erit Romano Pontifici contrà ipsum Comitem prò singulis Terminis ad pœnas spirituales procedere, proùt sibi videbitur expedire, cum tamen negotium, quod agitur Deo dante feliciter consummari contigerit, Nos petitionem Comitis super remittendis sibi eisdem quinquaginta Millibus Marcarum factam ex parte saltem aliqua de qua Comes ipse Nobis ad gratias teneri debeat audiemus.

Item in quolibet triennio dabit Rex Romano Pontifici unum Palafridum album, & pulcrum, & bonum in recognitionem veri dominii eorumdem Regni, & Terræ.

Item quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit, vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, idem Comes, vel ejus in dicto Regno hæredes requisiti ab eo ad Urbem, in Campagniam, in Maritimam, in Patrimonium Beati Petri, in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmissam Civitatem Beneventanam, ac ejus territorium, & pertinentias, quæ remanebunt Ecclesiæ, & in omnes alias Terras ipsius Ecclesiæ per Italiam trecentos milites equis, & armis benè, ac decenter munitos, & paratos, ità quod unus quisque habeat quatuor equiaturas, vel tres ad minùs in obsequium, & subsidium Ecclesiæ prædictæ transmittent, per tres menses integros ipsius, vel dictorum in Regno hæredum sumptibus, & stipendiis, semel tamen in anno in servitio eidem Ecclesiæ moraturos. Mensibus ipsis à die quo iidem milites Terram sui Dominii vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares dictas, & solitas computandis. Quod si maluerit Ecclesia eadem ingruenti necessitate, super quâ stetur verbo Romani Pontificis, ut est dictum, navali javari exercitu prædicti Milites debita taxatione, ac recompensatione præhabita in navale stolium commutentur.

Item tàm ipse, quàm sui in Regno hæredes nobis, nostrisque successoribus, canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & juramentum fidelitatis præstabunt ac hujusmodi homagium facere, & Juramentum fidelitatis præstare secundum formam inferiùs annotatam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit infrà sex Menses, si verò eum extrà Italiam esse contigerit infrà annum, postquam Regni Dominium adepti fuerint teneantur; & singulis ipsis successoribus, & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabunt tàm ipsum homagium, quàm hujusmodi juramentum. In optione autem, & beneplacitum erit Romanæ Ecclesiæ ipsum, & hæredes suos vocare ad præstandum personaliter Juramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc sibi totum locum statuant, & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seù alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxtà eamdem formam, & homagium recipiat, destinare.

Item dictus Comes, & ejus in Regno hæredes Regnum, & Terram præfata nullatenùs dividant, sed semper illa unus tantùm sub ipsis conditionibus immediatè, ac in Capite à Romana tenebit Ecclesia, & tàm idem Comes, quàm ipsius in dicto Regno hæredes, Nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & fidelitatis Juramentum præstabunt in hunc modum.

Ego . . . . . plenum, & ligium Vassallagium faciens Ecclesiæ prò Regno Siciliæ, & tota Terra, quæ est citrà Farum usque ad Confinia Terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta Civitate Beneventana, cum toto Territorio, & omnibus soli strictibus, & pertinentiis suis (& exprimentur limites Territorii, pertinentiarum, & districtuum Civitatis Beneventanæ) ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, & Domino meo Pontifici, suisque successoribus Canonicè intrantibus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ non ero in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdant, vel membrum, aut capiantur mala captione consilium quod mihi credituri sunt per se aut Nuntios suos, sive per literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam, & si scivero fieri, vel procurari, sivè tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud prò posse impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, tàm in Regno Siciliæ, & Terra prædictis, quàm alibi exstentia adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contrà omnem Hominem. Universas, & singulas conditiones contentas, in Apostolico Privilegio super ipsorum Regni, & Terræ concessione confecto, ac omnia, & singula, quæ continentur in eodem privilegio plenariè adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tempore veniam contrà illam, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Item, ipsi, ac singuli sui in dicto Regno hæredes Romano Pontifici, & singulis successoribus homagium præstabant, Juramentum fidelitatis jurabunt, se ad hoc specialiter obligantes, quod numquam per se, vel alios, seù quocumque modo procurabunt ut eligantur, vel nominentur in Regem, vel Imperatorem Romanum, vel Regem Teutoniæ, seù Dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis earumdem Lombardiæ, vel Tusciæ, & si electionem vel nominationem ad Imperium, vel ad Regnum Romanum, seù ad Regnum Teutoniæ, aut ad Dominium Lombardiæ, vel Tusciæ, seù majoris partis eorum, de ipsis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni, vel nominationi assensum præstabunt, nec intromittent sè ullo modo de Regimine ipsius Imperii, vel Regni Romani, seù Regni Theutoniæ, aut Lombardiæ, seù Tusciæ, vel majoris partis earum, à quocumque horum nominati fuerint, vel electi. Quod si ipse, vel aliquis suorum in Regno hæredum studentibus, & procurantibus eis ad Imperium ipsum, sive ad dictum Regnum Romanum, seù Regnum Theutoniæ, aut Dominium Lombardiæ, seù Tusciæ, vel majoris eorum partis electi, vel nominati fuerint, si hoc verum, & manifestum fuerit, aut si post talem electionem, vel nominationem de Imperii, vel Regni Romani, seù Regni Theutoniæ, aut Lombardiæ, seù Tusciæ, vel majoris ipsarum partis regimine sè manifestè intromiserint, eo ipso à Jure prædictorum Regni Siciliæ, & Terræ cadant ex toto, ipsaque prorsùs amittant, & eadem Regnum, & terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur. Si autem electioni, vel nominationi factæ non procurantibus ipsis, aut procurantibus consenserint, & ut huic electioni, seù nominationi, vel Juri omnino renuntient, & quod de Imperio, seù aliquo præmissorum ad quod electi, vel nominati fuerint se nullatenùs intromittant, moniti infrà quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi tali electioni, seù nominationi, vel Juri non renuntiaverint, vel de ipso Imperio, seù aliquo præmissorum ad quod electi, vel nominati

ANNO 1265.

minati fuerint se intromiserint quoquomodo ex hoc sint eisdem Regno Siciliæ ac Terra & eorum omni prorsus Jure privati, & ut dictum est eadem Regnum & Terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur. Si verò ad ipsum Comitem, vel ejus in eodem Regno Hæredes, non poterit commodè talis monitio pervenire super quo utique impedimento, videlicèt, quod moneri commodè nequeant, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, sivè dicto: sufficiet prævia super hoc ipsius Romani Pontificis monitio publica, & solemnis, ita quod si infrà sex menses post illam renuntiaverint, aut de Imperio, seù prædictorum de aliquo alio ad quod electi, seù nominati fuerint, se quomodolibet intromiserint, cadant ex hoc omni Jure ipsorum Regni, & Terræ, & Regnum, & Terra ipsa ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur.

Cæterum si contigerit aliquem de suis hæredibus, qui deberet in prædictis Regno Siciliæ, & Terra succedere in Regem, vel Imperatorem Romanum, seù Regem Teutoniæ, vel dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, seù majoris partis eorum nominari, seù eligi, vel assumi nullatenùs possessionem eorumdem Regni Siciliæ, ac Terræ nanciscatur, vel habeat, nec se de illorum cura, seù dominio, & regimine per se, vel per alios aliquatenùs intromittat, nisi priùs Imperio, vel Regno Romano, seù Regno Theutoniæ, aut Dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, seù majoris earum partis ad quodcumque horum electus nominatus fuerit, vel assumptus, & omni Juri competenti sibi in illis omnino renuntiet, & illorum regimen, nec de Jure, nec de facto illud gerens, vel retinens omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus, alioquin cadat ab omni successione, ac Jure, quæ in Regno Siciliæ, ac Terra prædictis, sibi competerent ipso facto, ita quod eadem Regnum Siciliæ, ac Terra ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plenè, ac liberè devolvantur.

Quod si non exstantibus masculis, femina in eisdem Regno, & Terra successerit, illa Regi, vel Imperatori Romano, seù in Regem, vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi, vel electo in Regem Teutoniæ, seù Dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, aut majoris Partis earum, seù electo ad eorum dominium numquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit eo ipso cadat à Siciliæ Regno & Terra prædictis, maneatque prorsùs ipsorum Jure privata, ipsis Regno, & Terra ad eamdem Ecclesiam devolutis. Si autem ipse, vel aliquis suorum in Regno hæredum contrà hæc venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe, ac reatu periurii respersi, & notati existant.

In ejusmodi quoque juramento addetur expresse, quod nullo umquam tempore Regnum, seù Imperium Romanum, aut Regnum Theutoniæ, vel Dominium Lombardiæ, sive Tusciæ, vel majoris earum partis, aut easdem Lombardiam, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum per se, vel per alios, seù alium occupabunt, capient, vel acquirent, aut sibi aliàs quomodolibet vindicabunt, & si secùs fecerint, similes, secundum præscriptam formam pœnas incurrant.

Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardiæ sive Tusciæ, intelligitur scienter; si verò ignoranter eam ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneantur, & si eam Ecclesia mandante dimittant, non incidant in pœnam in isto articulo, & consimilibus constitutam. Si verò moniti non dimittant remaneat pœna prout est in hoc articulo, & aliis consimilibus constituta.

Quod si forte in posterum Regem Siciliæ contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni fuerit possessionem adeptus, non transeat ad Imperium, alioquin in pœnas incidat in hoc articulo, & aliis similibus comprehensas. Quod si Regni possessione prædicti nondum agnita, seù obtenta in Imperatorem electus transire voluerit ad Imperium, prius in manu Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in Regno cujuscumque fuerit ætatis emancipet, & Regna renuntiet nihil Juris in eo retinens clàm, vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium ad subsidium, vel servitium aliquod faciendum Juramento, vel voto, stipulatione, vel pacto sibi successoribus suis adstringat; Sicque factus filius sui Juris ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinùs investiatur de Regno, ad cujus Regni successionem, si fortè decederet sine liberis nullo umquam tempore Pater veniat, Imperator existens; Sed si Imperio, & omnibus, quæ ad Imperium pertinent idem Pater renuntiare voluerit, & Regno tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi, ad illius successionem liberè admittatur, & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio destinato ab eo, investituram recipiat Regni illius. Quod si dictus filius sic ad Regnum assumptus, major decem, & octo annis fuerit, liberè administret, sed quamdiù minor extiteret tàm ipse, quàm Regnum ipsius in Custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse impleverit supra dictam ætatem, fructibus, & obventionibus Regni ex quibus sumptus necessarii faciendi, pro ejusdem Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem, & lucro alterius, ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ verò de Filio dicuntur, ut ei videlicet Regnum possit sub observatione prædicta à patre ad Imperium transeunte dimitti, de filia etiam duximus concedendum. Et si Rex non habens filios in Imperatorem electus ad Imperium transire voluerit, & de Personis, quas suprà diximus liberis non extantibus in Regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio, & filia præordinavimus, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ Potestatis.

Declaramus etiam quod si Regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia, vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ Imperatori dum ipse Rex viveret fuerat desponsata, vel nupta, non succedat in Regno, & si Regno sibi delato Imperatori nupserit cadat protinus ab eodem, nisi Vir ejus Imperio prorsùs renuntians Regno solummodo sit contentus. In primo autem casu repulsis filia, & alia prædicta, ad personas illas servatis gradibus, Regnum perveniat, quas prænotavimus in Regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non superstint. In secundo autem casu, Regnum prædictum ad Romanam Ecclesiam devolvatur.

Item si fortè deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam in Regno succedere, illa maritabitur Personæ, quæ ad illius Regni Regimen, & defensionem existat idonea, Romani Pontificis priùs super hoc consilio requisito, nec nubat, nisi Viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto, & si contra hoc fieret, licebit Romano Pontifici contrà ipsam, ad privationem prædictorum Regni, & Terræ, sinè figura Judicis, & absque omni Juris solemnitate, in quacumque ætate filia ipsa consistet procedere, si hoc ei videbitur expedire.

Item

ANNO 1265.

Item in Regnum, & Terram prædicta nullus succedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Item Regnum Siciliæ & Terra prædicta Imperio nullo modo subdetur, seù sibi ullo umquam tempore in eadem persona quomodolibet unietur; & præcisè super hoc articulo tàm per pænas spirituales, quàm alias cautiones cavebitur, juxtà Ecclesiæ voluntatem, cum prorsùs intentionem sit Romanæ Ecclesiæ ut Regnum, & Terra prædicta nullo umquam tempore Imperio uniatur, ut scilicèt unus Romanorum Imperator, & Siciliæ Rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum Regni, & Terræ cum Imperio dicimus, hoc ipsum circà unionem eorumdem Regni, & Terræ cum Regno Romano, aut Regno Teutoniæ, seù cum Lombardia, vel Tuscia, sivè cum majori parte ipsarum Lombardiæ, vel Tusciæ intelligimus, & volumus esse dictum.

Item si ipse, vel sui in Regno hæredes, prædictam Civitatem Beneventanam, Territorium, & pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam, vel Maritimam, seù Urbem, vel Ducatum Spoletanum, aut Marchiam Anconitanam sive Patrimonium Beati Petri in Tuscia, aut alias quascumque Terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas occupaverint, vel occupari fecerint, aut super iis offenderint, vel molestaverint Ecclesiam, seù fecerint molestari, & postquam super hoc à Romano Pontifice moniti, & requisiti fuerint, vel si commodè moneri, aut requiri nequiverint, juxtà ipsius Romani Pontificis assertionem, vel dictum, post quàm de hoc ipse publicè, ac solemniter eos monuerit, infrà tres menses non restituerint integrè omnia occupata, eo ipso ab eorumdem Regni Siciliæ, & Terræ Jure cadant totaliter, ipsaque Regnum, & Terram prorsùs amittant, & hæc ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur. Quod si etiam restituerint occupata, nihilominùs ad plenum de universis injuriis, & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneantur. Alii quoque hæredes ipsius Comitis, videlicèt qui in Regno succedent eidem occupare, vel facere occupare easdem Terras Romanæ Ecclesiæ, seù molestare, aut molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent, quodque illi, qui secùs attentaverint præmissas pænas (ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tàm ipsi, quàm eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti Regni, si in aliquo fortè casu eadem successio devolveretur ad illos nullatenùs admittantur) incurrent. Et quod Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contrà ipsos, prout superiùs est expressum.

Item omnibus Ecclesiis tàm cathedralibus, quàm aliis Regularibus, & secularibus, nec non & omnibus Prælatis, & Clericis, ac universis Personis Ecclesiasticis, secularibus, & Religiosis & quibuslibet Religionis Locis plenariè dimittentur, & restituentur integrè omnia bona eorum immobilia à quibuscumque ablata, vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Mobilia verò, quæ extant, & poterunt inveniri, simili modo restituentur eisdem: hæc autem restitutio fiet absque contradictione seù difficultate qualibet, sicut nanciscentur prædictorum Regni Siciliæ, ac Terræ possessionem: hoc modo scilicet, quod statim in illa parte ipsorum Regni, & Terræ, quæ sibi obediet, restitutio ipsa fiat, ipsaque postmodum successivè consummabitur, sicùt eidem Regnum habebuntur, & Terra. Nè autem super iis rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à Romano Pontifice aliqui Viri discreti, ad quorum mandatum, & arbitrium Jurium, & rerum immobilium, & mobilium, quæ extant restitutio plena fiat; ità quod ea de quorum dominio, vel proprietate, seù possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum, & arbitrium mox reddentur. In dubiis verò per ipsos de plano, & absque Judicis strepitu veritas diligentiùs inquiretur. Sufficiet autem vocari Camerarium, vel Procuratorem, seù Ballivum, in cujus Jurisdictione, vel Ballivia, seù Territorio Bona, de quibus agetur consistent, ad videndum jurare Testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent.

ANNO 1265.

Item omnes Ecclesiæ tàm Cathedrales, quàm aliæ Regulares, & Seculares, nec non & omnes Prælati, & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ seculares, & Religiosæ ac quæcumque Religionis loca, cum omnibus Bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec antè electionem, sive in electione, vel post regius assensus, vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem ipse, & sui in Regno hæredes semper manutenebunt, & conservabunt, & manuteneri, & conservari facient ab omnibus subditis suis. Dictæque Ecclesiæ, & Personæ utentur liberè omnibus bonis, & Juribus suis, salvo ei, & suis in Regno heredibus Jure patronatus in Ecclesiis, in tantum, quantum in hac parte Patronis Ecclesiarum Canonica Instituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujusmodi Jus Patronatus in ipsis Ecclesiis habuerunt. Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes liberè, & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinariis, & Ecclesiasticis aliis Judicibus, & terminabuntur per eos, & si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tàm Appellantes, quàm Appellati ad eamdem venire sedem prò Appellationum prosecutionibus liberè, & absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta verò fidelitatis præstabuntur secundum antiquam, & rationabilem consuetudinem, proùt canonica Instituta permittunt ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum prædecessores Antiquis illa Siciliæ Regibus præstiterunt; ab illis autem Prælatis, & Ecclesiis, qui Regalia, sive temporalia Bona tenent, si qui tamen sunt qui hujusmodi bona teneant à Domino Regni, & aliis Dominiis Temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus, & ipsis Dominis temporalibus, servitia exhibere; hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem, & antiquam consuetudinem, & sicut Instituta patiuntur Canonica impendentur, salva semper circà Ecclesias Cathedrales, & alias Regulares, & Seculares, ac Personas, & Loca Ecclesiastica, tàm in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quàm in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ Jurisdictione, ac Authoritate plenaria, & libera potestate.

Item revocabit omnes constitutiones, seù leges per prædictum Frid. vel per Reges Siciliæ, sive per Conradum ipsius Frid. filium, aut Manfredum quondam Principem Tarentinum, qui de facto Regnum ipsum detinet occupatum, editas contrà Ecclesiasticam libertatem: nec statuta, vel constitutiones aliquas edet, aut etiam promulgabit, per quæ Juri, vel libertati Ecclesiæ derogetur.

Item Comes promittet, quod nullus Clericus, vel Persona Ecclesiastica, eorumdem

Rea

ANNO 1265.

Regni Terræ in civili, vel criminali causa convenietur coràm Judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes Ecclesiæ, ac Personæ Ecclesiasticæ omnimodè erunt liberæ, & in nullo Regi, vel Principi subjacebunt.

Item nullas tallias, vel Collectas imponet Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, & viris Ecclesiasticis, vel rebus eorum.

Item, in Ecclesiis vacantibus Rex nulla habebit Regalia, nullosque fructus, reditus, & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsùs alia percipiet & ex eisdem, custodia earumdem Ecclesiarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas, juxtà Canonicas sanctiones.

Item Comites, Barones, milites, & universi Homines totius Regni, & Terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi secundi Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Item omnes exules Regni Siciliæ, & Terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant ad mandatum Ecclesiæ reducentur in Regnum, & Terram prædictam, ipsisque de Bonis, & juribus eis debitis restitutio plena fiet. In hujusmodi autem restitutione secundum præscriptam formam in Capitulo de Bonis Ecclesiarum restituendis contentam, tàm in notoriis, quàm in dubiis procedetur.

Item nullam confederationem, seù portionem, vel societatem cum aliquo Imperatore, vel Rege, seù Principe, vel Barone, Saraceno, christiano, vel Græco, aut cum aliqua Provincia, seù Civitate, aut Communitate, vel loco aliquo contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ scienter faciet, & si etiam faceret ignoranter teneatur ad mandatum Ecclesiæ revocare.

Item omnes captivos, & obsides, qui tenentur in Regno & Terra prædictis, Romanos, Regnicolas & alios de Terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de Marchia Tervisina prò posse suo bona fide restituet libertati. Hæredibus verò per Riccardi Comitis Sorani germani felicis recordationis Innocentii Papæ III. Jus quod in comitatu Sorani, & aliis Ecclesiæ Romanæ Fidelibus, illud quod in aliis comitatibus, & bonis, si qua eis in Regno, & Terra prædictis à Regibus, & Principibus sunt concessa, obtinent, penitus erit salvum, nec per ipsorum Regni, & Terræ concessionem Comitatuum, seu concessiorum eorumdem cuiquam quo ad proprietatem, seù possessionem præjudicium generabitur; Regio in iis omnibus Jure salvo: secundum enim supra dictas, & infra scriptas conditiones Regnum Siciliæ, excepta Civitate Beneventana, & omnibus districtibus, & pertinentiis suis, Comiti concedetur eidem, & revocabuntur omnes concessiones comitatuum, Baroniarum, Feudorum, & aliorum quorumcumque bonorum, & jurium factæ in prædicto Regno Siciliæ per Federicum Conradum, & Manfredum prædictos, & Officiales, familiares, & fautores post depositionis sententiam in ipsum Fr. per felicis recordationis Innocentium Papam IV. in Lugdunensi concilio promulgatam.

Item idem Comes veniet cum mille ad minùs Ultramontanorum Militum comitiva, quorum quilibet equitaturas quatuor secum ducet; Habebit quoque dictus Comes trecentos balistarios, & tot alios bellatores, quot ad prosequutionem negotii sufficere videbuntur.

Item dictus Comes usque ad annum à die, quo ei fiet Collatio de Regno Siciliæ computandum, sic munitus cum tota sua comitiva hujusmodi fines Comitatus Provinciæ, versùs Italiam sic egressus, & extimo infrà tres menses immediatè sequentes sit in Terris conterminis Regni Siciliæ, nisi forsan in Italia hostium impediatur obstaculo, vel occursu, quorum impugnationi, vel debellationi, quamdiù taliter munitus perseveranter insteterit, intelligatur negotium prosequi, nec tempus prædictorum trium mensium ei currat. Quod si dictus Comes sic munitus usque ad annum, hujusmodi non fuerit fines prædicti Comitatus egressus, vel infrà eosdem tres menses tali non præpeditus obstaculo non fuerit in Terris eidem Siciliæ Regno conterminis cum comitiva hujusmodi constitutus, vel in quocumque casu eo prosequutioni negotii, opportunam non impendente operam, ad easdem Terras conterminas dicto Regno infrà tres menses ipsos non venerit sic munitus, liberum erit ipsi Romano Pontifici, ac in ipsius potestate remanebit dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio Fratrum suorum, eodem Comite, vel alio etiam quocumque, cujus forsan interesset non vocatis, & absque omni Juris solemnitate concessionem eidem Comiti, & Jus hæredibus de Regno, & terra prædictis factam, vacuam omnino esse, nullumque robur, vel valorem habere, ac eam revocare, cassare, irritare, ac ipsam cassam, & irritam nuntiare. Liberum quoque est eidem Romano Pontifici hoc facere, si, quod absit, dictus Comes longa præpeditus valetudine, vel morte præventus, dictum negotium juxtà eamdem formam non assumserit, vel assumtum non fuerit prosecutus, nisi forte talis persona, & tàm idonea juxtà formam eamdem vices ejus, vel suorum hæredum in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficiens possit, & debeat Romanæ Ecclesiæ reputari. Quod si dictus Comes alio forsan impedimento legitimo fuerit irretitus, & hoc significaverit Romano Pontifici, tunc liberum erit eidem Romano Pontifici, & in potestate remanebit ipsius, vel dicere, pronuntiare, ac proferre juxtà formam in Capitulo ipso contentam, concessionem eidem Comiti, & ejus hæredibus factam de Regno, & terra prædictis vacuam omnino esse, nullumque valorem, vel robur habere, ac eam revocare, cassare, & irritare, & ipsam cassam, & irritam nuntiare, vel talem personam, & tam idoneam assumere, vel admittere ad dictum negotium, quæ meritò ad hoc ab ipso sufficiens reputetur.

Item omnes præmissas conditiones quæ in persona Comitis apponentur circa etiam ipsius Comitis in Regno hæredes intelligimus, & volumus esse dictas, salvis omnibus, quæ circà alios hæredes ipsius Comitis ordinata consistunt, prout superiùs est expressum.

Item postquam tractatus hujusmodi negotii fuerit concorditer consummatus, fiet super hoc privilegium Concessionis à Domino Papa subscriptionibus Cardinalium Romanæ Ecclesiæ roboratum, & Comes dabit Privilegium suum eidem Domino Papæ, ac Romanæ Ecclesiæ, aurea bulla bullatum, in quo proprio Juramento fatebitur, & recognoscet expressè Regnum Siciliæ, ac totam Terram, quæ est citra Farum usque ad confinia Terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum territorio, & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit, eidem ex sola gratia, & mera liberalitate sedis Apostolicæ sibi, suisque hæredibus de novo fore concessa, seque recipere, ac tenere Regnum, & Terram hujusmodi à dicta Romana Ecclesia sub conditionibus, & pactis hinc indè tractatis. Ordinatio

ANNO 1265.

verò super senatus Articulo hæc est. Nobilis Vir Carolus Andegaviæ, ac Provincæ Comes præstito Juramento promittat quod dabit operam bona fide, ut Romanis juret non regere urbem ad vitam. Item quod finito triennio à die quo fiet ei Regni Siciliæ concessio computando, vel si infra triennium ipsum totum prædictum Regnum, vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere acquisierit, vel si forte quod absit, illud acquirere non poterit, & hoc liquido constiterit, senatum omnino dimittet, & illum ex tunc per se, vel per alium nullatenus resumpturus, nec procuraturus quomodo libet quod senatum ipsum quivis alius perpetuo ad vitam habeat, ut quod ad illum aliquis etiam ad certum tempus absque licentia Romani Pontificis assumatur. Item quod dabit operam bona fide, ut idem senatus ad dispositionem, & ordinationem Romanæ Ecclesiæ revertatur, Cives scilicet Romanos ad hoc sicut melius, & honestius poterit inducendo. Item quod dum Senatum tenuerit, nihil scienter in cæteris ipsius Ecclesiæ domaniis scilicet, & feudis in ejusdem Ecclesiæ, vel suorum præjudicium faciet contrà Ecclesiam, ipsam, & Ecclesiasticam libertatem, & si ipse, vel sui quidquam tale fecerint id sine mora dispendio revocabit.

Hujusmodi autem juramentum præstabit idem Comes in præsentia fide dignarum personarum, quarum tres, vel duæ ad minus sint pontificali præditæ dignitate, dabitque super iis, videlicèt super Juramento, & promissione hujusmodi suas patentes litteras sigillis tam suo, quàm hujusmodi trium vel duorum Pontificum sigillatas: in quibus utique litteris nomina personarum coram quibus hujusmodi Juramentum præstabitur exprimentur, ac se nihilominùs per easdem litteras obligabit ad infra scriptas pœnas, quas incurrat si contrà præmissam, vel eorum aliquid fecerit, videlicèt quod præter reatum perjurii, quod incurret, eo ipso idem excommunicationis, & terra sua ubilibet constituta interdicti sententiis subiaceant. Quas itaque sententias si dictus Comes per mensem substinuerit, eo ipso cadat à Jure senatus, & si postea de facto senatum tenere contenderit, seù intromiserit se de illo, cadat similiter eo ipso ab omni Jure, quod erit ei in Regno Siciliæ acquisitum. Duplicentur autem hujusmodi litteræ ad cautelam propter viarum discrimina, & sic duplicatæ assignentur dilecto filio nostro Tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato, si presens fuerit, vel alii personæ, quam ad hoc duxerimus deputandam, ita quod earumdem litterarum aliæ deferantur, vel mittantur ad nos, & reliquæ nostro, & Ecclesiæ Romanæ nomine in aliquo tuto loco fideliter deponantur, inibi ad opus nostrum, & ipsius Ecclesiæ conservandæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ difinitionis, & ordinationis, nostrique decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Odo Tusculanus Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Ego Frater Joannes Portuensis Episcopus.

Ego Rodulphus Albanensis Episcopus.

Ego Anderus Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Guido tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego Guillelmus Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Anibaldus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Ottavianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Ottobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.

Ego Gottfridus S. Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Jordanus S. S. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Actum Perusii quarto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1265.

III.

Ex Anecd. Martene Tom. 2. pag. 220.

CAroli Regni Siciliæ illustri, Infeudatio Regni Siciliæ per Dominum Papam CLEMENTEM IV. Domino Carolo S. Ludovici Regis Franciæ Fratri: anno 1265.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio CAROLO *Regi Siciliæ illustri Salutem & Apostolicam benedictionem.*

CONstituti ab eo per quem reges regnant & principes imperant, & qui solum habet in regno hominum potestatem super gentes & regna, necesse habemus interdum regnis ipsis, & specialiter quæ Romanæ Ecclesiæ juris & potestatis existunt, cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere, ac in eorum foliis ad regimen gentium subjectarum quos dignos credimus sublimare, & quia instructi ab eo, qui spiritus angelos suos facit, super hujusmodi dispositione regnorum nonnumquam aliquibus ex fratribus ipsis aliqua committimus peragenda, ut ea quæ ab ipsis fratribus super illis cum maturitate debita rite ac providè ordinantur, eo ipso quod constat ipsa de nostra fieri jussione, robur obtineant firmitatis; ne tamen vacillent in posterum vel cavillationi subjaceant, eò sunt fortius apostolico munimine roboranda. Quocirca majora, in quibus majus periculum formidatur, major est cautelæ discretio adhibenda. Sanè porrecta nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod cum regno Siciliæ & tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, quæ de prædicto Siciliæ regno esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem sedis apostolicæ, ad quam specialiter pertinet, plene ac liberè devolutis, sedes ipsa obtentu devotionis, qua persona tua erga prædictam Romanam fulget Ecclesiam, & pro fidei puritate, qua Christianissimum genus tuum semper noscitur claruisse; perpenso consilio disposuerit ad laudem Dei & honorem & pacem ipsius Ecclesiæ & tranquillitatem & profectum fidelium regni ejusdem de regno ipso personam ac domum tuam regiam honorare, habitis diligentibus & diutinis inter te & sedem eamdem tractatibus de prædictis regno & terra in feudum tibi & tuis heredibus concedendis, nos ad finalem consummationem eorundem tractatuum & negotii regni prædicti nostrum animum firmiter dirigentes, dilectis filiis nostris

ANNO 1265.

AMBALDO basilicæ duodecim Apostolorum presbytero, RICHARDO S. Angeli, JOHANNI S. Nicolaï in carcere Tulliano & JACOBO S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus dedimus litteris in mandatis, ut juxta conditiones & formam tibi per venerabilem fratrem nostrum B. Archiepiscopum Cusentinum & dilectum filium magistrum PETRUM notarium nostrum præsentatas, (quas conditiones & formam & nostram super dicto negotio diffinitionem, aliaque ipsi opportuna negotio sub bulla nostra eisdem cardinalibus miseramus), ad plenariam executionem ejus negotii, & ad collationem & investituram tibi de prædicto regno auctoritate nostra faciendam efficaciter procedere procurarent, concessa eisdem per dictas litteras à nobis de ipsorum fratrum consilio & assensu procedendi ad consummationem, collationem, investituram hujusmodi plena & libera potestate. Qui considerantes ad diffinitionem prædictam a nobis super dicti regni negotio editam nostra & fratrum nostrorum subscriptionibus & bulla, nec non eorumdem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam, & etiam prædictas conditiones & formam per prædictos archiepiscopum & notarium tibi ex parte nostra novissimè præsentatas, ac diligentius attendentes, quod ea quæ ante consummationem prædicti negotii tibi facienda & implenda incumbebant, & forma prædicta per te facta fuerant & etiam adimpleta, ad plenariam consummationem ejusdem negotii collationem & investituram faciendam tibi de regno & terris prædictis juxta præstitas conditiones & mandato nostro & potestate tibi super hoc tradita processerunt, tibique totum regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terræ prædictæ Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtionibus & pertinentiis suis per Romanum Pontificem distractis, vel in posterum distrahendis, quam sibi Ecclesia Romana usque ad tempus istud retinuisse & reservasse dignoscitur, & tunc etiam expresse retinuit, & ad suum dominium reservavit in feudum; perpetuo tuisque heredibus ex te legitimè descendentibus, prædictum cõsummando negotium, sub prædictis conditionibus tibi plenius expressis & expositis conferentes etiam & cõcedentes investierunt, & per vexillum ecclesiæ præsentialiter de eisdem à te vice nostra & prædictæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis juramento recepto, juxta formam in eisdem conditionibus comprehensam receptione homagii, quod teneris nobis & dictæ Ecclesiæ reddere, nobis specialiter reservata, prout patentibus litteris dictorum cardinalium inde confectis & ipsorum sigillis pendentibus communitis plenius continetur. Ut autem collatio seu concessio & investitura prædictæ sub prædictis forma & conditionibus expressis & appositis robur obtineant firmitatis perpetuæ, humiliter supplicasti, eas sub ipsis forma & conditionibus apostolicæ confirmationis munimine roborari. Nos igitur volentes tibi & heredibus tuis in posterum super his salubriter providere, tuis supplicationibus inclinati, collationem, concessionem, investituram prædictorum regni & terræ sub conditionibus & forma prædictis à prænominatis cardinalibus tibi & heredibus tuis factas, ac regnum ipsum ac totam terram prædictam tibi & prædictis heredibus ex certa scientia & fratrum nostrorum consilio & assensu auctoritate apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Ceterum quia in quibusdam articulis seu capitulis conditionum ipsarum expressius continetur, quod in certis casibus tu & tui heredes excommunicationum sententias incurratis, & dictum regnum & tuæ ac ipsorum heredum terræ sint ecclesiastico suppositæ interdicto: nos & nunc hujusmodi sententias videlicet excommunicationis in te ac eosdem heredes & interdicti in prædictum regnum, ac terras prædictas, si tui vel ipsorum culpa hujusmodi casus emerserint, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica promulgamus, tenorem prædictarum litterarum cardinalium eorumdem de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est.

Illustri & magnifico principi Domino CAROLO illustri regi Siciliæ, nato claræ memoriæ LUDOVICI regis Franciæ, miseratione divina fratres AMBALDUS Basilicæ XII. apostolorum presbyter, RICHARDUS S. Angeli, JOHANNES S. Nicolaï in carcere Tulliano, & JACOBUS S. Mariæ in Cosmedim diaconi cardinales ad perpetuam rei memoriam. Quoniam ad subsistentiam multorum & regimen præesse oportuit unum singulare principium, pro eo quod pluralitas in præsidentia scissuram induceret & solidam gubernaculi dirumperet firmitatem, præeminent singulis regnis & mundi provinciis singula regnantium solia, & singulæ principantium potestates: quia dum reges regnant, prospere imperant & populi regibus reverenter intendunt, hi humiliter subsunt, & illi benigne præsunt, dum congruis præerunt jussibus & devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium animorum unitas, misericordia & veritas sibi obviant, ac justitia & pax se invicem amplectuntur. Ideo namque ex summo illo cælesti Rege, per quem singuli reges regnant & principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum regibus terrenis attributa est potestas, ut ipsi assumto dominandi officio judicent in æquitate populos & dirigant in teris subjectas sibi gentium nationes, quatinus sit voluntas eorum in executione justitiæ, ac meditatio in lege rectitudinis, & ob reverentiam sanctæ pacis. Sane regno Siciliæ & tota terra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, quæ de prædicto regno Siciliæ esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem sedis apostolicæ, ad quam specialiter pertinent, plene & libere devolutis, sede ipsa circa statum ejusdem regni sollicitè cogitante, illiusque regimen alicui catholico & devoto principi cupiente committere, qui ad laudem Dei, honorem & pacem Ecclesiæ, & tranquillitatem fidelium ipsius regni ejus solio præsideret, tandem quia persona vestra multa erga Romanam Ecclesiam devotione refulget, vestrumque christianissimum genus præcipuæ semper fidei claruit puritate, sedes ipsa consilio perpetuo disposuerit vos de regno ipso domumque vestram honorare, habitis igitur diligentibus diutinisque tractatibus inter eamdem sedem de prædictis regno & terra in feudum vobis vestrisque heredibus concedendis, demum Sanctissimus Pater & Dominus noster, Dominus CLEMENS Sacro-sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontifex ad salutarem consummationem eorumdem tractatuum & negotii regni Siciliæ suum animum firmiter dirigens, suas transmisit nobis litteras in hac forma.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis AMBALDO Basilicæ XII. apostolorum presbytero, RICHARDO S. Angeli, JOHANNI S. Nicolaï in carcere Tulliano, & JACOBO S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus salutem & Apostolicam benedictionem. Plene vos scire credimus conditiones & formam dilecto filio nostro CAROLO Andegavensi & Provinciæ comiti per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Cusentinum & dilectum filium magistrum PETRUM notarium

ANNO 1265.

noſtrum ſuper negotio regni Siciliæ ex parte noſtra vobis noviſſimè præſentatas, cum & nos illas necnon & noſtram ſuper negotio ipſo definitionem & alia eidem opportuna negotio nuper vobis ſub bulla noſtra duxerimus deſtinanda. Volumus igitur, & de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu vobis per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad plenariam conſummationem ipſius negotii, & ad collationem & inveſtituram de prædicto regno ipſi comiti faciendam auctoritate noſtra juxta eaſdem conditiones & formam efficaciter procedatis. Nos enim procedendi ad conſummationem, collationem, & inveſtituram hujuſmodi plenam & liberam de ipſorum fratrum conſilio & aſſenſu vobis concedimus auctoritatem: nobis tamen receptione homagii, quod per ipſum comitem ſine interpretatione miniſtri volumus nobis opportuno tempore præſentialiter exhiberi, ſpecialiter reſervata non obſtante quod dictus comes ex forma diffinitionis hujuſmodi tenebatur infra feſtum B. Apoſtolorum Petri & Pauli ad noſtram venire præſentiam, collationem & inveſtituram eaſdem, & etiam ipſius conſummationem negotii de noſtris manibus recepturus. Datum Peruſii XI. calendas Julii Pontificatus noſtri anno I.

Nos itaque conſiderantes diffinitionem ab ipſo ſummo pontifice editam ſuper dicti regni negotio, & ejuſdem Domini papæ & fratrum ſuorum ſubſcriptionibus, ejuſque bulla, & eorumdem fratrum ſigillis ad perpetuam memoriam roboratam ac formam & conditiones & per venerabilem patrem B. Archiepiſcopum Cuſentinum & diſcretum virum magiſtrum PETRUM notarium ipſius ſummi pontificis ſuper ipſo negotio nobis ex parte ipſius ſummi pontificis noviſſime præſentatas, ac diligentius attendentes ea quæ ante conſummationem prædicti negotii vobis facienda & implenda incumbebant ex forma prædicta per vos facta ſunt & etiam adimpleta, ad plenariam conſummationem ejuſdem negotii, & ad collationem & inveſtituram faciendam vobis de regno & terra prædictis, juxta prædictas conditiones & formam, ex mandato ipſius ſummi pontificis, & poteſtate tradita nobis, per ſupra dictas litteras duximus procedendum.

Ad honorem igitur Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus ſancti, & B. & glorioſæ ſemperque Virginis MARIÆ, Beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non prædicti D. CLEMENTIS papæ IV. & ſacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ totum regnum Siciliæ & totam terram quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia terrarum Romanæ Eccleſiæ, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis, quam Romana Eccleſia hactenus ſibi reſervat, in feudum vobis veſtriſque heredibus ex vobis legitimè, ſicut infrà dicitur, deſcendentibus ſub infra ſcriptis conditionibus auctoritate & poteſtate nobis in hac parte conceſſa, dictum ejuſdem regni negotium conſummando concedimus atque conferimus, voſque de ipſis regno & terra per vexillum Eccleſiæ præſentialiter inveſtimus, non obſtante quod ex forma dictæ diffinitionis tenebamini infra inſtans Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ad ipſius ſummi pontificis perſonaliter præſentiam collationem & inveſtituram eaſdem & totam ipſius negotii conſummationem de ſuis manibus recepturi. Recipimus etiam vice ipſius ſummi pontificis & Eccleſiæ Romanæ juramentum fidelitatis à vobis ſecundum formam in eiſdem contentam conditionibus & inferius annotatam, nec non & aliorum ſuper quibus ſecundum tenorem conditionum ipſarum Romano Pontifici & prædictæ Eccleſiæ præſtare tenemini juramenta, receptione homagii prædicto ſummo pontifici generaliter reſervata. Omnes quoque conceſſiones communitatum, baroniarum, feudorum, & aliorum quorumcumque bonorum & jurium factas in prædicto regno Siciliæ per quemdam FREDERICUM, olim Romanorum imperatorem, & CONRADUM, & MANFREDUM natos ejus, ipſorum officiales, familiares, fautores, poſt depoſitionis ſententiam in ipſum Fridericum per felicis recordationis dominum INNOCENTIUM papam IV. promulgatam in Lugdunenſi concilio revocamus. Conditiones autem ſunt hæ:

Conditiones novo regi Siciliæ impoſitæ.

I. Si in veſtro & heredum veſtrorum obitu legitimum, prout ſequitur, heredem vos aut ipſos, quod abſit, non habere contigerit; regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam, ejuſque diſpoſitionem liberè revertatur. Deſcendentes autem ex vobis & veſtris heredibus Siciliæ regibus mares & feminæ in eodem regno ſuccedent: ſic tamen quod de liberis duobus maribus eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus, primogenitus; & de duabus feminis primogenita; & de mari & femina in eodem gradu ſimiliter concurrentibus, maſculus omnibus aliis præferatur. Si verò vos, quod abſit, ſine liberis ex vobis legitimè deſcendentibus mori contigerit; poſſit vobis in regno & terra prædictis ſuccedere dumtaxat nobilis vir ALPHONSUS comes Pictavenſis germanus veſter. Et ſi dictus ALPHONSUS vobis non ſupervixerit, poſſit vobis ſuccedere unus ex filiis Domini LUDOVICI illuſtris regis Francorum; videlicet major natu poſt illum, qui ſuccedit in regno Francorum. Et hæc gratia vel ſucceſſio tam ex parte veſtra, quàm ex parte illorum erit tantummodo perſonalis: ita ſcilicet quod ad nullum filiorum vel heredum ipſius ALPHONSI, ſi Alphonſum ipſum præmori vobis contigerit, hujuſmodi ſucceſſio ſe extendet; ſed hujus major natu ſuccedat in regno Siciliæ & terra prædictis; ſimiliter & nullus filiorum vel heredum ipſius majoris natu, ſi idem major natu vobis non ſupervixerit, hujuſmodi ſucceſſionem habebit, ſed regnum Siciliæ & terra prædicta ad Romanam Eccleſiam, ejuſque diſpoſitionem liberè devolventur. Si verò ALPHONSUM & majorem natu prædictos præmori vobis contigerit; nullus alius vobis ſive liberis ex vobis legitimè deſcendentibus in eiſdem regno & terra ſuccedit; ſed liberum erit eidem Romanæ Eccleſiæ de ipſis regno & terra diſponere, juxta ſuæ beneplacitum voluntatis. Si autem prædictos ALPHONSUM & majorem natu poſt ſucceſſionem hujuſmodi, aut eorum heredes, ſine liberis ex ipſis legitimè deſcendentibus moti contigerit, regnum Siciliæ & terra prædicta ſimiliter ad eamnem Romanam Eccleſiam ejuſque diſpoſitionem liberè revertentur. Sed ſi aliquem de aliis ſucceſſoribus veſtris regem vel reginam Siciliæ ſine legitima prole ſui corporis mori contigerit, in futurum ſuccedent eidem, ſervatis gradibus, ſi ſuperſtites fuerint, hæ perſonæ, videlicet regis vel reginæ ſine prole legitima ſui corporis deſcendentes, frater vel ſoror ac collaterales ſuperiores, mares & feminæ, utpote patrui & avunculi, amitæ & materteræ, & ſurſum uſque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus, quos vos habebitis ad præſens dum vixeritis, & qui poſt obitum forſitan ex eiſdem orientur exceptis, collaterales etiam inferiores ſuccedunt ſimiliter mares & feminæ, utpote nepos & neptis ex fratre vel ſorore & inferius uſque ad eumdem tantummodo quartum gradum. Quod autem de feminabus rectæ lineæ & collateralium ſuperius eſt expreſſum, intelligendum eſt tam de nuptis,

ANNO 1265.

quam de innupcis, dummodo nuptæ sint fidelibus & Romanæ Ecclesiæ devotis. Et sicut inter eas personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu posteriori & marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem hujusmodi nulla superstite, regnum ipsum, ut præfertur, ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem liberè revertatur. Quod si forte deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam in regno succedere; illa maritabitur personæ quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea, Romani tamen pontificis super hoc consilio requisito. Nec nubat nisi viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto. Et si contra hoc fecerit; licebit eidem Romano pontifici contra ipsam ad privationem regni & terræ prædictorum, sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate femina ipsa constet, procedere, sic hoc videbitur expedire. In regnum verò & terram prædictam nullus succedet qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

2. Adhuc tam vos quàm viri in regno heredes regnum & terram prædictam nullatenus dividatis, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus in membris ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit.

3. Vos autem, nobis recipientibus vice prædicti Romani summi pontificis & Ecclesiæ Romanæ, præstabitis ad præsens juramentum fidelitatis reservata receptione homagii eidem summo pontifici juxta ipsius mandatum, & tam vos sibi, quàm ejus successoribus canonicè intrantibus expressis eorum nominibus & ipsi Ecclesiæ, quam vestri in prædicto regno heredes sub propriis nominibus ligium homagium facietis, & dictum juramentum fidelitatis faciendo mentionem de præsenti instrumento seu litteris præstabitis in hunc modum: *Ego* CAROLUS *Dei gratia rex Siciliæ plenum & legium homagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos vel in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis ero & obediens B. Petro & Domino meo Domino* CLEMENTI *Papæ* IV. *suisque successoribus canonicè intrantibus & Sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ: non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se aut nuncios suos sive per litteras ad eorum damnum illud pro posse impediam, & si impedire non possum illud, eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quàm alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones contentas in præsenti instrumento seu litteris plenarie super ipsorum regni & terræ concessionem confectis, & omnia & singula quæ continentur in eodem instrumento, seu litteris adimplebo & inviolabiliter observabo, nec unquam tempore ullo veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.*

Hujusmodi autem homagia vos & dicti heredes facere & juramentum fidelitatis præstare secundum formam præscriptam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; si verò eum extra Italiam esse contigerit, infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini, & singulis ipsis successionibus & eidem Ecclesiæ Romanæ renovabitis tam ipsum homagium, quàm hujusmod juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ vos vel heredes vestros vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hæc vobis locum tutum statuant & assignent; vel aliquem cardinalem ipsius ecclesiæ alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat destinare, vosque prædicto Summo Pontifici & Ecclesiæ in vestris nominibus manibus junctis ad præsens vos ad hæc specialiter obligantes, & tam vos singulis ejus successoribus quàm vestri in dicto regno heredes præfato summo Pontifici & singulis ejus successoribus ac prædictæ Ecclesiæ, quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabitis vos ad hæc specialiter obligantes, quod numquam per vos vel alios seu quocumque modo perjurabitis, ut eligamini vel nominemini in regem vel imperium Romanum, vel regem Teutoniæ, seu dominum Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ. Et si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum, seu regnum Teutoniæ, aut ad dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earumdem de vobis celebrari contigerit; nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabitis, nec intromittetis vos ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romanorum, seu regni Teutoniæ aut Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis ipsarum, ad quodcumque horum nominati fueritis vel electi. Quod si vos vel aliqui vestrorum in regno sedentium heredum eodem, procurantibus vobis aut eis ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanorum, sive regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis earum electi vel nominati fueritis vel fuerint; si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii regni Romanorum seu regni Teutoniæ aut Lombardiæ seu Tusciæ seu majoris ipsarum partis regimine vos manifestè intromiseritis, vel intromiserint; eo ipso à jure regni Siciliæ & terræ prædictæ cadatis vel cadant ex toto, ipsaque prorsus amittatis & amittant, & eadem regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur. Si autem vos aut aliquis ex prædictis heredibus electioni vel nominationi factæ seu juri omnino renuncietis & renuncient, & quod de imperio, seu aliquo alio præmissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos nullatenus intromittatis & intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium post nominationem hujusmodi, tali electioni vel nominationi seu juri non renunciaveritis vel renunciaverint; vel de ipso imperio vel de aliquo præmissorum ad quod electi seu nominati fueritis, vel fuerint, vos intromiseritis vel intromiserint quoquo modo, ex hoc sitis & sint eisdem regno Siciliæ & terra & omni prorsus jure eorumdem privati; &, ut dictum est, eadem regnum & terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Si verò ad vos vel in dicto regno heredes vestros non poterit commodè talis monitio provenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commodè nequeatis vel nequeant, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, monitio publica & solemnis: ita quod si infra VI. menses post illam non renunciaveritis seu renunciaverint, aut de imperio seu de aliquo alio prædictorum ad quæ vos vel dicti heredes electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos quolibet modo intromiseritis, vel intromiserint; ex hoc cadatis vel cadant omni jure ipsorum regni & terræ, & regnum & terra ipsa ad Romanam

ANNO 1265.

manam Ecclesiam liberè devolvatur. Ceterum si contigerit aliquem ex vestris heredibus, qui deberent in prædictis regno Siciliæ & terra succedere, in regem vel imperium Romanorum seu in regem Teutoniæ vel dominium Lombardiæ seu Tusciæ sive majoris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorum regni Siciliæ & terræ nanciscatur & habeat, nec se de illorum cura seu dominio & regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Teutonico, aut dominio Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit vel assumptus; & omni juri sibi in illo competenti omnino renunciet, & illorum regimen nec de jure, nec de facto illud gerens, vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus: alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in regno Siciliæ & terra prædictis sibi competerent ipso facto, ita quod eadem regnum Siciliæ & terra ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè devolvatur. Quod si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno & terra successerit, illa regi vel imperatori Romanorum seu in regnum & imperium electo, aut regi vel electo Teutoniæ aut domino Lombardiæ seu Tusciæ aut majoris partis earum seu electo ad earum dominium, numquam matrimonialiter copuletur; & si contrarium fecerit, eo ipso cadat à Siciliæ regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis regno & terra Siciliæ ad eamdem Ecclesiam devolutis. Si autem vos vel aliquis vestrum in regno heredes contra hoc veneritis vel venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe & reatu perjurii respersi & noti existatis vel existant. In hujusmodi quoque juramento vos addetis, & tam per vos quàm vestros in dicto regno heredes addetur expresse, quod nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanorum, aut regnum Teutoniæ vel dominium Lombardiæ, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum, per vos vel per alium aut alios occupabitis, capietis vel acquiretis, aut vobis alias quolibet modo vindicaveritis; & si secus feceritis secundum præscriptam formam pœnas similes incurratis. Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ sive Tusciæ, intelligitur scienter; si verò ignoranter, eam ad mandatum ecclesiæ, dimittere teneamini, & si eam ad mandatum dimittatis, non incidatis in pœnam in isto articulo & in consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittatis, remaneat pœna prout est in hoc articulo & in similibus constituta. Quod si forte in posterum regem Siciliæ contingat in imperatorem eligi, postquam fuerit regni Siciliæ possessionem adeptus, non transeat ad imperium; alioquin in pœnas incidat in hoc articulo vel aliis similibus comprehensas. Quod si regni possessione prædicti nondum habita seu obtenta, in imperatorem electus, transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem pontifex duxerit destinandum filium suum successurum in regno cujuscumque fuerit ætatis emancipet, & regno renunciet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis nec ipsum filium ad servitium seu subsidium aliquod faciendum juramento vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel successoribus suis astringat, sicque factus filius sui juris, ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinus investiatur in regno, ad cujus regni successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat imperator existens. Sed si imperio & omnibus quæ pertinent ad imperium idem pater renunciare voluerit, & regno tantum esse contentus, post renunciationem hujusmodi ad illius successionem liberè admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice vel alio destinato ab eodem investituram recipiat regni ejusdem.

4. Quod si dictus filius ad regnum assumptus major annis XVIII. fuerit, liberè administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quàm regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneat, donec ipse impleverit supra dictam ætatem, fructibus & obventionibus regni, ex quibus sumtus necessari faciendi pro ejusdem regni custodia deducantur regni conservandis eidem, & lucro alterius ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ verò de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum possit sub observatione præmissa à patre ad imperium transeunte dimitti, de filia etiam diximus concedendum. Et si rex non habens filium in imperatorem electus, ad imperium transire voluerit, & de personnis, quas supra duximus, liberis non extantibus, in regno possit succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia præordinavimus observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis ipsis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patriæ potestatis.

5. Declaramus etiam, si illi regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, quæ juxta prædictam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ imperatori, dum ipse rex viveret, fuerat desponsata vel nupta succedat in regno, & si regno sibi delato imperatori nupserit, cadat protinus ab eo, nisi vir ejus imperio prorsus renuntians, regno solummodo sit contentus, imperio autem casu repulsis filia & alia prædicta, ad personas ipsas servatis gradibus regnum perveniat, quas prænotavimus in regno posse succedere, si rege præmortuo filii non superfint. In secundo autem casu regnum ad Romanam Ecclesiam devolvatur, regnum quoque Siciliæ & terra prædicta imperio nullo modo subdentur, seu sibi nullo unquam tempore in eadem persona quolibet modo venient, & præcise super articulo, tam per pœnas spirituales, quàm alias cautiones, cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex duxerit requirendum; cum intentionis sit Romanæ Ecclesiæ, ut regnum & terra prædicta nullo unquam tempore imperio uniatur, ut scilicet Romanus imperator & Siciliæ rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni & terræ cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem regni & terræ cum regno Romano, aut regno Theutoniæ, seu cum Lombardia, seu Tuscia, seu cum majori parte ipsarum Lombardiæ vel Tusciæ intelligimus, & volumus esse dictum.

6. Pro toto verò generali censu octo millia unciarum auri ad pondus ipsius regni in festo S. Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si verò vos vel vestri in dicto regno heredes quocumque termino non solveritis integrè ipsum censum, & expectato per duos menses terminum ipsum immediatè sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infrà sequentes duos menses eumdem censum sine diminutione quâlibet non persolveritis, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta erunt supposita interdicto. Si verò nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius ejusdem census vobis duxeritis, consulendum; ità ut transactis eodem

ANNO 1265.

termino tertio & duobus menſibus proximè ſequentibus, non ſit de octo millibus hujuſmodi prædicti termini ipſi Eccleſiæ integrè ſatisfactum; ab ipſis regno & terra ipſorumque jure cadatis ex toto, & regnum ipſum & terra ad Romanam Eccleſiam integrè & liberè revertatur. Si autem de cenſu octo millium unciarum hujuſmodi prædicti termini inter dictos tertium terminum & ſequentes duos menſes plenariè ſatisfeceritis, nihilominus ſemper pro ſingulis octo millibus unciarum ſingulorum terminorum, ſi ſolummodo in eorum ſolutione ceſſaveritis, vel ipſas non ſolveritis, pœnas ſimiles incurretis, ſalvis aliis pœnis & proceſſibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc caſu.

7. In quolibet etiam triennio dabitis vos & veſtri in dicto regno heredes Romano Pontifici unum palefridum album pulcrum & bonum in recognitionem veri domini eorumdem regni & terræ.

8. Adhuc priuſquam prædictum regnum vel tantum de ipſo acquiſiveritis, vel adhibueritis quod etiamſi aliquæ ipſius regni civitates vel munitiones aut aliqua alia loca adhuc vobis rebellia fuerint, reputemini & poſſitis ipſius regni rex vel dominus reputari, ſolvetis Romanæ Eccleſiæ quinquaginta millia marcarum ſterlingorum per infra ſcriptos terminos, ſcilicet quod infra ſex menſes poſtquam dictum regnum acquiſiveritis, prout dictum eſt, ſolvetis eidem Eccleſiæ x. millia marcarum ſterlingorum, & infra ſingulos ſex menſes ſucceſſive ſequentes ſolvetis ſingula x. millia, donec tota prædicta quinquaginta millium ſumma fuerit integrè perſoluta. Quod ſi vos in hujuſmodi terminis illa non ſolveritis; liberum erit Romano Pontifici contra vos pro ſingulis terminis ad pœnas ſpirituales procedere, prout ſibi videbitur expedire. Quia verò, ſicut in tractatu negotii actum extitit, tempore quo eſſet tractatus ſive negotium conſummandum, dominus Papa petitionem ſuper remittendis vobis eiſdem x. millibus marcarum factam crederet ex parte ſaltem aliqua, de qua vos teneri ſibi ad gratiam deberetis; nolimus quod per præfixionem hujuſmodi alioquod in hoc vobis faciet vobis per gratiam de prædicta ſumma x. millium marcarum deducatur.

9. Quandocumque autem Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, aſſeruerit, vel dixerit Romanam Eccleſiam indigere, ita quod ſuper indigentia hujuſmodi ipſius Romani Pontificis ſimplici verbo ſtetur, vos vel veſtri in dicto regno heredes requiſiti ab eo, in Urbem, in Campagniam, in Maritimam, in patrimonium B. Petri, Tuſciam, ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmiſſam civitatem Beneventanam, ac ejus territorium & pertinentias, quæ remanebunt Eccleſiæ, & omnes terras alias ipſius Eccleſiæ per Italiam trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos & paratos, ita quod unuſquiſque ipſorum habeat quatuor equitaturas vel tres ad minus in Eccleſiæ prædictæ obſequium & ſubſidium tranſmittetis, per tres menſes integros in veſtris vel dictorum in regno heredum ſumtibus & ſtipendiis ſemel tantum in anno in ſervitio ejuſdem Eccleſiæ maturaturos, menſibus ipſis à die quo iidem milites terram veſtri dominii vel fines veſtri diſtrictus egreſſi fuerint, per vulgatas dietas & ſolitas computandis. Quod ſi maluerit Eccleſia eadem ingruenti neceſſitate, qua ſtetur verbo Romani Pontificis, ut dictum eſt navali in mari exercitu prædicti milites, debita taxatione & recompenſatione præhabita, in navale ſtolium commutetur.

10. Verum prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana Eccleſia ſibi retinuit, & in ſuum domanium & dominium cum omnibus juribus & pertinentiis reſervavit, & totum tenementum civitatis ejuſdem cum finibus ejus antiquis, quos Romanus Pontifex quandocumque ſemel, cum ſibi placuerit, bona fide diſtinguet, eidem Eccleſiæ & in ejus proprietate liberè remanebit, nullo jure nobis, vel cujuſcumque cuicumque alii de regno prædicto ſeu quolibet reſervato. Diſtinctioni quoque per Romanum Pontificem ſemel faciendæ, ut dictum eſt, ſtabitis abſque contradictione ſeu refragatione quacumque, prout ipſa diſtinctio per apoſtolicas litteras apparebit.

11. Pro prædicta quoque civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponetis per ſeptennium pro lignaminibus omnia nemora ipſorum regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportuna, puta lapides, arenam quæ Puteolana vocatur, cæmentum & ſimilia, ſine præjudicio juris ſingularum perſonarum ad unam dictam prope Beneventum.

12. Præſtabitis etiam ipſis ſecuritatem per totum regnum & terram prædictam, niſi in terra veſtra de novo delinquant, propter quod ad vos de jure juſtitia pertinebit.

13. Privilegia inſuper dictæ civitatis à regibus & principibus conceſſa illibata ſervabitis. Omnia ſtatuta per FRIDERICUM olim Romanum imperatorem, ſeu quoſcumque alios reges Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejuſdem revocabitis in omnibus, & per omnia quæ libertatis fuerint ceteris regnicolis purificabitis illa, nec aliqua ſtatuta ſeu aliquas leges condetis in poſterum, per quæ dictæ civitati directè vel indirectè poſſit præjudicium generari, ac pro apoſtolicæ ſedis & B. Bartholomæi patroni civitatis ejuſdem reverentia, fidancias ab omnibus remitti facietis & remittetis eiſdem. Fidantiarum autem remiſſio eſt conceſſio libertatis, ut cives Beneventani poſſint liberè proprias vineas & terras excolere, ipſarumque fruges & fructum colligere, & eaſdem vineas ac terram vendere, & de ipſis pro ſua voluntate diſponere ſine aliqua exactione vel munere vel etiam datione. Vos autem & veſtri in regno Siciliæ heredes in dicta civitate ac ejus territorio & pertinentiis quæ remanebunt in Eccleſia vel Urbe, ſeu Campania vel Maritima, ſeu in ducatu Spoletano aut Marchia Anconitana, aut in Patrimonio B. Petri in Tuſcia ſive aliquibuſcumque terris aut dominiis ſive feudis ipſius Eccleſiæ ubilibet conſtitutis, ex ſucceſſione vel legato aut conditione ſive donatione, aut alio quocumque jure, vel titulo, ſeu contractu, nihil umquam vobis acquiretis vel vindicabitis, ſeu poteritis acquirere vel quolibet modo vindicare; & nihil umquam recipietis, habebitis, & retinebitis; ſeu poteritis recipere habere vel retinere, ac nullam poteſtariam, capitaneam vel rectoriam; nullum alium honorem, dignitatem, ſeu poteſtatem ſenatoriam, aliam adminiſtrationem vel commendam, nec quodcumque officium recipietis, ſeu recipere poteritis, habebitis, vel retinebitis, ſeu habere vel retinere poteritis in eiſdem. Hoc autem intelligimus de illis heredibus veſtris qui vobis in eodem Siciliæ regno ſuccedent. Nolumus enim quod delictum vobis in comitatibus & aliis terris veſtris in pœnam heredis, qui eſt vobis ſucceſſurus in regno aliquatenus extendatur. Ne verò hujuſmodi alii heredes veſtri contra ea, quæ continentur in iſto articulo, forſan aliquo tempore venire præſumant, acquirendo vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo ſeu retinendo aliquid in terris in articulo ipſo expreſſis, vel recipiendo, habendo, ſeu retinendo

ANNO 1265.

do in eisdem terris potestariam seu capitaniam, vel aliquid aliud de his quæ articulo continentur eodem sic semper hoc duximus concedendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum heredum vestrorum nullo umquam tempore liceat sibi quicquam in eisdem terris acquirere vel vindicare, recipere, habere vel retinere potestariam, sive capitaniam vel rectoriam aut aliquid aliud ex his quæ, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio devolveretur; sed ab illo repellatur omnino, & nihilominus ille qui hujusmodi regni gubernacula possidet, Romano Pontifici contra eum patenter assistere teneatur. Si vero vos vel vestri in regno heredes prædictam Beneventanam civitatem, territorium, vel pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem earum, aut Campaniam, aut Maritimam, seu urbem aut ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, sive patrimonium B. Petri in Tuscia, aut alias quascumque terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas occupaveritis, vel occupari feceritis, aut molestari; & postquam super hoc à Romano Pontifice moniti vel requisiti fueritis, vel commodè monere aut requiri nequiveritis juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc tempore publicè aut solemniter vos monuerit infra tres menses non restitueritis integrè omnia occupata, eo ipso ab ejusdem regni Siciliæ & terræ jure cadatis totaliter. Ipsaque regnum & terram prorsus amittatis, & hæc ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur.

Quod si etiam restitueritis occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneamini, alii quoque hæredes vestri, videlicet qui vobis non succedent in regno, occupare vel facere occupari easdem terras Romanæ Ecclesiæ, vel molestare & molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent. Illi verò qui secus attentaverint, præmissas pœnas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi quàm eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti regni, si aliquando forte casu ejusdem successio devolvetur ad illas, nullatenus admittantur, incurrant; & rex Siciliæ qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

14. Sanè omnibus ecclesiis tam cathedralibus quàm aliis regularibus & quibuslibet religiosis sæcularibus, nec non omnibus prælatis & clericis, ac universis personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, & quibuslibet religionis locis plenariè dimittentur & restituentur integre omnia bona eorum immobilia à quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Mobilia verò quæ extant & poterunt inveniri simili modo restituentur eisdem. Hæc autem restitutio fiet absque contradictione vel difficultate qualibet, sicut nanciscemini prædictorum regni Siciliæ & terræ possessionem, hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni & terræ quæ vobis obediet restitutio ipsa fiet, ipsaque successive consummabitur, sicut eadem regnum & terra habebuntur. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à Romano Pontifice aliqui juris discreti, ad quorum mandatum & arbitrium jurium & rerum immobilium & mobilium quæ extant restitutio plenè fiat: ita quod de his de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano & absque strepitu judicii veritas diligentius inquiretur. Sufficit enim vocari Cam. seu Bailium, in cujus jurisdictione vel ballivia seu territorio bona, de quibus agetur, consistant, ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent.

15. Omnes insuper ecclesiæ tam cathedrales quàm aliæ regulares & sæculares, nec non & omnes prælati & clerici, & omnes personæ ecclesiasticæ sæculares & religiosæ, & quæcumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post, assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in prædicto regno heredes semper manutenebitis & conservabitis & manuteneri facietis, quod in omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post, regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in prædicto regno heredes semper manutenebitis & manuteneri facietis ab omnibus subditis vestris, dictæque ecclesiæ ac personæ utentur liberè omnibus bonis & juribus suis, salvo vobis & vestris in regno heredibus jure patronatus in ecclesiis in tantum quantum vel antiqui reges Siciliæ hujusmodi jus patronatus in ipsis ecclesiis habuerint.

16. Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quàm appellati ad eamdem venire sedem pro appellationum exequutionibus libere & absque aliqua inhibitione permittantur.

17. Sacramenta verò fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica statuta permittunt, ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores antiquis illa Siciliæ regibus præstiterunt. Ab illis autem prælatis ecclesiasticis, qui temporalia sive regalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona tenent à Domino rege vel aliis dominis temporalibus, & qui hujusmodi ratione bonorum ab antiquo consueverunt regibus & ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut antiqua patiuntur canonica statuta impendantur, salva semper circa ecclesias cathedrales & alias regulares & sæculares, ac personas & loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quàm in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis & ecclesiæ Romanæ jurisdictionibus ac auctoritate plenaria & libera potestate revocabitis, quæque omnes constitutiones seu leges per dictum FRIDERICUM vel per reges Siciliæ, seu per CONRADUM ipsius Friderici filium, aut MANFREDUM principem Tarentinum, qui de facto retinet ipsum regnum occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel conditiones aliquas edetis, aut etiam promulgabitis, per quæ juri aut ecclesiasticæ libertati derogetis.

ANNO 1265.

18. Promittetis etiam quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorumdem regni & terræ in civili vel criminali causa convenietur coram judice sæculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes personæ ecclesiasticæ omnimodè erunt liberæ, & in nullo regi vel principi subjacebunt.

19. Nullas insuper tallias vel collectas imponetis ecclesiis, monasteriis, clericis & nostris ecclesiis vel rebus eorum, & in ecclesiis vacantibus, vos vel vestri in regno heredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, redditus & proventus, nullas obventiones, ac nulla prorsus alia percipietis ex iisdem, custodia earumdem ecclesiarum interim liberè remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

20. Comites verò, barones, milites, & universi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ GUILELMI II. Siciliæ regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

21. Omnes exsules regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducantur in regnum & prædictam terram. Ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutio plena fiet, in hujusmodi autem restitutione secundum prædictam formam in capite de bonis Ecclesiasticis tuendis contentam tam in notoriis quàm in dubiis procedetur; omnesque captivos & obsides, qui tenentur in regno & terra prædictis, Romanos regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos & Lombardos, & illos de Marchia Tarvisina bona fide restituetis libertati pro posse.

22. Hæredibus verò quondam RICARDI comitis Sorani germani felicis recordationis INNOCENTII papæ IV. jus quod in comitatu Sorano & aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus illud in aliis comitatibus & bonis, si qua eis in regno & terra prædictis à regibus & principibus concessa obtinent, erit salvum, nec per præsentem ipsorum regni & terræ cessionem comitatuum sic concessorum eorumdem cuique ad proprietatem seu possessionem præjuditium generetur, regio in his omnibus jure salvo.

23. Nullam etiam confœderationem vel pactionem, seu societatem cum aliquo imperatore, vel rege vel principe, seu barone Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ facietis, & si feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Ecclesiæ revocare.

24. Habeatis autem mille ad minus Ultramontanorum militum comitativam: quorum quilibet equitaturas quatuor secum habebit. Habebitis etiam trecentos balistarios & tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii fidei sufficere videtur, & usque ad annum à præsenti die computandum sic muniti cum tota vestra hujusmodi comitativa esse teneamini, & sitis extra fines comitatus Provinciæ versus Italiam vel in Italia, & ex tunc infra tres menses immediatè sequentes esse teneamini, & sitis in terris contiguis regno Siciliæ, nisi forsitam in Italia hostium obstaculo impediamini vel occursu, quorum impugnationem & debellationem quamdiu taliter muniti perseveranter institeritis, intelligamini negotium prosequi, nec vobis tempus prædictum trium mensium currat. Quod si vos sic muniti usque ad hujusmodi annum non fueritis extra fines prædicti comitatus; vel si infra eosdem tres menses tali non præpediti obstaculo non fueritis in terris eisdem Siciliæ regno conterminis cum comitativa hujusmodi constituti, vel in quocumque casu prosecutionem negotii opportunam non impendentibus operam in eisdem terris conterminis dicto regno infra ipsos tres menses non fueritis sic muniti, liberum erit Romano Pontifici ac in potestate remanebit ipsius, dicere, pronunciare, vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum, vobis aut alio etiam quocumque cujus forsitan interesset non vocatis, & absque omni juris solemnitate, collationem, concessionem, investituram, vobis & heredibus vestris de regno & terra prædictis factas vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eas revocare, cassare, irritare, ac ipsas cassas & irritas nunciare.

25. Liberum quoque erit eidem Romano Pontifici hoc idem facere, si, quod absit, vel longa præpediti valetudine vel morte præventi dignum negotium juxta eamdem formam non assumseritis, vel assumtum non fueritis prosecuti, nisi forte talis persona & tam idonea juxta formam eamdem vices vestras vel vestrorum heredum in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficere & possit & debeat à Romana Ecclesia reputari. Quod si forte vos aliquo impedimento fueritis irretiti, & hoc significaveritis Romano Pontifici, in potestate remanebit ipsius dicere, pronunciare & approbare & proferre juxta formam in capitulo ipso contentam collationem, concessionem & investituram hujusmodi vobis & heredibus vestris factas de regno & terra prædictis vacuas omnino esse, nullumque valorem & robur habere ac eas revocare, cassare & irritare, & ipsas cassas & irritas nunciare, vel talem personam & totam idoneam assumere vel admittere ad dictum negotium, quæ meritò ab ipso sufficiens reputetur. Deinde omnes præmissas conditiones quæ in persona vestra apponuntur, circa vestros etiam in dicto regno heredes & successores intelligimus & volumus esse dictas, salvis omnibus quæ circa alios heredes ordinata consistunt, prout superius est expressum.

26. Vos etiam dabitis privilegium vestrum domino Papæ ac Romanæ Ecclesiæ, ac bulla aurea bullatum, in quo proprio juramento fatebimini & cognoscetis expresse regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis ejus quæ Ecclesiæ remanebit eidem ex sola gratia & mera liberalitate sedis apostolicæ vobis vestrisque heredibus de novo fore concessa, vosque recepisse ac tenere regnum & terram hujusmodi à dicta Romana Ecclesia sub pactis & conditionibus supra dictis. Ut autem prædicti negotii consummatio, & hæc nostra collatio, concessio & investitura, ac revocatio, ac alia præmissa illibata perpetuo maneant & inconcussam semper obtineant firmitatem, præsens instrumentum, seu præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas vobis duximus concedendas. Actum Romæ apud Lateranum in basilica S. Salvatoris, quæ appellatur Constantinaria, ante sacratissimum altare ipsius basilicæ IV. calendas Julii anno Domini MCCLXV. Pontificatus verò prædicti CLEMENTIS papæ IV. anno primo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii per manum magistri Michaëlis de Tholosa

S. R.

ANNO 1265.

S. R. E. vice-cancellarii II. nonas Novembris indictione nona, Incarnationis Dominicæ MCCLXV. Pontificatus verò Domini Clementis papæ IV. anno primo.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 1812.

Ad Hugonem comitem Ruthenensem. Permittit ei habere altare portatile anno: 1266.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio nobili viro HUGONI *comiti Ruthenensi, salutem & apostolicam benedictionem.*

QUia Deo & apostolicæ sedi devotus & ecclesiæ Romanæ specialis vassallus esse dignosceris, te libenter prosequimur favoris gratia specialis. Cum itaque te, sicut asseris, frequenter ad loca, in quibus non sunt ecclesiæ vel capellæ, devenire contingat, timeasque propter hoc interdum divinis officiis defraudari. Nos tuis devotis supplicationibus inclinati, apostolica tibi auctoritate concedimus, ut capellanus tuus, qui pro tempore fuerit, secum possit habere altare portatile cum debita reverentia & honore; in quo tibi & familiæ tuæ, cum ad hujusmodi loca perveneris, vel aliàs evidens necessitas imminebit, missarum solemnia celebrare valeat, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii XII. calendas Martii, Pontificatus nostri anno II.

V. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 476.

Statuta pro Ecclesia Aniciensi: anno 1267.

CLEMENS EPISCOPUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

INter ceteras sollicitudines quibus animus noster jugiter ad diversa trahitur, frequenter ad statum Aniciensis ecclesiæ vertimus apostolicæ considerationis intuitum, & multiplex ratio nos invitat, ut ad ipsam specialis affectionis animum habeamus. Non enim sumus, nec esse debemus immemores, quòd in illa dudum honoris incrementa suscepimus, in ea promoti fuimus ad episcopalis (a) apicem dignitatis, apud illam aliqua tempora ætatis nostræ percurrimus, ut inde faciente Domino, cùm gradatim habuerimus ad altiora progressum, respiciamus eamdem ecclesiam more patris ut filiam, & in mente nostra ferventi desiderio geritur, ut Ecclesia ipsa spiritualiter & temporaliter augmentetur, ac in omnibus prosperè dirigatur. Porrò quia consuetudines & conditiones ejus agnovimus, & ibidem aliqua vidimus, quæ decentiorem modum in observantiis exigebant, cordi nobis admodum extitit, ut utile &..... consilium apponere curaremus. Verùm cùm dilecti filii capitulum ejusdem ecclesiæ venerabili fratri nostro Anicienſi episcopo commisissent, ut vice ipsorum statueret, ordinaret & faceret, quæ ad conservandum & reformandum prosperum & honestum ipsius ecclesiæ statum competerent, & cognosceret pertinere; ac idem episcopus & tres ecclesiæ præfatæ canonici, quos ipsi sibi super hoc adjunxit, de ipsius capituli voluntate, prout eis visum extitit, super aliquibus providissent, nos illa quæ sub certis videbantur ordinasse capitulis præsentata nobis diligenti examinatione discussimus, & eis juxta studium apostolicæ providentiæ limæ correctionis expositis quamplura solerter adjecimus, & quædam exinde jussimus resecanda. Consideratis autem omnibus quæ circa præmissa fore prævidimus attendenda, statuta quædam & ordinationes edidimus in forma annotatas, quæ in prædicta ecclesia jubemus & volumus perpetuis temporibus observari.

(a) Ex Archidiacono Anicienſi episcopus electus est anno 1259. factus anno sequenti Archiepiscopus Narbonensis, postea Cardinalis, ac tandem summus Pontifex.

ANNO 1265.

Canonici unus saltem horæ in choro interſint quotidie.

I. Quare de apostolicæ plenitudine potestatis statuimus & ordinamus quod quilibet canonicus Anicienſis ecclesiæ, & in dignitate seu personatu quolibet constitutus, chorum ipsius ecclesiæ semel ad minus in die ingredi teneatur; & ibidem alicui horæ canonicæ interesse diei & quod de cetero de illis quatuor solidis Podienſis monetæ, qui pro libratione clauſtri consueverant singulis canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo; reliqui verò duo solidi ratione illius horæ cui interfuerit, librentur unicuique. Quod si non interfuerit, nequaquam percipiat, & loco quotidianarum distributionum, quæ dari solent in horis, in posterum habeantur. Hoc autem salvo quod in theologia nunc & in posterum studentibus, quantum ad hos duos solidos, nullum præjudicium generetur: quos etiam percipiat qui præsens in civitate Anicienſi aliqua hora diei per absentiam, vel per aliam justam causam forsitam impeditus, ipsum chorum ingredi non valebit.

Similiter & clerici, & bis in hebdomada matutinis.

II. *Item*, Quòd quilibet clericus ejusdem ecclesiæ semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare, & aliqui horæ canonicæ, in qua etiam distributiones infra scriptæ non fient, & bis in hebdomada matutinis officiis interesse; alias ipsa die qua defecerit; vel proxima qua post defectum hujusmodi clericis primum librabitur, superpellicii ipso facto sit liberatione privatus. Eo salvo, quòd vicariis canonicis pauperibus & clericulis inferius est statutum.

Vicarii & capellani & pauperes canonici singulis horis diurnis. f. tertiæ. * f. sextæ.

III. *Item*, Quod omnes vicarii & capellani capellarum & canonici pauperes ejusdem ecclesiæ singulis horis diurnis interſint, cùm ad hoc sint specialiter deputati, præsertim toti missæ horæ primæ, & ipsi * primæ horæ nonæ & vesperis & completorio, & ter ad minus in hebdomada interſint matutinis. Et si defuerint in una horarum prædictarum, in media liberatione superpellicii ipso facto; in duabus vel pluribus, tota liberatione diei ejusdem vel proximæ, in qua post defectum hujusmodi primum librabitur priventur, nisi infirmitate impediti fuerint, vel alia justa causa. Omnes etiam prædicti teneantur ibidem ad residentiam personalem.

Clericuli horis omnibus interſint.

IV. *Item*, Clericuli omnibus horis interſint; & si duabus horis diurnis vel nocturnis defecerint, priventur libratione superpellicii ipsa die. Et si succentor negligens fuerit circa correctionem eorum, die illa qua ipsos non correxerit negligentes, clauſtri libratione puniatur. Et si legitimè monitus in negligentia hujusmodi perseveraverit; amoveatur ab officio succentoris per capitulum memoratum.

Canonici pauperes.

V. *Item*, Quod canonici pauperes circa officiandam ecclesiam & sepulturam canonicorum majorum ipsius ecclesiæ se habeant ex antiqua observantia sicut debent: si defecerint per se vel per vicarium minimè serviendo, amittant duodecim denarios Viennenses, quos recipiat departiendos eis qui hujusmodi offi-

officium pro eis fecerint illa die, nisi justa & necessaria causa exiterint impediti.

Officiatores ante finem classichorum intrent.

VI. *Item*, Quod officiatores, quibus officium chori injungitur in principio matutinarum & vesperarum ante finem classi, & in principio introïtus missæ, chorum ipsum teneantur intrare: ita ut illi cui officium committeretur nisi tunc intraverit, vel in officio hujusmodi defecerit, si præsens est canonicus in medio claustri, libratione superpellicii puniatur diei ejusdem, vel illius in qua librari contigerit, quæ librationes supplenti officium hujusmodi deputentur.

Canonici bis in hebdomada matutinis intersint.

VII. *Item*, Quod in missa majori clerici vel canonici existentes in choro sedere minimè incipiant ante epistolam, nisi ultima ipsius missæ oratione completa.

VIII. *Item*, Quod quilibet sive canonicus, sive clericus vel in dignitate qualibet constitutus, bis in septimana ad minus teneatur interesse scilicèt matutinis, processioni, & missæ defunctorum: alias in libratione superpellicii diei sabbati septimanæ ejusdem vel sequentis diei, in qua primum librabitur, si fortè ipsa die sabbati librari non contigerit, puniatur; nisi absentia, infirmitate, vel alia justa causa valeat excusari.

Clerici sint in ecclesia decem.

IX. *Item*, Quòd sit certus numerus clericorum in ipsa ecclesia, scilicèt decem, ultra quem numerum præcentor sine consensu capituli à modo nullum ponat sive introducat in ecclesia memorata.

Clericuli ante annum XX. non admittendi.

X. *Item*, Quòd item præcentor aliquem clericulum non possit facere, seu clargastrum donec vigesimum annum attingat, nisi alias talis arbitrio capituli appareret, quod merito deberet fieri ante tempus prædictum, nec etiam aliquem clericulum faciat seu introducat de novo post quam tempus attigerit memoratum, & nisi sufficiens idoneus examinatus prius in officio ecclesiæ sit inventus.

Distributiones.

XI. *Item*, Quòd ad distributiones: illis omnibus portantibus in dicta ecclesia superpellicium, qui horis canonicis in præfato choro intererint, faciendas assignet episcopus ipsius ecclesiæ centum libras Viennenses censuales, vel semel centum libras Viennenses pro se & successoribus suis solvere teneatur.

Potationes & arca clericorum.

XII. *Item*, Quòd potationes & archa clericorum chori servitio deputentur, prout alias cùm fiebant distributiones hujusmodi factum fuit: ita quòd capitulum ipsius ecclesiæ faciat valere dictas potationes seu beuvendas quinquaginta libras Viennenses: Clerici verò alias quinquaginta libras Viennenses archam prædictam supplendo, si quid defuerit de summis præfatis.

Clerici portantes superpellicium.

XIII. *Item*, Quod quilibet clericus portans nunc & etiam in futurum superpellicium in ecclesia memorata, non habens aliud officium vel beneficium ibidem præter superpellicium, teneatur assignare infra sex annos decem solidos Podiales debitales, vel solvere decem libras Podienses pro emendis reditibus ad servitium dicti chori, & interim donec assignaverit, solvat quindecim solidos Podienses annuatim.

Dignitates seu personatus.

XIV. *Item*, Quòd tam in dignitatibus seu personatibus constituti, quàm canonici & alii clerici, qui ultra superpellicium aliquod officium seu beneficium in ipsa habent ecclesia, viginti solidos Podienses infra sex annos singuli teneantur in reditibus assignare, vel solvere viginti libras Podienses pro reditibus emendis exinde, & interim donec assignaverint vel solverint dictos viginti solidos annuatim persolvant. Quæ omnia tam de his qui nunc sunt, quàm de his qui in posterum fuerint canonici vel clerici in ipsa ecclesia, vel etiam dignitates inibi seu personatus habentes volumus observari.

(b) Classus est signum ad officium, quod cum omnibus campanis pulsatur.

Magister hospitalis.

XV. *Item*, Quod magister hospitalis ejusdem loci qui nunc est, & quilibet qui in posterum pro tempore fuerit, ultra id quod ut simplex clericus dare tenetur ratione magisterii, decem solidos Podienses det ad idem servitium annuatim.

XVI. *Item*, Quod quilibet clericus seu clericulus, qui ex nunc seu in futurum superpellicium de novo portabit, & quilibet qui in canonicum ejusdem ecclesiæ fuerit receptus, vel dignitatem seu personatum adeptus, nihil percipiat de librationibus superpellicii vel præbendæ, prima libratione dumtaxat excepta, donec ad idem servitium centum solidos Viennenses clericus, canonicus verò sive fuerit dignitatem seu personatum adeptus, solverit decem libras: quas summas prædictorum quilibet solvere sit adstrictus.

Duodenarii his qui missæ matutinis & vesperis interfuerint distribuendi.

XVII. *Item*, Quòd de præfata pecunia ad ipsius chori servitium deputata singulis canonicis, clericis, clericulis, ac in dignitate seu personatu quolibet constitutis, qui in ipso choro singulis intererint officiis matutinis dentur duodenarii Podienses, & tantumdem his qui intererint missæ majori: illis etiam qui vesperis intererint distribuatur tantumdem.

Distributionum cura duobus assignanda.

XVIII. *Item*, Quòd annuatim tempore quo creantur bajuli clericorum, recipiendi & distribuendi dictos denarios, & rationem reddendi cura duobus viris idoneis à capitulo & ipsis clericis committatur, præstito ab eis personaliter juramento, prout ab aliis clericorum bajulis fieri consuevit, de prædictis fideliter adimplendis.

XIX. Quòd ad distributiones solis canonicis & constitutis in dignitate seu personatu etiam faciendas, ipsorum cuilibet, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, ratione præbendæ, necnon & succentori ejusdem ecclesiæ infra quinque annos assignent viginti solidos Podienses censuales, vel viginti libras Podienses pro reditibus emendis persolvant, interim nihilominus donec assignaverint vel solverint, ipsos viginti solidos annis singulis soluturi.

Dignationes quid solvere debeant ad faciendas distributiones.

XX. *Item*, Quòd tertia pars eorum omnium, quæ absentes & residentiam minimè facientes de ecclesia seu bonis ipsius ecclesiæ qualiacumque annuatim, percipiunt, servitio, chori pro emendis reditibus ad dictas distributiones faciendas canonicis deputetur: absens verò quantum ad hoc intelligatur, qui per sex menses continuos in dicta ecclesia minimè residebit, nisi studii peregrinationis, infirmitatis, vel alia justa causa fuerit impeditus: & hæc etiam omnia intelligantur tam de canonicis, quàm de aliis, dignitates, personatus, officia, pensiones, terras, vel ecclesias in ipsa ecclesia, vel ejus ratione habentibus ubicumque, & tam de præsentibus quàm futuris.

XXI. *Item*, Quòd dignitates seu personatus, officia, terras, seu pensiones habentes in ipsa ecclesia, vel ratione ejusdem, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, in sui ratione ultra ea quæ ut canonici & clerici tenentur facere, prout superius continetur, decanus scilicèt præpositus, & abbas seu iporum quilibet ad faciendas distributiones easdem, solvant viginti libras Viennenses, & in posterum solvere teneantur. Abbas verò S. Petri de Turre quindecim, abbas S. Evodii decem, præcentor decem, thesaurarius decem libras, foris decanus major centum solidos: minor verò foris decanus quinquaginta solidos, cellararius quinquaginta solidos, Sefcalcus quinquaginta

so-

ANNO 1265.

solidos, punctuarius quindecim solidos, magister scholarum quinquaginta solidos, marglarius decem solidos, thuribularius decem solidos, sacrista altaris crucis decem solidos, sacrista altaris Dei & S. Jacobi viginti solidos. Terrarii autem ipsius ecclesiæ seu pensiones habentes, quicumque sint vel fuerint in futurum, sive canonici simplices, sive personatus & officia obtinentes, dent annuatim centesimam partem omnium redituum, quos ratione ipsius ecclesiæ percipiunt, hoc salvo nihilominus, quod de absentibus superius est statutum.

Fructus vacantium beneficiorum chori servitio assignandi.

XXII. *Item*, Quòd fructus præbendarum, dignitatum & personatuum, abbatiis dumtaxat exceptis, beneficiorum & officiorum quorumlibet ejusdem ecclesiæ, nec non ecclesiarum & terrarum, ad cujuscumque collationem pertineant, ex quo vacaverint, scilicèt primi anni à vacationis tempore computandi, & quamdiu vacaverint, si ultra annum vacare contigerit, chori servitio pro emendis reditibus deputentur, ad distributiones faciendas eisdem: ita quod ipsorum canonicorum bajulus, vel quem ipsum capitulum ad hoc elegerit, recipiendi & distribuendi canonicis dictos denarios curam gerat, & rationem reddendi, ut superius est expressum, hoc salvo quod in eo quod de ipsarum præbendarum vacantium fructibus consuevit ab antiquo recipere, ex hoc nullum præjudicium generetur.

Distributiones faciendæ his qui matutinis, missis & vesperis intersunt.

XXIII. *Item*, Quòd de dicta pecunia distributionibus faciendis canonicis, & in dignitatibus seu personatibus constitutis, ut dictum est superius, deputata, singulis canonicis & in dignitatibus seu personatibus constitutis, qui interernt matutinis officiis singulis diebus Dominicis, Mercurii & Veneris, dentur ultra prædicta sex denarii Podienses: his verò qui majori missæ interernt quatuor, illis etiam qui vesperis interernt tantumdem, illi insuper tantumdem habeant, qui quandocumque toti missæ B. Virginis interernt horæ primæ.

Distributio quando facienda.

XXIV. *Item*, Quòd eædem distributiones dandæ in missa, prout superius continetur, nec canonicis nec clericis dentur, nec aliis quibuslibet, donec ipsius missæ *Agnus Dei* fuerit decantatum. Et si antea inde exierit aliquis ex eisdem absque causa rationabili, nec postea ad eamdem missam redierit, de distributionibus missæ ejusdem aliquam non recipiat portionem.

Distributiones augendæ si reditus augeatur.

XXV. *Item*, Quòd si pecunias dictarum distributionum faciendarum vel solis canonicis & in dignitate seu personatu constitutis, vel etiam clericis in ipsa ecclesia superpellicium portantibus universis, ut suprà dictum est, aut etiam reditus contingeret in posterum augmentari, distributiones etiam prout commodius fieri poterit augmententur.

Distributio officium facientis.

XXVI. *Item*, Quòd canonicus officians in choro prædicto qualibet vice percipiat sex denarios Podienses, clericus verò canonici supplens defectum, vel etiam aliàs officians, quatuor habeat de communibus distributionibus supra dictis.

Præbendæ sacerdotales diaconales & subdiaconales.

XXVII. *Item*, Quòd in ipsa ecclesia duæ præbendæ proximè imbi vacaturæ, postquam illi qui jam in canonicos recepti ibidem præbendas fuerint assecuti, sint sacerdotales & hebdomadales, ultra illas quatuor quæ sunt & esse debent sacerdotales in ea, & præbendam etiam, quam tenebat ibidem jamdudum Guillelmus de Monte revello senior, quæ sacerdotalis extitit ab antiquo, sive etiam sex diaconales præbendæ, illa quam tenet ibidem Petrus Aspasii, quæ diaconalis extitit inclusa, & sex subdiaconales, quas habentes officium per se vel per concanonicum diebus solemnibus & IX. lectionum festis serviendo majori altari adimpleant, prout à succentore ordinabitur juxta ordinem vicis suæ, & ibidem residentiam faciant personalem.

XXVIII. *Item*, Quòd subdiaconis & diaconis canonicis prædictis ipsi altari majori servientibus, clericuli subdiaconi, & clerici diaconi, qui assistere in ipso officio tenentur eisdem, recipiant quod consueverunt recipere ab antiquo.

XXIX. *Item*, Quod ipsi diaconi & subdiaconi canonici supra dicti de dictis distributionibus duodecim denarios Podienses percipiant diebus singulis quibus dictum exercebunt officium, præter alias distributiones præfatas.

XXX. *Item*, Quòd ipsi diaconi & subdiaconi canonici qui in officio suo prædicto per se vel concanonicum non deservierint, illa die in media librationc claustri, vel quàm primum librabitur puniantur: quæ libratio supplenti defectum ejus in officio hujusmodi deputetur.

Diaconi & subdiaconi in suo officio non servientes puniendi.

XXXI. *Item*, Quòd quandocumque canonicos dictæ ecclesiæ & dignitates seu personatus habentes super capituli tractatibus contigerit in ipso capitulo convenire in unum, pulsetur tribus vicibus campana ad hæc specialiter ab ipso capitulo deputanda, prout in aliis Galliæ ecclesiis observatur. Post cujus pulsationem tertiam, in his quæ præsentes expediri consueverunt, vel possunt ab illis qui convenerint, procedatur, aliorum absentia non obstante, & valeant quæ facta fuerint ab eisdem.

Capitulum ad campanæ pulsum.

Ter in hebdomada congregandum.

XXXII. *Item*, Quòd ter ad minus in hebdomada, diebus scilicèt Lunæ Mercurii & Veneris, ipsi canonici & dignitates seu personatus habentes in capitulo conveniant, de negotiis ac de utilitate ecclesiæ tractaturi: ita quòd post horæ primæ exitum ter vel quater tantummodo pulsetur ad januam, post cujus tertiam pulsationem vel quartam, succentore sine dilatione ad eam, sicut moris est, cum processione eunte, ipsa campana tunc in continenti pulsetur, & ab illis, sicut dictum est, qui venient procedatur.

In quo prævaleat major & senior pars.

XXXIII. *Item*, Quòd in ipsis tractatibus & negotiis, sicut juris communis esse dignoscitur, stetur majori & saniori parti ipsius capituli, partis non obstante minus rationabili contradictione minoris, seu quod contrarium ibidem servatum est hactenus per abusum: ita tamen quòd voluntas canonicorum ipsorum non singulariter extra capitulum, sed in capitulo ipso communiter saltem, & officiorum quorumlibet collatio à modo palam & non occultè in ipso fiat capitulo ab his ad quos spectat ordinatio eorumdem.

De residentia & hospitio.

XXXIV. *Item*, Quòd dignitates seu personatus, officia, terras, vel pensiones habentes nunc, vel etiam in posterum habituri, teneantur ibidem residentiam facere personalem, & tenere hospitia, scilicèt decanus, præpositus & abbas, seu ipsorum quilibet ad minus cum sex clericis superpellicium portantibus, vel canonicis ecclesiæ memoratæ, quorum librationes percipiant sicut hactenus fieri consuevit. Abbas autem S. Petri de Turre cum quatuor, Abbas S. Evodii cum tribus; thesaurarius verò & præcentor, unusquisque eorum cum tribus; quilibet verò canonicus habens quadraginta libras Viennenses in reditibus qualitercumque ab ipsa ecclesia, vel de bonis ejusdem ultra suam præbendam cum duobus, nisi absens fuerit idem canonicus causa studiorum. Quod si quis in dignitate vel personatu constitutus

ANNO 1265.

de terris ipsius ecclesiæ dictas quadraginta libras haberet, ratione * eorum, clericorum etiam numerum teneatur augere, ultra illum quem tenebantur habere ratione dignitatis ipsius.

* F. earum.

Beneficiorum pluralitas damnata.

XXXV. *Item*, Quòd si quis canonicus habens nunc vel habiturus in posterum terras ejusdem ecclesiæ, dignitatem ibidem adeptus fuerit vel personatum, ipso jure vacent terræ ipsæ prædictæ.

XXXVI. *Item*, Quòd nullus clericus in civitate Anicensi præfata duas possit canonicas seu præbendas habere, scilicèt in majori ecclesia & in collegiatarum aliqua aliarum; sed vacet ipso jure prima postquam secundam fuerit assecutus: his tamen exceptis qui jam sunt in utraque recepti.

Capellani.

XXXVII. *Item*, Quòd nullus à modo constituatur ad serviendum capellæ vel altaribus ejusdem ecclesiæ, nisi sit ipsius ecclesiæ clericus, qui teneatur chori servitio interesse.

Superpellicium quibus non concedendum.

XXXVIII. *Item*, Quòd nulli in ipsa ecclesia superpellicium concedatur, nisi de legitimo matrimonio, bonæ famæ, sanus corpore, videlicet membrorum non patiens maculam, vel læsionem enormem, vel aliàs morbo incurabili non laborans, & conversationis existat honestæ, nec aliquam religionem ingressus, habens etiam unde possit commodè sustentari; alias dum residens fuerit, providere qui ipsum introduxerit egenum teneatur eidem.

Quibus datur fidei juramentum præstent.

XXXIX. *Item*, Quòd quilibet clericus cui à modo superpellicium concederur, juret capitulo ipsius ecclesiæ fidelitatem servare, & tam jura ipsius ecclesiæ bona fide defendere, quàm universitatem etiam clericorum ipsorum.

XL. *Item*, Quòd quilibet clericus ipsius ecclesiæ bona ejusdem ecclesiæ & clericorum ipsius pro posse defendere teneatur, nec contra eam consilium vel auxilium audeat impertiri. Quòd si legitimè monitus contra fecerit, superpellicio spolietur.

XLI. *Item*, Quòd nullus canonicus vel clericus quicumque ipsius ecclesiæ contra concanonicum vel conclericum pro extraneis præstet publicè consilium vel juvamen.

Magister scholarum sit canonicus.

XLII. *Item*, Quòd Magister scholarum ejusdem ecclesiæ quicumque pro tempore fuerit, à modo sit ejusdem ecclesiæ canonicus, & quòd præbendam percipiat, juxta suæ receptionis ordinem sibi debitum, sine tamen eorum præjudicio, qui jam recepti expectant præbendas vacaturas ibidem, qui legere in facultate theologica, & facere personalem continuam residentiam, necnon tenere hospitium ad minus cum tribus clericis ipsius ecclesiæ inibi teneatur: ita quod interim etiam antequam præbendam fuerit assecutus, distributiones chori, sicut unus ex aliis canonicis habeat: quindecim tamen denariis Podiensibus, quos de libratione claustri ab antiquo consuevit recipere computatis, ad quas distributiones sicut & alii canonici teneantur conferre, ut superius est expressum. Si verò idem magister absque præfati licentia capituli se voluntariè absentavit, fructus scholastriæ amittat, quamdiu absens fuerit, qui tunc & etiam cùm ipsam scholastriam vacare contigerit, & cum ceteris bonis ipsius successori debeant fideliter & absque diminutione qualibet conservari. Quod si per capitulum legitimè monitus, absens non redierit; per ipsum capitulum amoveatur omnino, & alii idoneo conferatur. Eidem autem scholastriæ de terris ipsius ecclesiæ ad collationem decani spectantibus usque ad annuum valorem quinquaginta librarum Viennensium consuetis canonicis ejusdem conferri, si vacaret ad præsens, vel quàm primum ad id offerret se facultas, non obstante si pro aliis superassignandis seu conferendis * terras hujusmodi direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate præsentium præjudicium generari, per episcopum ejusdem ecclesiæ volumus & præcipimus auctoritate apostolica assignari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: ita quòd collatio scholastriæ ejusdem, quæ nunc ad decanum Anicensis ecclesiæ cum certo canonicorum numero pertinet, concedi cum consensu ipsius capituli vel majoris vel sanioris partis in ipso facienda capitulo, prout in ipsorum canonicorum creationibus consuevit fieri, pertineat ad eamdem.

* F. terris.

Clerici recipiendi examinandi.

XLIII. *Item*, Quòd clerici, qui à modo portabunt superpellicium in ecclesia memorata, examinentur prius an sint idonei in legendo & cantando officio ecclesiæ per aliquem virum discretum ad hoc per ipsum capitulum deputandum. Aliter non introducantur, illis tamen exceptis, de quibus ipsi capitulo aliàs videbitur expedire.

Canonici cum celebratur officium extra chorum non sint.

XLIV. *Item*, Quòd nullus canonicus clericus vel etiam in dignitate seu personatu quolibet constitutus; cùm divina officia in choro ipsius ecclesiæ cantabuntur, in plano seu platea ejusdem ecclesiæ extra chorum ipsius, à choro scilicèt seu altari crucis versus majus altare, nisi fortè transeundi necessitate vel peregrinorum occasione, stare, ire audeat, vel sedere, vel nisi in capellis vel subtus altare Dei ecclesiæ memoratæ.

Diffamati ab altaris officio expellendi.

XLV. *Item*, Quòd si qui publici concubinarii, vel lucra exercentes inventi fuerint inhonesta, vel si qui servitio altaris seu custodiæ deputati, prædicti de incontinentiæ vitio fuerint diffamati ab altaris servitio & ecclesiæ expellantur.

Modestia in choro.

XLVI. *Item*, Quòd omnes tam canonici quàm clerici quicumque prædictæ ecclesiæ in choro, cùm divina officia celebrabuntur, in stando & sedendo honestè se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem & corpus honestum ostendant.

Et extra chorum.

XLVII. *Item*, Quòd extra chorum infra ipsam ecclesiam nullus clamare, rixari, seu inverecundè ad invicem vel cum mulieribus, seu aliis inhonestis personis confabulari audeat, nec per viam currere, seu currendo transire.

Stabularii & albergarii.

XLVIII. *Item*, Quòd stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil à modo percipiant in his quæ altaribus ecclesiæ offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos ducant, nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando maximè inducant, seu attrahant ad ipsius ecclesiæ altaria vel capellas.

Cum ecclesiæ habitu extra ecclesiam non standum.

XLIX. *Item*, Quòd nec canonici nec clerici quilibet cum habitu ecclesiæ claustri limites transgredi præsumant, nec per claustrum seu villam sine cappa vel mantello extra hospitium incedant, nec publicè per villam canonicus sine clerico, vel alia honesta persona, nec clericus sine socio, nec ibi in carreria seu platea publica, sine competenti habitu stare seu sedere præsumat.

De habitu canonicorum.

L. *Item*, Quòd nullus canonicus vel clericus quilibet sine cappa vel mantello argando seu tabardo per civitatem Anicensem audeat equitare, nec manticam seu torseriam post se deferre.

LI. *Item*, Quòd portantes de novo à modo superpellicium in ipsa ecclesia habeant raubam novam ad minus, scilicèt superpellicium & cappam ecclesiæ, si ibidem voluerint residere.

LII. *Item.* Quòd ipsi clerici vel canonici cum habitu ecclesiæ palam non deferant chrirotheças, nec caligis albis utantur, nec supertunicalia scissa seu partita à latere deferant, nec cappas quarum capucia alterius coloris existat, nec cum capellis seu coffiis lineis apparentibus incedant ibidem.

Tabernas non frequentent.

LIII. *Item*, Quòd à modo canonicus, vel clericus aliquis ipsius ecclesiæ Anicienſis tabernas non intret, nec domos eis contiguas, causa in eis potandi seu comedendi, & maximè mense Augusti juxta abusum antiquum.

Nec choreas.

LIV. *Item*, Caligis rubeis maximè tempore paschali pannis de serico transgulatis seu reatis à modo non utantur, nec annulos publicè deferant, nec choreas cum laïcis aut mulieribus intrare præsumant.

LV. *Item*, Quòd ille qui institutus est ad pulsandas campanas campanilis majoris ecclesiæ memoratæ, novas etiam teneatur pulsare campanas horis debitis & diebus, juxta ipsius ecclesiæ observantiam & arbitrium duorum honestorum virorum, quos ad hoc dictum capitulum duxerit deputandos, ipsorum nihilominus arbitrio, si circa hoc negligens aut rebellis extiterit, puniendus.

LVI. *Item*, Quòd librationes superpellicii ipsius ecclesiæ quas amittent canonici vel clerici, quilibet ejusdem, vel alii in dignitatibus constituti incidentes in pœnam, juxta ordinationem præmissam, chori servitio deputentur, recipiendæ per illos quibus cura recipiendi denarios dictis deputatis distributionibus committetur. Librationes verò claustri quas amittent canonici, vel in personatibus constituti, ipsorum specialibus distributionibus applicentur.

LVII. *Item*, Quòd quicumque sive canonicus, sive clericus, vel in dignitate seu personatu quolibet constitutus in pœnam amissionis librationis claustri, vel superpellicii in toto vel in parte incidens juxta ordinationem præsentem, eam ex certa scientia receperit, seu recipi fecerit, vel recepto pro ipso ab alio libratoribus non restituerit quàm primum, habebit certificatus super hoc facultatem, ex tunc per mensem ab ingressu ecclesiæ & perceptione librationis superpellicii, sit ipso facto suspensus; nisi legitimè monitus restituerit, omni beneficio ipsius ecclesiæ spolietur.

Decanus eligendus sit in sacris.

LVIII. Præterea statuimus & auctoritate apostolica ordinamus, quod nullus nisi constitutus in sacris in decanum dictæ ecclesiæ possit à modo eligi seu assumi, nec aliter alicui de ipso decanatu apostolica seu quavis auctoritate alia valeat provideri, decernentes quod secus actum fuerit non valere.

Dignitates ad sacros ordines promoveantur.

LIX. *Item*, Quòd tam idem decanus quàm præpositus ejusdem ecclesiæ in sacerdotes: abbates verò sæculares in diaconos; habentes officia scilicèt præcentor, & thesaurarius, foris decani in subdiaconos, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, sine dilationis medio statutis temporibus se faciant promoveri, alioquin quo usque adimpleverint, dignitatibus, officiis, & beneficiis hujusmodi, eo ipso, penitus sint suspensi. Quod si suspensionem hujusmodi per sex menses sustinuerint, ipsis eos esse privatos volumus, ea ex tunc vacare decernentes omnino per eos, ad quos spectat illorum ordinatio seu collatio liberè ordinanda aut etiam conferenda.

Ad electionem episcopi non vocandi in sacris non constituti.

LX. *Item*, Quòd nullus canonicus major viginti quinque annis, postquam per quinquennium canonicus extiterit ecclesiæ supra dictæ, sede Anicienſi vacante, ab ipso capitulo ubicumque fuerit, ad electionem vocetur episcopi, nisi ad sacros ordines promotus, nec ex hoc possit dicere se contemtum. Ad eam tamen veniens admittatur.

LXI. *Item*, Sanè cùm super cura canonicorum ipsorum ac constitutorum in personatibus seu dignitatibus quibuscumque, nec non clericorum quorumlibet & familiarum ipsorum orta fuerat dubitatio longis temporibus retroactis: adeo ut ex hoc error quidam non absque animarum ipsorum periculo procedere videretur; statuimus ut decanus ipsius ecclesiæ, qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum omnium, nec non aliorum quæ ad hospitale B. MARIÆ ejusdem loci prædiorum pertinent habeat, quam per se & alios, quos ad hæc idoneos noverit, & illa tantummodo quæ ad forum pœnitentiale pertinent exerceat; videlicet confessiones audiendo, & pœnitentias injungendo, ad ea quæ judicialem indaginem, jurisdictionem seu correctionem alias exigunt, potestatem suam minimè extensurus. Episcopus verò Anicienſis ipsius decani curam juxta hunc modum, qui eidem decano circa prædictos traditur, gerere debet & habere. Magister verò hospitalis pauperum prædictorum qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum pauperum ac donatorum hospitalis ejusdem & aliorum habeat, quam à decano recipiendam prædicto per se & alios idoneos, de quibus secundùm Deum viderit expedire, valeat exercere.

Cura canonicorum quibus commissa.

Magister scholarum & abbas Casæ-Dei statuta faciant observare.

LXII. Ceterum quia parum prodesset statuisse præmissa, nisi conatibus contrariis præsumentium obvietur; ordinamus & volumus, quod magister scholarum præfatus, & dilectus filius abbas monasterii Casæ Dei ordinis S. Benedicti Claromontenſis diœcesis, qui pro tempore fuerint, vel alter eorum per se vel alios seu alium requisiti super hoc, possint & debeant ad prædicta omnia & singula inviolabiliter observanda per censuram ecclesiasticam, & pœnas etiam alias moderatas auctoritate nostra contradictores cogere quoslibet ac rebelles, quod fideliter exsequendum eisdem in virtute obedientiæ injungimus, & districtè præcipimus & mandamus.

Cura temporalium vacantis episcopatus duobus committenda.

LXIII. Ordinamus insuper, quod quandocumque in posterum sedem contigerit Anicienſem vacare, dictum Anicienſe capitulum duos vel tres de ipso collegio viros idoneos & omni suspicione carentes sine moræ dispendio assumere teneatur, quibus ab ipso cura administrandi bona universa episcopatus ipsius quamdiu vacaverit committatur: ita tamen quod illi, qui ad onus hujusmodi assumentur, sine dilatione qualibet de bonis ipsis mobilibus inventarium facere teneantur, ac interdicto eis cujuslibet alienationis genere, de conservando & defendendo fideliter bona & jura episcopatus, & etiam de tenendo seu exercendo justitiam per se vel per alios, nec non de reddenda administrationis suæ futuro episcopo ratione, cum restitutione bonorum, quæ deductis necessariis expensis ad eos pervenerint, sub obligatione bonorum suorum promittant eidem capitulo recipienti pro eodem episcopo, præstito super hoc ab eis ad sancta Dei evangelia corporaliter juramento: super quibus omnibus confici volumus publicum instrumentum. Quam etiam rationem, si ipsam sedem diutius vacare forsitan, quod absit, contigerit; teneantur ipsi capitulo reddere de sex mensibus in sex menses. Ad suscipiendum autem officium hujusmodi per subtractionem beneficiorum, quæ ab ipsa obtinebunt ecclesia, possit & debeat idem capitulum compellere quoslibet refractores.

Prædicta autem omnia statuimus observanda, non obstantibus aliquibus aliis consuetudinibus vel statutis ejusdem ecclesiæ hactenus observatis, seu quibuscumque privilegiis vel indulgentiis ab apostolica sede quibuscumque personis, locis, dignitatibus, vel ordinibus generaliter

ANNO 1265.

vel specialiter, sub quacumque verborum forma concessis, aut etiam concedendis, per quæ nullum contra præmissa volumus obstaculum interponi, seu si aliquibus communiter & divisim ab eadem sede indultum existat, vel contingat in posterum indulgeri, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia dictæ sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus præsentium possit quomodolibet impediri, & de qua in eis fieri debeat mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat ordinationes & statuta prædicta seu eorum aliquod infringere, vel ipsis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii IV. nonas Junii, Pontificatus nostri anno III.

VI. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 1816.

Henrico Hugonis Filio Comiti Ruthenensi concedit, ut à nullo Judice sedis Apostolicæ Legato aut subdelegato, possit excommunicari: anno 1268.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro HENRICO *nato dilecti filii nobilis viri* HUGONIS *Comitis Ruthenensis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

INtendentes quieti tuæ, paterna qua te nostrum & Ecclesiæ Romanæ devotum prosequimur, benevolentia providere, tuis supplicationibus inclinati, ut nullus judex à sede Apostolica delegatus, vel subdelegatus ab ipso, executor, aut etiam conservator à sede deputatus eadem, in te possit excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare sine speciali mandato sedis prædictæ faciente plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, auctoritate tibi præsentium indulgemus, præsentibus post triennium minimè valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii Decimo Secundo Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno III.

ANNO 1271.

GREGORIUS DECIMUS, PONTIFEX CLXXXVI. ANNO DOMINI MCCLXXI.

VIde Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 152.

I. Ex Archiv. Ang. Rimer Tom. 2. pag. 10.

Bulla de Generali Concilio ad Lugdunum assignato: anno 1273.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

IN litteris, quas per universos Orbis Principes & Prælatos super generalis convocatione Concilii destinanimus, locum in quo idem Concilium convenire deberet, ex causa duximus subticendum, prædiximus tamen in illis, quod locum eumdem ipsis Principibus & Prælatis intimare competenti tempore curaremus.

Nobis igitur cum fratribus nostris, hujusmodi loci electionem deducentibus in exactæ discussionis examen, occurrebant hinc inde diversa, quæ discutientium videbantur judicium alternare.

Nec enim præterit nostræ considerationis indaginem, quàm grave, quam durum est locum, Sedis Apostolicæ proprium, in quo præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora glorioſa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere, tanto locorum intervallo à peculiari nostrorum populo urbis abesse, convicinis partibus, quæ Sedi eidem non solum spiritualiter, sed & temporaliter subesse noscuntur, commoditatem vicinitatis nostræ subtrahere.

Quanta ex absentia Nostra diversis Italiæ partibus possent imminere discrimina? Quantum partium earumdem inveterata scissura, pro redintegrandæ unitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebat? Quantis denique oneribus quantisque laboribus nos, & fratres nostros (quorum aliquos ætas, quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hoc desuetudo reddit inhabiles) exponimus non sine rerum dispendiis quæ quasi pro nihilo ducimus, non sine discriminibus corporum, quæ non facile contemnuntur: Hæc & alia quæ non posset succinctus sermo percurrere in partibus istis locum hujusmodi eligendum concludere videbantur.

Verum ea quæ in eodem sunt agenda Concilio, contrarium suadebant & specialiter negotium Terræ Sanctæ; quam dum creatori omnium cariorem omnibus scriptura describit, satis apertè indicat cariſſimam procul dubio à nobis habendam; cum soleat, quod est in superioris conspectu præstantius, in subditorum extimatione præstare.

Accedit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano generi de divinæ superabundantia gratiæ obvenerunt; Siquidem salvator homnium operatus est in medio illius Terræ salutem: Ibi sumpsit temporalis nativitatis initium. Ibi conversationis humanæ deduxit tempora: Ibi post probrosa Passionis opprobria, pro redemptione nostra, mortem subiit temporalem, & sui pretioſi effusione cruoris vetus piaculum expiavit.

Numquid igitur non contingent Redemptorum corda, immensa & innumerabilia beneficia Redemptoris? Numquid non accendent cujusque præcordia, ut ipsi pro tot, quæ nobis tribuit, hoc saltem necessitatis tempore, aliquid rependamus, dum Crucis hostes Crucifixum habentes obstentui, cultores ipsius Christiani nominis Professores, ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant & conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipsosque diversis confusionibus saturantes?

ANNO 1271.

Ad

ANNO 1271.

Ad vindicandas itaque Redemptoris injurias, ad redimenda ignominiosæ conculeationis opprobria in redemptis, nostrum, circa terram eandem Creatoris conformantes affectui, ac debita meditatione pensantes, quod ejusdem Terræ subsidium, præcipuè de Principum & Prælatorum pendet auxilio, quos ultra mentes credimus convenire posse commodius exinanivimus nosmetipsos, & sub spe illius qui dat lapso virtutem, debilitatem nostram contempsimus, sub ipsius fiducia, qui de sua misericordia nos confortat, quod intendimus, in eo posse sperantes, parvi pendimus onera, labores consideratione calcavimus, & cæteris nostris ac fratrum nostrorum incommoditatibus in ejusdem considerationis examinatione postpositis, ut Principum & Prælatorum eorundem faciliùs possimus habere præsentiam, ac terræ prædictæ subventionem efficaciùs promovere, Civitatem Lugdunensem, quo inibi Concilium cum majore commoditate conveniat, de ipsorum fratrum Consilio duximus eligendam.

Quod Celsitudini tuæ, tenore præsentium, nunciantes, serenitatem Regiam rogamus, & hortamur in illo qui Regibus dat salutem, in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut te illi gratificans, qui tot gratiis te prævenit, & laborem voluntarium, ad tam sancti, tam utilis negotii promotionem assumens, præfixo per easdem litteras termino, interim ad hoc opportunitate captata, in Civitate prædictâ, una cum aliis Principibus & Prælatis, quorum super hoc Dominus corda tetigerit, tuam velis præsentiam exhibere.

Datum apud Urbem veterem, Id. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

ANNO 1273. II. Ex Archiv. Arg. Rimer. Tom. 2. pag. 4.

Processus Gregorii Papæ contra Guidonem de Monteforti, super morte Henrici de Alamania: anno 1273.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

NEphandum scelus, sceleste nephas piacylare flagitium per flagitiosas impiorum dexteras, innocentis sanguinis avidas, innoxii cruoris effusione cruentas, & detestandis in commissione horum noxiis invalutas in quondam Henricum de Alamania claræ memoriæ Riccardi in Romanorum Regem electi, primogenitum horribili severitate commissa, quamquam & cominus evidentia sui notoria, & eminus per diversa mundi climata jam notoriè divulgata, non sine multa mentis amaritudine recensere compellimur, ut horrenda eorum series cunctis serioſius reserata, quæ non solum ad extinctum crudeliter, sed & ad crudeles, tam gravia proinde dilapsos in scelera, extinctionis actores paternæ compassionis affectum excitavit in patre, justæ prosecutionis motum manifestat in Judice, hoc indicatura præsentibus, hoc fideli testimonio commemoratura futuris.

Ut enim illius vices, quas licet immeriti gerimus, implere pro viribus satagamus, qui quanquam misericordiarum Pater & totius consolationis Deus veridice describatur, nihilominus tamen legitur justus Judex, Deus zelotes, & Dominus ultionum, decet ut & paternam misericordiam devotos prosequamur ad filios, & debitam justitiam obstinatos non omittamus in reos, parati & redeuntibus de longinquo apertis occurrere brachiis in amplexum, & in pertinaces, sui perversi prosecutores arbitrii, justè vindicare contemptum.

Recenseatur itaque in auribus omnium omnibus ferè nota severitas, immane spectaculum in conspectu cunctorum, repetitio fidelis & sincera commemoretur.

In cujus consideratione Sanctæ Matris Ecclesiæ grandis admodum contumelia filiorum corda conturbat: Cultus Divini contemptus fidelium zelum accendit: Inclitorum Principum contemptibiliter spreta præsentia devotorum vota provocat ad vindictam. Jura sanguinis confusa queritur propinqua cognatio, & mirando in stuporem deducitur, ac stupendo miratur naturalia humanæ societatis immutabilia vincula viliter violata.

Divulgatus fore in omnem terram jam sonus exivit, & in remotos orbis angulos vulgaris fama deduxit qualiter in memoratum Henricum, cruce signatum, de Tunitii partibus in quibus Jesu Christi servitio cum Christiano vacaret exercitu, ad Sedem Apostolicam in Comitiva Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Franciæ ac Siciliæ Regum illustrium ad Civitatem Viterbiensem, ubi tunc Romana residebat Curia, venientem; & tandem in quadam Parochiali Ecclesiam civitatis ejusdem, pro missarum solemniis, Sacro quadragesimali tempore constitutum, eisdem Regibus in civitate ipsa præsentibus, quondam Symon, & Guido de Monteforti, Germani, ac ejusdem H. amitini fratres, ad quos restituendos ad carissimi in Christo filii nostri E. Regis Angliæ illustris gratiam, qua ipsos fertur eorum gravis culpa privasse, idem H. de voluntate memorati Siciliæ, ac cum mandato ejusdem Angliæ Regum venerat, associatis sibi aliis, Belial filiis, cum armis, diabolico incitati spiritu, irruentes ipsum manibus inhumanis, immo prorsus immanibus trucidarunt.

Hæc mundus clamat, hæc communis assertio publicat; hujus immanitatis ordinem, vel inordinationem potius sic multiloqua vulgi lingua describit.

Memoratus siquidem Guido, in ipso ingressu prædictæ Parochialis Ecclesiæ, voce terribili comminans, dentibus suis infremuit contra eum exclamans, Proditor Henrice de Alamania non evades.

Et subsequenter in ipsum ad hujusmodi subitum clamorem & fremitum omnino impræmeditatum & insicium, paventem non immerito, & propinquantem Altari, ac illi hærentem manibus, tàm ipse Guido, quàm memoratus Symon, cæterique ipsorum satellites, evaginatis gladiis, & clavis elevatis aggressi, talibus circundantes eundem saturaverunt se pœnis illius, ac ponentes ipsum sibi quasi in signum, exciderunt cum vulnere super vulnus, latusque ipsius, femur, vultum convulnerentes & lumbos, præcisis sibi nihilominus quasi totaliter quatuor finistræ manus digitis, qua, ut præmittitur, eidem adhærebat Altari, & quibusdam Clericis in prædictis solemnibus, eidem H. assistentibus, altero viz. letaliter, reliquo vero satis graviter vulneratis, nec mortuo pepercerunt, sed & post mortem illatam, vulnera inferentes eidem, ipsum traxerunt ad Ostia dictæ Parochialis Ecclesiæ jam extinctum.

Per hæc nimis procul dubio divinum irreverentes in cultum: Graviter in eandem sedem & Ecclesiam Romanam injurii: Sacrilegi dictæ immunitatis Ecclesiasticæ infractores: temerarii contemptores celsitudinis Regiæ: Ac fœdi humani fœderis subversores; in sobrinum Fratricidii rei, in hominem homicidæ ac sicarii nimium inhumani.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ANNO 1273.

Ubi tunc igitur ad Matrem Ecclesiam filialis affectus? Ubi reverentia temporis? Quis talia præterire monstravit? O furor? O rabies! Immo procul dubio rabiosi furoris excessus, qui adeo in rationali Creatura judicium rationis absorbet, ut cognationem, quam inter homines generaliter natura constituit, ipsi singulariter sic inhumanè prætereant, sic quasi prorsus abjurent, quod more ferino, efferis animis alterutrum & sæviant in se ipsos.

O quantum hic excessus exceditur, cum in conjunctos sanguine desævitur! O quantum excessui hujusmodi culpæ pondus additur, cum innocens lacessitur! Profecto præmissa in eumdem H. cum talium & aliarum gravium circumstantiarum aggravatione commissa, non solum ejus innocentia, & mutua ipsius ad committentes cognatio aggravant, sed & ejusdem H. beneficia, in eo saltem quod ad reformationem status ipsorum taliter insistebat, reddunt procul dubio longe amplius graviora.

Illorum igitur atrocitate commoniti eorum evidentia excitati, dicto Simone fatali sorte rebus humanis exempto, memoratum Guidonem, suosque in iis complices & fautores de fratrum nostrorum Consilio, in Palatio Urbeveran. peremptoriè præsente multitudine copiosa, in forma citavimus infra scripta. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei: Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Quondam Henrici de Alamania claræ memoriæ, Ricardi in Romanorum Regem electi Primogeniti sanguis effusus immaniter, & prout in T. 1°. pag. 890. usque hæc quæ sequuntur.

Præmissæ quoque peremptoriæ citationis Edictum in variis locis insignibus solitæ ipsius Guidonis habitationi vicinis, per diversos capellanos nostros, ad hoc specialiter destinatos, fecimus solemniter publicari.

Et licet illud ad ejusdem G. perveniisse notitiam diversarum litterarum clausarum & patentum nobis ab ipso missarum, quarum aliquæ ad nos infra præfixum sibi terminum, aliquæ in eodem termino, reliquæ verò post eundem terminum pervenerunt, tenor apertius manifestet; ipse tamen prædictique complices, & fautores, tantis excessibus contumaciæ contemptum addentes, comparere in eodem termino, & postmodum expectati diutiùs contempserunt.

In primis quidem literis clausis, nobis, ut prædicitur, ante dictum terminum præsentatis, petiit idem G. Fratri suo Amaurico de conductu & securitate idonea provideri, nostram, ut ejus verbis utamur, intrandi curiam, & revertendi, cum expediret, ab ea, vt idem frater suus A. cautè discuteret, & attentè perquireret per quem modum ipse Guido, si ad nostram eum præsentiam venire contingeret, mortalium inimicorum suorum insidias declinare valeret.

In oblatis autem, in termino supradicto, patentibus litteris delictum nobis esse notorium, immo etiam à se comissum inficians; & allegans pro eo probabiliter posse negari quod actus transeuntis notorium diceretur.

Adiecit quod, dato quod dictum Henricum reciderit, causam justissimam habuit, quæ ipsum ab homicidio, sacrilegio, & fratricidio, vel in totum excusat, vel saltem in parte maxima temperat, & remittit pœnam facinorum prædictorum.

Et deinde, conquestus petitam securitatem dicto A. fratri suo fuisse negatam; ac petens differri judicium idonec dictus Rex Angliæ Italiam exivisset, & suis nunciis ad proponendas suæ causas absentiæ, ad quod tamen nullus sufficienter comparuit, audientiam indulgeri subjunxit se paratum ad nostram venire curiam suo loco & tempore, ad Principalem causam justis defensionibus subeundam, dum tamen sibi de intrando, morando, & libere recedendo de ipsa Curia securitas plena daretur.

Ac insuper propositis aliquibus in derogationem Apostolicæ potestatis, quæ quatenus personam nostram contingunt, benigna dissimulatione transimus, adjecit quod causam suam ad futurum Concilium deferret.

In subsequentibus autem litteris nobis ex parte ipsius G. post dictum terminum assignatis, constituit quendam Clericum Procuratorem ad tria viz. ut securitatem plenam, & liberam facultatem omnibus & singulis, qui defensionem Causæ suæ tunc, vel in futurum susciperent postularet: Et citationem à nobis emissam peteret revocari. Ac absentiæ suæ causas exponeret & probaret, si foret forsitan opportunum.

Sed dictus Clericus, in quorumdam Fratrum nostrorum, quos ad id deputavimus, præsentia constitutus, patenter asseruit prædictum mandatum se nolle suscipere securitate pro se, ac universis, & singulis memoratum G. defendere quandocumque volentibus quorum neminem nominare voluit non concessa; quam licet sic vagam non concesserimus sicut ne fuerat concedenda, obtulimus tamen sibi, & publicè fecimus proclamari, quod si vellet ipse, vel quivis alius pro dicto Guidone aliquid allegare, benignam audientiam præstaremus.

In reliquis verò & ultimis litteris inficiatione delicti, petitione securitatis pro dicto fratre suo, querela de ipsa petitione primitus non admissa, & delatione causæ ad futurum Concilium similibus repetitis, se in denegatione petitionis ipsius in eo quod falso notorium in eadem curia esse dicebat; quod ad voluntatem & consilium dicti Regis Angliæ in causa sua procedit, & quod prima citatione vocatus extitit ad sententiam audiendam, quodque nimis brevis terminus fuerat assignatus; & illis qui vellent eum defendere, securitas denegata; Nec non & quia tempore feriato processit Citatio, in quo, dicebat sanguinis & atrocium criminum causas non debere tractari se asserens esse gravatum, infra scriptas causas absentiæ allegavit.

Primò quia, ut dicebat, citatus fuit ad locum non tutum.

Secundò quia dictus Rex Angliæ ausus fuit aliquos inducere, ut eum occiderent in nostra Curia constitutum.

Tertiò quia idem Rex publicè se jactavit, quod ipse Guido nunquam effugeret manus suas, si terram soceri sui exiret, & dixit publicè coram multis, quod omnem securitatem, ad hoc quod ipsum occideret violaret.

Quartò quod Rex ipse per se, ac suos fautores, ipsius Guidonis inimicos pendente Citatione hostiliter invasit eundem.

Quintò quia evidenter se comperisse dicebat, quod præfatus Rex quosdam familiares suos corruperat, ut ipsum occiderent, & si progrederetur ad Curiam, castra, quæ idem G. tenet, promiserunt, eidem Regi tradere, vel suo nomine detinere.

Sextò quia memoratus Rex Angliæ citatione pendente, exercitum, cum quo ipsum Guidonem proponit invadere, præparavit.

Septimò quia idem Guido à sæpe fato Rege Angliæ, ac aliis, tota sua substantia spoliatus, compellitur nudus congredi cum armatis; de causis autem hujusmodi, dictus G. eas, quæ defensioni suæ sufficerent, se obstulit probaturum.

Sanè petitiones, excusationes, obligationes, & allegationes hujusmodi multiplex ratio dissuadebat admittere: Nec enim post oblatas, & concessas, ut in serie citationis nostræ præmittitur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO 1273.

titur eidem G. tam evidentes securitates per nos, de fratrum ipsorum Consilio approbatas, & sufficientes ac idoneas, cum multa examinatione decretas, locum sibi, circa securitates alias fratris prædicti discussio, aut ipsius G. de deferendo judicio, quousque Italiam Rex Angliæ prædictus exiret petitio vel de loco non tuto allegato contra decretum nostrum, cum tam exacta maturitate interpositum, vindicabat.

Nec petitiones prædictas justificat aut colorat, quod idem G. se verbaliter seu literaliter obtulit ad nostram, suo loco & tempore, venire Curiam, & principalem causam subire paratum, cum non sit partis, locum Judicii, aut tempus eligere, sed Judicis diffinire; nec dici possit suo, i. e. debito venire loco vel tempore, qui contemnit, statuto sibi per Judicem loco & tempore comparere: Præsertim hoc casu, cum dictus G. ita demum se compariturum obtulerit, si sibi securitas indistinctè ad recedendum de dicta curia præberetur, quæ saltem in illum eventum concedenda non foret, si recessum ipsius Justitia impediret.

Non igitur se gravatum asserere justè potest, si concessum non extitit, quod fuit injustè petitum: Præfato nec ex eo, quod ad sententiam audiendam prima Citatio, brevi etiam concesso termino, & in tali negotio tempore quadragesimali processit; cum enim de notoriis agatur excessibus, ad quid aliud, nisi ad sententiam procederet citatio? Aut quare tempus vel temporis indulgeretur diffusio, quam locus aut locorum propinquitas non requirit, cum in notoriis facti examinatio necessario non procedat? Ad quid temporis beneficium maleficus invocat, qui tam graviter commisit in illud, tanta & talia in eo maleficia committendo, maximè cum ad sanguinis pœnam agatur: Hoc casu de crimine, & sententia communis, scripta & solemnis id habeat, quod legi, quæ dicto tempore cognitionem inhibet criminalium quæstionum, sit per consuetudinem derogatum.

Causas quidem absentiæ, in prædictis ultimis litteris allegatas, etiam, si aliquæ ipsarum veritatem haberent, præmissarum securitatum consideratio, & ipsarum causarum inspectio manifestè confutant.

Quæ namque absentiæ causa, quod Conatus Regis Angliæ ad inducendum aliquos, ut dictum G. in prædicta Curia occiderent? vel jactantia Regis ejusdem, quod idem G. ipsius manus non evaderet, si soceri sui terram exiret? Cum ad tuitionem suam, post iter arreptum, ex securitatibus prædictis, in via ei Comitiva militaris accresceret, & tam inibi, quàm in præfata Curia nostræ sibi protectionis auxilium adderetur.

Quæ insuper absentiæ causa, quod idem Rex Angliæ per se, quod notoriè noscitur esse falsum, ac suos fautores, de quo non est aliquid auditum in Patria, eumdem G. fingitur invasisse? nunquid talis insultus occultò fieri potuisset? Nunquid etiam, si ad eum fuisset in veritate processum, eumdem G. à judicio eximeret, aut citationi ritè factæ talibus sibi oblatis securitatibus, propterea non parentem à contumacia excusaret?

Quæ iterum absentiæ causæ ex eo quod dictus Rex quosdam familiares memorati Guidonis, ut eum occiderent, & castra ipsius sibi redderent, aut ejus nomine detinerent, asseritur corrupisse? nonne si hoc etiam verum esset eo magis hujusmodi concinnatione comperta, dictus G. sibi consulere potuit, eo consultius procedere, Terram suam aliis fidelibus, & non facile corruptibilibus committendo? nunquid ejusdem G. culpas, & tam gravia facinora hujusmodi concinnatio expiasset. Aut Judici in facinorosum secundum exigentiam Justitiæ procedendi arbitrium ademisset.

Nec sufficit, immo nec proficit ad ejusdem absentiam excusandam, quod idem Rex exercitum, cum quo memoratum Guid. proponit invadere, dicitur præparasse: cum sicut præmittitur G. præfato, inter cætera, obtulimus, non sine derogatione forsan aliqua Regiæ dignitatis, quod memoratum Regem curiam supra dictam faceremus exire, sibique loca deputaremus de quibus idem G. ejus timere non posset offensam.

Nec etiam spoliationis exceptio in aliquo absentiam excusat eandem, si enim ad bona, quæ sui Parentes in Anglia obtinuerunt, & Francia excipientis feratur intentio quæ spoliatio dici potest in illis quæ ipse nunquam obtinuit, & in quibus nullum unquam jus habuit cum in successione, quoad illa ipsum duo præcesserunt fratres ejus?

Si verò ad ea, quæ idem G. in regno Siciliæ, tempore patrati se eleris, obtinebat, exceptio referatur. Consultius excipiens substitisset ut eis se spoliatum non diceret, quæ dictus Rex Siciliæ, cujus quoad prædicta bona, judicio suberat, ad manus suas propter prædicti sceleris evidentiam eodem Rege, ut prædicitur, in dicta Civitate præsente commissi non violenter, sed justè potiùs revocavit, ipsum à Vicaria Tusciæ, quam ei commiserat, nihilominus amovendo.

Ex quo etiam satis evidenter apparet, quantum idem Guido flagitium, de quo agitur, fornotorium negare sufficiat, de quo in ipsum pe suum ordinarium jam pœna processit. Quo manifesta, & plurimis nota facti qualitas publicat, & celari tergiversatione aliqua non permittit. Quod etiam ipse, post patrationem illius, subito de ipsa Curia recedendo, pleniù sua manifestavit absentia, & manifestè sufuga derexit: Quod insuper tempore vacantis Ecclesiæ, variis ad fratres nostros destinatis litteris non negavit, sed ejus reum se potius esse confessus. Quod dictus Frater ipsius St. super eodem flagitio, ejus nomine misericordiam postulans, licet sub quibusdam injustis conditionibus, quas nec decebat recipi, nec justitia suadebat, similiter fatebatur. Quod singulorum vox, continuæ, quasi accusationis instantia non cessat incessere: Quod communis assertio sic incessanter accusat, ut effusum sanguinem innocentem per cujusquam inficiationem operire terra non valeat, nec profundus clamor illius latendi locum inveniat in eadem.

Licet igitur tantæ temeritatis audacia omnem ferè acerbitatem pœnæ videatur excedere, ne tamen omnino impunita remaneat, cum soleat ausum impunitas parere ausus, excessum præsumptionis tantæ sævitiam meritissima severitate, quantum nostri partes Officii patiuntur, decrevimus persequendam.

Ideoque, cum eisdem fratribus nostri deliberatione præhabita, de ipsorum consilio, auctoritate Apostolica diffiniendo, pronunciantes, & pronunciando diffinientes memoratum G. de monteforti manifestum tanti flagitii patratorem & notorium tantorum criminum reum extimationis ademptione damnamus; Decernentes ut perpetua uratur infamia, perpetuo sit infamis. Sit prorsus intestabilis, ut nec testari, nec ex testamento, seu ab intestato succedere, vel aliquid ex cujusquam successione percipere valeat: nec ad reddendum Testimonium admittatur: Bona quoque ipsius, ubilibet constituta, sententialiter publicamus per eos, sub quorum consistunt Dominio, fisci eorum juribus, sine juris alieni præjudicio, applicanda:

ANNO 1273.

ANNO 1273.

Revocationem etiam & amotionem à memorato Rege Siciliæ ut prædicitur, factas, ratas habemus & eas volumus perpetuis temporibus obſervari: In terris quoque, ac aliis bonis Uxoris ſuæ, ipſi G. omnem jurisdictionem adminiſtrationem, & poteſtatem interdicimus, diſtrictè mandantes, quod in illis, vel quibuscumque aliis terris, in nullo penitus obediatur eidem; & ſi ſecus fiat, obedientes excommunicationis ſententia innodamus: Terram verò quæ ſibi obediet, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, ita quod in illa nullum Eccleſiaſticum ſacramentum, niſi forſan Baptiſma parvulis, ac Pœnitentia, & Euchariſtia laborantibus in extremis alicui valeat exhiberi. Omnibus, quæ ab Eccleſiis quibuſcumque tenebat, vel tenet in feudum, ſeu alio quocunque modo, ipſum omnino privamus ita quod in Eccleſias, ad quas ſpectant, illa libere ſine contradictione aliqua revertantur.

Et ut facinoris hujuſmodi per infamiam toto fere Orbe diffuſi, pœna in ipſius G. diffundenda & duratura poſteros, in omnium noritiam futuris temporibus diffundatur, eadem auctoritate ſtatuimus, ut ipſi G. ac deſcendentibus uſque ad quartum gradum ab ipſo niſi deſcendentes iidem ſuper his, vel eorum aliquo ejuſdem ſedis gratiam meruerint obtinere, nunquam dignitatis portæ pateant, nec ad dignitatem aliquam, ipſis, vel eorum alicui pandatur aditus ſeu ad impetrationem illius, eis vel ſupplicantibus pro eisdem præſtetur auditus: Ad honorem aliquem Eccleſiaſticum, ſeu mundanum, vel quodcumque Officium publicum aut Clericatum ſeu Clericorum Collegium, Miniſterium vel beneficium Eccleſiaſticum, ſeu in regularibus domibus ad eminentiam prælationis cujuſlibet nullo umquam tempore ipſorum aliquis aſſumatur.

Memoratum præterea G. citra mortis & mutilationis periculum diffidamus, & etiam forbannimus: perſonam nihilominus ipſius citra idem periculum exponentes, ita quod ab omnibus liberè capi poſſit.

Quin etiam omnibus Provinciarum præſidibus, quocunque nomine cenſeantur, nec non poteſtatibus, conſulibus, aliisque Rectoribus Civitatum, Caſtorum, aliorumque locorum diſtrictè præcipimus, ut ipſum G. capiant & ad curiam noſtram ducant deputandum carceri, vel alias, prout nobis videbitur caſtigandum.

Ipſum quoque ſacrilegum & contumacem excommunicationis ſententia innodamus; decernentes ut omnia loca, ad quæ pervenerit, donec ibi præſens fuerit niſi capiatur, vel captus teneatur in eis, ad nos, ut prædicitur deducendus, Eccleſiaſtico ſint ſuppoſita interdicto.

Ad hæc univerſis & ſingulis Civitatibus, Communitatibus, Univerſitatibus quibuslibet, & perſonis ſingularibus Eccleſiaſticis & mundanis cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtant, etiam ſi Imperiali vel regali, aut alia quacunque dignitate perfulgeant, hoc generali mandamus edicto, ut nullus dictum Guidonem recepter, vel quantum in eo fuerit, receptari permittat.

Nulla eum Univerſitas in Poteſtatem, Conſulem, recipiat aut Rectorem, vel ad quodlibet aliud Officium, quocumque nomine cenſeatur, admittat.

Nullus commercium aliquod, aut Communionem aliquam, niſi forſan in illis, quæ ad ſalutem animæ ipſius reſpiciunt habeat cum eodem.

Nullus ei præſtet auxilium, conſilium, vel favorem publicum, vel occultum.

Nullus cum ipſo Guidone, ſub quo vis ingenio, colore, machinatione, vel arte, ſocietatem, ſeu confœderationem aliquam inire præſumat; & ſi ſecus ſcienter præſumptum fuerit, omnes ſingulares Perſonas contrarium præſumentes, non obſtante qualibet indulgentia, imo quacunque forma, vel expreſſione verborum, ipſis ab eadem ſede conceſſa, vel in poſterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, ſententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipſos ferimus, incurrere volumus ipſo facto.

Univerſitatem autem, quæ ſecus ſcienter fecerit, & Terras illorum, qui eum receptaverint, aut ſocietatem, vel confœderationem cum eo inierint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.

Et nihilominus ſocietatem & confœderationem initas, & in poſterum ineundas, etiamſi pœnarum, & juramenti adjectione vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, quatenus in ipſis ejus commodum vertitur, omnino viribus vacuamus, & eſſe decernimus vacuas, irritas, & inanes.

Vaſſallos quoque & ſubditos ſi quos habet idem G. abſolvimus à fidelitate, qua tenentur eidem, juramenta ſuper hoc præſtita de poteſtatis plenitudine relaxantes.

Memoratos verò ejuſdem Guidonis in præmiſſis commiſſione flagitii complices & fautores excommunicationis & anathematis ſententia innodamus, contra eos gravius ſpiritualiter & temporaliter proceſſuri, prout viderimus expedire.

Cæterum prædictas omnes Excommunicationum ſententias ſic firmiter, ſic inviolabiliter volumus obſervari, quod abſolvendi ab eis, vel relaxandi eaſdem, niſi tantum in mortis articulo, tam omnibus Pœnitentiariis noſtris, quàm quibuslibet aliis Confeſſoribus generalibus, vel ſpecialibus, ſeu familiaribus quarumcumque, vel quarumcumque ſublimium Perſonarum ubilibet conſiſtentium, etiamſi eis à nobis vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum ſub quacunque verborum forma, abſolvendi à ſententiis fulminis vel Canonis, ſeu eas relaxandi generalis, vel ſpecialis ſit vel fuerit conceſſa facultas adimimus poteſtatem.

Ab iis verò mulieres in hoc tantum excipi volumus, ut ſi ſolum ratione præſtiti favoris in hujuſmodi ſententias forſan inciderint, poſſint per ſuos Dioceſanos juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium obtinere.

Actum Palatio noſtro Urbe Veteri Calendas Aprilis Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

ANNO 1273.

III. Ex Arch. Rimer Tom. 2. pag. 17.

Bulla, de Inſigni pœnitentia Guidonis de Monteforti, pro cæde Henr. de Alemania, & de traditione Guidonis in Carcerem: anno 1273.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Regi Angliæ illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

PRinceps inclite, novit excellentia Regia, quàm dirè, quàm durè Guidonis de Monteforte malitiam non omittendo tamen juſtitiæ ſemitas, ſed exquiſitos etiam ſequendo juris tramites, fuerimus proſecuti; & ideo non eſt opus habitum contra ipſum repetitione ali-

qua

ANNO 1273.

qua commemorare processum : Sed sufficit quæ sunt postmodum exinde subsecuta tuæ Celsitudini nuntiare.

Et quidem memoratus Guido magnæ pœnitentiæ signa prætendens, postquam Florentiam venimus, uxoris suæ præsentia, & multiplicatis aliis nunciis institit, multaque, ac longa instantia supplicavit, ut ad nostram permitteretur venire præsentiam; paratus simpliciter ut dicebat, nostris obedire mandatis.

Sed multiplici ejus instantiæ multiplicem opposuit non solum qualitas offensæ, saltem in magni temporis dilatione, repulsam, verum etiam cujusdam nostræ deliberationis examen, quo investigandum fore providimus an contriti & humiliati cordis indicia, quæ tanta tamque assidua ejusdem Guidonis instantia verisimiliter arguebat, veritatis munimine fulcirentur, an essent velamine simulationis obducta.

Cumque post modum nos contingeret civitatem Florentinensem exire, idem Guido quasi ad duo milliaria, extra Civitatem eandem, nec non & quidam alii, quos ad hoc sibi Comites habuit, depositis omnibus calciamentis & vestibus, præter camisias & femoralia, cum cordis ad colla, prostratique in terram, se nobis in via exhibuere cum lacrimis; & subsistentibus quampluribus, qui erant in nostro, tunc temporis, comitatu, memoratus Guido cum ejulatu non modico, profusis lacrimis, instantis supplicationis verbis effusis, se *alt* & *bas*, sine tenore, modo vel conditione aliqua, nostris mandatis exponens, petebat humiliter, supplicabat instanter saltem, ubicumquè nobis placeret in carcerem se detrudi, & in absolutionis beneficio misericordiæ sibi januam aperiri; nullo penitus adjecto in suis supplicationibus, mediatè vel immediatè, porrectis, per quod aliàs derogari posset in aliquo prædicto processui, habito contra ipsum.

Sed nec tunc hujusmodi supplicationem ipsius duximus admittendam nec responsum ipse à nobis habuit aliquod, immo redarguimus potius alios assistentes eidem, quod in talibus nec loci nec temporis competentiam observarant : Verum urgente tandem conscientia ne deesse justitiæ videremur & contra ipsius debitum Ecclesiæ claudere gremium redeunti, de fratrum nostrorum Consilio, in hoc condescendimus instantiæ supplicantis.

Mandavimus quidem, per dilectos filios nostros R. S. Angeli, & J. S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconos Cardinales, in Urbe morantes, Guidoni præfato in Terra Ecclesiæ Romanæ, in aliqua arce tuta, locum carceris assignari; & propter nostram de partibus illis absentiam, ipsum Guidonem per Carissimum in Christo filium nostrum Siciliæ Regem illustrem & alias personas idoneas inibi cum diligentia custodiri, sicut dilectus filius Gerardus de Roscillone, noster familiaris & Clericus, cui super his, quæ tibi ex parte nostra duxerit exponenda, fidem indubitatam habere poteris, plenius oraculo vivæ vocis exponet.

Quid autem circa hoc postmodum actum sit nondum ad nos relatio certa produxit : hoc tamen ideo tibi sic seriosè intimanda decrevimus, ne nostrum processum puritatem tertiæ linguæ malitia in tuæ Celsitudinis auribus fermentaret. Datum Lugdun. tertio Calendas Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

ANNO 1273. IV.

Ex Angl. Arch. Rimer Tom. 2. pag. 20.

Bulla Regi, de Coronatione proroganda; ne vel suus, vel suorum Prælatorum adventus ad generale Concilium impediretur: anno 1273.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio . . . . Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

CElsitudini Regiæ, fili carissime confidenter exponimus, quod cum non solum noverimus, sed & palpaverimus zelum tuum, quem etiam prætendentia opera manifestant ad negotium Terræ Sanctæ, non sine admiratione audivimus te coronationi tuæ terminum indixisse, qui cum tempore, quod est indictum generali Concilio congregando, in quo debet specialiter dictum negotium promoveri concurrit.

Propter quod & tua subtraheretur eidem Concilio tanto magis necessaria & grata præsentia, quanto ex eo esse potest utilior in promotione negotii supra dicti quod de necessitatibus terræ illius tibi magis, tamquam experto, credetur, plus consilio Principis tanti favebitur, plures sequaces inveniet benignitas & liberalitas consulentis; & Prælatis Regni tui, vel ab ejusdem coronationis solemniis, quam tamen desideramus cum solemnitate debita & optata prosperitate procedere, vel ab ipso Concilio, quod dispendiosum foret admodum & absurdum, necessitas absentiæ immineret.

Ideoque serenitatem Regiam & paterna sollicitamus fiducia, & intenso rogamus ac hortamur affectu, quatinus benigna meditatione pensabis discriminibus, quæ de tali concursu temporum imminent, illis Sanctis & piis operibus, quæ sunt in dicto Concilio promovenda, & specialiter Terræ negotio memoratæ, sic per accelerationem, vel prorogationem dictæ coronationis illis occurras, quod nullo modo propter hoc tuus vel eorumdem Prælatorum ad idem Concilium impediri possit adventus; sed prædictorum negotiorum efficax tua, & eorumdem Prælatorum promotio, tibi apud Deum æternæ retributionis cedat ad meritum, & apud homines ad laudis titulum sempiternum.

Datum Lugdun. Calendas Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

V.

Ex Archiv. Rimer Tom. 2. pag. 36.

Bulla Regi Angliæ, se non intromittendo Rebus Ecclesiasticis in Vasconia tempore vacationis Ecclesiarum : anno 1274.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

UT Rex qui te ad Regni solium sublimavit, dirigat prosperè gressus tuos Jura Ecclesiastica, immo sua debes tuis temporibus illibata facere conservari, & Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas à suis oppressoribus regalis potentiæ brachio defensare. Sanè ad audientiam nostram venerabili fratre nostro Auxitanensi Archiepiscopo referente pervenit, quod

ANNO 1273.

si aliquam ex Ecclesiis Cathedralibus Provinciæ Auxitanensis vacare contingat; Nobilis Vir.... Senescallus tuus in Vasconia administrationem bonorum temporalium ipsius Ecclesiæ vacantis quamdiu eam vacare contingit, contra justitiam occupare, ac detinere occupatam pro sua voluntate præsumit, quanquam nulla ex eisdem Ecclesiis à te Regalia teneat, idque tibi, vel dicto Senescallo non competat de consuetudine vel de Jure.

Cum igitur laicis disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, serenitatem Regiam rogamus & hortamur attentè, quatenus talia, quæ redundant in tui derogationem honoris per eundem Senescallum fieri nullatenus patiaris; Sed Ecclesias ipsas, pro divina & nostra reverentia, habens propensius commendatas, eas & bona ipsarum in suis juribus & libertatibus favore Regio prosequaris; ita quod præter divinæ retributionis præmium condigna tibi à nobis proveniat actio gratiarum. Datum Lugduni decimo Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno tertio.

VI. Ex Archiv. Aug. Rimer. Tom. 2. pag. 36.

Bulla Levellino Principi Valliæ, de quadam compositione, per Prælatos inter dictum Levellinum & Davidem Fratrem suum: anno 1274.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro, Levelino Principi Valliæ salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm à nobis petitur quod justum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Sanè petitio tua, nobis exhibita continebat, quod dudum inter te, & nobilem virum David Fratrem tuum, super quibusdam Terris, Possessionibus & Rebus aliis, materia quæstionis exorta; tandem mediantibus venerabilibus fratribus nostris . . . . . Bangoren. & . . . . . Assaphen Episcopis, Amicabilis super his inter partes compositio intervenit, de observanda compositione hujusmodi hinc inde corporali præstiti juramento: Et nihilominus jurisdictioni eorumdem Episcoporum super hoc eo modo vos submittere curavistis, videlicet ut dicti Episcopi in partem, contra compositionem prædictam venientem, possent censuram Ecclesiasticam exercere, ac obscuritates ipsius compositionis, si fortassis emergerent interpretari, & etiam declarare, prout secundum Deum viderent qualitati negotii, & quieti earumdem partium expedire.

Postmodum verò, super quibusdam articulis, in compositione ipsa contentis, qui in aliqua parte sui debitum & obscuritatem habebant inter prædictas partes quæstione suborta iidem Episcopi prout ex forma hujusmodi submissionis poterant, in præfatis articulis circa dubium & obscuritatem prædictam quandam interpretationem & declarationem fecerunt providam & salubrem; prout in litteris inde confectis eorundem Episcoporum Sigillis munitis plenius dicitur continere.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, interpretationem & declarationem prædictas, sicut providè factæ sunt, ratas & gratas habentes, illas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni 15. Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno tertio.

ANNO 1274.

ANNO 1281.

MARTINUS II. DICTUS IV.

VIde Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 157.

I. Ex spicil. Dacheri Tom. 3. n°. ed. pag. 684.

Processus habitus contra PETRUM Regem Aragonum, anno 1282. Indictione undecima.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

LOnga retrò series, ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora multa sufficerent, tædio grandi nimirum audientes afficeret, si quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, posterorumque suorum culpas horrendas, & excessus infandos, ab ipsis contrà Deum, & contrà Romanam Ecclesiam comissos, ac processus perinde per Romanos Pontifices prædecessores nostros ritè habitos contrà ipsos, pœnasque justè illis indictas repetitio seriosa narraret. Ideoque summa rerum fastigia, prout imminentium casuum necessitas exigit, absque seductionis injuriâ materia patitur, decrevimus prosequenda. Et quidem communem non credimus latere notitiam, qualiter felicis recordationis Innocentius Papa quartus prædecessor noster, memoratum Fridericum, qui se per eosdem suos excessus & culpas innumeras indignum Imperio & Regnis, omnique honore ac dignitate reddiderat, in Concilio Lugdunensi, eodem approbante Concilio, propter suas iniquitates à Deo ne regnaret vel imperaret, abjectum ostendit, & denuntiavit omni honore ac dignitate privatum à Domino, & nihilominùs sententiando privavit, ut in ejusdem prædecessoris sententiâ contrà ipsum Fridericum latâ plenius continetur.

In Concilio Lugduno Fridericus Imperio spoliatus.

Qualiter etiam post ejusdem Friderici obitum licet Regnum Siciliæ ad dispositionem Ecclesiæ Romanæ, cujus Juris & proprietatis existit, esset liberè devolutum, idemque prædecessor de illo se provisurum in eodem Concilio publicè prædixisset, quondam Conradus dicti Frederici natus, quamquam in eodem Regno ex ipsius sui primogenitoris successione nullum penitùs jus haberet, tamen sicut ex præmissis apparet, nec ille mortis suæ tempore habuisset, nec aliàs eidem Conrado jus competeret in eodem, ipsum Regnum temerariâ præsumptione occupavit, nec illius recentioris facti memoriam obliteravit oblivio, videlicet quòd ipso Conrado subtracto de medio, quidam Manfredus tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copulâ damnatâ susceptum, à dicti Regni successione non solùm præmissa ejusdem Friderici privatio, sed etiam macula illegitimæ nativitatis arcebat, contrà juramentum fidelitatis, quod dicto prædecessori præstiterat, temerè veniens sub quondam Conradini nati dicti Conradi, suique nepotis, simulatâ protectione tutoriâ ad

Manfredi Gesta.

quas-

ANNO 1282.

quasdam Civitates, Castra, & alia loca Regni ejusdem manus occupatrices extendit. Propter quod & alios suos actus nefarios, & graves offensas, piæ memoriæ prædecessor noster Alexander Papa quartus ipsum ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum, Tarentino Principatu, honore Montis sancti Angeli, omnibus Comitatibus, terris, feudis, dignitatibus, & aliis honoribus, ac bonis & juribus, quæ in præfato Regno, & quæ alibi etiam ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis obtinebat; necnon & Vicariâ in quâdam ipsius Regni parte sibi ab Apostolicâ sede concessa; & etiam omnibus concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus, & privilegiis, sive à prædictis Frederico patre, vel Conrado fratre suis, sive à sede Apostolicâ in Regno sibi factis eodem, vel alibi etiam ab Ecclesiis quibuscumque, vel personis Ecclesiasticis, tanquam rebellem & hostem Ecclesiæ Romanæ, ac violatorem fidelitatis sibi præstitæ manifestum, suorumque jurium invasorem, occupatorem, & detentorem sacrilegum, & tamquam sociatum nefando fœdere Sarracenis, eorumque complicem, ductorem & protectorem publicum, Apostolicâ authoritate privavit.

Cumque idem Manfredus nec iis aliisve remediis contrà malitiam ejus adhibitis in suâ iniquitate remissior; sed in committendo quotidie prioribus deteriora ferventior, postmodum fraudulenter præfati nepotis sui morte confictâ, idem Regnum proprio nomine occupans, & Regium in illo titulum & nomen usurpans, se, ortus sui non erubescens primordia, in illius Regem inungi, & coronari fecisset; idem prædecessor noster Alexander ejus iniquitates & fraudes abominans & detestans, cassavit & irritavit, cassum & irritum nuntiavit quidquid circà ipsum Manfredum per unctionem, seu potiùs execrationem, & coronationem quas excipere de facto præsumserat, quasque nullas esse constabat, exstitit tam temerariè, quàm dolosè præsumptum. Eisdem verò Manfredo, & demùm Conradino, qui ætatem præveniendo malitiâ à dictorum prædecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem Imperium & Regnum aspirans, præfatam Ecclesiam & Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem insidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infestavit. Propter quod contrà eum & fautores suos per recolendæ memoriæ Clementem Papam prædecessorem nostrum varii habiti sunt processus, suâ sorte succisis nobis, & Regni, ac Regno prædictis, pacis & quietis serenitas arrideret, in subitas tempestates acta est æstiva tranquillitas, bellum in mediâ pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis, & qui eidem Regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solùm hostilia, sed tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamat infamia, processit adeo Panormitana civitas, & civium præsumptuosa rebellio, quòd rebellandi audaciâ, & jurium interversione Regalium, suique quantum in eis fuit abjectione dominii non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit, dum eorum exitialis iniquitas, non solùm quos ex devotis Regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia, sine sexûs ætatisve delectu inhumaniter cecidit: verùm etiam partus quos adhuc viscerum portionem clausura materna celabant, illis sævè desectis, sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quòd eis nimirum procul dubio naturaliter lucis usum antequàm concederet natura, subtraxit, ipsis adeo præmaturâ & impiissimâ cæde cæsis, quòd ortûs eorum principia vitæ prævenit occasus. Quia verò, sicut ex tunc multorum habebat assertio, & jam probat exitus evidenter, hæc in nostram & ejusdem Ecclesiæ turbationem & dispendium tentabantur, & plurium ad hoc intentio laborabat & studium, ut fornacis quasi extinctæ recenter nos Ecclesia & Rex idem renovata eo graviora sentiremus incendia, quo solent nocere graviùs pericula recidiva.

ANNO 1282.

Summus Pontif. excommunicationis sententiam profert in Manfredi fautores, ac regni Siciliæ perturbatores.

Nos tantorum malorum cupientes obstare principiis, ne serò medicina ipsis jam procedentibus pararetur; in festo Ascensionis Domini præterito, nuper apud Urbem veterem præsente multitudine copiosâ fidelium, de Fratrum nostrorum consilio, universos & singulos cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut statûs, attentè monuimus, eisque districtè præcepimus, ne in prædicto Regno, vel ejus parte nos, & eamdem Ecclesiam, aut præfatum Siciliæ Regem, qui Regnum Siciliæ tenet ab ipsâ, per se, vel per alium molestarent, impeterent, vel etiam perturbarent, occupando, invadendo, seu occupari aut invadi faciendo Regnum ipsum, vel aliquam partem ejus. Præcepimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, & specialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus, Communitatibus, & Universitatibus Castrorum, Villarum, & quorumcumque locorum Italiæ, maximè ipsius Romanæ Ecclesiæ temporali Jurisdictioni subjectis, ne prædictis molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invasoribus, seu occupari vel invadi facientibus dictum Regnum, vel aliquam partem ipsius in præmissis intenderent; & ne cum armis, vel sine armis, ad turbandam in eodem Regno pacem, præfatorum Ecclesiæ ac Regis Siciliæ, præstarent illis consilium, auxilium, vel favorem publicè vel occulrè; neve super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus aliquod cum ipsis inirent. Si quis autem contrà nostram monitionem, & præcepta præmissa, per se, vel per alium quibuscumque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cujuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut statûs, excommunicationis sententiâ, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos. Civitates quoque, & Communitates quaslibet, quæ contrà monitionem & præcepta eadem quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumerent, interdicti Ecclesiastici sententiæ, quam ex tunc in illos promulgavimus, voluimus subjacere. Ad hæc præd ximus Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradûs Prælatis, quòd si contrà monitionem & præcepta præmissa, vel eorum aliqua venire tentarent, nos eos omni Ecclesiæ dignitatis honore; cæteros autem Clericos non prælationis officium, sed dignitates forsitan, vel Prioratus, seu alia beneficia obtinentes, & privare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas suaderet. Laïcis verò cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut statûs, & præcipuè temporaliter ipsis Romanæ Ecclesiæ subjectis expressè denuntiavimus, quòd si monitionem & præcepta hujusmodi, contrà ea per se, vel per alium veniendo temerè non servarent; Nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipsos feudis, & aliis omnibus, quæ à prædictâ vel aliis tenerent Ecclesiis, privare; Vasallos eorum, si quos habent, à fidelitatis juramento quo tenerentur, eisdem reddere penitùs absolutos, & personis eorum citrà mortis periculum & mutilationis expositis, ad expositionem bonorum procedere illorum, prout culpæ ipsorum exigerent, & videretur expediens, curaremus.

Et licet Panormitanæ civitatis, & civium, nonnullorumque Castrorum illarum partium, quæ contrà eumdem Regem Siciliæ rebellarant,

ANNO 1281.

culpa gravis acerbiorem processum exigeret: Nos tamen desiderantes quòd civitatem, cives, & loca prædicta mansuetudo corriperet, & à tanti terroris invio revocaret, erga eos non rigorem, sed mansuetudinem votis nostris accommodam prosequentes, Universitatibus prædictorum civitatis, & Castrorum, aliorumque locorum districtè præcepimus, ut cujuslibet difficultatis & dilationis objectu sublato ad nostra, Ecclesiæ, ac Regis eorumdem mandata rediret: quodque prædictos molestatores, turbatores, occupatores, invasores, aut dantes eis in hoc auxilium, consilium, vel favorem in dictis civitate, Castris, villis, seu districtibus eorumdem nullo modo receptare, vel recipere attentarent, nec ipsorum aut alicujus eorum dominio, vel regimini se quoquo modo submitterent, neve ipsis, vel eorum alicui contrà Ecclesiam vel Regem prædictos impenderent in prædictis auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum; & nihilominùs confœderationes, seu obligationes quaslibet, si quæ inter universitates easdem, vel inter ipsas, & quoscumque alios initas, sive factas super occupatione, ac invasione prædictis; & juramenta de illis servandis, vel aliàs pro prædictis hinc inde præstita relaxantes omninò, Universitatibus ipsis apertè prædiximus; quòd nisi præmissa celeriter adimplerent, contrà Civitatem, Castra, & villas eorum spiritualiter & temporaliter sic procedere, authore Domino, curaremus, quòd pœnâ decente suæ temeritatis & superbiæ recognoscerent qualitatem. Cæterùm licet dum iis & aliis modis, & viis, filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquarum Civitatum, Castrorum, Villarum, cæterorumque locorum, civium & incolarum Siciliæ in nostram notitiam perlata rebellio, & præcipuè Messanensium, qui eorumdem Panormitanorum imitati sævitiam, quàm plures ex ministris & devotis Regis ipsius post securitatem eis præstitam crudeliter trucidasse dicuntur; Castrum Regium loci ejusdem temerariis ausibus occupantes, causam multæ commotionis inducentes.

Itidem Messanenses.

Nos tamen propterea non desistentes à cœptis, Venerabili fratri nostro G. Episcopo Sabinensi ad partes alias cum plenæ Legationis officio, tamquam pacis Angelo destinato, bona in illis & pro illis partibus quæsivimus, nec venerunt; pacem exspectavimus, & turbinis gravioris tempestas apparuit, machinatis jamdudum, ut communis quasi fert opinio, & subsequutorum consideratio satis indicat, evidenter dolis & insidiis revelatis. Si quidem Petrus Rex Aragonum, quem carum filium nominari non patitur exprimendus inferiùs status ejus, de procedendo adversùs Africam quæsito colore, Insulam Siciliæ, terram peculiarem ipsius Ecclesiæ, militum & peditum catervâ stipatus, invadens, occupans, & in illâ ejusdem Ecclesiæ pacem turbans, gravem contra eam seditionem excitans, graviterque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audaciam, quòd cum Civitatibus, aliisque locis, Universitatibus, civibus, & Incolis ejusdem Insulæ, quibus ratione uxoris, filiæ scilicet memorati Manfredi, natorumque suorum se teneri prætendit, confœderationibus, pactis, & conventionibus, ut fertur, quin potiùs conspirationibus, & sceleftis factionibus initis, Regium in Regno prædicto nomen usurpat, se Regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ Rege præsumit; in majoris præsumptionis argumentum præfato Regi Carolo in suis litteris Regni Siciliæ titulum subtrahendo. Sicque non solum dictos Panormitanos, quos aliàs pluries per Nuntios ad hoc sollicit asse dicitur, in incœptæ contrà dictum Regem Carolum seditionis & rebellionis contumaciâ confirmavit, eos per se ac gentem suam fovens, ipsisque favens in illa, & tam ipsos, quàm cæteros Insulæ memoratæ rebelles adeo contrà eamdem Ecclesiam eorum matrem & dominam concitavit, quòd nonnulli ex eis, & specialiter Messanenses, qui ante ipsius in Insulâ memoratâ præsentiam dicti Legati Nuntios humiliter adm ttebant, dominium ejusdem recognoscentes Ecclesiæ, nomenque publicè invocantes; eos postea contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eidem scilicet Regi Aragonensi prætextu dictorum uxoris & filiorum ipsius, ut dicitur, innitentes. Quos tamen uxorem, filios, sive Regem per eos, seu ipsorum ratione in eâdem Insulâ vel aliquâ dicti Siciliæ Regniparte jus aliquod non habere præmissa declarant, & nos nihilominùs decernimus & etiam declaramus. In quæ autem crimina falsæ regiæ dignitatis, imò & simplicis magistratûs assumptio, seditio, violentiæque cum armis commissio incidant, quibus addicendi sint pœnis talium patratores, non est opus exprimere; quia id nota & vetustissima decreta sanxerunt. Nec leve his pondus adjicitur, si ejusdem Regis & Regni Aragonum conditio explicitè describatur.

Petrus Rex Arag. regni Siciliæ usurpator.

De Archivo namque ipsius Ecclesiæ munimenta prodeunt, manifestè testantia qualiter piæ memoriæ Innocentius Papa tertius prædecessor noster, quondam Petrum Regem Aragonum, dicti Petri Aragonensis Regis avum, Arelatensi ejus temporis Archiepiscopo, & aliis personis Ecclesiasticis, necnon & quàm pluribus suis associatum proceribus per mare ad Sedem Apostolicam accedentem, ut inibi ab eodem prædecessore Innocentio militare cingulum, & Regium acciperet diadema, honoravit multipliciter honorificè, ac benignè recipit, & in Ecclesiâ sancti Pancratii Martyris trans Tiberim per bonæ memoriæ Petrum, Portuensem Episcopum faciens in Regem inungi. Deinde propriis manibus coronavit, & Regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum, & pomum, coronam, & mitram, quæ ad opus ipsius non solùm speciosa, sed etiam pretiosa parari fecerat, ex more in Regum coronationibus observando largitus eidem, ab ipso corporale juramentum recepit. Per cujus religionem memoratus Rex inter cætera fidelitatem & obedientiam ipsi summo Pontifici ejusque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, Regnumque suum in ipsius obedientiâ fideliter conservare promisit: ac demùm idem Rex cum multo tripudio & applausu coronatus, juxtà ipsum prædecessorem nostrum Innocentium ad Basilicam sancti Petri Apostoli rediens, super illius Altare sceptrum & diadema deposuit, & militarem ensem de manu ejusdem prædecessoris accepit; dictumque suum Regnum antea censuale à Suis prædecessoribus eidem Ecclesiæ constitutum, cupiens principali post Deum, ejusdem beati Petri & Apostolicæ Sedis protectione muniri, prædecessori eidem Innocentio, & per eum ipsi Sacrosanctæ Apostolicæ Sedi obtulit, illudque sibi & ejus successoribus in perpetuum divini amoris intuitu, & pro remedio animæ suæ, & progenitorum suorum, novo adjecto censu constituit censuale, pollicendo adjiciens, & adjiciendo pollicens, quòd ipse ac successores sui specialiter eidem Sedi fideles & obnoxii teneantur. Hæc autem perpetuâ lege fore servanda decernens, ut hujusmodi Regalis concessio firmitatem inviolabilem obtineret, ipsam in scriptis redactam de Procerum Curiæ suæ consilio, præsente dicto Arelatense Archiepiscopo, Sancio patruo suo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Faciano, suis Baronibus, sigilli sui munimine roboratam eidem Innocentio prædecessori concessit.

Idem Regni Petro non competere, sed Ecclesiæ Romanæ probatur.

Numquid igitur præmissa collata pariter & solerti examinatione discussâ, dictum Regem Ara-

goniæ

ANNO 1282.

goniæ nepotem fidelitatis, ad quam memoratus avus suus, cujus est in eodem Aragoniæ Regno hæres, ipsum sicut & successores suos cæteros tam publicè, tam solemniter obligarat, eidem Ecclesiæ debitorem, & violatorem publicum, reum grandis infidelitatis & damnabilis non accusant? Profectò fidei debitæ violatio, violantem procul dubio arguit infidelem; præsertim cum præmissa non leviter aggravet fraudulenta confictio, quâ idem Rex Aragoniæ nepos non absque fraudis commento notabilis finxisse detegitur, & apud nos etiam per solemnes nuntios affirmasse, quòd cum sumptuoso & sollicito apparatu ad Dei & Ecclesiæ servitium, & exaltationem Catholicæ fidei, potentiæ suæ brachium dirigebat. Quod tamen contrà fidei ejusdem utilitatem, dictum Regem Carolum, Cruce signatum in terræ sanctæ subsidium, & publicè ad Dei ejusdemque fidei obsequia prosequenda dispositum, nullâ diffidatione præmissâ, quod multorum judicio proditionis notam non effugit, hostiliter impetendo, necnon & contrà ipsam matrem Ecclesiam, ejus, ut prædicitur, terram invadendo, & occupando direxit. Nec eum excusat, sed accusat potiùs, quòd ad partes Africæ, Insulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinavit. Id enim ipsum adeo confignasse probat, imò & convincit eventus, ut opportunitate captatâ commodiùs iniquitatem quam conceperat, perpetraret; maxime cum per suos nuntios missos exinde pluries dictos Panormitanos sollicitasse, ipsis in præsumptâ malitiâ consilium, & auxilium attulisse dicatur. Nec sit verisimile quòd eamdem Africam, terram quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis non prorsùs imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam, cujus invasionem vix multorum Regum Principumve quorumcumque potentia coacervata præsumeret; ipse ad hoc procul dubio divitiis impar & viribus, cum commitivâ tam modicâ bellatorum solus assumeret invadendam. Numquid & iterum hæc non patenter ostendunt, quòd sæpefatus Rex Aragoniæ nepos, tamquam insulæ memoratæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ manifestus invasor & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & seditionis, commotionis, seu concitationis pacisque turbationis contrà præfatum Regem Carolum morè notorius factor, & fautor, & adversùs ipsam Ecclesiam actor & factor, suique complices, comites, satellites, & ministri præmissam per nos in festo prædicto latam in nostris monitionibus, præceptis, & prohibitionibus non parentes, excommunicationis sententiam incurrerunt, nec absolutionis Vassallorum suorum à juramento fidelitatis, si quo tenentur, eisdem, privationis feudorum, quæ ipsi à Romanâ, vel quibuscumque aliis tenent Ecclesiis, & expositionis personarum citrà mortem, & mutilationem, bonorumque suorum comminatum in eodem festo periculum evitarunt? Universos autem sæpefatæ rebelles Insulæ, scilicet Messanenses, Agrigemnenses, & cæteros civitatum, Castrorum, Villarum, aliorumque locorum ejusdem Insulæ cives, habitatores, & incolas, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut statûs, qui dictis Panormitanis in pertinaciâ rebellionis assumptæ saltem se illis simili audacia sociando, & eos proinde validiores & firmiores in illâ reddendo; necnon societatibus, confœderationibus, pactionibus pœnarum, & juramenti adjectione firmatis, ut dicitur, uniendo faverunt, & tam alios, quàm Panormitanos eosdem, qui præfato Regi Aragonum nepoti contrà prohibitiones & monita nostra præmissa intendere in invasione ac occupatione prædictis, ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibve contrà Ecclesiam, vel Regem Carolum prædictos, favorem, & auxilium impendere præsumserunt, eidem sententiæ subjectos, & periculo esse procul dubio liquet expositos. Civitates verò, Castra, Villas, & alia loca prædicta; nec non & Universitates ipsorum, Ecclesiastico suppositas interdicto.

ANNO 1282.

Hæc sunt igitur quæ per eumdem Regem Aragoniæ nepotem Deo & Ecclesiæ servitio offerebantur. Hæc sunt quæ ipsius Ecclesiæ prosequi se jactabat obsequia. Hæc fidei Catholicæ incrementa, sic exaltationem Religionis Christianæ prosequitur, sic procurat, sic Dei, fidei, Ecclesiæ, & Religionis earumdem hostes prosequitur, sic impugnat; talibus in se Regalem dignitatem intitulat, talibus titulis vitam suam, famam genusque decorat? Licet itaque tantis excessibus, excedentiumque demeritis processus gravior deberetur, & ad exequutionem præmissarum comminationum procedere non injustè possemus, imò etiam sicut prædictorum consideratio perhibet, deberemus; quia tamen nescit à caris caritas etiam læsa recedere, inductu paternæ caritatis inducimur, ut cum simus licet insufficientibus meritis illius Vicarii, qui non mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, se velle fatetur; Regem Aragoniæ, & alios præfatos, denuntiationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus & comminationibus, ad conversionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus, & sententiarum laqueis quibus se, ut præmissa docent, apertius involverunt, in morte obdormiant, excitemus. Ideoque præsente hac multitudine copiosâ fidelium de Fratrum nostrorum consilio denuntiamus eosdem Petrum Regem Aragoniæ nepotem, suos comites, complices, satellites, & ministros, ac Insulæ memoratæ rebelles ex supra dictis causis excommunicationis; Civitates, Castra, Villas, & alia loca præfata, nec non & Universitates ipsorum, interdicti præmissis sententiis latis per nos subjacere de novo, tam in Regem, & alios sæpefatos, quàm Universitates, Castra, Villas, & loca prædicta ex causis eisdem, & propter auctam eorum contumaciam in non parendo nostris monitis & præceptis, & à nobis prohibita pertinaciter prosequendo diutius, similes sententias promulgantes. Ipsum autem Regem & cæteros universos & singulos, qui cum eo seu aliàs, in auxilium præsentis turbationis, seu rebellionis, dictam Insulam intraverunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quocumque modo faverunt, attentè monemus, eisque districtè præcipimus, ut ab hujusmodi suis excessibus & offensis desistentes, omninò Insulam eandem penitùs exeant, nunquam illuc, in nostrum, Ecclesiæ, vel Regis Caroli quo ad præmissa qualecumque præjudicium, redituri. Adjicientes, ne quis de novo ad id eamdem Insulam intret, vel aliquam ejusdem Regni partem publicè vel occultè impetat, turbet aliquatenùs, vel molestet. Universis quoque civibus, incolis, habitatoribus, & universitatibus civitatum, & aliorum locorum ipsius Insulæ cum similibus monitione ac districtione jubemus, ut Regem Aragonum, & excommunicatos memoratos de ipsâ Insulâ prorsùs expellant, nunquam eos vel alio ad præmissa, vel similia inibi recepturi.

Interdicto ferit Petrum Arag. ac fautores, &c.

Districtiùs insuper inhibemus, ne idem Rex Aragoniæ se Regem Siciliæ nominet, sigillum Regium sub intitulatione Regni Siciliæ assumat, vel utatur assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, dominationes, bona, vel jura quæcumque in eo, aut aliquâ ejus parte concedat, vel tamquam Rex Siciliæ quidquam agat, neque dominium vel subjectionem aliquam in quascumque singulares personas, aut terras ipsarum, seu potestariam, vel quamlibet

Petrum jure omni in toto Siciliæ regno privatum decernit Pontifex.

recto-

ANNO 1281.

rectoriam, sive officium quocumque nomine censeantur, in civitate, vel quovis alio loco, maximè ipsius Regni Siciliæ, aut alicujus partis Italiæ in nostrum, Ecclesiæ, ac Regis Caroli eorumdem quodcumque, vel qualecumque gravamen, vel per se, vel per alium recipiat, vel acceptet; aut cum eis, vel eorum aliquo in præfatorum Ecclesiæ ac Regis gravamen, ut prædicitur, societatem, sive aliam confœderationem contrahat, vel conservet qualitercumque contractam: neque singulares personæ præmissæ, vel aliæ undecunque civitates, vel alia loca, eidem in Ecclesiæ, ac Regis Caroli prædictorum persequutione hujusmodi persistenti, vel alii pro eo, seu in favorem ipsius præmissa concedant; vel aliquem præmissorum, aut alium pro eo, vel in favorem ipsius, ad prædicta, vel eorum aliquod eligant, nominent, recipiant, vel assumant: nec ipse Rex Aragoniæ, vel quivis alius easdem singulares personas, civitates, & loca, vel universitates ipsorum specialiter, aut cujuscumque partis Regni Siciliæ ut se vel terras suas ejusdem Regis Aragoniæ domino, vel obedientiæ cuicumque supponant, aut eum, vel alium pro eo, seu in favorem ipsius in potestatem, rectorem, vel ad aliud quodcumque officium, ut prædicitur, eligant, nominent, vel admittant, sive cum eo societatem vel confœderationem aliquam contrahant, vel qualitercumque contractam observent: aut quod cives, incolæ, habitatores, civitates, vel alia loca prædicta, seu universitates ipsorum, præsertim cujuscumque partis ejusdem Regni Siciliæ à nostrâ, Ecclesiæ, Regis Caroli prædictorum fidelitate, seu devotione, quomodolibet avertantur, vel aversa etiam in hujusmodi aversione persistant: per se nuntium, vel litteras inducere, aut donis, promissionibus, seu alio modo quovis allicere, vel sollicitare præsumant: neve singulares personæ, Civitates, Castra, Villæ, aut loca præfata se dicti Regis Aragonum hujusmodi Ecclesiæ, ac Regis Caroli persequutioni quomodolibet insistentis dominio, regimini, vel obedientiæ qualicumque subjiciant; sive in nostrum, Ecclesiæ, seu regis Siciliæ præjudicium, vel gravamen, ut prædicitur, ipsum Regem Aragonum, litteras, vel Nuntios suos, vasa quævis apta cuicumque navigio, gentemve recipiant, vel receptent, vel ad ipsum vadant, eive litteras mittant, aut sibi, genti, vel nuntiis suis, aut aliis pro eis, maximè in aliquâ parte ipsius Regni Siciliæ obediant, vel intendant, sodrum ministrent, equos, arma, vel vasa hujusmodi sub venditionis titulo, aut aliter quomodocumque concedant, seu ab ipso Rege Aragonum, vel alio pro eo privilegia, immunitates, feuda vel largitiones quaslibet in eodem Regno Siciliæ, quas constat, & nos nihilominùs declaramus & decernimus non tenere, vel alibi occasione instantis negotii ejusdem Regni Siciliæ, aut stipendia ubicumque contrà nos, Ecclesiam, vel Regem Carolum prædictos recipiant, vel pro receptis promissum audeant servitium exhibere, aut alias præstare consilium, vel favorem publicum, vel occultum, nec cum ipso Rege Aragonum, vel alio pro ipso, seu in favorem ipsius societatem, colligationem, vel quascumque conventiones in nostrum, Ecclesiæ, aut Regis Caroli eorumdem qualecumque dispendium contrahant, aut contractas etiam sub vinculo juramenti vel quarumlibet adjectione pœnarum, sive pactorum, audeant observare.

Michaëlem Palæologum mulctat.

Singulariter autem Michaelem Palæologum, qui se Imperatorem nominat, quemque super his, & præcipuè super impenso in prædictis memorato Regi Aragonum nepoti contrà nos, eosdem Ecclesiam & Regem Carolum, consilio, auxilio, vel favore, necnon pactis, conventionibus & confœderationibus initis cum eodem argumenta verisimilia deferunt; vox præterea publica & communis quasi assertionis incessat: omnesque sibi de facto vel quomodocumque subjectos attentè monemus, eisque districtè præcipimus, ut omnia, monitiones præcepta, inhibitionesque præmissa, quæ ipsos Michaëlem & subditos contingunt, vel possunt quoquomodo contingere, vel in eis, seu quæ ad eos qualitercumque locum habere: quæ omnia & singula volumus pro nominatis singulariter & expressè repetitis haberi, & velut taliter repetita robur efficaciamque sortiri, diligenter observent, eisque studeant in omnibus & per omnia humiliter obedire; alioquin tam ipsos Regem Aragonum nepotem, & Michaëlem Palæologum, quàm alios universos singulos dictis nostris monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus non parentes, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut statûs Ecclesiastici, vel mundani, excommunicationis sententiâ, quam in eos de ipsorum fratrum consilio ex nunc ferimus, perinde innodatos esse decernimus ipso facto, ac si expressè fuissent in hujusmodi processus nostri serie nominati. Civitates verò, Castra, & alia loca quælibet, necnon Universitates, quæ ipsis monitionibus, præceptis, & inhibitionibus non parebunt, Ecclesiastico interdicto, quod ex nunc promulgamus, in illa esse volumus eodem modo subjecta. Interdicta verò præmissa sic arctè præcipimus observari, ut in locis quæ inciderunt in ea, vel in futurum inciderint, nulla Ecclesiastica Sacramenta, exceptis dumtaxat baptismate parvulorum, & pœnitentiis morientium, ministrentur. Nulla divina celebrentur officia, nisi solùm Missarum solemnia, quæ in Cathedralibus, ac aliis Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis ad conficiendum Corpus Christi morientibus ministrandum submissâ voce, clausis januis, interdictis & excommunicatis prorsùs exclusis, semel tantùm in septimanâ permittimus celebrari: non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, vel aliis Religiosis, aut sæcularibus personis, dignitatibus, Civitatibus, Castris, locis, vel Universitatibus quibuscumque, sub quâvis formâ vel expressione verborum ab eadem Sede concessis. Quæ omnia quoad hoc omninò viribus vacuamus. Et nihilominùs societates, colligationes, conventiones hujusmodi, & quaslibet alias factas, & etiam faciendas in favorem dicti Regis Aragonum, quæ ad instans negotium ejusdem Regni Siciliæ, aut in Ecclesiæ seu Regis Caroli prædictorum qualecumque dispendium vel gravamen, etiamsi fuerint juramentorum, pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roboratæ, de potestatis plenitudine dissolventes, & carere decernentes omni robore firmitatis; universos & singulos qui se ad eorum observationem quomodocumque seu quantumcumque solemniter adstrinxerunt, ad eas observandas decernimus non teneri, nec pro eo quod ipsas de cætero non servaverint, de reatu perjurii, ac ratione pœnarum, vel conventionum quarumlibet adjectarum, in illis posse in judicio, vel extrà judicium impeti, seu aliquatenùs molestari: quinimò eos ab illarum observatione sub pœnâ excommunicationis, quam ex nunc ferimus, & ipsos si secùs fecerint, incurrere volumus ipso facto, præcipimus penitùs abstinere.

Excommunicatos declarat qui monitionibus hisce non obtemperarent.

Civitatibus, &c. usum interdicit Sacramentorũ, &c.

Sanè omnibus tam personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, quàm Civitatibus, locisque aliis, & Universitatibus supra dictis, quæ hujusmodi mandatis nostris, præceptis, & inhibitionibus

contu-

ANNO 1282.

contumaciter non parebunt, apertè prædicimus, quòd non solùm ad exequendum comminationes præmissas, sed & aliàs gravùs spiritualiter & temporaliter contrà eos, & specialiter contrà Civitates quas contigerit in hujusmodi contumaciâ deprehendi: ad privandum eos Archiepiscopali vel Episcopali dignitate. Contrà memoratos verò rebelles dictæ Insulæ ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis, & aliis quibuscumque cum eis omne commercium, quando & prout facti suaserit qualitas, & expediens fore viderimus, procedemus.

Ad hæc præfatis Regi Aragonum, Michaëli Palæologo, & cæteris universis, qui contrà præmissa nostra monita, præcepta, vel inhibitiones, prædictum Regnum Siciliæ in præfata Insulâ, sive in reliquis ejusdem Regni partibus invadere, turbare, impetere, seu molestare quomodolibet præsumserint, publicè, vel occultè, hoc generali & publico denuntiamus Edicto, quod nisi dictus Rex Aragonum, & alii prædicti, in eisdem Insulâ & Regno Siciliæ, ac vicinis, seu totius Italiæ partibus commorantes, infrà instans festum Purificationis Beatæ Virginis, alii verò magis remoti infrà Calendas mensis aprilis; dictus Palæologus infrà Calendas mensis Maii proximè futuras: quod tempus eis ad hoc pro peremptorio termino assignamus, humiliter ad nostra & Ecclesiæ mandata redierunt, præcisè nostris parituri beneplacitis, & tam nobis & Ecclesiæ, quàm memorato Regi Carolo, de contumaciâ & contemptu, damnis & injuriis, omnique interesse satisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad id præfiximus, impensuri ex nunc personas eorum, citrà mortis & mutilationis periculum, & omnia bona mobilia exponimus à quibuslibet fidelibus liberè occupanda, ipsosque feudis, bonis & juribus quæ à Romanâ, vel à quibuslibet tenent Ecclesiis, privilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuslibet ipsis ab eadem Sede sub quâvis forma concessis, Apostolicâ authoritate privamus, Vasallos eorum juramento fidelitatis, quo forsan tenentur eisdem, penitus absolventes. Lapso verò dicto termino, quandocumque nobis visum fuerit ad privandum eumdem Regem Aragonum, ipsius etiam absentiâ non obstante, præfato Regno Aragonum, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa Regnum & terras similiter exponenda, quoad ipsum Regnum, & terras præfatas semper nostro & ejusdem Romanæ Ecclesiæ jure salvo, & nihilominus contrà eum pro qualitate criminum, quibus, ut præfatum est, eum obnoxium superiora prætendunt, quantum nostrum patietur officium, facti qualitas suggeret, & nobis expedire videbitur, authore Domino procedemus.

Omnibus bonis & ditionibus expoliantur.

Prædictas verò excommunicationis sententias prohibemus absque speciali mandato Sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, relaxari: quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes infrà tres menses postquàm restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan ibi fuerint, recedentes, Apostolico se conspectui curaverint præsentare, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus hujusmodi sententias incurrerunt, & ipsius Sedis beneplacitis parituri, eo ipso in easdem sententias relabantur. Ipsas quoque sententias sic firmiter & inviolabiliter volumus observari, quòd absolvendi ab eisdem vel relaxandi easdem, nisi forsam in mortis articulo, ut dictum est, tam omnibus nostris Pœnitentiariis, quàm aliis quibuslibet Confessoribus, sive generalibus, sive specialibus, seu familaribus quarumcumque, vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium adimimus potestatem, etiamsi à nobis, vel aliquo prædecessorum nostrorum, sub quâcumque verborum formâ generalem vel specialem, aut liberam absolvendi aliquem, vel aliquos à sententiis hominis, vel Canonis, seu aliàs eas quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem sine dictæ sanctæ Sedis speciali mandato obtinendo deinceps contrarium fortè præsumpserit, tam absolventem à prædictis sententiis, seu relaxantem easdem, quàm hujusmodi absolutionem, vel relaxationem recipientem in quâcumque dignitate, præeminentiâ, statu vel ordine fuerint constituti, ex hac causâ excommunicationis vinculo innodamus: relaxationem etiam hujusmodi sententiæ Sedi præfatæ similiter reservantes, mortis articulo duntaxat excepto, & tunc nisi sanitate receptâ infrà tempus competens jux à locorum distantiam ad eamdem Sedem venerint suum humiliter recognituri reatum, & ipsius Sedis beneplacitis parituri, relabantur in easdem sententias ipso facto. Ab iis verò mulieres in hoc tantùm excipi volumus, ut si solùm ratione præstiti favoris in hujusmodi sententias forsan inciderint, possint per suos Diœcesanos juxtà Formam Ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere.

Pœnitentiariis & aliis absolvendi ab interdicto potestas prohibetur.

Mulieres à Diœcesanis possunt absolvi.

Ut autem hujusmodi noster Processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, sive membranas, processum continentes eumdem, in præsentis Ecclesiæ sancti Flaviani Martyris appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus, faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicto publicabunt. Ita quòd dicti Petrus Rex Aragonum & Palæologus, ac alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos talis processus non pervenerit, vel quòd ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Montem Falconem ante prædictam Ecclesiam sancti Flaviani, in festo dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum: Pontificatûs nostri anno secundo, sub anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, Indictione undecimâ.

Processus depositionis habitus contrà PETRUM *Regem quondam Aragonum.*

Iterata in Petrum Aragoniæ Regem sententia.

MARTINUS Episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. De insurgentis in Regno Siciliæ fremitu tempestatis, quam execranda Panormitanorum rebellionis audacia inchoavit, & reliquorum Siculorum malitia, Panormitanos imitata, prosequitur, ad Sedem Apostolicam infausto rumore perlato: Nos post processum in hac Urbe-Vetanâ civitate in festo Ascensionis Domini transacto novissimè habitum, ad compescendam tempestatem eamdem, quia procellarum illius spiritus non cessabat, sed per insidias Petri Regis Aragonum, quem stilo circà Reges solito non describi, subscripta ejus demerita meruerunt, invalescere potiùs videbatur, ut ejusdem Regis, qui Regiæ dignitati non deferens, & generis sui claritati non parcens, dictorum rebellium se ducem constituit & aurigam, nequitia revelaretur apertiùs, & Ecclesiæ Romanæ justitia contrà eum evidentiùs appareret, pridem in festo dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum præterito, nuper in pateâ Ecclesiæ sancti Flaviani Montisfalconis Balneoregensis Diœcesis, præsente tunc multitudine numerosâ fidelium, duximus recensendum; qualiter fœlicis recordationis Innocentius Papa quartus, &c. *ut in superiori processu usque ad illa* beneficium obtineret.

Tantis itaque ac talibus per præmissas monitiones, prohibitiones, & pœnarum comminationes

ANNO 1281.

tiones memoratis Petro Regi Aragoniæ nepoti, rebellibusque ſiculis miniſtris, complicibus, ſatellitibus, & fautoribus eorumdem, tamquam apertis datis ſignificationibus ut à facie arcûs fugerent, & ſe ab inſtantia recti judicii meritâ duritiâ liberarent, non humiliatum, ſed obduratum eſt in ſuis perverſitatibus inſipiens cor eorum. Nec enim acquieverunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere ſævitiam, nec ab earum inſtantiâ expaverunt, ſed eis contemptis omnimodis ſuas non ſolùm continuatione aggravavere nequitias, verùm etiam multiplicationibus variis ampliarunt, ad alias partes Regni Siciliæ extrà ſæpe fatam Inſulam conſtitutas hoſtiliter impetendas ſuos, ſicut fertur, conatus nefarios extendentes. Ne igitur tam juſtæ comminationes fiant injuſtè ludibrio, ſi eorum juſtitia proſecutione debitâ fraudaretur, neve ſine vindictâ gravis adeò creſcat inſania, dignum putavimus, ut memoratum Petrum nepotem Regem Aragonum, tantamque ipſius pertinaciam ultrix ſententia proſequatur. Et ideo Regnum Aragonum, cæteraſque terras Regis ipſius, de Fratrum noſtrorum conſilio exponentes ut ſequitur, ipſum Petrum Regem Aragoniæ, eiſdem Regno & terris, regioque honore, ſententialiter, juſtitiâ exigente privamus, & privantes exponimus eadem Regnum & terras occupanda Catholicis, de quibus & prout Sedes Apoſtolica duxerit providendum, in dictis Regno & terris ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, ut præmittitur, jure ſalvo, Vaſallos ipſius quos prout præmiſſa declarant à juramento fidelitatis, quo tenebantur, eidem jam abſolvimus, denuntiantes penitus abſolutos, & denuò ab eodem, & à quolibet fidelitatis vinculo, & homagio expreſſiùs abſolventes, ac eumdem Petrum quondam Regem, Siculos complices, & fautores, omneſque alios ſingulares, qui prædictas inhibitiones, monitiones, & comminationes damnabiliter contempſerunt, præmiſſis excommunicationis, Univerſitates verò, Civitates, caſtra, & loca cætera denuntiavimus interdicti ſententiis ſubjacere, ipſos & ipſa ex cauſis legitimis, & propter continuatam, auctamque ipſorum contumaciam ſimilibus ſententiis ſupponentes. Univerſis præterea Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatûs, etiamſi dignitate Pontificali, ſive regiâ forſitan decorentur, & ſpecialiter Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque inferioris gradûs Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, Religioſis cujuſcumque Religionis aut ordinis; & ſæcularibus, ipſique Petro quondam Regi Aragoniæ, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Univerſitatibus Civitatum, Caſtrorum, cæterorumque locorum, ac univerſis incolis, & habitatoribus eorumdem Regni & terrarum, quibus dictum Petrum tunc Aragoniæ Regem privavimus, diſtrictè inhibemus, ne idem Petrus de dictis Regno & terris ſe de cætero aliquatenus intromittat: neve cæteri ſupradicti eidem Petro dudum Regi, vel aliis quibuſcumque contra dictas privationem, expoſitionem, aut proſequentes eaſdem, per quos dictum Regnum & terras occupandas, Sedes eadem providebit, tentantibus ſe opponere, ſed qualitercumque faveant ſive præſtent in hoc conſilium, auxilium, ſeu favorem publicum vel occultum, quâcumque occaſione quæſitâ vel prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cujuſvis conventionis, aut contractæ hactenùs ſive in poſterum contrahendæ, etiamſi colligationes, confœderationes, ſocietates, conventiones, & alia ſupra dicta pœnarum adjectionis, literarum, vel juramenti, ſeu cujuſlibet alterius, ſint vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, ſocietates, conventiones, cæteraque hujuſmodi præmiſſa, quoad hoc, de poteſtatis plenitudine diſſolvimus. Juramenta ſuper illis præſtita, pœnaſque propter ea promiſſas penitus relaxantes. Univerſos & ſingulos qui eas contraxerant ſe ad eorum obſervantiam quantumcumque ſolemniter adſtringendo, ab ipſorum in præmiſſis obſervatione penitùs abſolventes.

Petrus Regno Aragoniæ, omnique ditione ſpoliatum declarat Summus Pontifex.

Specialiter autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris perſonis Eccleſiaſticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus ſupra dictis eorumdem Regni Aragoniæ & terrarum, prohibemus expreſsè, ne dictum Petrum olim Regem Aragoniæ pro Rege, vel pro Domino recipiant, vel habeant, neve ſibi obediant, vel intendant aut ipſi, vel alii pro eo de reditibus vel obventionibus, ſive juribus Regalibus, ſeu ratione dominii debitis reſpondeant, vel aliquam ſatisfactionem impendere ſub velamine quocumque præſumant. Alioquin memoratum Petrum quondam Regem, & omnes ſingulares perſonas cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici, vel mundani, etiamſi dignitatis Regalis honore præfulgeant, excommunicationis: Civitates verò, Caſtra, Villas, & loca cætera, necnon Univerſitates ipſarum, quæ dictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire, propriâ temeritate præſumpſerint, interdicti ſententiis, quas ex nunc ferimus, decernimus ſubjacere, non obſtantibus quibuſlibet privilegiis, vel Indulgentiis, quibuſcumque, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiſcopis, ſeu quibuſlibet Prælatis aliis; Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, templariis ſeu Religioſis aliis, aut ſecularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis; civitatibus, Caſtris, Locis, Communitatibus, Collegiis, vel quibuſvis univerſitatibus, ſub quâcumque verborum formâ vel expreſſione, ab eâdem Sede conceſſis & quibuſlibet aliis Indulgentiis ejuſdem Sedis, per quas præſentis proceſſus effectus impediri valeat, vel differri. Quæ quidem omnia privilegia & Indulgentias, quoad hoc, omninò viribus vacuamus; & nihilominùs contrà hujuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contrà dictos Prælatos, Religioſos, comites, Vicecomites, Barones, Incolas, habitatores Civitates, Caſtra, Villas & alia loca, & Univerſitates ipſorum, ad privandum eos, & ea quibuſlibet privilegiis, & Indulgentiis, immunitatibus, ſive gratiis ipſis ab eâdem Sede conceſſis, necnon terris, feudis, & juribus, quæ à præfatâ Romanâ, vel aliis quibuſcumque tenent Eccleſiis ſeu perſonis Eccleſiaſticis, aut aliàs graviùs ſpiritualiter & temporaliter, quando, & ſicut facti ſuaſerit qualitas, & expedire viderimus, prævia divinâ gratiâ procedemus.

Interdicto ſubjicit Papa Prælatos, ac Religioſos, (licet privilegiis muniros) ſi Petro Aragon. & aliis excommunicatis faveant.

Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, ſive membranas, proceſſum continentes eumdem, in majoris Urbe Vetanæ Eccleſiæ appendi vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt. Ita quòd idem Petrus, vel alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quòd ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quòd ignoraverint eumdem, cum non ſit verſimile remanere quoad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud urbem veterem in plateâ dictæ majoris Eccleſiæ, duodecimo Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo, anno milleſimo ducentiſimo octuageſimo tertio, Indictione undecimâ.

ANNO 1281.

Ad

ANNO 1282.

Ad superiores Ordinis Prædicatorum, tribuit eis facultatem aliquos ex fratribus suis designandi ad audiendas confessiones.

II. Ex Anecd. Martene Tom 1. Col. 1172.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro, & Provincialibus Prioribus Fratrum Prædicatorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

ADfructus uberes, quos in agro dominico, verbo pariter, & exemplo, confessiones audiendo, & per alia virtutum exercitia sacer ordo vester, & humiles ipsius professores produxerunt hactenùs, & in futurum sperantur, Deo auspice, producturi, attentæ considerationis aciem convertentes, ut fratres ejusdem Ordinis prædicationis, & audiendi confessiones, officia eò liberius & efficacius exequi valeant, quò certiùs de ipsorum curâ circà eadem auctoritate constabit: tibi, Fili magister per te, vobis verò Prioribus Provincialibus cum diffinitoribus in provinciis vestris, capitulis congregatis committendi auctoritate Apostolica fratribus ejusdem ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis prædicationis officium, audiendi confessiones, absolvendi pœnitentes, & injungendi eisdem pœnitentias salutares, etiam fratribus aliàs idoneis concedendi eisdem, quos sæpe fati ordinis fratribus, quibus dicta officia taliter per nos commissa, sive concessa fuerint, quod eadem liberè valeant exercere, plenam damus, & concedimus auctoritate præsentium facultatem, districtiùs inhibentes, ne quis fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter committenda duxeritis, ut præmittitur, seu etiam concedenda, in exercitio, aut executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire. Volumus autem, quod hi, qui Fratribus confitebuntur eisdem, suis parochialibus presbyteris confiteri (a) saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, nihilominùs teneantur, quodque iidem Fratres eos ad hoc diligenter, & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo omninò hominum &c.

(a) nota

Datum apud urbem veterem 4. Idus Januarii Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Arg. Archiv. Rimer Tom. 2. pag. 252.

Aragoniæ Regnum ad Filium secundo-genitum Regis Franciæ transferri præcipit: anno 1283

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Johanni tituli sanctæ Ceciliæ Presbitero Cardinali, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUi Regna transfert atque constituit ipse scripturæ sacræ docet eloquio Regnum à gente transferendum in gentem propter injustitias, injurias, contumelias, dolosque diversos.

Sanè injustitiam manifestam Petri quondam Regis Aragonum circa occupationem Insulæ Siciliæ; variosque conatus, & insidias ad alias partes Regni Siciliæ occupandas; seditionem in eadem Insula motam; commotionem & concitationem populi factam inibi contra nos, rempublicam Ecclesiamve instar illius, probat aperte defectus evidens, immo potius nullitas ut ita dixerimus, juris sui; cum sit evidenter notorium sibi uxori, natisve suis, vel ei per ipsos, aut alias nullum jus competere, in Insula memorata, vel parte aliqua dicti Regni.

ANNO 1283.

Ex quo ipsius injuriæ, nec non & contumeliæ, quas in præmissis nobis & Ecclesiæ Romanæ, quibus ratione Regni Aragonum, eidem Ecclesiæ à claræ memoriæ avo ipsius Petri, oblati & censualis tam ab illo, quàm ab aliis ejus prædecessoribus constituti, ad fidelitatem debitam tenebatur, nec non carissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Siciliæ illustri, non absque occasione ac strage multorum, irrogavit hactenus, nec adhuc irrogare desistit manifestius convincuntur, nec latendi locum inveniunt doli ejus, in suæ malitiæ prosecutione commissi, aut ipsius possunt insidiæ occultari; quos & quas communis jam notio publicat, & fama, quin potius infamia publica manifestat.

Præmissam itaque illius secuti non indignè doctrinam, cujus licet insufficientibus meritis, exequimur vices in terris post varias monitiones, prohibitiones, sententiarum excommunicationis & interdicti prolationes pœnarum indictiones & comminationes expressas, de dicti Regni Aragoniæ ac terrarum, quondam ipsius Petri, expositione, ac privatione factas, & præcepta diversa, quorum omnium idem Petrus se contumacem exhibuit contemptorem, Regnum Angliæ, terrasque prædictas exponentes modo subscripto ipsum Petrum, tunc Regem Aragoniæ, Regno & terris eisdem Regioque honore sententialiter, justitia exigente privavimus, & privantes exposuimus eadem Regnum & terras occupanda Catholicis de quibus, & prout sedes Apostolica duceret providendum quoad eadem Regnum & terras Romanæ semper Ecclesiæ jure salvo, sicut hæc omnia lata per nos, de fratrum nostrorum consilio, super hujusmodi privatione expositione & occupatione, sententia serioſè declarat.

Quia verò ubi non est Gubernator populus corruit, ne ipsorum Aragoniæ Regnum & terrarum populus, factus absque Gubernatore diutiùs veniat in ruinam dictam provisionem sedi reservatam, eidem deliberavimus exequendam; & idcirco ad carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciæ illustris genus clarissimum, illibatam ejusdem generis fidem ad Deum, devotionem ad ipsum, & eandem Ecclesiam indefessam; fervidum zelum ad exaltationem fidei Orthodoxæ, cujus idem genus contra hostes ejusdem fidei semper extitit singularis athleta; & ingentem illius potentiam, in obsequiis earumdem fidei & Ecclesiæ feliciter temporibus retroactis expertam; considerationis sollicitæ oculos convertentes, ad executionem provisionis ejusdem aliquem de ipso genere, sub Dei fiducia, quem semper illius generis clara progenies & Regnum Franciæ inclitum firmissimè credidit, devotissimè honoravit & coluit, de fratrum ipsorum Consilio deliberavimus eligendum.

In electione verò hujusmodi, aliquem de ipsius Regis Filiis præferendum multiplex ratio persuasit; ideoque tuæ circumspectionis industriam prolatam frequenter in arduis, fidum pectus, providumque Consilium nobis nota familiaritate diutina, debita meditatione pensantes, te ad hoc Ministrum idoneum, de fratrum eorumdem Consilio, assumentes, ad occupandum idem Aragoniæ Regnum & Comitatum Barchinoniæ, qui est de Terris expositis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex ejusdem Regis Franciæ filiis, quem ad hoc ipse Rex elegerit, alio tamen ab eo, qui sibi est in dicto Regno Franciæ successurus sub lege, conventionibus, pactisve subscriptis, ab eodem Rege Franciæ, ac ipso filio, ad id electo per eum, solemniter promittendis, ut eorum quemque

ANNO 1283.

contingunt, & inviolabiliter observandis, per te auctoritate Apostolica, quam in hac parte tibi plene committimus, de ipsorum fratrum Consilio volumus provideri, & ipsum ad faciendum singulariter deputari.

Statuentes & declarantes quod, postquam ipsi Rex Franciæ & filius suus, ad hoc electus ab illo, & à te, ut prædicitur deputandus, eandem legem, conventiones & pacta expresse acceptaverint, & promiserint contenta in eis se inviolabiliter servaturos, tuque ipsum ejusdem Regis Franciæ Filium ad id deputaveris, idem filio in præfato Regno Aragoniæ nomen & titulum Regium, in Comitatu quoque prædicto dignitatem omnem, quam dictus Petrus quondam Rex Aragonum in illis obtinuit, sortiatur, & tam per se, quàm per alios eadem Aragoniæ Regum, & Comitatum liberè occupet & faciat suo nomine occupari, eaque tàm ipse, quàm sui perpetuò successores in illis, infrascripto ad illa ordine admittendi, absque ulla contradictione possideant, & in ipsis tamquam veri Reges, Comites, & Domini, legitimè administrent; plenè in eis jus Regis, Comitis & Domini habituri; in Terraconen. Civitate, ipsius territorio, districtibus, & pertinentiis, sæpefatæ Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum per omnia jure salvo.

Quod si dicti Rex Franciæ & filius legem, conventiones, & pacta eadem non acceptaverint, vel contenta in eis, ut prædicitur non promiserint, ut ad provisionem & deputationem hujusmodi non procedas.

Lex autem, conventiones & pacta, sub quibus dictas provisionem & deputationem, & non aliter procedere velimus hæc sunt, videlicet.

Ut eadem Regnum & Comitatum præfatus ejusdem Regis Franciæ filius ab eo electus, & à te ut præmittitur deputatus, ejusve successores in illis, nullo umquam tempore separent, nec ipsorum alterutrum dividant, sed in eandem personam semper cum sua integritate concurrant.

Ad eorum successionem nullus umquam, qui non sit de matrimonio natus legitimo, sed tantum legitimi admittantur.

Ita ut, si eidem filio dicti Francorum Regis, suisve in perpetuum successoribus, in Regno & Comitatu ejusdem, mortis tempore, liberi sexus utriusque supersint, ex suo, vel successorum suorum corporibus legitimè descendentes primogenitus masculus succedat in illis.

Si verò solum fœminini sexus liberos superesse contingat, succedat primogenita in eisdem.

Quæ, si tempore devolutæ hujusmodi successionis ad eam, fuerit innupta & nubere voluerit; personæ, quæ ad ipsius Regni regimen & defensionem existat idonea nubere teneatur.

Nunc nubat nisi Viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto.

Sed si scienter jam nupserat, vel postea nubat alicui non catholico, vel ipsi Ecclesiæ non devoto, donec ille vixerit & indeviatione à fide, seu in ipsius Ecclesiæ indevotione perstiterit, eadem Ecclesia ipsorum Regni & Comitatus administrationem liberam obtinebit, ita quod nihil exinde perveniat ad eam, vel ejus virum non Catholicum seù etiam indevotum.

Illo verò non Catholico seù indevoto defuncto, ipsa, in viduitate persistens, seu nupta viro Catholico, devoto, & idoneo, ut est dictum, habeat, sicut ei competit, eadem Regnum & Comitatum, nec non & administrationem ipsorum, nihil tamen de perceptis ex illis hoc casu, restituetur eidem.

Si verò ignoranter non Catholico vel indevoto jam nupserit, vel ille, cui jam nupta erat, vel postea nupserit, post contractum cum ea matrimonium talis fiat, nec ipsa ejus errori aut indevotioni consenserit, seu favorem exhibuerit, Ecclesia nihilominus eorumdem Regni & Comitatus administrationem habebit, illo vivente; ne ad ipsum ex dictis Regno & Comitatu aliquid velat pervenire; sed illo defuncto, eidem filiæ, in viduitate manenti, vel nubenti Catholico, devoto, & idoneo, ut superius est expressum restituetur, hoc casu prout ei competit administratio cum perceptis ex ea: deductis tamen exinde omnibus expensis, factis ratione, seu occasione administrationis ipsius, & cæteris, quæ fuerint deducenda, super quibus Romani Pontificis ejus temporis dicto stetur.

Sed & ipso viro vivente, si eum ad fidei veritatem seu ipsius devotionem Ecclesiæ, non simulatè, sed in veritate manifeste redire contigerit, filia eadem administrationem ipsam, prout debebitur ei, rehabebit.

Quod si forsan ipsum filium dicti Franciæ Regis ab eo sic electum, & à te deputatum, vel aliquem suorum hujusmodi successorum, eodem Philippo suo genitore superstite, contigerit absque liberis fati munus implere, idem suus genitor non succedat in Regno, & Comitatu prædictis.

Sed, si plures habeat filios, unum ex eis, non tamen primogenitus, qui debet in Franciæ Regnum succedere, infra tres menses, à tempore quo sibi defuncti mors innotuerit, numerandos, ad successionem hujusmodi poterit nominare.

Si verò unum solum filium, vel nullum quod absit, idem Rex Franciæ haberet, liceat ei aliquem de sua progenie, qui dicto filio electo, & ut præmittitur, deputato, defuncto sine liberis fuerat quarto saltem consanguinitatis gradu conjunctus, eligere, seù nominare ad successionem eandem.

Ipso autem, infra dictum tempus neminem nominante, habebit Ecclesia eligendi, seu nominandi aliquem de ipsius Regis Franciæ Filiis, seu conjunctis etiam supra dictis, si superstites fuerint, liberam potestatem, quibus non superstitibus, eliget eadem Ecclesia liberè undecumque.

Quod si memorato Franciæ Rege defuncto contingat, eundem filium suum, electum & deputatum sine liberis ab hac luce migrare, similem per omnia suus primogenitus nominandi, hac prima vice tantummodo, habeat potestatem, deinceps verò succedat taliter decedenti is, de Regum Francorum genere, saltem conjunctus ei similiter quarto gradu, quem Ordo legitimæ successionis admittet.

In quolibet autem prædictorum casuum electus, seu nominatus ex ipsa electione, sive nominatione, jus habeat in præmissis Regno & Comitatu servatis in omnibus prædictis, & subsequentibus legibus, pactis, & conventionibus liberè succedendi.

Eadem insuper Regnum & Comitatus in eadem Persona, cum Franciæ, vel Castellæ, seu religionis, aut Angliæ Regnis, aliquo unquam tempore non concurrant, neque ipsa Regnum Aragoniæ, seu Comitatus, ulli unquam alii Regno subdantur.

Et si forte contingeret aliquod de prædictis, Franciæ, Castellæ, Legionis, vel Angliæ Regnis, vel aliquem Regem, vel Reginam Aragoniæ pervenire, ipse vel ipsa Rex Aragoniæ seu Regina, si Regnum sibi obveniens maluerint obtinere, cadant, eo ipso, quod illud acceptaverint, ab omni dominio, atque jure, quæ in Aragoniæ Regno & Comitatu prædictis habebant,

ANNO 1283.

ANNO 1283.

bebant, eaque libera, & expedita ipsi Ecclesiæ Romanæ dimittere teneantur.

Ad successionem eorum autem, in Regno ipso cum Comitatu prædicto, veniant ipsorum filii sive conjuncti, aut alii, secundum modum & ordinem supra dictos.

Et quia nostræ intentionis extitit, prospero statui dictorum Aragoniæ Regni & Comitatus Ecclesiis & incolis, eorumdem utiliter & efficaciter providere volumus, quod omnes Ecclesiæ prædictorum Regni & Comitatus, tam Cathedrales, quàm aliæ, Regulares, seu sæculares omnesque Ecclesiasticæ personæ, illis libertatibus & immunitatibus, & specialiter in electionibus, provisionibus & juribus aliis, eisdem competentibus omnino gaudeant, quæ ipsis competunt secundum Canonicas sanctiones; & tam ab ipsis quàm filio ejusdem Regis, sic ab eo electo, & à te deputato, suisque successoribus, & aliis etiam personis secularibus, antiquæ consuetudinis approbatæ bonaque usagia Regni & Comitatus eorumdem, quæ sacris Canonibus non repugnant illibata serventur.

Quæ verò, contra sanctiones Canonicas statuta, seu aliàs introducta fuerint, omnino viribus careant; & quatenus de facto processerant revocentur.

Ecclesiis ipsis, & personis Ecclesiasticis, omnia bona immobilia sive jura, quæ summarie ipsas possedisse, vel quasi possedisse constiterit, eis ablata præcipue per memoratum Petrum, quondam Regem Aragonum de plano restituantur eisdem; de illis verò, de quorum possessione taliter constare non potest, fiat eis justitiæ complementum.

Super prædictis Comitatu & Regno, cum memorato Petro, quondam Rege Aragonum aut ejus filiis, seu cum aliis quibuscumque, pro eis nullam societatem dictus Regis Franciæ filius, vel iidem successores inibunt, nec conventionem aliquam facient de reddendo illis, vel eorum alicui dicta Regnum, vel Comitatum, seu aliquam partem ipsorum, absque sedis Apostolicæ beneplacito & expresso consensu; nec aliquam aliam societatem seu conventionem, hujusmodi negotii prosecutioni nocivam.

Pro eisdem quoque Regno & Comitatu tam idem Regis Franciæ filius, quàm sui singuli successores in Regno & Comitatu prædictis, nobis nostrisque successoribus singulis, & Ecclesiæ Romanæ, fidelitatis præstabunt publicè juramentum, & homagium facient, per se ipsos, quum præsentes erunt, ubi nos vel successores nostros præsentes esse continget; si verò absentes fuerint, tunc per idoneam interpositam personam, ad hoc specialiter destinandam, homagium facere, ac fidelitatis juramentum eis præstare licebit; nisi forte in hujusmodi absentiæ ipsorum casu, nos aut successores nostri ad hoc nuntium elegerimus destinare, tunc enim destinato ad hoc nostro, eorumdem successorum, & Ecclesiæ nomine, tam ipse, quàm prædicti successores ipsius in personis propriis idem juramentum præstare, hoc homagium facere tenebuntur.

Eadem propterea juramentum & homagium, tàm ipse dictæ Franciæ Regis filius nobis, & nostris successoribus singulis, infra annum, postquam quivis eorumdem successorum in summum Pontificem assumptus fuerit, quàm sui successores infra simile tempus, postquam in eisdem Regno & Comitatu successerint renovare tenebuntur modo præscripto.

Et nihilominus pro Regno & Comitatu prædictis solvent idem filius & prædicti sui singuli successores, nobis nostrisque singulis successoribus, & ipsi Ecclesiæ Romanæ, annis singulis, in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli, census nomine, quingentas libras parvorum Turonen. ubicumque Romana Curia contigerit residere.

Incipient autem teneri ad censum hujusmodi exolvendum, postquam tres partes eorumdem Regni & Comitatus obtinuerint, licet alia quarta pars in ipsius filii, vel eorumdem successorum suorum adhuc rebellione persistat.

Quod si forte idem Regis Franciæ filius, vel dicti successores quocumque termino non solverint integrè censum ipsum, & expectati per quatuor menses terminum ipsum immediatè sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt, taliter in dicti census solutione cessantes, excommunicationis vinculo innodati.

Quod si, in secundo anno in prædicto solutionis termino, vel infra subsequentes quatuor menses eundem Censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum ipsum Regnum, cum prædicto Comitatu, Ecclesiastico erit suppositum interdicto.

Si verò, non in tertio anno, eodem termino, nec infrà quatuor menses proximos, sibi, per satisfactionem census ipsius, duxerint consulendum habeant adhuc, ad satisfaciendum alios duos menses.

Sed, si nec in eodem tertii anni termino, nec infra sex prædictos subsequentes menses, sit de censu eodem plenariè satisfactum, ex tunc tàm idem sæpefati Regis Franciæ filius, quàm successores ejus, ab ipsis Regno & Comitatu, omnique jure, quod in eis habebant, eo ipso cadunt ex toto, & Regnum ipsum, cum Comitatu prædicto, ad Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem, seu ordinationem, plenè ac liberè devolvatur.

Si autem, de ipso primi termini censu infra dictos tertium terminum, & sex subsequentes menses plenariè satisfacerent, nihilominus semper, pro singulis censibus singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint, vel illos non solverint, similes pœnas incurrant.

Cæterum cum idem Regis Franciæ filius, vel dicti successores ejus in Regem decreverunt coronari, quilibet in ordine vicis suæ, coronam ab eadem sede Apostolica requiret; ut de speciali mandato nostro, vel successorum nostrorum, possit, per Terraconensem Archiepiscopum, apud Cæsar Augustam solemniter coronari.

Hæc enim inter felicis recordationis Innocentium Papam tertium prædecessorem nostrum, & memoratum Avum ejusdem P. tempore, quo idem Avus dictum Regnum Aragon. ipsi Ecclesiæ Romanæ, ut prætactum est, obtulit extitit ordinatum.

Concedimus tamen quod sæpefati Regis Franciæ filius, ad prædicta electus & deputatus, possit per te coronari, si velit; & sine alia nostra requisitione & mandato, per quem maluerit consecrari.

Singuli verò sui successores in Aragoniæ Regno & Comitatu prædictis, prius petita super hoc ab Apostolica sede licentia, de speciali mandato sedis ipsius, ut in coronatione prædicitur, per eundem Terraconen. Archiepiscopum consecrentur.

Hæc omnia & singula memoratus filius, ab eodem genitore suo ad prædicta electus, & à te, ut præmissimus, deputatus, se ac eosdem successores suos inviolabiliter servaturos, & hujusmodi negotium sollicite prosecuturos, tibi, nostro, successorum nostrorum, & ipsius Ecclesiæ Romanæ nomine, præfato Rege Franciæ genitore suo eadem universa & singula specialiter approbante, & consuetudine in ipsis ex-

ANNO 1283.

preſtè pro ſe ac ipſis ſucceſſoribus ſuis eos ad eadem obligando promittet, & proprio juramento firmabit; in eiſdem promiſſione ac juramento adjiciens; quod hæc omnia cum ad legitimam ætatem pervenerit, non differat, ſine difficultate aliqua illi, ejuſdem Eccleſiæ Romanæ nomine, renovare, quem ad hoc ipſa Eccleſia duxerit deputandum.

Quod, ſi filius dicti Regis Franciæ quem ipſe ad præmiſſa elegerit ejus ſit forſan ætatis quod ad juramenti præſtationem inhabilis habeatur, promittet idem Rex ſuas ſuper hoc litteras concedendo, ſe ac ſuum in Franciæ Regnum hæredem, curaturum & facturum, bona fide, quod idem ſuus filius, cum ad ætatem, ad hoc aptam pervenerit, præmiſſa omnia & ſingula ſimiliter promittet & præſtabit, ſine contradictione qualibet hujuſmodi juramentum tibi vel alii, qui ad id fuerit per eandem Eccleſiam deputatus.

Promittet præterea idem Rex, ſub ſimilium teſtimonio litterarum, quod tàm ipſe, quàm poſt ejus obitum, ſuus in Franciæ Regnum ſucceſſor, hujuſmodi negotium, bona fide, potenter & ſollicitè proſequentur abſque dilatione, ſeu intermiſſione, quas facti qualitas ſeu emergentium caſuum neceſſitas non inducet; quodque tam ipſe, quàm dictus ejus in Franciæ Regno hæres, eundem filium ſuum, ab eo, ut diximus electum, & à te deputatum, ac ſucceſſores ipſius efficaciter in hujuſmodi proſecutione juvabunt, & curabunt, & facient, bona fide, quod illi ſimiliter negotium ipſum efficaci ſollicitudine, ac ſollicita efficacia pro viribus proſequentur.

Quod ſi dictus ejuſdem Regis Franciæ filius, ad præmiſſa electus & deputatus, & ipſe Rex aut eo non ſuperſtite, ſuus in eodem Regno ſucceſſor, hujuſmodi negotium proſequi neglexerint, nec poſt monitionem ſedis ejuſdem infra tempus competens, quod ad hoc ſedes eadem, ipſius negotii circumſtantiis & qualitate penſatis, duxerit præfigendum, debitæ proſecutionis inſtantiam reaſſumant, eo ipſo cadant à Regno & comitatu prædictis; & libera & plena eorumdem Regni & Comitatus diſpoſitio ſive ordinatio, ad Romanam Eccleſiam, abſque contradictione aliqua devolvantur.

Nec idem Rex Franciæ, aut ſucceſſor ejus in Franciæ Regno, ex præmiſſis lege conventionibus, ſive pactis, ad aliquod aliud teneantur, dummodo tantum de ſuo expenderint in hujuſmodi proſecutione negotii, quantum per Romanam Eccleſiam pro ejuſdem proſecutionis ſubventione receperint.

Si verò non tantum de ſuo expenderent, totum id, in quo ſumma taliter perceptorum expenſas per coſdem Regem & ſucceſſorem de ſuo factas, excedat, ipſi Rex ſive ſucceſſor eidem Eccleſiæ reſtituere tenebuntur.

Forma verò juramenti fidelitatis & homagii, faciendi à ſæpefato ejuſdem Franciæ Regis filio, ad præmiſſa electo & deputato, ſuisque ſucceſſoribus pro Regno & Comitatu prædictis, hæc eſt.

Ego Dei gratia, Rex Aragoniæ & Comes Barchinoniæ, plenum & ligium vaſſalagium & homagium faciens Eccleſiæ Romanæ, pro Regno Aragoniæ & Comitatu Barchinoniæ in Terraconen. Civitate, ipſius Territorio, diſtrictibus, & pertinentiis, præfatæ Romanæ ac Terraconen. Eccleſiarum, per omnia jure ſalvo, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, & Domino meo Domino Martino Papæ quarto, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ; non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione; conſilium, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut nuncios ſuos, ſive per litteras ad eorum damnum me ſciente nemini pandam, & ſi ſcivero fieri vel procurari ſive tractari aliquid, quod ſit in eorum damnum illud pro poſſe impediam; & ſi impedire non poſſem, illud eis ſignificare curabo; Papatum Romanum & jura Sancti Petri in Regno Aragoniæ & Comitatu prædictis, adjutor eis ero, ad retinendum & defendendum, ad recuperandum, & recuperata manutenendum, contra omnem hominem; univerſa & ſingula legem, conventiones & pacta contenta in Papalibus litteris ſupraſcriptis, plenariè adimplebo, & inviolabiliter obſervabo nec ullo unquam tempore veniam contra illa; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Datum apud urbem Veterem ſexto Calendas Septembris Pontificatus noſtri anno tertio.

ANNO 1283.

IV.

Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 2. pag. 242.

Regi Angliæ mandat, ne Siciliæ & Aragoniæ Reges ſingulari pugnaturos certamine Waſconiæ Fines ingredi patiatur, nêve præſentiæ ſuæ copiam faceret, locumve duello deſignaret: anno 1283.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

DEcet Excellentiam Regiam, & ſaluti tuæ nihilominus congruit, quod in te ſemper vigeat ſic ordinatus affectus, ut animum libenter ad promovenda Chriſti negotia dirigas, tranquillitatem publicam votive promoveas, deſideranter horum impedimenta præpedias, & prout ex alto conceditur, incrementa procures.

Ideoque conventiones, multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem & merito reprobandas, inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum illuſtrem Siciliæ Regem & Petrum exigentibus ſuis exceſſibus, per ſedem Apoſtolicam vinculo excommunicationis aſtrictum, quondam Aragonum Regem, non abſque nimiæ animoſitatis inordinatione habitus circa quod ambo, cuilibet eorum comitiva centum militum aſſiſtente, ad illud concurrant, altrinſecus inſimul confligant, Celſitudini Regiæ confidenter exponimus.

Et, ut tibi earum qualitas pleniùs pateat, ſub bulla noſtra ipſarum de verbo ad verbum ſeriem, prout eam, à memorato Siciliæ Rege recepimus, deſtinamus.

Ex quarum circumſpectione manifeſtè circumſpectio regalis advertet, quantum ſint conventiones eædem obviæ crucifixi negotiis, & præcipue Terræ ſanctæ, quantumque toti Chriſtianitati damnoſæ: cum illarum perſecutio, non ſolum memoratum Regem ab eiſdem negotiis, & ipſius Chriſtianitatis promovendis utilitatibus abſtrahat, ſed & alios Principes & magnates, cæteroſque fideles, qui circa proſecutionem eandem in ſe, vel in ſuis occupantur, avertat; & proindè manifeſto exponatur terra præfata diſcrimini, dum ejus ſubſidium, multis excogitatum vigiliis multisque ſumptibus & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur.

Nec minus attendere poterit eiſdem tuæ circumſpectionis induſtria, quàm periculoſa poteſt inter chriſticolas ex proſecutione hujuſmodi, excitari commotio: quantaque illis corporum & animarum pericula ingeri; ac quantum nobis Eccleſiæ, tibi cunctiſque Catholicis, quibus

eſt

ANNO 1283.

est eis quomodolibet obviare possibile, posset à Deo & hominibus negligentia imputari ad quantam notam adscribi, si talia procedere pateremur.

Propter quæ, nec non & alia non facile numeranda discrimina, quæ dictarum conventionum executio Christiani procul dubio prodiga sanguinis, animarum inimica saluti publicæque pacis æmula & quietis verisimiliter comminatur; nos, illis promptis remediis obstare volentes, promissionem factam à memorato Rege Siciliæ, super dictis conventionibus observandis prorsus illicitam, ut pote rem prohibitam expressius continentem, cum non solum in Principibus, similibusque personis, sed etiam in privatis duellum non sit ab Ecclesia tolerandum, reprobandam, irritamque duximus, & penitus vacuandam; & juramentum super eis præstitum, non solum temerarium declarantes, sed & carere viribus; ipsumque Regem Siciliæ ad illorum decernentes observantiam non teneri; absolvendo eum nihilominus ab eisdem, quatenus processerunt de facto, sibi districtè præcipimus, ut à prosecutione promissorum, & juratorum taliter, prorsus abstineat, & omnino desistat: eidem nihilominus sub pœna excommunicationis, & comminationis processus cujuslibet, quem contra eum quomodolibet habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati certaminis, tam nefandi procedat; universis & singulis Christi fidelibus, ne illa sibi prosequenda suadeant, neve consilio, auxilium, vel favorem in illis prosequendis assistant, districtiùs inhibendo.

Cum itaque impediendi tam detestabilia, tam nociva tibi sit in promptu facultas, pro eo, quod, sicut earumdem conventionum docet inspectio, loci determinatio, ad hujusmodi conflictus exercitium deputandi, de arbitrio tuo dependet; & secundum earum conventionum tenorem, idem conflictus, novo eorumdem Siciliæ & olim Aragon. Regum non intervenientе consensu, absque tua præsentia non procedit; expedit ut ad id te promptum exhibeas solers & operosus occurras, ne si, quod absit, perturbare tam perversa negligeres ea fovere non immerito censereris, sicque pœnæ & comminationis adjectæ in præmissa nostra prohibitione periculum, ut decet tam Catholicum Principem, non vitares.

Quo circa serenitatem Regiam monentes, rogantes, & hortantes, ac obsecrantes in Domino Jesu Christo, & per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, & nihilominus in remissionem tibi peccatorum injungentes, mandamus quatenus conflictum hujusmodi tam detestabilem, tam horrendum, ejusque præparatoria, omni studio, quo potes impedias.

Dictorum Siciliæ & quondam Aragonum Regum adventum ad Civitatem Burdegalensem, ejusque territorium, quin etiam ad quamcumque partem Vasconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias, apertiùs interdicas.

Tuam nihilominus in his præsentiam denegando, & tuis insuper in partibus illis, vicariis & Officialibus acriùs injungendo, ne prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamen, aut aliquid aliud in his ministerium exhibere præsumas: super quibus eis omnem penitùs adimas potestatem.

Nos enim ad tam pernicioſa, tam noxia omnimodis evitanda, ne dictos Siciliæ, ac dudum Aragonum Reges Civitatem eandem, seu quamvis, ut prædicitur, Vasconiæ partem, ad hæc ingredi patiaris, neve in his præsentiæ tuæ copiam facias, aut promittas, seu locum sæpefato certamini deputes, aut dictos tuos in eisdem partibus Vicarios sive Officiales in his aliquod ministerium exhibere permittas, districtè subjicimus prohibitionis edicto; ac illa omnia & singula quantumcunque in aliis regio intendimus honori deferre, tibi & eis, sub pœna excommunicationis expressius inhibemus; sub eadem pœna mandantes, ut si ad aliquid horum est processum, illud studeas cum celeritate, qua poteris revocare.

Et nihilominus dilectum filium nostrum, tituli Sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem virum utique grandi scientia præditum, prudentia & morum honestate decorum, quem, suæ probitatis obtentu grandi affectione prosequimur, cujusque consiliis te in his acquiescere rogamus & petimus ad id inter cætera destinamus, ut tam te, quàm prædictos vicarios, & Officiales tuos, per se, si facultas adfuerit, vel per suos nuncios, vel litteras efficaciter moneat, & inducat ad parendum præmissis Apostolicis monitionibus, inhibitionibus & mandatis.

Alioquin per excommunicationis in personas, & interdicti sententias, si opus fuerit, in Regnum tuum & alias tuas, ac eorundem Vicariorum & Officialium terras, Apostolica, prout expedire viderit auctoritate compellat.

Non obstantibus aliquibus privilegiis, vel Indulgentiis, tibi vel eisdem Vicariis, sive Officialibus, sub quacumque verborum forma seu expressione concessis, quod tu, vel iidem Vicarii & Officiales excommunicari, vel interdici non possitis, aut eadem Regnum & terra nequeant Ecclesiastico Interdicto supponi, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, seu de verbo ad verbum de privilegiis & indulgentiis hujusmodi, sive obtinentium eadem nominibus mentionem: & qualibet alia ejusdem Sedis Indulgentia cujuscumque formæ vel tenoris existat, per quam, præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri.

Datum apud Urbem veterem nonis Calendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno tertio.

V.
Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 2. pag. 250.

Bulla super pecunia in subsidium Terræ sanctæ collecta, & in sacris locis depositа, per Regem Angliæ occupatâ, objurgatoria: anno 1283.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUm Regalis prudentiæ magnitudo, quæ non sine laudum præconio, rerum exitus metiens, in suis actibus non inconsultè procedere consuevit, nostræ dudum considerationis intuitu lustrabatur; dum summæ devotionis zelus, quo erga Romanam Ecclesiam matrem tuam Regia semper celsitudo resplenduit mentis proprie subjiciebat aspectui, digne utique sperabamus nostri pectoris archivo recondita firma credulitas permanebat, ut sic prudenter tua limitares opera, sic suorum processuum studia discretè dirigeres, sic sapienter incederes in omnibus viis tuis, ut nullius exinde turbationis materiam eidem Ecclesiæ contingeret exoriri, ut reprehensionis cujuslibet vitatis aculeis apud Regis æterni filium, per quem regnans meritorum cumulo reddereris acceptior, penes nos

&

ANNO 1284.

& prædictam Ecclesiam, quæ te gerit in visceribus caritatis, magis ac magis gratiosus occurreres, & apud gentium populos famæ claritate splendidior habereris.

Sed, si vera fateri liceat, si fas sit exprimi veritatem, tu pridem, indignis tui cordis affectibus nimis favens, & voluntatis arbitrium minus providè præferens judicio rationis, laudis Regiæ titulis, cura tibi vigili conservandis, quam plurimum derogasti, non attendens, neque considerans quam crudelis fore dignoscitur, qui negligit damnum famæ.

Nuper etenim, nec solum, divulgatis è longinquo rumoribus, sed etiam assertione veridica, mirantes accepimus & intelleximus perturbati, quod laudabili temperantiæ Regiæ more postposito, extendens ad illicita manus tuas, pecuniam decimæ in Regno tuo, per Lugdunen. Concilii providentiam Terræ sanctæ concessæ subsidio, quæ per collectores, à sede Apostolica deputatos in sacris tuisque locis deposita sub fida jugique custodia servabatur; de locis ipsis sigillis serisque violenter effractis, quibus loca eadem firmabantur, motu proprio, ne dicamus temerario, pecuniæ præfatæ custodibus renitentibus & invitis, totaliter amoveri, & ad certum locum pro tuæ libito voluntatis, non absque magna divinæ majestatis offensa, multoque dictæ sedis contemptu, ac ejusdem Terræ gravi dispendio, asportari fecisti.

Sed numquid, hoc prædictæ sedis non interveniente licentia, Regiæ magnitudini licuit? Numquid ejus deducit honestatem? Numquid expedivit honori quamquam id quarumdam excusationum, sive rationum velamine, quas in tuis, super hoc nobis directis expressas litteris, non immerito frivolas recti judicii censura dijudicat, duxeris palliandum, profecto agi cautius contigisset si tuæ circumspectionis industria prorsus à talibus abstinuisset, si per te ad ea processus habitus non fuisset.

Nam quod exemplum ad cæteros Reges Catholicus, & de Rege Catholico procreatus, in tali putas actione transmiseris? Quam grandem quoque, quàm uberem, credis in hoc, contra te materiam æmulis dederis obloquendi. Quot & quantas in tui derogationem nominis linguas acueris. Quantumve scandali & turbationis intuleris fidelium cordibus, ad liberationem aspirantium dictæ Terræ, dum fideles ipsi te, qui dudum pro ea non parcens sumptibus laborum, onera non abhorrens, exercuisti sollicitus athletæ fortis officium, qui tuam inibi præsentiam impendisti, ejus prægravibus, quibus indesinenter affligitur, compassus angustiis & pressuris, talia peregisse conspiciunt, talia perpetrasse mirantur? At utinam sensibus Regiis eorum, quorum consilio uteris, studiosa solertia demonstrasset, quantus error, quamque gravis ex præmissis infamia quasi necessario sequebantur: Non enim venit nobis in dubium, quod si hujusmodi tam illicitæ asportationis effectum discretio Regia diligentius attendisset, ad eam non extendisses ullatenus desiderium mentis tuæ.

Cum igitur ad liberandum de hostis immanis manibus terram ipsam fervens nostra dirigatur intentio, & propterea illius non minui, sed potius augmentari subsidium cupiamus; nec velimus sicuti nec debemus, tantum ejusdem terræ præjudicium æquanimiter tolerare; serenitatem Regiam monemus, rogamus & hortamur attentè quatinus sedula meditatione recogitans quantum in hac parte tuum offenderis creatorem, cujus in hoc negotium agitur, quantum prædictum perturbaris Ecclesiam, quantumvè læseris, de quibus extitit imperio tuæ jussionis, amota, facias, sublata difficultate qualibet, excusationibus seu rationibus non obstantibus supra dictis, quas omnino frivolas reputamus cum integritate restitui seu reponi; ulterius à similibus abstinendo; ac etiam Ecclesiasticas, & alias quascumque personas, penès quas dicta pecunia est depositа, vel eam deponi contigerit per Apostolicam Sedem pro terræ memoratæ commodis disponendam, per te, vel alium, seu alios nullis impetendo molestiis, nullis vexationibus perturbando; illam in hoc efficaciam & sollicitudinem impensurus, ut debitæ restitutionis celeritas asportationis indebitæ ausum redimat, & Sedis præfatæ gratia, quam libenter ad filios devotos extendimus, circa te non immeritò augeatur.

Nec latere te volumus quod quantumcumque personam tuam sinceris affectibus prosequamur, Regioque libenter deferamus honori, nequaquam pati poterimus, cùm non sit deferendum homini, plusquam Deo, quin super hoc si opus extiterit aliud remedium apponamus.

Datum apud Urbem Veterem tertio non. Julii Pontificatus nostri Anno tertio.

VI. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 267.

De his quæ acta sunt inter Philippum Regem Franciæ & Carolum ejus filium secundo-genitum ex unâ parte, & Johannem S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem ex alterâ super negocio Regni Siciliæ: anno 1284.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio, Carolo Regi Aragonum illustri, nato carissimi in Christo filii nostri PHILIPPI *Regis Franciæ illustris, salutem & Apostolicam benedictionem.*

DUdum, propter injustitias, injurias, contumelias, dolosque diversos à Petro, quondam Rege Aragonum, circa occupationem Insulæ Siciliæ, vanosque conatus & insidias, ad alias partes Regni Siciliæ occupandas, seditionem in eadem Insula motam: commotionem & concitationem populi factam inibi adversus nos, rempublicam & Ecclesiam: contra nos & eandem Ecclesiam, quibus dictus Petrus, ratione Regni Aragoniæ, ipsi Ecclesiæ à claræ memoriæ P. avo ipsius Petri oblati & censualis, tàm ab illo, quàm ab aliis ejus prædecessoribus constituti, ad fidelitatis debitum tenebatur; nec non & carissimum in Christo filium nostrum Carolum illustrem Regem Siciliæ non sine multa temeritate commissos.

Post varias monitiones, prohibitiones, & sententiarum excommunicationis & interdicti prolationes, pœnarum indictiones & comminationes expressas de dicti Regni Aragon. ac terrarum, tunc ipsius Petri, expositione ac privatione factas, & præcepta diversa quorum omnium idem Petrus se contumacem exhibuit contemptorem.

Regnum Aragoniæ terrasque prædicta, certo modo, de fratrum nostrorum Consilio, exponentes, ipsum Petrum, tunc Regem Aragonum, Regno, & terris eisdem regioque honore sententialiter, justitia exigente privavimus; & privantes exposuimus Regnum & terras eadem occupanda Catholicis, de quibus, & prout Sedes Apostolica duceret providendum, quoad ipsa Regnum & terras, Romanæ semper Ecclesiæ jure salvo, sicut hæc omnia lata per nos, de ipsorum fratrum Consilio, super hujusmodi privatione, expositione, ac occupatione, sententia seriosè declarat.

Et

ANNO 1284.

Et quia, ubi non est Gubernator, populus corruit, ne ipsorum Aragoniæ Regni & terrarum populus, factus absque Gubernatore diutius vergeret in ruinam, dictam provisionem, Sedi reservatam eidem, deliberavimus exequendam.

Et ideo ad carissimum genus tuum, illibatam ejusdem generis fidem, ad Domini devotionem, ad ipsum & eandem Ecclesiam indefessam, fervidum zelum ad exaltationem fidei orthodoxæ, cujus idem genus contra hostes ipsius fidei semper extitit singularis athleta & ingentem illius potentiam in obsequiis earumdem fidei & Ecclesiæ, feliciter temporibus retroactis exportam, considerationis solicitæ oculos convertentes, ad executionem provisionis ipsius ad quem de ipso genere, sub Dei fiducia, quem semper ejusdem generis clara progenies, & Regnum Franciæ inclitum, firmissime credidit devotissime honoravit & coluit, de fratrum eorumdem consilio deliberavimus eligendum.

In electione verò hujusmodi, aliquem de carissimi in Christo filii nostri, Philippi Regis Franciæ illustri Patris tui Filius præferendum multiplex ratio persuasit.

Ideoque dilectum filium nostrum Johannem tituli sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem, ad hoc ministrum idoneum, de fratrum eorumdem consilio assumentes, ad occupandum idem Aragon. Regnum & Comitatum Barchinoniæ, quæ est de terris expositis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex ejusdem Regis Franciæ filiis, quem ad hoc ipse Rex elegerit, alio tum ab eo, qui sibi est in dicto Regno Franciæ successurus, sub certis lege conventionibus, & pactis, expressis in litteris nostris, super hoc Cardinali directis eidem, ab ipso Rege Franciæ, ac eodem filio, ad id electo, per eum solemniter promittendis, ut eorum quemque contingerent & inviolabiliter observandis per dictum Cardinalem auctoritate Apostolica, quam in hac parte plene sibi commisimus, de ipsorum fratrum Consilio, volumus provideri, & ipsum ad id faciendum singulariter deputari.

Statuentes & decernentes quod, postquam ipsi Rex Franciæ, & filius suus, ad hoc electus ab illo, & à præfato Cardinali ut prædicitur, deputatus, eandem legem, conventiones & pacta expresse acceptarent & promitterent contenta in eis se inviolabiliter servaturos, dictusque Cardinalis ipsum, ejusdem Regis Franciæ filium, ad id deputaret, idem filius in præfato Regno Aragon. nomen & titulum Regium, in Comitatu quoque prædicto dignitatem omnem, quam dictus Petrus quondam Rex Aragon. in illo obtinuit, sortiretur, & tam per se, quàm per alios eadem Regnum & Comitatum libere occuparet, & faceret suo nomine occupari, eaque tam ipse, quàm sui perpetuo successores in illis certo ad illa ordine contento in eisdem litteris, admittendis absque contradictione aliqua, possiderent, & in ipsis, tanquam veri Reges, Comites, & Domini administrarent legitime & plene in eis jus Regis, Comitis & Domini habituri in Terraconen. Civitate, ipsius territorio, districtibus & pertinentibus, sæpefatæ Romanæ ac Terraconen. Civitate, ipsius territorio, districtibus & pertinentibus sæpefatæ Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum per omnia jure salvo.

Dictus autem Cardinalis hujusmodi negotium, juxta formam sibi à nobis traditam, exequens diligenter auctoritate Apostolica, eidem in hac parte commissa, de te quem præfatus Rex Franciæ Pater tuus nominavit ad id ac elegit, sub lege, conventionibus atque pactis prædictis juxta quasdam moderationes declarationes & detractiones, super hoc per alias litteras nostras quarum tenor inferius annotatur adhibitas, tam à te quàm à præfato Rege Franciæ Patre tuo solemniter, juxta quod eidem Cardinali facta commissio exigebat, promissis prout quemque vestrum contingunt ad occupandum Regnum Aragoniæ ac Comitatum Barchinoniæ prædicta, providit teque ad id faciendum singulariter deputavit ad Terraconen. Civitate ipsius Territorio districtibus & pertinentiis memoratis, dictarum Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum, per omnia jure salvo.

Tu vero hujusmodi provisionem & deputationem taliter ab eodem Cardinale factas, prædicto Rege Franciæ genitore tuo approbante, ac in his expresse consentiente acceptasti, & etiam recepisti, prout in litteris, inde confectis, ipsius Cardinalis sigillo munitis plenius continetur.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quæ in præmissis ab eodem Cardinali taliter facta sunt rata & grata habentes, illa ex certa scientia de ipsorum fratrum nostrorum Consilio auctoritate Apostolica, confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, defectum, si quis in eis, vel eorum aliquo, ex quacumque causa extitit supplentes de plenitudine potestatis; & tenores litterarum ipsius Cardinalis, nec non moderationum declarationum & detractionum prædictarum, de verbo ad verbum, præsentibus inseri facientes, qui tales sunt.

Sanctissimo Patri ac Domino suo reverendissimo, Domino Martino Divina providentia sacro sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Johannes, Dei permissione tituli sanctæ Ceciliæ Presbiter Cardinalis, devotus servus ejus, & filius, cum humili recommendatione sui, devotissima pedum oscula beatorum.

Reverendissimæ sanctitatis vestræ litteras, ad me directas, recepi tenorem, qui sequitur, continentes.

MARTINUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni titulo sanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinali salutem & Apostolicam benedictionem.*

Qui Regna transfert atque constituit ipse Scripturæ sacræ docet eloquio Regnum à gente transferendum in gentem, propter injustitias, injurias, contumelias, dolosque diversos.

Sanè injustitiam manifestam Petri &c. *prout in anno superiore die 27. Aug.* Quæ autem inter Philippum Dei gratia Regem Francorum Illustrem, & Carolum ejus secundo genitum ex una parte, & me S. tituli sanctæ Ceciliæ Presbiterum Cardinalem, vestro & Ecclesiæ Romanæ nomine ex altera, acta sunt, præscriptarum auctoritate litterarum, juxta mandatum vestrum, tenore præsentium ad vestræ deduco notitiam sanctitatis.

Sunt autem acta hujusmodi quæ sequuntur.

Anno Domini 1284. mensis Februarii die vigesima, indictione 12. Pontificatus vestri anno tertio, memoratus Rex coram Prælatis & Baronibus Regni Franciæ, propter hoc Parisiis evocatis, lectis prius suprascriptis litteris, ac petitionibus ipsius Regis, nobis per Bajocen. & Sibytonen. in Aurelialen. Ecclesia Archidiaconos, ejusdem Regis nuncios, oblatis, & responsionibus ad easdem, prout hæc in litteris vestris Patentibus inclusis tamen in quodam pargameni Bullato, ad eundem Regem, nec non & quibusdam aliis ad me directis, & tam eidem Regi quàm mihi per venerabilem virum & discretum Magistrum Egidium de Castelleto notarium nostrum traditis & expositis in vulgari,

ANNO 1284.

gari, plenius continentur, ab eisdem Prælatis & Baronibus requisivit & petiit fidele Consilium sibi dare, utrum sibi expediret ac deceret idem negotium Regni Aragoniæ & Comitatus Barchinoniæ assumere, & etiam acceptare, sub lege, conventionibus, pactisve in vestris contentis litteris super hoc confectis, juxta moderationes declarationes, & concessiones de novo per memoratum notarium allatas & oblatas.

Qui quidem Prælati & Barones vicesimam primam Februarii ad tractandum & censerendum super hoc & deliberandum & vicesimam tertiam diem ejusdem mensis ad respondendum & dandum super hoc sua consilia, statuerunt.

Ipsa vero vigesima prima die, summo mane, ipsi Prælati & Barones, convenientes ad Palatium Regis, lectis iterum præfatis literis, & expositis in vulgari in partes altrinsecus successerunt, qui cum in principio suæ deliberationis, sicut antea, semper in varias traherentur sententias, tandem illo, ut piè credendum est, cujus agebatur negotium inspirante, cujus etiam, cum voluerit operatio non non novit molimina tarditatis repentè, & quasi sub eadem hora, in indemnitate consilii ac sententiæ resederunt licet ipsos segregaret locorum distantia, & in quo concordaret una partium, altera penitus ignoraret, videlicet, quod consideratis omnibus, Regi Franciæ expediebat & Regno ipsumque Regem decebat, prædictum negotium assumere, & etiam acceptare.

Quod cum Barones Prælatis per nobilem Virum Simonem Dominum deNigella militem nuntiassent, ego & dictus notarius, non expectata die crastina, ad danda consilia assignata significabamus Regi ut ad Palatium suum accederet responsionem, & Concilium à Prælatis & Baronibus auditurus.

Quibus idem Rex acquiescens, statim, duobus filiis suis Philippo & Carolo, secum adductis, venit ad Palatium, & adunatis invicem Prælatis & Baronibus præsente ibidem toto ipsius Regis consilio generali, aliorumque multitudine numerosa, Bituricensis Archiepiscopus, & voluntate & mandato Prælatorum proposuit pro ipsis, & respondit ipsi Regi, quod considerato honore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac ipsius Regis & Regni Franciæ, nec non & utilitate fidei Catholicæ, expediens erat Regi, ipsumque decebat, juxta moderationes, declarationes & concessiones, allatas & oblatas per memoratum notarium, hujusmodi negotium acceptare, et in hoc omnes & singuli consentiebant, & hoc etiam consulebant.

Mox verò prædictus Dominus de Nigalla, pro Baronibus, de mandato eorum & expresso consensu, proposuit, quod in eandem sententiam & consilium concordarant, & concordabant, & etiam consulebant.

Rex verò continuo respondit, grates vobis omnibus refero quod bonum & fidele consilium præbuistis, & adjunxit, ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ, sub forma prædicta assumimus hujusmodi negotium, & etiam acceptamus.

Et ut hæc omnia de consilio Prælatorum & Baronum procederent, injunxit eisdem Prælatis & Baronibus, ut in crastino ad Palatium redirent, ut de ipsorum consilio unum de Filiis suis, excepto Primogenito ad hoc eligeret, & etiam nominaret.

Quod, dicta die crastina, præfatis Prælatis & Baronibus convenientibus & consentientibus, de Carolo secundo genito dicti Regis extitit adimpletū.

Sanè, diebus aliquot intermissis ex causa tertio Kal. Mattii, ego & Notarius supradictus accedentes ad Regem, petimus, quod agendum supererat in negotio Regni Aragonum, & Comitatus Barchinoniæ, adimpleri.

Statimque duobus Filiis suis memoratis, Philippo & Carolo, una cum consilio suo vocatis & præsentibus, lectis coram ipsis suprascriptis litteris, & per me Cardinalem distinctè & per articulos expositis in vulgari. Idem Rex genitor, & præfatus Carolus, ipso genitore approbante, & in his expresse consentiente, universa & singula, in suprascriptis litteris contenta, quæ memoratus Carolus filius à me sigillatim, super uno quoque interrogatus, se inseruit intellexisse, mihi vestro & Ecclesiæ Romanæ nomine solemniter stipulanti, eadem universa & singula, prout unumquodque ipsorum contingunt, juxta quasdam detractiones, declarationes, & concessiones, factas & facienda, acceptato negotio, prout ista, in quibusdam vestris litteris ad ipsum Regem, & aliis ad me directis, & per ipsum notarium ipsi Regi & mihi traditis, plenius continentur. Se inviolabiliter servaturos, & negotium hujusmodi prosecuturos solemniter promiserunt, se ad hoc, & successores suos, prout quemque eorum contingunt specialiter obligando.

Quibus actis ego J. Cardinalis de memorato C. Regis Franciæ Filio, ad occupandum idem Aragoniæ Regnum & Comitatum Barchinoniæ providi, & ipsum ad id faciendum singulariter deputavi sub modo qui sequitur iusra scriptus.

Ego J. tituli sanctæ Ceciliæ Presbiter Cardinalis, auctoritate Apostolica, mihi in hac parte plene commissa, de vobis Domine C. quem Pater vester Philippus, Dei gratia, Rex Franciæ illustris, ad id nominavit, & elegit, sub lege conventionibus, pactisve, ab eodem genitore vestro, ac vobis mihi sanctissimi Patris, ac Domini, Domini Martini Divina Providentia, summi Pontificis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine, sub forma præscripta solemniter promissis prout quemque vestrum contingunt, ad occupandum Regnum Aragonum & Comitatum Barchinoniæ provideo, & vos ad id faciendum singulariter deputato, in Terraconen. Civitate, ipsius Territorio, districtibus, & pertinentiis memoratæ Romanæ, ac Terraconen. Ecclesiarum per omnia Jure salvo, cujusmodi provisionem & deputationem taliter à me factas, idem Carolus memorato Rege Franciæ genitore suo approbante, & in his expresse consentiente acceptavit & recepit. Philippo Fratre suo primogenito præsente, & in his eidem Carolo congaudente, homagium autem & juramentum, prout in nostris litteris continetur ab eodem Carolo eximiam & recipiam, cum ad ætatem, ad hoc aptam, pervenerit, quam implere creditur idem Carolus infra mensem à tempore confectionis præsentium numerandum.

In cujus rei Testimonium sigillum meum duxi præsentibus appendendum.

Datum Anno prædicto Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno tertio.

ANNO 1284.

ANNŌ 1288.

NICOLAUS QUARTUS, PONTIFEX CXCIII.

ANNO DOMINI MCCLXXXVIII.

VIde Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 159.

Bulla Regi Angliæ directa, monitoria ut inducat ALFONSUM Regem Aragoniæ, quod intendat liberationi Caroli primo geniti Regis Siciliæ, quem carceri detinuit mancipatum: Anno 1288.

I. Ex Arch. Angliæ Rimer Tom. 2. pag. 358.

NICO-

ANNO 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

AD liberationem carissimi in Christo filii nostri Caroli primogeniti claræ memoriæ C. Regis Siciliæ, paternæ sollicitudinis studio intendentes, Nobilem virum Alphonsum, natum quondam Petri, olim Regis Aragonum, qui primogenitum ipsum detinet carceri mancipatum, per nostras monemus Litteras speciales, ut eundem primogenitum sublato difficultatis obstaculo plenæ restituat libertati.

Venerabilibus quoque fratribus nostris B. Ravennat. & P. montis Regalis Archiepiscopis, ac dilecto filio fratri Raynono de Viterbio, Ordinis Prædicatorum, sedis Apostolicæ nunciis, per alias litteras nostras injungimus, ut eumdem Nobilem personaliter adeuntes, ei prædictas, quas sibi, sicut præmittitur, dirigimus litteras repræsentent; ipsum, quod hujusmodi apostolicis monitis & beneplacitis humiliter, & effiaciter acquiescat, sollicitè inducendo.

Rogamus itaque celsitudinem Regiam & hortamur attentè, quatinus, pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia eundem Alfonsum efficaciter & diligenter inducas, ut monitis & beneplacitis supra dictis humiliter & efficaciter acquiescere non postponat; ita quod exinde Regiæ devotionis promptitudinem non immerito commendemus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Id. Martii Pontificatus nostri Anno primo.

II. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 358.

Pactis, sive conditionibus pro liberatione Caroli Principis Salernitani conventis assensum se præbere nullo modo denunciat: anno 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, Regi Anglorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum ad procurandam liberationem carissimi in Christo filii nostri Caroli, Primogeniti, claræ memoriæ C. Regis Siciliæ, qui contra Deum & justitiam, contra fas & licitum carceralibus vinculis detinetur, pio & laudabili concepto proposito Regalis benignitatis felicis recordationis, Honorium Papam, Prædecessorem nostrum, dum adhuc viveret, per litteras & nuncios requisivit, ut ad partes illas aliquos probos viros, ad procurandum unà tecum, liberationem hujusmodi duceret transmittendos.

Qui, Regiæ requisitionis instantiæ benignus annuens, dictumque prosequens uberi favore negotium, Venerabiles Fratres nostros B. Ravennat. & P. Montis Regalis Archiepiscopos, propter hoc ad partes ipsas, certis datis eis informationibus, destinavit.

Postmodum autem ad prædecessoris notitiam prælibati pervenit, quod nonnullis pacis tractatibus inter eundem Primogenitum & Alfonsum ac Jacobum, quondam Petri, olim Regis Aragon. filios, hactenus habitis dictus Alfonsus sibi per Ecclesiæ Salsen. Præpositum intimavit, quod idem Jacobus & Constantia, mater ejus per certos nuncios duxerant requirendum, ut ipse à compositione sive concordia, pridem inter eum illosque tractata, dum adhuc in Siciliæ partibus Primogenitus ipse esset, recedere non deberet, quodque dictus Alfonsus intendebat omnino eorum in hac parte prosequi voluntatem.

Verumtamen procuraret, eosque compelleret quòd contenti existerent ut, absque conditione, vel retentione aliqua, Siciliæ insulam, cum Insulis omnibus quæ sibi adjacere noscuntur, terramque totam infra Reg: Archiepiscopatus limites consistentem Tunitique tributum, Regi Siciliæ debitum eidem Jacobo & Hæredibus suis in perpetuum Primogenitus ipse duceret concedenda.

Et quod insuper procuraret & faceret, ut concessionem, seu donationem hujusmodi Sedes Apostolica confirmaret, ac processus contrà eundem Petrum, super privatione Regni Aragon. & alios quoslibet contra præfatos Alfonsum, Jacobum & Constantiam, eorumque vassallos per sedem ipsam habitos; nec non & concessionem de prædicto Aragon. Regno factam, totaliter revocaret.

Quodque præfatus Alfonsus adjecerat per Salsen. Præpositum supra dictum, quod nec per obsides, neque per securitates illas, poterat dictus Primogenitus quomodolibet liberari, donec prædicta perducta existerent ad effectum.

Ac etiam eundem Jacobum & ipsius Primogeniti natam, ætate majorem, ac Primogenitum ejus, & Isalandam, Alfonsi & Jacobi prædictorum sororem, contingeret matrimonialiter copulari.

Et ut prædicta possent melius perfici efficaciusque compleri, Treugæ, quæ Romanam Ecclesiam, & ejus valitores, ut Patriæ verbis utamur, includerent, inirentur à medietate mensis Maii, tunc venturi proximo, inchoandæ, ac ex tunc per biennium duraturæ; ita tamen quod idem Jacobus præfato Alfonso in guerra qualibet posset auxilium impertiri.

Quare præfatus Prædecessor, præmissa diligenter attendens, eaque ferens, non indigne, molestè, cum illa in derogationem grandem honoris Ecclesiæ, ac ejus, & ipsius Primogeniti Hæredumque suorum grave præjudicium opprobrium plurimum, & læsionem multiplicem redundarent, tractatum hujusmodi, de fratrum suorum Consilio reprobavit expresse: Et si forte de facto processerat, cassavit & penitus vacuavit, ipsum omnemque illi similem præsumi ulterius districtius inhibendo; & si quis ex tunc foret quoquomodo præsumptus; eum decrevit irritum & inanem, ac nullius existeret firmitatis.

Præfato verò Prædecessore naturæ debitum persolvente, à nobis & fratribus nostris, quorum nos tunc numerus includebat, per litteras speciales & nuncias celsitudo Regia postulavit, ut pro liberatione Primogeniti supra dicti complenda, quæ prout ipsarum innuebat series litterarum, sub certis conditionibus, quarum nobis & fratribus ipsis certitudo non aderat, præventura in proximo sperabatur ad prorogationem Treuguarum, per carissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum Illustrem, cum Alfonso faciendam prædicto, à Festo Beati Michaelis, tunc proximo secuturo, usque ad annum, opem daremus & operam efficacem.

Unde nos & iidem fratres nostri gerentes potissime cordi negotium, & liberationem hujusmodi, votis ferventibus cupientes, etiam ipsius sollicitam & perseverantem prosecutionem negotii; sub certa forma sollicitius & affectuosius exhortantes, prædicto Regi Franciæ super hoc, quamquam hujusmodi nobis existerent conditiones incertæ, nostras sub certa forma litteras, de qua vidimus expedire negotium,

ANNO 1288.

per eosdem nuntios suos, quos celeriter expediri curavimus, duximus dirigendas aliis nihilominis tibi, super hoc subsequent., exhortatoriis litteris destinati.

Cumque postmodum supernæ dispositioni arbitrio, ad Apostolicæ promoti fuissemus fastigium dignitatis, carissima in Christo filia nostra Maria consors Primogeniti supra dicti, per dilectum filium nobilem Virum Ricardum de Noblaus, ejus nuncium, à nobis, pro liberationis ejusdem Primogeniti consummando negotio, certum pecuniarum subsidium postulavit.

Ad nostram nihilominus perducto notitiam, quod liberatio eadem sub gravissimis & durissimis pactis, & considerationibus variis & diversis quorum nonnulla annotantur inferius, tractabatur; de quibus aliqua, si diligenter attenditur, & sollicita meditatione pensatur, divinæ majestatis oculis odisa, nonnulla iniuriosa & periculosa nimis Ecclesiæ, nonnulla plena dispendiis & damnosa valde Primogenito & Hæredibus supra dictis quædam non modicum, immo quamplurimum præjudicialia Regi Franciæ memorato, quædam fore impossibilia, quædam illicita peernitiosa exemplo, ac horrenda & abominanda fidelibus, prout ex eorum inspectione plene colligitur dignoscuntur.

Quare super his cum fratribus nostris exacta & matura perpensaque deliberatione præhabita, prout tanti, & tam ardui negotii qualitas exigit, non vidimus, quantumcumque personam ipsius primogeniti diligamus, quantumcumque statum votivum & prosperum exquiramus ipsius, suæque liberationis cupiamus effectum hujusmodi pactis & conditionibus quomodolibet annuend. cum dictus Primogenitus libertati taliter restitutus, gravioribus quodammodo ligatus vinculis, & statui duriori subjectus, ejusque filii multimodis expositi casibus viderentur. Et Ecclesia etiam quibusdam validis redderetur circumplexa funiculis, & majoris oneris sarcina prægravata.

Prædictam consortem rogantes attentius & hortantes, ut profundæ considerationis indagine præmissa discutiens, & infra claustra pectoris sedula & attenta meditatione revolvens, advertens quoque sollicitè sincerum & benevolum, quem in hac Ecclesia eadem gerit affectum, patienter sustineat, & submantis humilitate comportet, si pacta & conditiones hujusmodi non duximus admittenda; nam si pecuniarum duntaxat subsidium ad liberationem ejusdem primogeniti existeret opportunum, gratiosam satis & favorabilem se prædicta Ecclesia exhiberet.

Porro carissime fili, non indigne mirari posse mus quod tractatus hujusmodi seriem, quæ non erat procul dubio velanda silentio, nobis & fratribus nostris cum de numero, sicut præmittitur essemus, ipsorum, non duxit sollicitudo Regia intimandam; quodque tam gravibus pactis & conditionibus Regius animus acquievit; nam, & si præfati primogeniti liberatio, sub decentibus, licitis, possibilibus, & honestis conditionibus, sine pactis, grata nobis existeret, prædictis tamen pactis seu consimilibus nullatenus præberemus assensum.

Ea verò, quæ de pactis & conditionibus ipsis præsentibus inferi fecimus, hæc sunt.

Ponentur in posse Alphonsi noti quondam Petri olim Regis Aragonum, pro obsidibus, tres filii carissimi in Christo filii nostri, Caroli primogeniti, claræ memoriæ, C. Regis Siciliæ, & carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ consortis ejus, duos scilicet majores post primogenitum ante liberationem suam infra decem menses, & pro securitate ipsius primogeniti ponatur etiam in posse dicti Alfonsi, simul cum aliis natis post primogenitum, & alius filius prædictorum Caroli & Consortis, qui est in provincia ante sui liberationem.

Item ponantur in posse præfati Alfonsi & hæredum suorum, ante ipsius Caroli primogeniti liberationem quinquaginta millia marcarum argenti, scilicet triginta millia marcarum in pecunia auro & argento, & viginti millia marcarum in securitate; quam securitatem viginti millium marcarum debet facere illustris Rex Angliæ Alphonso prædicto & suis hæredibus; de qua iidem Alphonsus & hæredes sui sint pacati sub tali conditione quod, nisi infra dictos decem menses, positus fuerit primogenitus Caroli & Consortis prædictorum, in pleno posse memorati Alfonsi & hæredum suorum, ex tunc dicta pœna sit applicata eidem Alfonso, vel hæredibus pro pœna & tertius filius, datus pro primogenito, sit incursus eidem Alfonso, vel hæredibus suis, salvis eidem vita & membris; si verò prædicta completa fuerint, infra dictos decem menses, restituatur filius datus pro primogenito, & quantitas, & securitas data ratione dictæ quantitatis sit absoluta.

Item, debet ponere præfatus Carolus primogenitus, ante sui liberationem, in posse ipsius Alfonsi, & hæredum suorum, obsides primogenitos Baronum & magnatum, militum, Civium, & Burgensium Provinciæ, usque ad numerum quadraginta, illos, scilicet, quos idem Alfonsus, vel ejus hæredes elegerint, de quibus magis sibi placuerit: vel saltem, de illorum obsidum Provinciæ numero medietas tradatur, una cum filiis dicti Caroli, Alfonso præfato, vel hæredibus suis ante liberationem ejusdem Caroli, & alia medietas infra tres menses post liberationum suam de qua traditione medietas obsidum facienda, infra tres prædictos menses, detur dicto Alphonso vel hæredibus suis firma securitas de qua ipse sit contentus, & si aliqui fuerint ex ipsis Baronibus & Magnatibus, qui filios non haberent personæ ipsorum ponantur in hostagiis, in posse dicti Alfonsi vel hæredum suorum, vel pro personis, possint dare totidem de proximioribus suis, qui sufficientes ad hoc fuerint ad cognitionem ipsius Alfonsi vel hæredum suorum.

Et quod dictus Carolus faciat fieri homagium, cum juramento, dicto Alfonso, vel ejus Procuratori, per Castellanos Castrorum ejusdem Caroli in Provincia, quod nisi pacem fecerit dicto Alfonso, & Jacobo fratri ejus, & hæredibus ipsorum, pro se & Romana Ecclesia, & illustribus . . . . . Franciæ & Carolo Aragoniæ Regibus, de qua idem Alfonsus sit contentus, vel hæredes sui, vel nisi ad carcerem ipsius vel hæredum suorum redierit infra tres annos, quod attendant cum Castris & obediant eidem Alfonso & hæredibus suis, ut Domino: & terra provinciæ sit totaliter ipsius Alphonsi & hæredum suorum in perpetuum, jure hæreditario, & ipsi Castellani non tradant dicta Castra prædicto Carolo primogenito, nec alicui alii, nisi dicto Alfonso, vel hæredibus suis vel cui, seu quibus idem Alfonsus vel hæredes sui mandaverint, ubi dictus Carolus primogenitus non compleverit prædicta, nec ipse Carolus possit eis dicta Castra auferre.

Et si contigerit aliquis ex illis Castellanis mori, dictus Carolus primogenitus non possit, loco ipsorum defunctorum, aliquem vel aliquos Castellanos substituere, nisi de consanguineis proximioribus dictorum obsidum.

Et ipsi substituti faciant homagium cum sacramento ipsi Alphonso & hæredibus suis, juxta formam sub qua defuncti ipsi eidem Alphonso dictum juramentum & homagium præstiterunt,

ANNO 1288.

&c

ANNO 1288.

& ipsa Castra commendentur & tradantur, ante liberationem ipsius Caroli primogeniti consanguineis proximioribus ipsorum obsidum.

Et nihilominus, pro prædictis omnibus & singulis, syndici Civitatum & Villarum, nomine suo, & Universitatum suarum, Barones autem & milites per se faciant juramentum, & obligent se, cum publicis instrumentis, eidem Alfonso, vel suis hæredibus, vel ejus Procuratori, ante liberationem Caroli primogeniti memorati, quod attendant & obediant ei, ut Domino, vel ejus hæredibus, nisi dictus Carolus primogenitus, vel ita compleverit, vel ad ipsius Alfonsi carcerem redierit, vel hæredum suorum, infra prædictum terminum, absolvat eos cum publico instrumento, suo sigillo sigillato, à naturalitate, & fidelitate, & Dominio, quibus sibi tenentur.

Item, ante deliberationem ipsius Caroli primogeniti, debent prorogari & firmari treugæ, quæ sunt hodie inter Regem Francorum illustrem & eundem Alfonsum, eodem modo quo præsentes treugæ datæ & firmatæ sunt, à Festo sancti Michaelis, proximo venturi, usque ad annum completum, & quod dictus Carolus primogenitus faciat dari treugas per annum prædictum completum, de tota Provincia dicto Alfonso, vel Jacobo fratri suo, & eorum hæredum, de omibus quæ hodie tenent.

Item, dictus Carolus primogenitus, post liberationem suam, debet procurare & facere quod, infra prorogationem prædictarum treugarum, ipse & Ecclesia Romana, & præfati Franciæ & Aragoniæ Reges pro se, & Valitoribus suis, dabunt treugas prædictas memorato Alfonso & Jacobo fratri suo, & hæredibus ipsorum, ac etiam valitoribus eorumdem de omnibus quæ dicti Alphonsus & Jacobus, & hæredes ipsorum tenebunt.

De qua dabuntur treugæ dictorum trium annorum à die deliberationis suæ usque ad tres annos completos, & ultra per sex menses, si dictus Carolus primogenitus, in fine dictorum trium annorum, non redierit ad carcerem Alfonsi prædicti, vel hæredum ipsius, quod nisi faceret & compleret, & fieri faceret, & compleri, vel nisi ad carcerem dicti Alfonsi, vel hæredum suorum redierit infra prorogationem prædictarum treugarum unius anni, hostagia omnia, per ipsum Carolum Primogenitum data, & terra Provinciæ, & quantitas quinquaginta millium marcarum argenti, pro securitate Ecclesiæ Romanæ facienda, assignata sint incursa in posse Alfonsi prædicti, vel hæredum ipsius, ad faciendum de eis suas liberas voluntates, salvis obsidibus vita, & membris, & quod dictus Alfonsus debet, pro se, & Jacobo fratre suo, & nihilominus dari faciat ab eodem Jacobo treugas omnibus prædictis, à quibus treugas recipient, & eo modo quo sibi dabuntur.

Item, dictus Carolus primogenitus infra annum unum post deliberationem suam, procurabit & faciet fieri quod Ecclesia Romana firmet & assecuret idoneè quod, nisi dictus Carolus primogenitus faciat pacem eidem Alfonso & Jacobo fratri suo, de qua sint contenti iidem Alfonsus & ejus hæredes, vel nisi redierit ad carcerem ipsius Alfonsi, infra tres annos, post liberationem suam, & quod Ecclesia non faciat guerram Alfonso prædicto, vel Jacobo fratri suo, vel hæredibus eorumdem, nec terris quas hodie tenent & possident, nec juvabit prænominatum Carolum primogenitum, nec nocebit eidem Alfonso, nec Jacobo fratri suo, nec hæredibus eorumdem, nec Jacobo fratri suo, nec hæredibus eorumdem, nec terris quas hodie possident ex aliqua causa, & si istam securitatem non procuraverit nec fieri fecerit, infra unum annum post deliberationem suam, ut præmittitur, admittat quinquaginta millia marcarum argenti, quæ applicentur eidem Alfonso & hæredibus suis: quam quidem pecuniam assecuret per Regem Anglorum illustrem, ante sui liberationem, in posse ipsius Alfonsi & hæredum suorum, sub securitate, de qua idem Alfonsus & hæredes ejus sunt contenti; salvo quod si infra dictos tres annos pacem fecerit eidem Alfonso, & Jacobo, & hæredibus suis de qua idem Alfonsus, & ejus hæredes pacati existant, vel ad carcerem sæpe dicti Alfonsi, vel hæredum suorum redierit, dicta securitas, ratione præfatæ pœnæ, sit absoluta, & ipse Carolus primogenitus absolutus à pœnæ incursione prædictæ.

Item, si præfatus Carolus primogenitus, infra tres dictos annos, pacem non fecerit præfatis Alfonso & Jacobo fratri suo, & hæredibus suis, pro se & Ecclesia Romana, & præfatis Franciæ & Aragoniæ Regibus, de qua dicti Alfonsus & ejus hæredes pacati existant, vel nisi redierit ad carcerem ejusdem Alfonsi vel hæredum ipsius, hostagia omnia, per ipsum Carolum primogenitum data, & terra provinciæ sint incursa in posse dictorum Alfonsi vel hæredum ipsius ad faciendum de eis suas liberas voluntates, salvis ipsis obsidibus vita, & membris; & salvo quod, si contingeret ipsum Carolum primogenitum mori, infra dictos tres annos, & occasione ipsius mortis supervenientis non posset pacem facere, ut prædicitur, hostagia per ipsum data, & Terra Provinciæ non sint incursa in posse dictorum Alfonsi, & hæredum ipsius, sed dicti Obsides remaneant, & sint sub obligatione sua, & ejus dominio tam diu, donec ipsum negotium per pacem, de qua præfati Alfonsus & hæredes sui pacati existant, fuerit consummatum; salvis eisdem obsidibus vita & membris, & quantumcumque differatur pacis perfectio, fiet restitutio de hostagiis post pacis perfectionem.

Item, præfatus Alfonsus assecuret, per jam dictum Regem Anglorum, quod compleat sæpefato Carolo primogenito, & ejus hæredibus, omnia quæ sibi promittit, prædicto tamen Carolo primogenito complente, etiam dicto Alfonso & suis hæredibus, quæ sibi in sua deliberatione promittit.

Item, sæpefatus Carolus primogenitus promittet, cum juramento, corporaliter præstando, prædictis Alfonso & ejus hæredibus, ante sui liberationem, & etiam post quam fuerit cum Rege Anglorum prædicto, infra triduum, quod faciet pacem eidem Alfonso, & Jacobo fratri ejus, ac hæredibus eorumdem, pro se & Romana Ecclesia, nec non & Franciæ & Carolo Aragoniæ Regibus memoratis, de qua dicti Alfonsus & hæredes ipsius sint pacati, vel redibit ad carcerem dicti Alfonsi, vel hæredum suorum, infra triennium post liberationem suam; & quod infra spatium ejusdem triennii nihil pati contrarium procurabit, neque per se alium neque aut tractando de prædictorum Alfonsi & Jacobi, vel hæredum ipsorum incommodo, quantum ad personas, & bona & terras, & alia, quæ ipsi tenebunt & possidebunt tempore liberationis Caroli primogeniti supra dicti, aut molestias, per se vel per alios inferendo aut conspirationes aliquas contra eos vel eorum aliquem faciendo aut fieri permittendo, ubi ipse per se vel alium machinamenta hujusmodi poterit impedire.

Item dictus Carolus Primogenitus promittet, & jurabit, ante sui liberationem, quod complebit, & fieri faciet, terminis in hoc scripto

ANNO 1288.

contentis, omnia quæ superius sunt expressa, & quod juramenta, & omnia pacta, in præsentis scripti annotatione contenta, renovabit infra triduum postquam fuerit cum Rege Anglorum illustri, quod, si non faceret, sit infamis & perjurus, & nunquam honore Regio potiatur, vel Regio nomine nominetur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Id: Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

III. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 2. pag. 365.

Bulla Regi rogatoria, quod, ejus ministerio, Carolus Princeps Salernitanus, plenariæ libertati restituatur: anno 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

A Regali memoria non credimus excidisse, quod felicis recordationis, Honorio Papæ prædecessori nostro varia pacta & conditiones, dudum tractato ut dicebatur, & inita super liberatione dilecti filii, nobilis viri, Caroli primogeniti, claræ memoriæ, Caroli Regis Siciliæ, præsentata fuerunt.

Quibus idem Prædecessor recensitis plenius & inspectis, & comperto denique quod illa in derogationem grandem Honoris Ecclesiæ Romanæ, ac ejus & ipsius primogeniti, hæredumque suorum grave præjudicium multum opprobrium & læsionem multiplicem redundabant, pacta & conditiones prædicta, de fratrum suorum Consilio, reprobavit expresse.

Cumque postmodum, per ejusdem Prædecessoris obitum, Apostolica sede vacante, quædam ex præmissis pactis, & conditionibus, ac nonnulla alia collegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præsentata & oblata fuissent, prædictum Collegium, deliberatione super ipsis inter se habita diligenti, ea ut pote memoratæ Ecclesiæ ac primogeniti, & hæredum ejus prædictorum, honori contraria, nullatenus admittere voluerunt, nosque demum, ad apicem summi Apostolatus, divina dispositione assumpti eadem pacta & conditiones, quæ dicto Collegio præsentata fuerunt super liberatione præfati primogeniti, nostris auribus intimata, non duximus, ex justis causis, quas tibi scripsisse recolimus admittenda.

Veruntamen, quia ipsius Caroli detentio nobis admodum est molesta ejusque afflictio graviter nos perturbat, nec mirum, cum ipsum, ut pote ipsius Ecclesiæ peculiarem filium, inter privatæ dilectionis contineamus amplexus ejusque libertatem, quantum cum Deo possumus, ferventer quæramus, & liberationem ferventiùs affectamus.

Celsitudinem Regiam attente rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatinùs, cum pro tractanda liberatione dicti primogeniti varios sumptus sustineris, ut intelleximus, & labores à prosecutione hujusmodi negotii non desistas, sed per honestos modos & licitos & etiam honori Ecclesiæ congruos, ut effectum consequatur optatum, interponas sollicitè ac efficaciter partes tuas; ita quod, tuo ministerio, idem primogenitus faciente qui potest, restitui valeat plenariæ libertati.

Datum Reat. septimo Calendas Junii, Pontificatus nostri Anno primo.

ANNO 1289.

IV. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 2. pag. 427.

De Translatione Abbatiæ de Aberconwey, & de validitate Bullarum à Pontifice nondum benedicto, & consecrato confectarum, ac electi nomen nullatenus exprimentium Anno 1289.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii de Aberconewete in Vuallia, Cestertiensis Ordinis, Bangarensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

EX parte carissimi in Christo filii nostri Edvardi Regis Angliæ illustris, fuit propositum coram nobis, quòd felicis recordationis, Honorius Papa, Prædecessor noster, ante consecrationem, & benedictionem suam, intellecto, quod Monasterium vestrum ob certas causas rationabiles in loco, ubi tunc erat non poterat commodè remanere. Præfatus Prædecessor nondum benedictus, & consecratus ad devotam ipsius Regis supplicationis instantiam, transferendi præfatum monasterium de præmisso loco ad locum, in quo nunc situm esse dignoscitur, per litteras suas bullatas bulla sua, quæ nomen suum nondum exprimebat, vobis concessit liberam facultatem: sicque vos litterarum ipsarum auctoritate, sicut asseritis, de priori loco præfatum monasterium transtulistis. Licet igitur quoad hujusmodi actum seu gratiam, eædem litteræ, sic bullatæ plenam, immo plenissimam in se habeant potestatem, maximè cum sedes Apostolica, ante consecrationem & benedictionem Electi in summum Pontificem, cum defectiva bulla, Electi nomen nullatenus exprimente, bullare litteras suas consueverit ab antiquo.

Ut tamen de mentibus rudium error omnis totaliter evellatur, vestris & ipsius Regis devotis supplicationibus inclinati, quod per easdem litteras super hoc factum est ratum & firmum habentes id, prout tenemur auctoritate Apostolica approbamus & præsentis scripti patrocinio communimus; nihilominus declarantes seu decernentes hujusmodi translationem dicti monasterii, eandem vim eundemque vigorem habere, ac si per litteras dicti Prædecessoris, integra bulla bullatas alias tamen legitimè facta esset.

Nulli ergo &c. Datum Reatæ 12. Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

V. Ex Ang. Archiv. Rimer Tom. 2. pag. 475.

Edicit quomodo decima Angliæ Regi concessa colligi debeat, & à quibus, & per quas personas: Anno 1290.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper tibi, per alias nostras litteras, decimam Ecclesiasticorum Proventuum Regnorum Angliæ & Scotiæ, ac Terrarum Hiberniæ, & Walliæ sub certis formis & modis, duximus concedendam.

Tecum tamen præcipuè, non in tenebris sed in luce ambulare volentes nolumus te latere, quod nostræ intentionis existit, ut Collectores, seu superintendentes ejusdem decimæ colligendæ deputandi, à nobis declarationes

obser-

ANNO 1290.

observent, quæ à collectoribus seu superintendentibus collectæ decimæ sex annorum, impositæ à fælicis recordationis Gregorio Papa decimo Prædecessore nostro in Concilio Lugdunensi, hactenus sunt servatæ, seu ab Apostolica fide, in prædictis Regnis & Terris mandatæ servari præsentibus annotatas, quæ tales sunt.

De redditibus & proventibus leprosiarum domorum Dei & hospitalium pauperum qui in usus leprosorum, infirmorum & pauperum convertuntur decima non solvetur.

Moniales etiam, aliæque regulares personæ, quarum redditus & proventus Ecclesiastici adeo sunt tenues & exiles, quod de illis sustentari non possunt, sed pro habenda vitæ suæ sustentatione necesse habent publicè mendicare, & eleemosinas publicè petere dictam decimam non persolvant.

Seculares quoque Clerici quorum Ecclesiastici redditus & proventus annui summam sex marcarum argenti non excedunt, eandem decimam non præstabunt.

Si verò una persona plura habeat beneficia quorum nullum per se acceptum dictam summam sex marcarum annuatim attingat, simul tamen collecta in annuis proventibus summam memoratam excedat, quotquot, vel quantumcumque modica fuerint, de omnibus & singulis decima persolvetur.

Sed non solum solvetur de Pitantiis monachorum, similiter de ipsis, quæ à Christi fidelibus relinquuntur Ecclesiis; ut ex eis perpetui emantur redditus.

Item de exenniis, Prælatis & aliis Personis Ecclesiasticis liberaliter factis, decima non solvetur.

Declaramus autem quod his, qui vendunt proventus beneficiorum suorum, quæ personalem residentiam non requirunt, solvent decimam pro solo pretio quod recipietur de eisdem; dum tamen circa hoc in fraudem decimæ nihil omnino agatur.

Sed Ecclesiastica persona, quæ in Ecclesia sua, seu beneficio, quod residentiam personalem requirit, non residerit, sed faciat in eodem per firmarium vel vicarium deserviri, deputando ipsi Vicario, vel firmario certam suorum proventuum portionem, non deducet partem Vicarii seu firmarii, sed de universis ipsius Ecclesiæ vel Beneficii proventibus decimam exhibebit.

Declaramus etiam quod de Silvis seu nemoribus quæ non consueverunt vendi, nihil solvetur, nisi fortè aliquid de illis venditum fuerit durante decima: & tunc extimabitur quantum valere debeat annui redditus pars vendita secundum assisiam quæ consuevit fieri de nemoribus, in partibus illis, in quibus nemus venditum situm fuerit; & de sola extimatione decima persolvetur, & nisi de eo quod perciperetur de dictis silvis, seu nemoribus, quæ vendi non consueverunt, nec fortè vendentur durante decima ex venditione pascuagii, seu herbagii, seu alterius consimilis proventus eorumdem nemorum, & silvarum; & si non vendantur hujusmodi pasquagia, herbagia & similia non solvetur decima de iis; ita tamen quod in fraudem decimæ nihil circa hoc attententur.

Idemque de pascuis, herbagiis & consimilibus obventionibus silvarum cæduarum volumus observari.

De stagnis & piscariis, si vendantur de pretio decimæ sic solvetur, videlicet, quod fiet collatio de numero annorum quibus ante venditionem ultimam, vendita non fuerint ad quantitatem pretii ex ipsa ultima venditione recepti, ut pretio diviso in partes, secundum annorum numerum, durante decima, solvetur decima ipsa de tot partibus pretii ex ipsa venditione recepti quot fuerint anni prædicti.

Ut, si forte sunt quinque anni elapsi, ex quo fuerat stagnum venditum, & nunc vendatur pro centum marcis, fient de pretio quinque partes, & pro tribus annis quibus durabit decima, solvetur ipsa decima de tribus partibus pretii tantum, videlicet, de sexaginta marcis; & sic multiplicabuntur, & minuentur partes pretii, prout plures vel pauciores fuerint dicti anni.

De venationibus autem & piscariis Fluminum & Lacuum, si vendantur, & Sylvis cæduis, idem quod de stagnis fiet.

De piscibus stagnorum vel bestiis garenarum quos pro usu, vel esu suo capi, & sic consumi, vel sine fraude donari contigerit, decima non solvetur.

Et, quia nonnulli obtinent à monasteriis & Ecclesiis Prioratus, Grangias domos, redditus, pensiones, & census, in solvenda de iis decima credimus distinguendum, videlicet, an talia in beneficium habeantur; An ex contractu? An ex mera gratia? Et an pro mercede laboris vel obsequii.

Et quidem obtinentes talia in beneficium & etiam ex mera gratia, sive hoc sit concessum per Sedem Apostolicam, sive per ipsorum monasteriorum vel Ecclesiarum personas, de illorum proventibus solvent decimam.

Cum autem obtinentur talia ex contractu, puta ad pensionem, vel firmam annuam, in qua non est facta gratia obtinenti, sed in hoc uterque contrahentium studuit conditionem suam facere meliorem, perceptores pensionis vel firmæ de ipsa pensione, vel firma decimam exhibebunt.

Si autem, quis ante vel post concessionem hujusmodi decimæ, ad vitam propriam emit proventus Prioratus, vel aliorum prædictorum, pro aliqua pecuniæ quantitate, ita quod in hoc ei scienter gratia non est facta: Considerabitur quantum extimatione communi valeant annui proventus Prioratus Grangiæ, domus, terrarum, seu redditum hujusmodi, & secundum hoc ab illis quorum est horum proprietas, qui inde pretium pro futuro tempore receperunt per tres annos decima exigetur.

Si autem in iis gratia facta sit obtinentibus, quia scienter pro minori pretio, quàm valeant, sunt talia vendita vel locata: ipsi obtinentes & non monasterium vel Ecclesia, de illo, in quo gratia facta est ipsis, & de reliquo, illi, quorum est proprietas, decimam exhibebunt.

Si autem personis aliquibus pro justa mercede, seu remuneratione laboris vel obsequii, præstiti vel præstandi, talia concessa sunt: ii, quorum est illorum proprietas, in decimatione proventuum suorum etiam horum proventus merito numerabunt, & de illis, sicut de aliis, quos pro certis suis utilitatibus expendunt, decimam exhibebunt.

Quod si hæc per illos, qui ea obtinent, ritè in alios sunt translata, quia res transit cum onere suo, etiam circa illos quæ prædiximus servabuntur.

Nec deducentur expensæ, quæ pro monachis, qui in talibus Prioratibus Grangiis, seu domibus in beneficium, seu ex mera gratia concessis, ex parte teneri debent fieri dignoscuntur: expensæ autem illorum monachorum vel personarum, qui teneri debent ex pacto, in prioratibus, grangiis, seu domibus, ad justam firmam vel pensionem concessis, sive determinatæ fuerint, sive non extimabuntur ex-

ti-

ANNO 1290.

timatione communi, & talem extimationem Monasterium vel Ecclesia, cujus illorum est proprietas, cum suis Proventibus decimabit.

Prælati de procurationibus, quas in victualibus percipiunt, decimam non persolvant; Sed qui eas præstant hujusmodi victualia, in decimatione suorum proventuum, & reddituum numerabunt & solvent decimam de eisdem.

De illis autem procurationibus, quas Prælati in pecunia numerata rite percipiunt ab antiquo, & quas percipient etiamsi non visitarent, decimam præstare tenentur.

Prælatus autem, qui procurationem, quam sine visitatione potuit de jure percipere in pecunia numerata, remittit alicui Ecclesiæ, quia remittit quod sibi debetur, & de quo solvisset decimam si recepisset illud, tenetur ex tali procuratione decimam exhibere.

Si verò procurationem quam tantum in victualibus licet percipi, fortasse remittat persona Ecclesiastica, cui remissio facta est hujusmodi, victualia cum aliis suis proventibus, cum solvet decimam, extimabit, cum etiam, si non esset remissa, hoc facere teneretur.

In solvendo decimam supra dictam solæ expensæ necessariæ, quæ fiunt in re ex qua fructus percipiuntur, arando, & colendo, ac colligendo fructus, sine quibus non possunt ipsi fructus percipi, deducentur.

Expensæ autem, quæ fiunt in Castrorum Custodibus, cum sint extra rem, vel etiam in ædificiis construendis vel conservandis, nullatenus deducentur.

Sic nec illæ, quæ pro villis tuendis fierent in guerris, seu etiam calvacatis.

De iis quoque, quæ consistunt in jurisdictione, mero Imperio, Regalibus, atque similibus, solvetur decima: deductis moderatis solariis, quæ ante concessionem decimæ, consueverunt persolvi Judicibus Officialibus consimilibusque personis, sine quibus jurisdictio, & cætera similia nequeunt exerceri, ita tamen quod in fraudem decimæ nihil circa hoc aliquatenus attentetur.

Sed expensæ Officialium, Judicum, & consimilium personarum, factæ in vestribus sive victualibus, minimè deducentur, sicut nec aliæ expensæ similes, factæ circa aliam familiam Prælatorum.

Ratione autem æris alieni, quo persona, solvens decimam, obligata consistit, nihil de decima minuetur, etiamsi certæ res Ecclesiasticæ, propter hoc, à quocumque fuerint specialiter obligatæ.

Item de furnis & molendinis decima præstabitur.

Solvetur autem decima de oblationibus, sive fiant pro benedictione nubentium sive pro exequiis mortuorum.

Nec non de proventibus sigillorum Prælatorum, & de emendis quæ ab excommunicatis recipiuntur.

De legatis quòque, sibi & aliis personis Ecclesiasticis, non personarum sed Ecclesiarum vel Officiorum ratione, relictis, decima persolvetur.

Pro decima supradicta non exigetur pecunia, nisi illa quæ communiter curret de mandato Domini terræ, cujus est moneta in locis, in quibus consistent fructus & redditus, unde decima persolvetur, nec aliqui pecuniam cambire cogentur eandem.

Si ex probabilibus seu verisimilibus præsumptionibus apparuerit aliquem, pensatis ejus proventibus, minus debito notabiliter de decima persolvisse, ita quod super hoc meritò suspectus debeat reputari ex officio nostro per viros idoneos, deputandos à nobis, faciemus inquiri ab illis, qui super hoc scire valeant, veritatem, videlicet de Consilio Diocesani Episcopi, vel aliquo deputando ab ipso, si sit ejus subditus, & non aliter, si Episcopus ipse, vel deputatus ab eo commodè possit haberi, & nunc demum & non prius ille, cujus proventus fuerint taliter extimati, pro eo quod minus solveret, etiam nominatim excommunicabitur, si ejus contumacia exegerit, & visum fuerit expedire.

Episcopi autem & Abbates cæteræque personæ Ecclesiasticæ honorabiles non suspectæ, propriæ conscientiæ relinquentur, ita quod sufficiat quoad tales excommunicationis sententia, quæ in nullo modo solventes, vel scienter minus solventes, & adhibentes fraudem, vel malitiam circa ipsius decimæ solutionem, generaliter proferetur.

Super his autem fiet compulsio, per Censuram Ecclesiasticam, prout nobis, & illis, quibus hoc duxerimus committendum, visum fuerit expedire.

Proferetur autem, si expediens visum fuerit excommunicatio generaliter, vel specialiter in eos, qui contra solutionem decimæ, vel suorum extimationem proventuum, cum fuerit facienda, fraudem, vel malitiam scienter duxerint adhibendam.

Nullus autem non solventium compelletur per secularis violentiam potestatis, nisi ipsius, non solventis contumacia vel rebellio talis aut tanta fuerit, quod meritò contra ipsum, sicut fieret in aliis casibus, seu negotiis propter Ecclesiasticæ censuræ contemptum invocari debeat auxilium brachii secularis.

Fiet autem solutio decimæ, non in ipsis rebus, quæ percipiuntur de proventibus, sed in pecunia numerata.

Solvetur autem decima illis personis, quas ad hoc contigerit deputari.

Rector Parochialis Ecclesiæ qui, urgente necessitate curæ Ecclesiæ suæ, puta quia ipse, residendo personaliter in eadem, per se non sufficit ipsi curæ, propter multitudinem parochianorum, vel defusionem Parochiæ suæ, sed necesse habet unum, vel duos, seu plures capellanos conducere, & eis, præter victum salarium constituere: Salarium hujusmodi poterit in decimæ solutione deducere; sed ratione victus Capellanorum ipsorum aliquid non deducet.

Quod, si in diversis Civitatibus seu Diocesibus diversa beneficia obtineat, quis de unoquoque beneficio in Civitate vel Diocesi, in qua illud fuerit decima persolvetur.

De redditibus autem Ecclesiasticis deputatis ad fabricam Ecclesiarum, decima solvetur.

De eleemosinis verò seu oblationibus, datis ad opus fabricæ, maximè de his oblationibus quæ in Civitatibus, & aliquibus Castris & locis prædictorum Regnorum & Terrarum in certis festivitatibus, in candelis, & cereis, & aliis, consueverunt dari, & offerri, ad opus fabricæ deputatis, decima non solvetur.

Similiter nec de illis oblationibus, quæ colliguntur interdum per laicos, qui collectores confortiales dicuntur, & interdum per Clericos, & quæ ad opus Confortii offeruntur, ut inde luminaria in Ecclesia, cruces & calices fiant & reparentur, & etiam ut ex illis pauperibus subveniatur, & sepeliantur corpora pauperum defunctorum.

Prælati autem & Clerici exules, cujuscumque conditionis aut dignitatis existant, de suis proventibus Ecclesiasticis decimam exhibebunt.

Illæ quoque personæ quæ fiunt pro fossatis, & alias etiam pro terris beneficandis, ut uberiores fructus producant: & illæ quæ fiunt in conservandis, & reparandis ædificiis molendi-

norum-

ANNO 1290.

ANNO 1290.

norum, domorum, seu apothecarum, & similium, ex quibus fructus & Pensiones percipiuntur, & nisi reparentur, fructus ex eis percipi non valerent, de decima hujusmodi nomine deducentur, nec etiam illæ quæ fiunt pro custodia castrorum quamvis fiant in hoc majores solito.

Insuper de oblationibus minutissimis, quas percipiunt Ecclesiasticæ personæ ratione Ecclesiarum suarum, pro sepulturis & dandis pœnitentiis, decima persolvetur.

Et quia non occurrit nobis quin cotidianæ distributiones proventus Ecclesiastici sint censendæ, nos cum fælicis recordationis, Clemente Papa Prædecessore nostro, qui de illis decimam, per eum simili subsidio deputatam, debere solvi declaravit & voluit, sentientes, de distributionibus, quæ dantur in horis Canonicis, præsentibus debere solvi decimam declaramus.

Illi quoque qui deputati fuerint ad collectionem decimæ, cum eis, qui debent solvere decimam, de aliqua certa summa solvenda pro decima nequeunt convenire.

De fructibus arborum & hortorum qui vendentur, solvetur decima: de his autem, quæ consumentur usu, vel esu decima non solvetur.

Similiter & de fructibus gregum seu animalium, si sint Ecclesiarum, persolvetur decima, deductis expensis necessariis quæ fient pro custodia, si vero sunt personarum, decima non solvetur.

Insuper te scire volumus quod nostræ intentionis existit, quod à præstatione hujusmodi decimæ, ut præmittitur, per nos tibi concessæ omnes Hospitalis sancti Johannis & militiæ Templi Jerosolimitanorum, ac sanctæ Mariæ Theotonicorum ordinum Domus in prædictis terris constitutæ, penitus excludantur: cum ipsorum ordinum fratres ad defensionem & custodiam dictæ Terræ sanctæ sint specialiter instituti, pro quibus dicti fratres non solum bona ordinum eorumdem abundanter expendunt, verum etiam personas proprias periculis exponere non formidant.

Salvo nihilominus, in prædictis & ea contingentibus, sedis arbitrio memoratæ, super dubiis, quæ possent circa talia exoriri.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem secundo Idus Maji, Pontificatus nostri Anno tertio.

VI. Ex Arch. Angliæ Rimer Tom. 2. pag. 459.

Quod decima debeat colligi secundum verum valorem, & per personas à sede Apostolicâ deputatas: anno 1290.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

GErentes cordi negotium Terræ sanctæ, celsitudini tuæ decimam Ecclesiasticorum reddituum & proventuum in Angliæ & Scotiæ Regnis, ac Hibernia & Vallia, in ipsius Terræ sanctæ subsidium, sub certa forma, per certi temporis spatium, duximus concedendam, prout in Apostolicis litteris super hoc confectis, plenius & serius continetur.

Quia tamen in Regnis, ac Hibernia & Vallia supra dictis diversæ, ut dicitur, fiunt extimationes reddituum & proventuum prædictorum: statuimus ut juxta verum ipsarum valorem, tibi prædicta decima persolvatur.

Sed cum in collectione ipsius si congruo modo non fieret, multorum scandala & animarum possent pericula suboriri, nostræ intentionis existit, ut in collectione ipsa per deputandas ab Apostolica sede personas, taliter actore Domino procedatur, quod & hujusmodi scandala sive pericula valeant evitari, & indemnitati tuæ condigno favore, quantum ad perceptionem prælibatæ decimæ providè consulatur.

Datum apud sanctam Mariam Majorem quarto Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno secundo.

ANNO 1291.

VII. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 530.

Bulla pro Foro Ecclesiastico contra Diplomata Regis Angliæ: Anno 1291.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Edvardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum ad nostram perlato notitiam quod frequenter, cum in Regno tuo super negotiis ad Ecclesiasticum forum spectantibus, Apostolicas litteras emanare contingit; sicut in cæteris Christianorum Regnis usu cotidiano emanant, & consueverint, tam in tuo, quàm in eisdem Regnis retroactis temporibus emanare, illas non licet impunè præsentare Judicibus.

Et si forsitan præsententur, currit quantocius, breve regium, ac earum usum, sub pœnæ comminatione, quam executio prompta sub sequitur, si fiat contrarium, interdicit.

Et quod sæpe, ipsis litteris capiuntur etiam si Ecclesiasticæ sint personæ, quodque propter leves offensas hujusmodi absque delectu dignitatis & status, pro Regali & Ministrorum Regalium libito, Regio carceri mancipantur.

Nec permittuntur personæ Ecclesiasticæ extra ipsius Regni limites auctoritate Apostolica evocari.

Et quod etiam Regia curia se, de nonnullis causis, quæ ad forum Ecclesiasticum indubitanter pertinere noscuntur, quarumque cognitio nequaquam cadit in laicum, sacris contemptis Canonibus intromittit.

Quodque aliàs in eodem Regno libertas Ecclesiastica non servatur nec ipsam servari ministri Regii patiuntur.

Nos celsitudini Regiæ per bonæ memoriæ B. Grosseten. Episcopum tunc viventem, nostras affectuosas litteras, mentem super hoc nostram exprimentes, apertius duximus dirigendas personam Regiam, per eas rogantes & obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, tibi nihilominus in remissionem peccaminum injungendo, ut si conservarent in his facta relatibus, ea sic celeriter & omnino corrigere ac emendare curares, ut exinde divinæ retributionis præmium consequi mererēris; prout in eisdem litteris plenius diffusiùs & seriosiùs continetur. Alioquin te scire volumus quod circumspectio dictæ sedis non posset talia sub dissimulatione transire, quin contra eos qui forent culpabiles in præmissis, justitia suadente, procederet prout ei expediens videretur.

Sed, licet tibi prædictas litteras præfatus Episcopus præsentarit earumque contenta didiceris, responsionem tamen Regiam super illis, nec per eum, neque per litteras, aut nuncium Regium nobis postmodum direxisti: quod si diligenter attenditur causam admirationis includit cum tanti & tam ardui negotii qualitatem tam intime sedem contingentis eandem, dignæ sequi responsionis oraculum debuisset.

Cum itaque negotium ipsum cordi specialiter

ANNO 1294.

habeamus, nec possimus, sicuti nec debeamus, præmissa dissimulationi relinquere, cum in grave libertatis Ecclesiasticæ detrimentum & ejusdem sedis contemtum non modicum, cedere dignoscatur.

Magnificentiam Regiam, iteratis & attentis precibus, rogandam duximus & hortandam quatinus, ob divinam, & ipsius sedis reverentiam, tuæque salutis & honoris augmentum, prædicta celeriter corrigas & emendes.

Et nihilominus tuæ intentionis propositum, & quod etiam feceris in hac parte, nobis per tuas litteras, non differas inrimare; ne te successu temporis, Terræ sanctæ negotium, quod salubriter assumpsisse dignosceris, prosequente, tibi forsan Ecclesiam reputes illusisse, si per eam, suadente justitia, procedi contigerit ad correctionem debitam prædictorum.

Sic te in his efficaciter habiturus, ut Regiæ devotionis promptitudinem, quam in hoc facilem cupimus inveniri condignis laudibus attollamus.

Datum apud Urbem Veterem sexto Idus Junii, Pontificatus nostri Anno quarto.

CÆLESTINUS V.

PONTIFEX CXCIV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.

Vide Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 169.

I.

Ex Archiv. Ang. Rimer. Tom. 2. pag. 657.

Bulla Monitoria Regi Angliæ super Pace inter ipsum, & Philippum Regem Franciæ Anno 1294.

FUngentes pii Patris officio ad prosperum statum universalis Orbis intendimus, sed ad tuum, fili carissime Regnique tui voto propensiori ducimur, & more paterno te ad ea, quæ tuæ saluti expediunt ac honori & utilitatibus tuis & ipsius Regni congruunt, salutaribus exhortationibus excitamus, ut deducta per te in rationis examen, admittantur devotius, & admissa tibi Regnoque prædicto, ad salutem, concedente salutis auctore, proficiant, pacem universaliter germinent producantque quietem.

Progenitores quidem tui Christianissimi Principes, erga Deum, & Romanam Ecclesiam clariori devotione fulgentes, perfecta circumspectionis imbuti prudentia, vitatis scandalis, pacem undique coluerunt, plenis eam amplexantes affectibus, totisque studiis perquirentes, quæ inter alia insita eis dona virtutum, ipsorum statum & nomen exaltavit felicioribus incrementis.

Ipsa enim à Domino suis discipulis testamentali quodam edicto relicta, cultores suos opibus beatæ fertilitatis amplificat, & illis quos suavitatis ejus reddit impius seductor expertes, utriusque boni præmium impeditur.

Profecto nostrum & fratrum nostrorum acriter percusserunt auditum, attulerunt lacerationis incendia nostris & ipsorum præ dolore visceribus amari rumores, nostris nuper auribus referentes quod inter te, & carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem, materia erat dissensionis exorta, ob quam hinc inde, proh dolor! munimenta bellica parabantur, non utinam! corporum & animarum dispendia, non utrique Regno irreparabilia pericula & Terræ sanctæ per consequens illatura.

Licet igitur inter assiduas curas & immensas sollicitudines, quæ nobis ex Ministerio Apostolicæ servitutis incumbunt, singulos Orbis Terræ Catholicos Principes, & universos Christi fideles, in pace libenter, & unitate servemus, de salubritamen statu tuo & dicti Regis, ac tui ejusque Regnorum, eo nimirum libentius, eoque sollicitius & profundius cogitamus, quo te, ac Regem eundem & dicta Regna ipsa Mater Ecclesia sinceriori caritate prosequitur, & in te ac ipsis majori securitate quiescit ac plenius delectatur.

Unde vias perquirentes & modos, quibus auctore Deo, inter te, ac præfatum Regem super hujusmodi exorta discordia, & salubre adhibere remedium, & futuris obviare periculis valeamus, aliquos ex fratribus ipsis, vel alios, de quibus qualitas facti suaserit, pro reformanda hinc inde concordia proponimus, illuc celeriter destinare: utinam! possibilitas nobis adesset nostram ibi exhibendi præsentiam, ut aliis prætermissis agendis, præsentialiter ostenderemus effectu, quod in votis gerimus in hac parte; sed localis distantia & proprii senectus corporis, non permittunt.

Quare celsitudinem Regiam rogamus, & obsecramus in filio Dei patris, quatinus diligenter attendens, quod tuis & prædictorum progenitorum tuorum votis divina multipliciter favit clementia, & si propterea te sibi deceat gratum, & acceptum & placidum exhibere, si pro sui reverentia nominis quicquam interdum molestiæ ferre cum patientia tenearis, & si per te solerti studio sint vitanda, quibus ejus viscera lacerantur.

Considerans quoque prudenter, quàm sit apud Deum & homines detestandum, quod te ac præfatum Regem tam propinquo gradu consanguinitatis astrictos, tamque contigua vicinitate conjunctos, fomites odiorum inficiant, dissensionum discrimina lacerent, ac actus reddant bellici, quod avertat altissimus inquietos: quantum quoque præcavere te deceat, ne tui occasione ipsi Terræ Sanctæ depereat, ne hujusmodi prætextu discordiæ Christiani nominis inimici fortius invalescant & abjiciens, quæsumus inimicas fluctuationes ab animo tanquam Athleta Christi Orthodoxæ Religionis cultor eximius, pugil Ecclesiæ strenuus, ipsam odientium æmulus, pacis amator inclitus, pacis custos egregius pacem persequentium inimicus, prosequens diligentius viam pacis, à quibuslibet interim processibus velis & actibus abstinere per quos, quod absit à Deo, valerent hinc inde odiorum flammæ concrescere adeo invalere discrimina, quod aut impossibile, aut nimis difficile forsitan redderetur salubre in talibus, ac desideratum posse remedium adhiberi.

Sic ergo verbis nostris aures devotus inclines, & precibus Apostolicis acquiescas, quod Dei non incurras offensam, quin immo filiali sibi devotione complaceas, ac suam & Apostolicæ sedis benedictionem, & gratiam plenius exinde merearis.

Et ecce! dilectum filium Magistrum Bertrandum dictum Delgot, Canonicum Lugdunen. Capellanum nostrum exhibitorem præsentium, exaltationis tui nominis, honoris & culminis fervidum Zelatorem, nunc ad præsens tuæ magnitudini duximus nihilominus destinandum, qui te super præmissis de intentione nostra plenius informabit.

Datum Aquilæ sex non. Octobris, Pontificatus nostri Anno primo.

ANNO 1294.

BONIFACIUS OCTAVUS, PONTIFEX CXCV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.

BOnifacius, Benedictus Cajetanus anteà vocatus, Cœlestino V. fuit subrogatus. Cardinales Jacobum, & Petrum Columnam persequutus est. Philippum Pulchrum Galliæ Regem ob Episcopum Apamensem carceri inclusum diris devovit. Indè Gibellinorum ope à Sciarra Columna, & Willelmo Nogareto Regis jussu captus est. Paulò post obiit Bonifacius anno 1303. (*Magni Bullarii Romani, Tomus I. hujus Editionis Luxemb. fol.* 173.)

Bulla de Abdicatione Celestini Papæ V. & Electione Bonifacii VIII. anno 1295.

I. Ex Archiv. Rimer. Tom. 2. pag. 667.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio, Edvardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

GLorioſus & mirabilis in operibus ſuis Deus, qui cum ſit in miſericordia copioſus in hujus orbis orbita plena malis, confecta diſſidiis innumeras miſerationes exercet, Eccleſiam ſuam quan ipſe ſummus opifex rerum inſtituit ac ſupra fidei firmam petram alta & ſolida fabrica ſtabilivit opportunis favoribus proſequi non deſiſtit.

Aſſiſtit enim illi miſerator & propitiator aſſiduus, non obdormiens, nec dormitans in ſuarum opportunitatum eventibus pervigil cuſtos ejus. Ipſe ſiquidem ſibi eſt in turbatione ſolamen, in neceſſitate ſuccurſus, tumque maxime in adjutorium ejus ſua pietas larga diffunditur, cum adverſus illam mundi nubila tempore caligante levantur, quæ inter moleſtias & afflictiones intrepida colligens in vexatione vigorem, in ipſo malorum inſtantia convaleſcit; Nam, divino ſemper munita præſidio, nec comminationum ſtrepitu deterretur, nec adverſitatum ſuperatur incurſu, ſed in terroribus tutior & conſtantior, in adverſis preſſa prævalet, paſſa triumphat.

Hæc eſt Archa, quæ per conſluentias & multiplicationes aquarum elevatur in altum, & ſubactis culminibus montium libera & ſecura profundas impetuoſi diluvii calcat undas. Hæc eſt utique navis, quæ, vento contrario irruente, ſtrepentis maris furibundis motibus agitatur, firma tamen & ſolida, fragoribus non diſſipatur æquoreis, nec marini furoris rapiditate ſorbetur; ſed elatas procellas obruens, ac ſpumoſa & tumida freta ſternens triumphantes exequitur ſuæ navigationis inceſſum; quæ ad vitalem crucis ſalvificæ arborem rectæ intentionis alis totaliter elevatis, in cælum ſemper intenta, procelloſum intrepidè mundi pelagus peragrat: Eo quod ſecum habet ſeduli gubernatoris auxilium, marium præceptoris; unde, regente illo & dirigente ſalubriter, ac ſpiritu ſancto ſtante, adverſitatum quarumlibet nebulis diſſipatis, victorioſa peregrinationis ſuæ liberum agit iter, ad patriæ cæleſtis portum ſupernis nutibus feliciter perducenda. Cumque ſic adverſis innumeris prematur & turbetur Eccleſia illa, in intimis ipſam acerbiùs ſauciat, duriuſque ferit adverſitas, cum Paſtore utili & provido viduatur.

Sed licet ſæpiùs Eccleſia eadem Paſtoris regimine deſtituta, longæ viduitatis lamenta protraxerit, expectando gemebunda diutiùs conſolationem plenariam ſucceſſoris; in hujuſmodi tamen mæroris nubilo, dignanter illi clementia divinæ pietatis illuxit, doloribus & neceſſitatibus ſuis opportunè ſubveniens, per ſubſtitutionem optatam & delectabilem novi ſponſi, ac eam de omiſſione prioris, interdum inutilis, per promotionem mulcebrem accommodi ſucceſſoris inſtaurans.

ANNO 1295.

Sanè vacante Romana Eccleſia per liberam & ſpontaneam dilecti filii fratris Petri de Morrono, olim Romani Pontificis, ceſſionem, coram venerabilibus fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis noſtris Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ex certis rationabilibus & legitimis cauſis, factam ab ipſo in Feſto Beatæ Luciæ Virginis proximo præterito, & à Cardinalibus prædictis admiſſam. Cum illam poſſe ſic legitimè fieri & priorum geſta Pontificum & Conſtitutio declararent apertiùs; & ad eam etiam faciendam expreſſus acceſſerit Cardinalium prædictorum aſſenſus.

Cardinales ipſi, conſiderantes attentius quàm ſit onuſta diſpendiis, quam gravia malorum incommoda ſecum trahat prolixa Eccleſiæ memoratæ vacatio; & propterea votis ardentibus cupientes, per efficacia & accelerata remedia hujuſmodi periculis obviare. Die Jovis, decimo Kal. Januarii poſt Feſtum ſubſequente prædictum, miſſarum ſolemniis ad honorem Sancti ſpiritus celebratis, hymnóque ſolito cum devotione cantato, ſe in quodam conclavi, apud Caſtrum novum Civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem frater cum ſua reſidebat familia, incluſerunt; ut per mutui commoditatem colloquii, Eccleſiæ prædictæ proviſio, ſuperna cooperante virtute, celerius proveniret. Die verò veneris immediatè ſequente præfati Cardinales, mentis oculis erectis ad Dominum, pia deſideria benignius proſequentem, in electionis negotio, per viàm ſcrutinii, ferventibus ſtudiis, ut prædicta vitarentur incommoda, procedentes. Et tandem, cum divina Clementia, Eccleſiæ prælibatæ compatiens, eam nollet ulterioris vacationis periculis ſubjacere, ad perſonam noſtram licet immeritam, intentum animum dirigentes; quamquam inter eos quam plures magis idonei, & diginores etiam haberentur.

Nos tunc tit. Sancti Martini Presbyterum Cardinalem in ſummum Pontificem canonicè elegerunt, gravis oneris ſarcinam noſtris debilibus humeris imponendo. Nos autem, profunda & ſedula meditatione penſantes difficultatem officii paſtoralis continui laboris anguſtias, & præcellentiam Apoſtolicæ dignitatis, quæ ſicut honoris titulis altioris attollit, ſic magnitudine ponderis deprimit gravioris, attendentes inſuper noſtræ multiplicis imperfectionis inſtantiam, expavimus & hæſitavimus vehementer nimioque conceſſum extitit ſtupore cor noſtrum.

Nam cùm ad tolerandas particulares vigilias, vix nobis poſſibilitas noſtra ſufficiat, ad univerſalis ſpeculæ ſolicitudinem vocabamur, & intolerabile Apoſtolici miniſterii jugum inferebatur, inſtanter debilitatis noſtræ cervici jugiter ſupportandum, ac meritorum non ſuffulti præſidio, ad ſuſcipiendas Apoſtolorum Principis Petri claves & gerendum ſuper omnes ligandi & ſolvendi Pontificium angebamur.

Veruntamen ne divinæ providentiæ opus impedire forſitan videremur aut nolle noſtræ voluntatis arbitrium ſuo beneplacito conformare, ac etiam ne corda electorum concordia per noſtræ diſſenſionis objectum, ad diſcordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem, ad ſubeundum jugum hujuſmodi noſ-

ANNO 1295.

tros impotentes humeros submittendo : non quod de aliqua nostræ probitatis virtute fiduciam habeamus, sed quia in ejus speramus clementia qui confidentes in se non deserit, sed eis propitius opportunis auxiliis semper adest, quique, de sublimi polorum solio, Ecclesiam sponsam suam intuetur misericorditer & tuetur, suæque illam exaltare non desinit copiosis beneficiis pietatis.

Ideoque celsitudinem Regiam rogamus, & hortamur attentè ac obsecramus in Domino Jesu Christo, quatinus, diligenti meditatione considerans quod judicium diligit Regis honor, meta justitiæ curiosus observes, illamque sincerè diligere studeas, æquitatem non deserens, Clementiam non omittens, ut subjectus tibi populus copiosus in pacis pulchritudine sedeat, & in requie opulenta quiescat. Ecclesiam insuper, matrem tuam, & ipsius Prælatos, nostri utique Salvatoris ministros, cæterasque personas Ecclesiasticas, ejus obsequiis dedicatas; quin potius in illis Regem Cælorum & Dominum, per quem regnas & regeris, incessanter & solerter honorans, ipsos Regii favoris ope confoveas, & in plenitudine libertatum, aliorumque suorum jurium efficaciter protegere studeas & tueri. Sicque in his, tanquam filius benedictionis & gratiæ, te geras & dirigas quod, claræ memoriæ Progenitores tuos, qui erga præfatam Ecclesiam summæ devotionis & reverentiæ titulis, dum viverent, claruerunt, non solum imitari sollicitè, sed etiam evidenter excedere dignoscaris, ad laudem & gloriam Dei Patris, & celebre, magnumque tui honoris & nominis incrementum.

De nobis autem, ut pote Patre benivolo & sincero, qui te, prout celsitudinem Regiam latere non credimus in minori etiam officio constituti, affectuosè dileximus & diligere non cessamus, spem certam & fiduciam firmam gerens in tuis & ejusdem Regni negotiis & opportunitatibus, quæ occurrent, ad nos recurrere non postponas.

Nam in his, super quibus ex parte Regia, fuerimus requisiti, libenter, quantum cum Deo poterimus, votis Regiis annuemus; tuam & ejusdem Regni prosperitatem omnimodam, non solum studiis conservare sollicitis, sed etiam plenis augmentare favoribus intendentes. Datum Lateran. nono Kal: Februarii Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 700.

De Concessionibus, & actis quæ antecessor ejus Cœlestinus imprudenter, & ignoranter fecerat revocandis, & adnullandis: anno 1295.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomæo, nato nobilis Viri Francisci de Sancto Angelo, Rectori Parrochialis Ecclesiæ Sancti Nicolai de Midalton Vuintonienſis Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

OLim dilectus filius frater Petrus de Murrone, tunc Celestinus Papa quintus, Antecessor noster, devictus instantia & ambitione nimia plurimorum : ignarus eorum, quæ & juris debitum & gravitas pastoralis, cui præsidebat, officii requirebant : seductus insuper atque deceptus per captiosam astutiam & deceptibilem aliquorum; fecit diversa, & concessit varia minus dignè, inordinata & insolita, quorum aliqua subticemus ex causa, sub cujus bulla non nulla, ut fertur, præter ipsius conscientiam, transierunt, quæ non indignè immo necessario limam correctionis Apostolicæ exposcebant.

Undè, dicto antecessore, ex causis legitimis, Papatui sponte cedente,

Nos, postmodum dispositione divina, ad apicem summi Apostolatus assumpti, ut sedes Apostolica ipsius antecessoris actus lucidius discutere posset, & in melius reformare, ejusque errata corrigere, omissa supplere, ac in irritum revocanda deducere omnia privilegia & litteras gratiosas, super quibuscumque gratiis, vel gratiosis concessionibus, de quibuscumque juribus, rebus, vel bonis, quæ quoquo modo processerant, seu quæ obtenta fuerant ab eo : nec non quæ ab antecessore prædicto, verbo seu litteris, facta, concessa, data vel indulta fuerant quibuscumque personis Ecclesiasticis, quæ per alias nostras litteras, super hoc generaliter factas, & publicatas, revocata non essent, nec penitus annullata, quantum ad omnem effectum eorum de fratrum nostrorum consilio & assensu suspendentes.

Volumus, & districtè præcipimus ut hujusmodi gratias obtinentes, infra certi temporis spatium, quod quidem tempus pro peremtorio termino assignavimus, ipsa nostro & præfatæ sedis conspectui præsentarent, & ad nostram & dictæ sedis notitiam deducerent Apostolicæ discussionis examen justo judicio subitura : ipsaque sic manere suspensa, quousque per sedem ipsam forent ex certa scientia approbata.

Alioquin ex tunc illa, & quicquid ex eis, vel ab ea secutum esset, vel imposterum sequeretur, Apostolica auctoritate, de potestatis plenitudine, cassavimus, irritavimus, & vacuavimus : cassa, irrita & vacua nuntiavimus; ipsa omnino carere viribus decernentes.

Tu verò nuper quasdam litteras præfati Antecessoris, super collatione & provisione, tibi factis per eum, de Ecclesia Sancti Nicolai de Midalton Vintonienſis Diocesis, curam animarum habente, tunc vacante per mortem quondam Magistri Bernardi de Neapoli, Notarii Sedis Apostolicæ, ipsius Ecclesiæ Rectoris: per quas etiam dictus antecessor tecum dispensavit, ut Ecclesiam de Midalton, una cum Archidiaconatu, quem in Bojanensi, ac Canonicatibus & Præbendis, quos in eadem Bojanensi & Theatinensi Ecclesiis obtinens, posses insimul licitè retinere, constitutione generalis Concilii, super hoc edita non obstante.

Nec non & alias ejusdem Antecessoris certi tenoris litteras, directas certis executoribus, super executione provisionis hujusmodi.

Infra præscriptum tempus, à nobis ad hoc, ut prædicitur, assignatum, dilecto filio Magistro Petro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, cui commisimus receptionem talium litterarum, prout ex relatione ipsius Vicecancellarii plenè didicimus, præsentasti; nobis humiliter supplicans, ut providere tibi super hoc paterna diligentia curaremus.

Nos igitur non intendentes dispensationem hujusmodi, quæ aliàs per constitutionem nostram, sicut & omnes aliæ tales, fore dignoscitur revocata aliquatenus approbare : sed volentes ut facta de dicta Ecclesia de Midalton, per eundem antecessorem provisio tibi fructuosa reddatur, tuis supplicationibus inclinati, easdem litteras, & quicquid ex eis secutum est, dispensatione prædicta, & his quæ pertinent ad dispensationem ipsam exceptis, auctoritate Apostolica ex certa scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Id. Decembris Pontificatus nostri anno primo.

Quod

ANNO 1295.

ANNO 1295.

III. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. I. Pars I. pag. 33.

Quod Conservatores concessi certis Ecclesiis à sede Apostolicâ ab injuriis manifestis defendantur, qui jubentur esse Canonici, aut prædicti dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus Anno 1295. *Conferatur Cap. statutum* II. *de rescriptis in sexto.*

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam.

STatuimus, ut *Conservatores*, qui ab Apostolica sede conceduntur interdum, ut aliquos à manifestis injuriis & molestiis tueantur, sint in alicujus Civitatis Ecclesia Cathedrali Canonici vel dignitatem aliquam seu personatum in Civitate vel Diœcesi ejus obtinentes, extra quam siquidem civitatem aliquam vel aliquos ad judicium evocare non valeant, nec etiam procedere contra illos, qui de Civitate vel Diœcesi non fuerint supra dictis, sed infra Civitatem eandem dumtaxat de commissis sibi negotiis sive causis possint cognoscere, aliis tamen vel aliis committere nequeant vices suas, nisi expresse hoc eis ex litterarum conservatoriarum beneficio competere dignoscatur.

Citationes tamen & denunciationes sententiarum, quas iidem personaliter tulerint, possint tantummodo infra Civitatem vel Diœcesim prædictam facere per se vel alium seu alios, qui de Civitate vel Diœcesi fuerint memoratis, quodque conservatorum ipsorum, quo ad non cœpta negotia ipso jure expiret officium post obitum concedentis, ubi verò hujusmodi Civitas minimè haberetur, seu destructa fortasse existeret, & in ejus Diœcesi locus reperiretur insignis in loco ipso de hujusmodi negotio cognoscatur & totalis processus habeatur in ipso.

Cum autem per Capitulum Cathedralis Ecclesiæ alicujus Civitatis vel singulares personas ipsius aut per immediatum superiorem eorum, ut pote Patriarcham, Primatem, Archi-Episcopum, vel Episcopum quisquam se diceret molestari, tunc illi taliter proponenti ipsoque volente poterunt Conservatores concedi, hi, qui in ipsa Ecclesia Cathedrali Canonicatus habeant, vel personatum seu dignitatem in Civitate vel Diœcesi prælibatis, vel si malueri impetrator sibi concedantur conservatores, qui Canonicatum habeant in Cathedrali Ecclesia Civitatis vel *personatum*, seu dignitatem in eadem Civitate, vel ejus Diœcesi vicinis seu conterminis Civitate vel Diœcesi illorum, contra quos, ut præmittitur, tales contingeret conservatores concedi, sed nihilominus etiam in hoc casu extra dictas Civitates vel Dioceses ad judicium evocetur, nec contra quoslibet, qui de Civitatibus seu Diœcesis prædictis non fuerint, nec extra Civitatem in cujus Cathedrali Ecclesia Canonicatum vel in qua seu cujus dioces. si dignitatem aut personatum obtinent, possint de negotiis sibi commissis cognoscere, vel ferre sententiam contra eos. Adjicimus insuper statutum hujusmodi, ut judices, qui in Litteris de simplici justitia conceduntur sint in alicujus Civitatis Ecclesia Cathedrali Canonici, vel personatum, seu dignitatem in eadem Civitate vel ejus diœcesi obtinentes, extra quam Civitatem vel Diœcesim aliquos ad judicium evocare non valeant, nec procedere contra illos, qui de Civitate vel Diœcesi non fuerint supra dictis, infra quam etiam Civitatem dumtaxat de commissis sibi negotiis sive causis personaliter possint cognoscere, ac vices suas, quoad cognitionem causarum talium commissarum eisdem, vel *prolationes interlocutoriarum vel definitivarum sententiarum* aut ipsarum executiones committere nequeant, nisi his, qui in ejusdem Civitatis Cathedrali Ecclesia Canonicatum, vel in ipsis Civitate vel Diœcesi dignitatem obtinent seu etiam personatum, sed nec alia media causæ articulos vel ministeria certa minora committere liceat, nisi personis Civitatis vel Diœcesis earumdem.

Cum autem contra Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, alicujus Civitatis vel singulares personas ipsius, aut contra immediatum superiorem ipsorum, ut pote Patriarcham, Primatem, Archi-Episcopum vel Episcopum hujusmodi litteræ de simplici justitia impetrantur expresse impetratore volente concedi poterunt judices talium litterarum, qui in ipsa Cathedrali Ecclesia Canonicatum habeant, vel personatum seu dignitatem in eisdem Civitate seu Diœcesi, vel si maluerit impetrator concedantur judices, qui Canonicatum habeant in Cathedrali Ecclesia Civitatis vel personatum seu dignitatem in eadem Civitate vel ejus Diœcesi vicinis, continuis seu conterminis Civitati vel Diœcesi illorum, contra quos, ut præmittitur tales judices impetrantur, in hoc etiam casu nullus extra dictas Civitates vel Dioceses ad judicium evocetur, nec procedatur contra eos, qui non fuerint de Civitatibus vel Dioces. memoratis.

De causis auctoritate & negotiis sibi commissis in Civitate in cujus Ecclesia Cathedrali Canonicatum, vel in qua seu cujus Diœcesi personatum vel dignitatem obtinent dumtaxat cognoscant, nec quoad cognitionem de negotiis & causis ipsis prolationem interlocutoriarum vel diffinitivarum sententiarum vel executionem ipsarum possint aliis vel aliis committere vices suas, qui in ejusdem Civitatis Cathedrali Ecclesia, Canonicatum vel dignitatem seu personatum in Civitate ac Diœcesi non obtinent supra dictis, sed nec alia media causæ, articulos vel ministeria certa minora committant, nisi personis Civitatis & Diœcesis earumdem, decernimus quoque, ut ipso jure sit irritum & inane, si quid contra præmissa contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, sexto Idus Aprilis 1295. Pontificatus nostri Anno primo.

ANNO 1295.

IV. Ex Annal. Massiliens. J. B. Guesn. pag. 389.

CAROLUS II. Siciliæ Rex, & Synodus Sanmaximinensis literas synodicas & communicatorias de inventione Reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ ad Bonifacium miserunt, & approbationis, ac confirmationis responsum retulerunt, præsenti diplomate egregium reliquiis D. Magdalenæ tribuente testimonium: anno 1295.

ANNO 1295.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri salutem, & Apostolicam benedictionem.

OB tuorum excellentiam meritorum, quibus regalis sublimitas dignoscitur insignita, non indignè petitiones tuas quantùm cum

ANNO 1295.

Deo possumus libenti animo exaudimus, illas præcipuè, quæ cultus divini numinis augmentum respicere dignoscuntur. Sanè habet tua insinuatio facta nobis, quod ob magnæ devotionis affectum, quem ob B. Mariam Magdalenam geris in Ecclesiæ S. Maximini Ordinis Fratrum Prædicatorum Aquensis Diœcesis, tunc ad Monasterium S. Victoris Massilienſis Ordinis S. Benedicti immediatè spectante, in qua est Corpus Sanctæ dictæ reconditum, cultum divini nominis adaugeri desideras, & in honorificum ejusdem Sanctæ præconium per celebre ministerium solennius deserviri. Propterea devotius supplicasti, quod Ecclesiam ipsam cum domibus, & officinis, ac vacuis aliis sibi conjunctis, nec non Thesauro, reliquiis & ornamentis Ecclesiasticis, & oblationibus eidem Ecclesiæ proventuris pro executione tàm laudandi propositi, per quod hujusmodi tuum desiderium efficacius, & liberius adimplere valeas, ad hoc deputare ministerium de Apostolicæ potestatis præsidio dignaremur.

Nos igitur attendentes, quod tu eximiam devotionem à te habitam ad præfatam sanctam ex eo præcipuè per operis evidentiam ostendisse dignosceris, quod olim dum incertus existeret locus, ubi sepultum fuerat corpus ipsum, ad illud inquirendum, & inveniendum efficax studium impendisti, & tandem eodem invento ipsum in dicta Ecclesiâ fecisti cum debita devotione, ac reverentia conveniente ad hoc cleri, ac populi partium illarum copiosa multitudine tumulari. Ac intendentes in hac parte favorabiliter votis tuis annuere, præcipuè cum de prædictis multa fide viderimus oculatâ, præfatam Ecclesiam cum domibus, Officinis, & vacuis aliis sibi conjunctis, nec non thesauro, reliquiis, ornamentis Ecclesiasticis, ac omnibus oblationibus eidem Ecclesiæ perventuris, sic ad præfatum ministerium specialiter deputamus, ut licentiam habeas Prioratum inibi de Ordine Prædicatorum sub ipsius ordinis approbata observantia regulari, illo Fratrum numero, qui tibi expedire videbitur ordinandi. Nos enim ipsam Ecclesiam cum prædictis pertinentiis suis, & Prioratum ut permittitur inibi ordinandum, in jus, ac proprietatem B. Petri, & Apostolicæ sedis recipimus, ipsos ab omni potestate, jurisdictione, & Dominio dicti monasterii, & Abbatis, & Conventus ejusdem, & quorumlibet Ordinariorum perpetuò ex certâ scientia ducimus eximendos. Amplius tibi præsentium auctoritate concessâ, quod Prior, qui præerit in prioratu prædicto prò tempore, ad tuæ requisitionis, & informationis instantiam, correctionem, & reformationem in loco ipso facere teneatur. Non obstantibus quibuscumque privilegiis ab Apostolicâ sede sub quacunque forma verborum Ordini Prædicatorum præfato concessis, quæ huic nostræ deputationi, receptioni, exemptioni, & concessioni fortassis obsisterent, etiamsi oporteret de illis expressam, vel de verbo ad verbum præsentibus fieri mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ deputationis, receptionis, exemptionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Apostolorum Petri & Pauli ejus se noverit incursurum?

Datum Laterani 8. Idus April. Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1296.

V.

Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 2. pag. 706.

De Tallagio ab Ecclesiasticis Personis Papæ licentia non obtentâ non concedendo: anno 1296.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CLericis laicos infestos oppidò tradit antiquitas: Quod & præsentium experimenta temporum manifestè declarant; dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ac ad illicita fræna relaxant.

Nec prudenter attendentes, quàm sit eis, in Clericos, Ecclesiasticasve personas, & bona, interdicta potestas Ecclesiarum Prælatis Ecclesiis Ecclesiasticisque personis, regularibus & secularibus imponunt onera gravia ipsosque talliant, & eis collectas imponunt ab ipsis suorum proventuum vel bonorum dimidiam decimam, seu vicesimam vel quamvis aliam portionem aut quartam exigunt & extorquent; eosque moliuntur multifarie subjicere servituti suæque submittere ditioni.

Et (quod dolenter referimus) non nulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæque personæ, trepidantes ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes majestatem temporalem offendere quàm æternam, talium abusibus, non tàm temerariè quàm improvidè acquiescunt, sedis Apostolicæ auctoritate seu licentia non obtenta.

Nos igitur, talibus iniquis actibus obviare volentes, de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate statuimus.

Quod quicunque Prælati Ecclesiasticæque personæ religiosæ vel seculares quorumcumque Ordinum, conditionis, seu status, collectas, vel talias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiarum proventuum vel bonorum, laicis solverint vel promiserint, vel se soluturos consenserint: Aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipsorum proventuum vel bonorum, æstimationis vel valoris ipsorum, sub adjutorii mutui subventionis, subsidii, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo vel quæsito colore, absque auctoritate sedis ejusdem.

Nec non Imperatores Reges, seu Principes, Duces, Comites vel Barones, Potestates, Capitanei vel Officiales, vel Rectores quocunque nomine censeantur, civitatum, castrorum, seu quorumcunque locorum, constitutorum ubilibet.

Et quivis alii, cujuscunque præeminentiæ, conditionis, & status, qui talia imposuerint, exegerint vel receperint; aut apud ædes sacras depositа Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum, ubilibet arrestaverint saisiverint seu occupare præsumpserint, vel arrestari, saisiri, aut occupari mandaverint; aut occupata, saisita, seu arrestata receperint.

Nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publicè vel occulte.

Eo ipso sententiâ excommunicationis incurrant.

Universitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto.

Prælatis & personis Ecclesiasticis supra dictis, in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœna, districtè mandantes, ut talibus, absque expressa licentia dictæ Sedis, nullatenus acquiescant: Quodque, prætextu cujuscunque obligationis, promissionis, & confessionis, factarum hactenus, vel faciendarum in antea priusquam hujusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum, ad notitiam ipsorum pervenerit, nihil solvant; nec supra dicti seculares quoquo modo recipiant.

Et

ANNO 1297.

Et si solverint, vel prædicti receperint in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

A supra dictis autem excommunicationum & interdicti sententiis nullus absolvi valeat, præter quam in mortis articulo, absque sedis Apostolicæ auctoritate & licentia speciali, cum nostræ intentionis existat, tam horrendum secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire.

Non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quibuscumque tenoribus, formis, seu modis, aut verborum conceptione, concessis Imperatoribus, Regibus, & aliis supra dictis, quæ contra præmissa, in nullo volumus alicui, vel aliquibus suffragari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, prohibitionis, seu præcepti infringere, seu ausu temerario contra ire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Kal. Martii, Pontificatus nostr anno secundo.

VI. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 803.

De Matrimoniis in ordine ad pacem contrahendis, & detentione Regni Scotiæ Annno 1297.

BONIFACIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.*

REgalis excellentiæ litteras nuper nobis per certos nuncios præsentatas gratanter & affectuose recepimus intuitu destinantis: & earum serie, multa nimirum devotione conspicua, & multiplici affectione præclara, diligentius intellecta, concepimus uberem infra pectoris arcana lætitiam, exultantes in Domino vehementer, quia te ut pote filium benedictionis & gratiæ semper invenimus ad beneplacita nostra paratum, & promtum ad omnia quæ consonent votis nostris.

Quamobrem personam Regiam sincera caritate dileximus, & diligere non cessamus, ad tui honoris & exaltationis incrementa felicia, plenis favoribus, & vigilantibus studiis intendentes.

Porrò, fili carissime, literarum ipsarum, inter cætera, tenor aperuit, quod postquam tuæ magnitudinis nuncii, ad nos hactenus destinati super negotio, quod inter te, & carissimum in Christo filium nostrum, Philippum Regem Francorum illustrem, verti conspicitur, ad sedem Apostolicam accesserint, pro eo quod ipsorum aliqui, morte præventi, aliqui verò in itinere gravi fuerunt ægritudine præpediti, nullus eorum ad Regiam celsitudinem remeavit, licet venerabilis Frater noster Vintonien. Episcopus qui de ipsorum numero fuerat nuntiorum, ad te, juxta Civitatem Dunelmensem, tunc temporis constitutum post Festum beati Martini proximo præteritum, reversus extiterit, nullas tibi ex parte nostra litteras deferendo, per quas in prædicto posses negotio, prout necessitatis exigebat articulus, informari, nec alias in negotio ipso instructus existeres, unde innotescere tibi posset, qualiter à te in præfato foret negotio procedendum.

Quare suppliciter postulabas, ut quod in eodem vellemus ordinare negotio, quodque in ipso jam duximus ordinandum, & qualiter etiam deberes te gerere, ac procedere in eodem magnitudini Regiæ aperire latius dignaremur, cum paratus existas in his & aliis nostræ parere beneplacito voluntatis.

Sanè latere te nolumus, quod nos Patris more benevoli, quem non prætereunt incommoda Filiorum, graviter & molestè ferentes discordiam, pridem inter te ac eundem Regem, procurante pacis æmulo suscitatam, & recogitantes attentius, quod ex guerrarum discrimine, prout Magistra rerum experientia manifestat, non solum bonorum damna multimoda, sed etiam animarum, & corporum pericula gravia generantur, prætactum negotium, quantumlibet laboriosum, & arduũ, variisque difficultatibus circumplexum, pro tuo, & ejusdem Regis, cunctorumque fidelium statu pacifico & tranquillo, ac etiam pro instanti necessitate multiplici Terræ sanctæ, quam prout non sine mentis plurima turbatione referimus, Agarenorum nephanda præsumtio in totius Christianitatis opprobrium detinet occupatam benigne duximus assumendum, in eo etiam, ultra posse, in tui favoris auxilium sicut jam dictis Nunciis, oraculo vivæ vocis expressimus procedentes.

Sed revera, nostris sensibus non indignæ admirationis causa suboritur, si per alicujus nuntiorum ipsorum superstitis solertium curiosam ad Regiæ Serenitatis notitiam hujusmodi processus nostri certitudo plenaria non pervenit.

Nos autem firma fiducia ducimur, spesque nobis indubia pollicetur quod, si super præmissis tuum ore tenus possemus habere colloquium, quod vehementiùs affectamus, quodque libentissimè duceremus in actum, senecturi aut debili nostri corporis statui, seu laboribus non parcendo, præmissa discordia penitùs sedaretur, ac pacis & concordiæ stabilis votiva fœdera sequerentur.

Verum, gerentes cordi negotium supra dictum, & ad desideratam & celerem expeditionem ipsius, votis ferventibus anhelantes, venerabilem Fratrem nostrum R. Vicentini Episcopum sumpta de ipsius experta prudentia, & fidelitate probata fiducia pleniori, ad præfati Regis præsentiam pro hujusmodi negotio destinantes, qui juxta mandati nostri tenorem à nobis ore tenus sibi facti, per se, si ei commoditas facultatis affuerit, vel per alium super præmissis, quorum plenam notitiam obtinet, magnitudinem tuam plenius informabit.

Hortamur autem prudentiam Regiam tibique ab intimis suademus, ut te à linguis maliloquis, & dolosis astutiis aliquorũ, qui ex guerrarum turbinibus lucra quærunt, & emolumenta venantur, seduci, vel perverti, seu decipi, non permittas.

Nec ad illa induci vel attrahi, quæ tuis laudibus derogant tuumcumque nequaquam respiciunt commodum & honorem.

Quia verò in hujusmodi nostro processu, super jam dicto negotio habito de nonnullis matrimoniis contrahendis ordinare curavimus, ut ipsius negotii expeditio, favente Domino, proventura robur potioris susciplat firmitatis omnino volumus quod hujusmodi matrimonia, sublato dilationis obstaculo, contrahentur, per quæ, prout firma spe ducimur, & indubitabili credulitate tenemus, universa, quæ inter te ac eundem Regem proxima tibi consanguinitate conjunctum, dissensionis malitia deformasse conspicitur, concordiæ Unitas, perpetuis valitura temporibus reformabit.

Cæterum super facto Regni Scotiæ aliàs tibi nos scripsisse recolimus, inter cætera expressius intimando qualiter nostræ sollicitudinis studium procurabat & adhuc procurare non definit, ut quod minus justè minusque licitè detinere dignosceris, juste ac rationabiliter, non sine tuæ salutis & famæ incremento multiplici possideres.

Nam qualiter in die judicii respondebis, aut quam excusationis causam prætendere poteris, coram tremendo judice qui scrutator est cordium, quique retribuit singulis, juxta suorum operum qualitatem.

Et

ANNO 1297.

ANNO 1297.

Et ideo, quia persónam Regiam intima dilectione prosequimur, & favore præcipuo confovemus; Regalem magnificentiam rogandam attentè duximus & hortandam, quatinus attendens sollicitè quæ sunt in hac parte solertius attendenda, super detentione ipsius Regni Scotiæ sic te providè gerere studeas, ut crescas exinde meritis apud Deum, & apud Gentium populos Regiæ laudis præconium augeatur.

Nos enim, quia circa te, ac inditam domum tuam, affectus nostræ dilectionis exuberat, parati, & prompti sumus ad omnia, quæ votis Regiis obsecundent.

Ut autem præfati nostri processus certitudinem habeas pleniorem, nonnullas tibi nostras dirigimus litteras, eundem processum seriosius continentes.

Datum Lateran. 18. Kal. Februar. Pontificatus nostri anno quarto.

VII. Ex Anecd. Martene Tom. 1. col. 1286.

Ad Galliæ Archiepiscopos. Permittit decimas colligi ex bonis Ecclesiasticis in Regni subsidium: anno 1297.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Remensi, Senonensi, Narbonensi, Rothomagensi Archiepiscopis, & Laudunensi, Catalaunensi, Aniciensi, Ambianensi, Tornacensi, Morinensi, Sylvanectensi, Parisiensi, Autissiodorensi, Trecensi, Carnotensi, Nivernensi, Ambricensi, Ebraicensi, Constantiensi, Dolensi, Cenomanensi, Lemovicnsi, Mabalonensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem.

PRidem ad nostram perducto notitiam, vestris referentibus literis, quas nobis communit r destinastis, quod nefandâ hostis iniqui procurante nequitiâ, qui semper quærit ut noceat, semper quærit ut offendat, Christianissimi Regni Franciæ status turbationis multiplicis jactabatur fluctibus, & intestina discriminis gravi turbine cassabatur.

Tantò nos acriùs concepti proindè doloris aculeus pupugit major, quod turbatio nostri pectoris arcana commovit, quanto regnum ipsum specialiùs gerimus in visceribus caritatis, & potiori desiderio ducimur, ut illud prosperis sedulisve successibus affluat, & votivis clientibus fulciatur.

Sanè in literis ipsis habebatur insertum, quod vos gratia vobis ex universis Ecclesiis, ac personis ecclesiasticis dicti Regni non solum rerum, sed etiam personarum vestrarum pericula formidando, vias exquirentes, & modos quibus vobis, & eisdem Ecclesiis ac personis, adversus frementes guerrarum impulsus providentia Regia, sine quâ impossibile tenebatis hujusmodi negotia dirigi, defensionis opportunæ remedia parentur: nobis per easdem literas humilitèr supplicastis ut charissimo in Christo Filio nostro Philippo Regi Francorum illustri pro hujusmodi communis tuitionis suffragio, in quo proprium cuilibet interesse noscebatur, impendendi subventionem congruam absque transgressione constitutionis nostræ super hoc editæ vobis, & ejusdem Regni Ecclesiis largiri . . . . . ciam dignaremur.

Nos autem ad ipsius Regni, & Incolarum ejus statum bonum, & prosperum, paternis studiis intendentes, ac volentes propterea benignè in hac parte annuere votis vestris . . . . duximus litteras concedendas, ut si casus communis, & evidentis necessitatis ingrueret, prout vestra fatebatur assertio, ac idem Rex vestram, & aliorum Prælatorum, Ecclesiarum . . . . . ac bonorum Ecclesiasticorum, sicut cætero locorum, ac bonorum ejusdem Regni vellet defensionem assumere, ac patenter assumeret, & efficacitèr prosequi procuraret, id quod vestra discretio videret expedire vobis, & eisdem Prælatis, Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis absque constitutionis memoratæ formidine præfato Regi pro hujusmodi vestræ, ac ipsorum Regis, & Regni interfertæ defensionis subsidio subventionem congruam, proùt vobis & ceteris dicti Regni Prælatis, seu majori parti vestrum, & ipsorum aptius videretur, voluntatem liberalem, & liberam non coactam absque omni concessione, exactione, & executione temporali, vel laicali exigendi nostra fretis licentia impertiri, eamque similitèr Regi liceret recipere memorato.

Volumus autem quod si subventionem hujusmodi præstare contigerit, formam, modum, & etiam quantitatem, & quicquid super hoc fieret vestra nobis super hoc pagina referaret, & qualiter præmissa procederent, & si acceptationem, vel moderationem exigerent, clariùs videremus, licet vestræ intentionis existeret, quod absque iteratione licentiæ hujusmodi subventio terminum non excederet annalem. Vos autem hujusmodi nostris acceptis literis, & concessâ vobis per eos licentia intellecta insimùl conveniistis, & ipsius licentiæ, scù mandati limites observastis. Tandem post longam, & exactam deliberationem cum procuratoribus prælatorum absentium super hujusmodi habitam, eidem Regi in tàm evidenti, & urgenti necessitate defensionis interfitæ dicti Regni decimam Ecclesiasticorum proventuum, & reddituum prò uno anno voluntate unanimi, & spontaneâ concessistis, sibi in festo Pentecostes venturo proximo integrè persolvendam, sivè colligendam, & recipiendam auctoritate Ecclesiæ, non invocatâ potentiâ brachii sæcularis; & si pax interim non veniret aut treguam, quam partes inducerent ac eptandam, ità quod per treguam ipsam guerra cessaret. Aliam similem decimam ipsi Regi in Calendis mensis Octobris proximè subsecuturi concordastis liberaliter exhibere. Nos itaque dignum & laudabile, & congruum reputantes, quod per vos in hac parte dignoscitur esse factum, singulis vestrum, & aliis Archiepiscopis, & Episcopis dicti Regni colligendi, & faciendi per vos, vel per alium, seu alios in Civitatibus, & Diocesibus vestris à subditis vestris, secundum dictæ nostræ concessionis tenorem decimas colligi supra dictas, & eas dicto Regi integraliter exhibendi, nec non compellendi per censuram Ecclesiasticam vestros subditos ad solutionem decimarum ipsarum, prout singulariter contingere eosdem, ac eos excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis, solutione hujusmodi præstitâ, juxtà formam Ecclesiæ absolvendi, nec non dispensandi super irregularitat bus si quas hujusmodi ligati sententiis forte contraxerint plenam & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem, non obstantibus aliquibus à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per litteras dictæ Sedis non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum Idus Maii Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1297.

Ex-

ANNO 1297.

VIII. Ex Anecd. Marrene Tom. I. Col. 1288.

Explicatio Constitutionis de subsidiis Principibus ab Ecclesiâ non concedendis : Mox sequitur Decretum Cleri Gallicani de solvendis Regi biennii Decimis : anno 1297.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Rotomagensi, Episcopo Autissiodorensi, & dilecto Filio Abbati S. Dionysii Parisiensis salutem, & Apostolicam benedictionem.

ETsi de statu Regni cujuslibet, in quo Catholicæ Fidei cultus viget paternæ sollicitudinis studio cogitemus ; ad statum tamen Christianissimi Regni Franciæ, in quo semper ante actis temporibus erga Romanam Matrem Ecclesiam viguit devotionis integritas, reverentiæ plenitudo resplenduit, servivit obedientiæ promptitudo, tanto sollicitius aciem considerationis extendimus, & circà illud cogitationis nostræ versatur instantia, quantò ipsum uberiori favore prosequimur, & sinceriùs gerimus in viscеribus caritatis. Dudum siquidem pastoralis Officii debitum exequentes in favorem Ecclesiarum, & Ecclesiasticæ libertatis auctoritate apostolicâ duximus statuendum, nè Prælati, & Personæ Ecclesiasticæ cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, sub adjutorii mutui, vel doni nomine, Imperatoribus, Regibus, Principibus, aut Præsidentibus cæteris præstent, absque auctoritate sedis Apostolicæ, subsidia quocumque nomine censeantur, néve Imperatores, Reges, aut Principes, aut aliter præsidentes æs imponere, exigere, vel recipere ab eisdem Prælatis, & Personis Ecclesiasticis audeant, certis pœnis adjunctis nihilominùs in hac parte : undè nonnulli nostræ intentionis ignari, suæque prudentiæ credentes, hujusmodi constitutionem nostram, non rationabili, aut æquitati consonæ, sed voluntariæ interpretationi subjicere moliuntur, non attendentes, quod ad eum qui condidit, interpretatio noscitur pertinere. Undè nos huic morbo congruam intendentes adhibere medelam, & ut in hac parte cujuslibet ambiguitatis scrupulus tolleretur, & ..... eluceſceret veritatis, per ceteras duximus litteras declarandum, quod constitutio ipsa, vel ejus prohibitio ad donaria, vel mutua, seù quævis alia voluntaria Prælatorum, Personarum Ecclesiasticarum, ejusdem Regni, cujuscumque status, Ordinis, vel conditionis existerent, omni prorsùs coactione, aut exactione cessante, sè aliquatenùs non extenderent, licèt ad id forsitan carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris, & successorum suorum, qui pro tempore fuerint aut Officialium eorumdem, seù Ducum, Comitum, Baronum, nobilium, & aliorum Dominorum temporalium de regno prædicto requisitio curialis præcederet, & amica ; quodque feudalia, censualia, seù jura quælibet in eorum ecclesiarum datione retenta, vel alia servitia consueta, Regi, ejusdemque successoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis Dominis temporalibus supra dictis tàm de jure, quàm de consuetudine, ac personis Ecclesiasticis debita præfata constitutio non includeret, vel aliquantum comprehenderet, & quod Personæ Ecclesiasticæ prò Ecclesiarum suarum utilitatibus compositionis, aut transactionis titulo, vel alio quovis modo, seù prò libertatibus acquirendis cum Rege, suisque successoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis Dominis temporalibus, proùt consuetudinis eorum videretur, & antè constitutionem eandem poterant liberè convenire, valerent, nec aliàs per constitutionis vigorem in his aliquatenùs contingeret impediri : quodque constitutio eadem Clericos clericaliter viventes, sed sè mercationibus & mercimoniis, præsertim inhonestis, & vilibus vel sævis immiscentes actibus non defenderet. Adjecimus insuper hujusmodi declarationi nostræ, quod si præfato Regi, successoribusque suis prò universali, & particulari ejusdem Regni defensione periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis casum sè nequaquam extenderet constitutio memorata, quin potiùs idem Rex, & successores ipsius possent à Prælatis, & personis Ecclesiasticis dicti Regni petere, & recipere prò his defensionis subsidium, vel contributionem, illudque, vel illam Prælati, vel Personæ præfatæ regi, suisque successoribus inconsulto etiàm Romano Pontifice tenerentur, & valerent sub quæstæ nomine, aut aliàs etiàm impertiri, non obstante constitutione prædictâ, seù quovis exemptionis, aut alio quolibet privilegio sub quacumque verborum forma confecto à sede Apostolica impetrato : quodque necessitatis declaratio supra dictæ ipsius Regis, & successorum suorum conscientias, dummodò successores ipsi vigesimum ætatis annum exegissent, relinqueretur. Super quod dictorum Regis, & successorum conscientias onerari, eisque innotescere voluimus, quod quicquid recipi ultrà ipsius defensionis casum contingeret, in suarum reciperent periculum animarum, super quo nisi sibi providerent salubriter, attendere possent in quo periculo remanerent : si verò defensionis prædictæ tempore hujusmodi ætatis annum non exegissent successores ; declaratio necessitatis ejusdem Prælatorum, clericorum, & laicorum, qui de ipsorum successorum secreto consilio, seù majoris partis ipsorum essent conscientiis relinqueretur, quorum similiter conscientia onerari voluimus, eisque plenius aperiri, quod si quid ultrà casum defensionis reciperetur ejusdem, in dispendium salutis Consiliariorum reciperetur ipsorum, illud quod restituere tenerentur ; quodque præterea intentionis nostræ non extitit, nec existit, quod constitutionem, seù declarationem prædictas, jura, libertates, Franchisias, seù consuetudines, quæ præfatis Regi, & regno, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & quibuscunque aliis dominis temporalibus edictionis præfatæ constitutionis tempore, atque etiam antè illud competere noscеretur tollere, diminuere, seù quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare, seù novas servitutes, vel submissiones imponere, seù jura, libertates, Franchisias & consuetudines supra dicta præactis Regi, & aliis illæsa, & integra conservare. Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos, aut duo, aut unum vestrum per vos, vel per alium, seù alios Prælatos, & personas Ecclesiasticas supra dictas ad hujusmodi subsidium eisdem Regi, & successoribus exhibendum auctoritate nostrâ spiritualiter, & temporaliter, prout utilius expedire videritis, appellatione postpositâ, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio Brachii sæcularis non obstantibus, si eis, aut quibusvis aliis exemptis, & non exemptis per specialia privilegia, seù litteras sub quâvis formâ, seù tenore verborum confectas à sede Apostolicâ sit indultum quod ad hujuscemodi præstanda subsidia minimè teneantur, quodque ad id compelli, seù quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dictæ sedis, non facientes plenam, & expressam de verbo hujusmodi mentionem, & qualibet alia

ANNO 1297.

ANNO 1298.

præfatæ ſedis indulgentia ſpeciali, generali, vel ſpeciali cujuscunque tenoris vel expreſſionis exiſtat, præterquam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam effectus earum impediri poſſit . . . . vel differri, & de qua in noſtris litteris plenam, & expreſſam de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem.

Datam apud urbem veterem Pontificatus noſtri anno tertio.

Poſt hanc Epiſtolam hæc ſequuntur in MS.

DECRETUM CLERI GALLICANI,

De ſolvendis Regi biennis decimis.

CUm igitur præfato Domino Regi, prout inter cætera liquido patet, à ſupra dicto Domino Pontifice ſit conceſſum, quod ſi ipſi vel ſucceſſoribus ejus pro univerſali & particulari Regni prædicti defenſione periculoſa neceſſitas immineret, ad caſum hujusmodi ſe nequaquam extenderet conſtitutio prælibata, quin ipſe Rex, & Succeſſores ſui poſſent à Prælatis, & Perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni petere, ac recipere pro hujusmodi defenſione ſubſidium, vel contributionem, illudque, vel illam Prælati, & Perſonæ prædictæ præfato Regi, ſuisque ſucceſſoribus, inconſulto etiam Romano Pontifice tenerentur, & valerent ſub quæſtæ nomine, aut alias etiam impediri, quodque neceſſitatis declaratio ipſius Regis conſcientiæ relinqueretur; cumque præfatus Dominus Rex vocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni Pariſius congregatis, per lecta, & expoſita ſibi conceſſione prædicta, neceſſitatem ſui Regni evidentem aperiens, & expoſtulans eidem pro hujusmodi neceſſitate ſubveniri, in ſua declaravit conſcientia neceſſitatem ad præſens imminere periculoſam, adeò quod à Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis ſubſidium, & contributionem petere, & recipere neceſſe haberet pro Regni defenſione prædicti, aſſerens ſubſidium decimæ biennii redituum, & proventuum perſonarum Eccleſiaſticarum quatenùs eas contigit, etiamſi ſtatim eas ſolveret, non ſatis ſufficere pro defenſione prædicta.

Nihilominùs præfati congregati Prælati ſubſidium, ſeù contributionem hujusmodi inſtantem, & rationabilem exiſtimantes, eam ſpontanea voluntate præfato Domino Regi pro dicta defenſione conceſſerunt exhibendam, & reddendam, videlicet decimam unius anni in inſtanti media Quadrageſima, & aliam decimam in inſtanti. . . . . .

IX. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 817.

De compromiſſo Regis in Papam tanquam in privatam Perſonam ſuper bello cum Galliæ Rege: anno 1298.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

TAnquam univerſalis Paſtor de ſingulorum ſalute fidelium ſollicite cogitantes, guerris, diſſenſionibus, & diſcordiis cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Philippi Franciæ, & Eduardi Angliæ Regum illuſtrium, quibus diſſidebant ad invicem dudum cum amaricatione perceptis ab ipſo hujusmodi diſſenſionum & diſcordiarum Principio, ſtuduimus diverſis modis & temporibus, non ſine immenſitate laborum, opem & operam efficacibus ſtudiis adhibere; qualiter eos reducere ad pacem & concordiam valeremus.

Cumque nuper utriusque ipſorum Regum Procuratores & Nuntii fuiſſent ad hoc ab eis ad noſtrum præſentiam deſtinati quia dictus Rex Angliæ, ac dilecti Filii, nobiles viri Flandriæ, & Barri Comites, pluresque nobiles de Comitatu Burgundiæ obligati ad invicem, ac juramento fuiſſe dicebantur aſtricti, quod ſuper his idem Rex Angliæ, ſine dictorum comitum & nobilium, iidemque Comites & Nobiles ſine ipſius Regis Angliæ conſcientia, & aſſenſu, cum dicto Rege Francorum nullam pacem facerent vel inirent.

Prædictis Procuratoribus & Nuntiis ejusdem Regis Angliæ, ſcilicet venerabilibus fratribus noſtris, Guillielmo Dublinen. Archiepiſcopo, & Johanne Epiſcopo Vintonien. ac dilectis filiis nobilibus viris, Amedeo comite Sabaudiæ: Ottone de Grandiſono, & Hugone de Ver, militibus, in noſtra præſentia conſtitutis & ſe nolle dicentibus inter ipſos Reges hujusmodi diſcordias concordare, vel alias ordinationi noſtræ ſupponere ſine prædictorum Flandriæ ac Barri Comitum & nobilium de Comitatu Burgundiæ voluntate.

Tandem dilecti filii, nobiles Viri, Robertus Primogenitus Philippus de Flandria, & Johannes de Naranco, dicti Comitis Flandriæ filii ejusdem Comitis eorum Patris, atque ſuo Henricus Comes Barren. ſuo, & Gualterus de Montefalconis miles, de dicto Comitatu Burgundiæ, ſuo proprio, & aliorum de eodem comitatu nobilium prædictorum nomine habentes ad hoc plenariam poteſtatem, quatenus ſua & eorum, quorum erant Procuratores intererat, vel intereſſe poterat quoquomodo de voluntate ac expreſſo conſenſu prædictorum Nuntiorum & Procuratorum ipſius Regis Angliæ, voluntati, ordinationi, arbitratui, diſpoſitioni, diffinitioni, arbitrio, ſive laudo noſtri, tamquam privatæ perſonæ, ac Benedicti Gajitani, ſuper guerris diſſenſionibus diſcordiis & controverſiis prædicti Regis Franciæ, ac ſuis, & eorum quorum erant Procuratores, ſe ſubmittere ac ſupponere.

Præfatique Nuntii & Procuratores Regis Angliæ poſtmodum de voluntate ac expreſſo conſenſu prædictorum Comitis Flandriæ, filiorum & Comitis Barren. & Gualteri de Montefalconis nominibus quibus ſupra, in nos, tanquam in privatam perſonam & tamquam in arbitrum, arbitratorem, Laudatorem, diffinitorem, & amicabilem compoſitorem, ſuper guerris, diſſenſionibus, diſcordiis, & controverſiis Regum prædictorum ſimiliter compromittere juraverunt.

Et quia in inſtrumentis ſubmiſſionum prædictarum, inde confectis, de obligatione, aſtrictione, conſcientia, conſenſu, & voluntate prædictis, præmiſſo mentio non habetur.

Nos ſuper hoc, has noſtras literas prædictis Nuntiis, & procuratoribus Regis Angliæ, in præmiſſorum teſtimonium duximus concedendas.

Datum Romæ apud S. Petrum ſecundo Calendas Julii, Pontificatûs noſtri anno quarto.

ANNO 1298.

Bulla

ANNO 1299.

Bulla monitoria Eduardo Angliæ Regi ut desistat à Bello Scotiæ illato, quum Regnum Scotiæ sit Ecclesiæ Romanæ feudum: an. 1299.

X.
Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. 2. pag. 844. & ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 277.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio Edvvardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

SCimus, fili, & longo jam temporis spatio magistra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem Ecclesiam, quæ te gerit in visceribus caritatis, regiæ devotionis affectus exuberat, reverentiæ zelus viget, quodque promptus sedis ejus verbis obtemperas, & beneplacitis acquiescis.

Quamobrem firmam spem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis sublimitas verba nostra benignè recipiat, diligenter intelligat, efficaciter prosequatur.

Sanè ad celsitudinem regiam potuit pervenisse, & in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno jure pertinuit, & adhuc pertinere dignoscitur ad Ecclesiam supradictam: quodque illud, sicut accepimus, progenitoribus tuis Regni Angliæ Regibus, sive tibi, feudale non extitit, nec existit.

Qualiter etiam claræ memoriæ Henricus Rex Angliæ, pater tuus tempore discordiæ sive belli inter ipsum & quemdam Simonem de Monteforti suosque fautores & complices suscitatæ à recolendæ memoriæ Alexandro ejusdem Scotiæ Rege ac ipsius Henrici genero, auxilium sibi petiit exhiberi.

Et ne hujusmodi auxilium jure cujuslibet subjectionis aut debiti petitum seu præstitum notaretur: præfatus Henricus eidem Regi Scotiæ suas patentes duxit litteras concedendas, per eas firmiter recognoscens, prædictum auxilium recepisse, vel se recepturum dumtaxat de gratia speciali.

Præterea cum successu temporis, præfati Regis Scotiæ tui Sororii, tunc viventis in tuæ coronationis solemniis habere præsentiam affectares: sibi per tuas patentes tenere literas curasti, quod in ipsis solemniis ejus habere præsentiam non ex debito, sed tantum de gratia intendebas.

Et cum etiam Rex ipse pro Tindaliæ ac de Pognerre terris in Regno Angliæ positis, se ad tuam præsentiam personaliter contulisset, tibi fidelitatem solitam impensurus; idem in præfatione fidelitatis hujusmodi, multis tunc præsentibus, vivæ vocis oraculo publicè declaravit, quod pro terris eisdem, sitis tantum in Anglia non ut Rex Scotiæ, neque pro Scotiæ Regno, fidelitatem exhibebat eamdem; quinimo palam extitit protestatus, quod pro regno ipso tibi fidelitatem præstare seu facere aliquatenus non debebat, utpote tibi penitus non subjecto. Tuque sic oblatam fidelitatem hujusmodi admisisti.

A tua quoque non creditur excidisse memoria, qualiter eodem Rege Scotiæ de medio quondam sublato, Margareta puella, nepte tua, tunc minoris ætatis, herede sibi relicta, non ad te velut ad dominum pervenit custodia regni memorati: sed certi ejusdem Regni proceres ad ejus custodiam extiterunt electi.

Quodque postmodum dispensatione ab Apostolica sede obtenta, super matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Edvvardum natum tuum, & Margaretam prædictam, dum viveret, si ad id procerum dicti Regni accederet vel haberetur assensus: tu eisdem proceribus per tua scripta caviisse dignosceris priusquam vellent hujusmodi matrimonio consentire, quod regnum ipsum penitus liberum, nullique subjectum, seu quovis modo submissum in perpetuum remaneret, quodque in pristinum seu talem ipsius statum restitueretur omnino, si ex hujusmodi matrimonio contrahendo liberos non extare contingeret, ac nomen & honorem ut prius pariter retineret, tam in suis sibi servandis Legibus & præficiendis officialibus dicti Regni, quam parlamentis tenendis, tractandis, causis in ipso, & nullis ejus incolis extra illud ad judicium evocandis, & quod in tuis patentibus litteris inde confectis hæc plenius & seriosius contineri noscuntur.

Præfata insuper Margareta de præsente luce subtracta, & tandem super successione dicti Regni Regni Scotiæ suborta dissensionis materia inter partes, ipsius Regni proceres metuentes, sibi dictoque regno posse occasione hujusmodi præjudicium generari, non aliter ad tuam præsentiam extra ipsius accedere limites voluerunt, nisi per te patenti scripto caveretur eisdem, quod id non fiebat ex debito, sed ex gratia speciali: quod nullum exinde ipsius regni libertatibus posset dispendium imminere.

Et licet ut dicitur super statu ejusdem Regni Scotiæ, ac ejus prius habita libertate, regno ipso tunc carente præsidio defensoris, per ipsius Regni proceres, tunc velut acephalos, & duos vel aurigæ suffragium non habentes, sive per illum, cui præfati Regni regimen licet indebitè, diceris commisisse contra morem solitum aliqua fuerint hactenus innovata: ea tamen, utpote per vim & metum, quæ cadere poterant in constantem, elicita, nequaquam debent de jure subsistere, aut in ejusdem regni præjudicium redundare.

Cæterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi sumus, quod cum Apostolicæ sedis præcellens autoritas per suas literas in Angliæ & Scotiæ regnis simul alicui Legationis committit officium exequendum, vel pro quavis causa, quam rationabilem reputat decimæ solutionem indicit, hujusmodi Apostolicæ literæ ad præfatum Scotiæ regnum se aliquatenus non extendunt, speciali prædictæ sedis privilegio Scotis indulto penitus obsistente, prout tempore felicis recordationis Hadriani Papæ prædecessoris nostri, tunc S. Hadriani diaconi Cardinalis & per ipsius sedis literas simul in Regnis ipsis Legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter.

Nam Legatus ipse ad præfatum Regnum Scotiæ aliquatinus admissus non extitit, donec per literas speciales apostolicas sibi legationis fuit commissum officium in eodem.

Præterea noscere potest Regia celsitudo, qualiter regnum ipsum per beati Andreæ Apostoli venerandas reliquias, non sine superni numinis grandi dono, acquisitum & conversum extitit ad fidei catholicæ unitatem.

Qualiter etiam, antiquis temporibus Eboracensis Archiepiscopus, qui tunc erat, mota per eum super jure metropolitico adversus prælatos Scotiæ quæstione, in qua dictum antiquitus fuisse commemoras, momento, quod fumus tui, ut cætera, quæ inde sequuntur, silentio relinquamus, pro se sententiam obtinere nequivit: quamvis alia plura & varia, quæ in hac parte rationabiliter proponenda se offerunt, ex quibus ad hæc tibi scribenda movemur, prætereat calamus, ne inde forsitan sensibus regiis tædium generetur.

Hæc profecto, fili carissime, infra claustra pectoris sollicitè considerare te convenit, & attendere diligenter, ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam Ecclesiam pertinere, quod tibi nec

ANNO 1299.

ANNO 1299. licet nec licuit in ipsius Ecclesiæ ac multorum præjudicium, per violentiam subjugare, tuæque subjacere dictioni.

Cum autem, sicut habet fide digna & nostris jam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis affatibus divulgatur, tu præmissa, ut debueras, non attendens, neque debita consideratione discutiens & ad occupandum & subjugandum ditioni regiæ regnum ipsum, tunc regis auxilio destitutum, vehementer aspirans & tandem ad id exercens potentiæ tuæ vires, venerabilibus fratribus nostris Roberto Glascuensi & Marco Sodorensi Episcopis & nonnullis Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis dicti Regni, ut dicitur, captis & carceralibus vinculis traditis; quorum aliquos, sicut asseritur, squalor carceris violentus extinxit: ac etiam occupatis castris & prout fertur monasteriis, aliisque religiosis locis quamplurimis dirutis, seu destructis, ac damnis gravibus ejusdem regni habitatoribus irrogatis in ejusdem regni partibus officiales regios posuisti, qui prælatos cæteros Clericos & Ecclesiasticas ac etiam seculares dicti regni personas, multimodis perturbare molestiis, & afflictionibus variis & diversis impetere non verentur, in divinæ majestatis offensam sedis memoratæ contemptum, regiæ salutis & famæ dispendium, juris injuriam & grave scandalum fidelium plurimorum.

Regalem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attentè, ac obsecramus in eo qui est omnium vera salus, quatenus solerter attendens, quod ex debito pastoralis officii nostris humeris incumbentis, ad conservanda & gubernanda solicite bona juraque omnia Ecclesiæ supra dictæ tenemur, quodque homini plusquam Deo deferre non possumus nec debemus, prædictos Episcopos, Clericos, & personas Ecclesiasticas, quos adhuc carcer regius tenet inclusos, pro divinæ & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia sublato difficultatis & dilationis objectu benigne restitui facias pristinæ libertatis, dictosque officiales de Regno Scotiæ revoces memorato.

Sic te in his, prout speramus & cupimus, promptis & efficacibus studiis habiturum, ut adud cœlestem Regem, pro minimis grandia rependentem non immerito reddaris acceptior, gratior habearis, & præter laudis humanæ præconium tibi proinde proventurum, Apostolicæ sedis favorem & gratiam possis uberius promereri.

Si verò in eodem Regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte, jus aliquod habere te asseris: volumus, quod tuos procuratores & nuncios ad hoc specialiter constitutos, cum omnibus juribus, & munimentis tuis hujusmodi negotium contingentibus, infra sex menses à receptione præsentium numerandos ad nostram præsentiam mittere non omittas: cum parati simus tibi tamquam dilecto filio plene super præmissis exhibere justitiæ complementum & jura, si quæ habes inviolabiliter observare.

Nos enim nihilominus ex tunc lites, quæstiones & controversias quaslibet, inter te denique & Regnum Scotiæ, ac prælatos, Clericos, & personas seculares ejusdem subortas & quæ possunt in posterum ex quibusdam causis prædictis exoriri, totumque negotium prædicta contingens, aut aliquid eorumdem, ad cognitionem & determinationem sedis ejusdem, præsentium tenore reducimus, & etiam reservamus: decernentes irritum, & inane, si secus scienter vel ignoranter à quoquam in hac parte contigerit attentari. Datum Anagniæ V. Kal. Julii Pontificatus nostri anno quarto.

Suspendit Privilegia Philippo Regi Franciæ concessa, & membris Consilii ejus: anno 1301.

ANNO 1301.

XI.

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. II, pag. 299.

BONIFACIUS OCTAVUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvator mundi secundum ordinatissimam dispensationem temporum, naturæ primum, post durum Mosaicæ Legis, & tandem Evangelicæ gratiæ suave jugum imposuit. Et ideo non mirandum, si ejus Vicarius Petrique Successor, secundum varietatem temporum, personarum, & locorum qualitate pensata, statuta, privilegia, indulgentias concessiones, & gratias, quæ à sede Apostolica pro tempore conceduntur, credente ipsa conjectura prodesse, aut necessitate urgente vel utilitate publica suadente; postquam experimento inutilia comprobantur, suspendit, revocat, & immutat. Præsertim propter ingratitudinem vel abusum eorum quibus hujusmodi gratiæ & privilegia ad indulgentiæ sunt concessæ, & tendit ad noxam quod concessum fuerat ad medelam. Ejus quoque quod ex causa conceditur, ea cessante cessare deberet effectus. Jureque patet pariter & exemplo, quod permissa vel concessa revocantur postmodum rationabiliter & mutantur.

Nec Romanus Pontifex in concedendis gratiis suæ plenitudinem potestatis astringit ita, quin possit eas, cum decet & expedit, revocare. Nos igitur attendentes, quod nonnulla privilegia, Indulgentias & gratias carissimo in Christo filio nostro Philippo Francorum Regi illustri, ejusque successoribus, specialiter pro defensione regni sui, sub certis formis duximus concedenda, & gratiose aliqua concessimus clericis & Laicis, qui de suo, & successorum suorum stricto consilio fuerint, vel majori parti eorum; quorum privilegiorum, gratiarum & concessionum prætensione, per abusum, Ecclesiis & Ecclesiarum Prælatis & personis & religiosis & sæcularibus dicti Regni, magna gravamina & dispendia sunt illata, & gravia scandala sunt exorta & in antea possunt oriri: & præcaventes ne tali prætextu supra dicti Ecclesiæ prælati, aut Personæ Ecclesiasticæ plus graventur, providimus super hoc salubre remedium adhibere.

Unde illa omnia quantum ad omnem ipsorum effectum, de fratrum nostrum consensu usque ad prædictæ sedis beneplacitum duximus suspendenda: illa maximè, quæ tempore guerrarum, quibus dicti Regni status pacificus turbabatur, fuere concessa.

Nec considerationem nostram pertransit, quod divina favente clementia per ministerium nostrum, inter ipsius & carissimum in Christo filium nostrum Regem Angliæ est pacis reformatio subsecuta, & saltem non est tanta necessitas defensionis hujusmodi cum tanto onere aliorum.

Alias si quæ sit aut esse dignoscitur, culpa sua. Insuper quicquid prælatis & personis Ecclesiasticis & regularibus & sæcularibus dicti Regni sub titulo decimæ vel cujusvis subsidii quocumque nomine censeatur, impositum fuerit, petitum & requisitum ab eis, etiamsi ad illud solvendum Prælati & personæ prædictæ assensum præstiterint, vel ad hoc se duxerint obligandos nec adhuc exactum fuerit vel solutum; absque sedis ejusdem speciali mandato decernimus non solvendum.

Executoribus super præmissis, vel aliquo præmissorum à dicta sede concessis, districtè

mandantes,

ANNO 1303.

mandantes, ut contra hujusmodi suspensionem, & decretum nostra, aliquos non aggravent vel molestent, aut contra eos hujusmodi occasione aut causa modo aliquo procedant.

Et si secus fecerint, illud decernimus irritum, & inane, & nullius volumus existere firmitatis.

Cæterum quia labilis est humana memoria, & ipsi legi se corrigenti, & habilitanti ad gratiam promerendam, libenter quantum cum Domino possumus, absque multorum scandalo complacemus, dictis & suspensione & decreto in sua firmitate manentibus, Calendas Novembris proximè venturi pro peremptorio assignamus, ut omnia privilegia, gratiæ, indulgentiæ & concessiones, quæ dicto Regi ac Successoribus suis, & Clericis & Laicis de ipsorum consilio, illa præsertim, quæ, dum in urbe veteri vel Anagniæ cum nostra moraremur curia sub quavis forma noscimur concessisse dictæ sedis conspectui præsententur & ad nostrum & ipsius notitiam deducantur, ut consideratis ipsis & visis provideri possit, si dicta suspensio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda.

Datum Laterani primo Non. Decembris Pontificatus nostri anno VII.

XII.
Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. II. pag. .... & Cod. Leibnitii Tom. II. pag. 313.

Hæreseos objectæ crimen diluit, asseritque se præterita Philippi Regis Francorum appellatione ad futurum seu Pontificem seu Concilium contra eundem processurum: an. 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

NUper ad audientiam nostram delatus rumor attulit. Quod in festo B. Joannis Baptistæ proximè præterito Philippo Regi Franciæ in præsentia multorum in jardino Regis ejusdem congregatorum contra nos diversa crimina denunciata fuerunt: quodque eidem supplicatum extitit quod ipse hujusmodi denuntiationi assentiret, & consilium super hoc opponeret; dando ad convocandum, & evocare faciendum concilium generale, opem & operam efficaces: & quod hujusmodi denuntiationi, & requisitioni Rex idem, & præfati, qui ibidem erant, assenserunt: & ne nos contra eos ipsos Regem, & Regnum suum, Prælatos, Comites, Barones, Nobiles & alios præcederemus in aliquo, ad ipsum generale Concilium, aut ad Papam nostrum successorem legitimum, vel ad sanctam Romanam Ecclesiam extitit appellatum in scriptis, & quod multi hujusmodi appellationi adhæserunt: & inter Regem, Prælatos, & adhærentes iisdem certis confœderationibus, & colligationibus factis, districto mandato per Regem eundem fuit conclusum, quod nullis nostris literis, vel nobis in aliquo obediret, Stephano de Columna nostro & Ecclesiæ hoste in Regno suo, non sine gravium incursu sententiarum, recepto.

Sanè qua ad hæc sinceritate mentis conventicula hujusmodi, qua charitate, quo zelo processerit, qua temeritate id auserit, qui veritatem considerant evidenter intelligunt, & qui sapiunt, manifestè cognoscunt. Intueantur blasphemias, quæsumus, maledictorum tempus inspiciant videant Regis mandati justitiam; non negligant, optamus, colligationem & confœderationem, ipsius receptionem Stephani prudenter animadvertant, & nutantem Ecclesiæ summorumque Pontificum statum, nisi tam fatua tamque superba, eodem, quo processerunt impetu, comprimantur.

Attendant nihilominus diligenter: Nos, siquidem os suum ponentes in cælum, & linguæ eorum transeuntes super terram, hæresis mendaciis mendaciter blasphemarunt, blasphemiis aliisque confictis, quantum in iis fuit, criminibus laceraruntSed ubi auditum à sæculo est, quod hæretica fuerimus labe conspersi, quis nedum de cognatione nostra, immo de tota Campania, unde originem duximus, vocatur hoc nomine? certè heri, & nudius tertius apud eundem Regem, dum eum beneficiis mulcebamus, Catholici fuimus, & nunc ab ipso blasphemamur totaliter. Sed quæ causa mutationis tam subitæ? quæ causa irreverentiæ filialis? verè sciant cuncti quod increpationis pharmaco, quibus purgare peccatorum suorum volebamus vulnera, & pœnitentiæ acrimonia, qua omnia tergerentur peccata, eum ad continuandum calumniarum armaverunt dolos, & ad flammas infidelitatis separaverunt, inspiraverunt. Majores Episcopo Mediolanensi sumus, & quam fuerit clarior Valentinianus Augustus, & Rex Franciæ minor: ille sicut humilis & Catholicus Princeps, non erubuit postfieri se Mediolanensi Episcopo, cum, ut homo delinqueret, summissurus & necessario susceperus medicamenta charitatis: hic autem sicut Senacherib: & ..... nos & post tergum nostrum caput movit; sed paveat quod contra Senacherib dicitur: Cui exprobrasti, quem blasphemasti, contra quem exaltasti vocem & elevasti in excelsum oculos tuos contra Sanctum Israel. Et ecce Sanctus Israel est Dei Vicarius, hic est Petri Successor, cui dictum est; Pasce oves meas, & : Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis. Propter quod, qui in navi Petri non est naufragio peribit, & qui in ea est oportet, ut gubernatoris gubernationi subsistat: Cum igitur de calumnia objectoris, propter falsitatem hujusmodi objecti criminis, pateat per consequens, quod calumnietur in objectis aliis, debet parere: Maledictorum, petimus, consideretur causa, tempusque mandato continuum, quo mandavimus eum ex legitimis causis excommunicatum publicè nuntiari, & ex hoc contextu & celeritate actuum quis non jure præsumat, eum non ad charitatis, sed ad vindictæ zelum, quis non cogitabit, ipsum ad tantæ temeritatis audaciam devenisse. In præteriti temporis roborat conjectura; olim itaque dum capitula, in quibus excedebat nostris comprehensa literis quæ per dilectum filium Jacobum de Nortmannis Notarium nostrum transmisimus, ægrè tulit & indignatus est, & in furiam versus maledicere cæpit, non veritus quod scriptum est: Principi populi tui non maledices. Cum autem Nos cessare credidit, paulo ante nos in Christo Patrem Sanctissimum humiliter dixit, & sic nos in suis literis appellavit: nunc verò quia urgente conscientia ex debito Pastoralis officii ipsius correctionem omittere non valemus, dilatatus, impinguatus, incrassatus recalcitravit dilectus, & pejora prioribus addidit maledicta. Ex quibus ejus in iis malum convincimus zelum, iniquitatis in ipso fomitem comprobamus & dicere cum Propheta possumus: numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ. Sed favente Domino, incidet in foveam quam fecit, & dolor ejus in verticem ipsius descendet: Hunc ejus animum mandati præmissi perversitas approbat directè sicut etiam verba canonum, eum qui ab Episcopo

ANNO 1303.

ANNO 1303.

fuo ante ſententiæ tempus pro dubia ſuſpicione diſceſſerit manifeſtam manere cenſuram quam Clerici Simoniaci qui ab eo etiam de hæreſi accuſato contra regulas ante tempus diſceſſerunt, incurriſſent, niſi providentia Synodi actum fuiſſet miſericorditer cum eisdem. Eundem zelum, & animum prædicta colligatio patefecit. Ad hæc receptatio Stephani memoratæ non ſolum malum indicat zelum, ſed Regem ipſum inimicum detegit, & Principis Apoſtolorum mandati etiam transgreſſorem. Ait enim de clemente: ſi inimicus eſt Clemens alicui pro actibus ſuis, cum illo nolite amici eſſe, ſed avertite vos ab illo, cui ipſum ſentitis adverſum; ſi quis verò amicus fuerit iis, quibus ipſe non loquitur, unus ex iis eſt, qui exterminare Eccleſiam Dei volunt. Qui cum inimicis alicujus ſuas amicitias copulant, ejus inimici cenſentur, & ideo facile mentiuntur.

Nonne Eccleſiæ mutabitur ſtatus, & Romanorum Pontificum vileſcet autoritas, ſi talis Regibus & Principibus, aliisque potentibus aperiatur via aditusque pandatur? confeſtim enim Romanus Pontifex & Petri Succeſſor, qui clara ipſius Petri voce omnibus præeſt, cum circa alicujus Principis, vel Potentis volet correctionem intendere, & immittere manus tunc dicetur hæreticus, vel notoriè cum ſcandalo criminoſus, ut ſic fugiatur punitio, & ſuprema poteſtas penitus confundatur. Abſit à ſecta noſtrorum temporum tam pernicioſum exemplum, abſit à nobis tanta vecordia, tam damnabilis negligentia, quod talem errorem ſinamus ſuccreſcere, quin apertius ſui ortum ſuccidamus. Num quid ergo ſi ſupra prædictis contra nos petatur à nobis, ſine quo congregari non poteſt concilium generale, illud in exemplum tam deteſtabile; maxime ut omittamus ad præſens excommunicationem multiplicem, quæ idem Rex tenetur aſtrictus calumniatori malo, ut ex ſuperioribus patet procedenti zelo aut etiam inimico, aut ſibi confederatis quibus colligatus eſt, etiam concedimus, taliterque fomentum dabimus huic peſti, quod in aliorum Prælatorum perſona ex prædictis cauſis ſecundum ſcita canonum repellere deberemus illud in noſtra ſine alicujus injuria, ſi nobis & fratribus noſtris videbitur, poterimus meritò refutare, ut nemo deinceps Rex aut Princeps, aut alius Potens, Regis exemplo contra Romanorum Pontificem ſic prorumpat in verba blaſphemiæ, nullus ſic ejus correctionem evitet. An ut tacemus de Rege Francorum à Zacharia Regno privato, divæ recordationis Theodoſius Magnus ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo extra Eccleſiam factus, contra eum exarſit. An Lotharius glorioſus contra Nicolaum Papam ſic erexit calcaneum, aut contra Innocentium Fridericus? An Rex Franciæ major eſt iis? An nos minores ſumus prædeceſſoribus noſtris? An minus juſtè præcedimus? Quippe trium horum non eſt aliquid verùm; Sed ii, ubi debuerunt, ſuſtinuerunt humiliter: ille autem, ut Adonias cum Diis terræ contra Deum Abrahæ, quia contra nos ejus vices gerentem in terris vehementer, ut ſi quod abſit perſtiterit, ruat, elevatus eſt: Per hoc autem non credat aliquis, quod contenti ſimus quin non obſtante hujusmodi fraude appellationis objectæ, quæ ad minorem, vel parem, ſive mortalem aliquam non potuit interponi, ſuper prædictis & aliis notabilibus cauſis, ipſius Regis ejusque ſequacium exceſſibus, prout expedire ſenſerimus, niſi ſe corrigant & ſatisfactionis impendant debitum, nec eorum ſanguis à noſtris requiratur manibus procedamus: Datum Anagniæ Calend. Sept. Pontificatus anno nono.

ANNO 1303.

XIII.

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. p. 315.

Philippum Regem, enarratis quæ ab eo geſta fuerunt, fidelium cœtu ſacrisque ſegregatum declarat: anno 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SUper petri ſolio, excelſo throno divina diſpoſitione ſedens, illius vices gerimus cui per Patrem dicitur: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Quo monemur ut intelligant Reges, diſciplinam apprehendant, erudiantur, judicantes terram quod ſerviant domino cum timore, & exultent ei cum tremore, ne ſi iraſcatur aliquando pereant, cum exarſerit ira ejus. Ideoque magnum judicamus, ut parvum, quia ejus ſumus vicarii, apud quem perſonarum acceptio indigna reperitur. Hoc veteris & novi Teſtamenti veritas habet; hoc venerandorum Conciliorum probat authoritas; id ſanctorum patrum tenet ſententia, id etiam naturalis ratio manifeſtat. Sed licet tanta poteſtate ſit prædicta Petri ſedes, tantaque polleat dignitate, tamen, ut pius pater, ſeveritatem manſuetudine temperantes, ac lenientes æquitate rigorem non ad confringendum, quamquam jure poſſemus, ferream, ſed ad dirigendum in viam ſalutis directionis virgam in præſentiarum aſſumimus & correctionis ferulam amplexamur. Novum ad hoc nihil; prout neque grana de ſpicis excuti ſecimus, nempe ſimpliciter judicantis opera fungimur. Quinimo utentes denuntiatorum officio, nullas pœnas Philippo Francorum Regi imponimus, ſed ei propter exceſſus ſuos jam excommunicato notoriè inflictas potiùs à jure intimamus.

Bonus itaque medicus ſi quibusdam medicamenta morbis officiant ſe de gratia vertit, non iis ſtatim duriora ſubjiciens, ſed leniora niſi morborum aliud expoſcat acuitas adminiſtrans. Sic peccatorum ejusdem ſauciati Regis vulnera prius palpavimus, exactis lenitatibus mulſimus, ipſumque pietate paterna fovimus: imo lenimenta hujusmodi ſeminarium contumacia fuerunt & odiorum, eum erexerunt in ſuperbiam & ad contemptum pertinaciter provocaverunt. Unde nos ad alias, non graves tamen medelas convertimus ut ſaltem experiamur, utrum tactus loniter non confractus ſe corriget ſicut Nabuchodonoſor præ ceteris terræ Rex inclytus quod optamus ne obſtinatus, in quem transfixit, videat, & cogamur ferro abſcindere vulnera, quæ fomentorum medicinam non ſentiunt; pœnitentiam agat; an quod abſit in profundum malorum demerſus, ſordidus ſordeſcat amplius, & veluti Pharao indureſcat.

Olim ſiquidem dum idem Rex peccaret graviter in diverſis articulis in Clerum & Eccleſiam Gallicanos, primum per ejusdem Regis nuntios & ad nos miſſos, ipſum ſuper hujusmodi ſalubribus monuimus monitis, deinde ad eum dilectum filium Jacobum de Normannis Notarium noſtrum, ei noſtras deferentem li-

ANNO 1303.

teras, in quibus excedebat, capitula continentes, transmiſimus quanquam imprudenter, quanquam infrunito animo, & irreverenter tractaverit; non advertens quod ſecundum Evangelicam veritatem, qui ſpernit miſſum ſpernit mittentem; ideo dignus ſententia, quam dudum Conſtantinus Papa in Juſtinum Imperatorem Juſtiniani filium ex ſimili cauſa tulit, qui in vicino erat evidenter cognoſcunt, ac idem patuit de longinquo, nec conſiderans, quod antiquis eſt ſancitum à ſanctis patribus promulgatis canonibus, quod ſi quis Romam petentes rebus quas ferunt ſpoliare præſumpſerit, communione careat Chriſtiana: quodque ii, qui accedunt ad præſentiam Romani Pontificis, cum rebus ſuis, debeant eſſe ſub protectione Apoſtolica ſecuri; & parvi pendens excommunicationis ſententiam, quam inhærentes veſtigiis Romanorum Pontificum & præcipue Nicolai Papæ prædeceſſorum noſtrorum, qui dictorum canonum authoritate ſuffulti, contra talia facientes ad excommunicationem hactenus proceſſerunt, addito per Nicolaum eundem proceſſibus ipſis etiamſi connitentes committentes imperiali aut regali dignitate radient. Nos etiam, eodem privilegio excluſo, in omnes etiamſi prædicta fulgeant dignitate, qui ad ſedem Apoſtolicam venientes vel recedentes ab ea capiunt, ſpoliant vel detinere præſumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quo minus ad eandem ſedem liberè, cum propriis bonis & rebus ſuis veniant, & recedant ab ea in die cœnæ Domini proximo præterito tali modo declarantes, etiam illos, qui per ſe vel per ſuos officiales, vel miniſtros aut incolis imperii, regnorum ſeu terrarum ſuarum, vel tranſeuntibus per ea, undecunque oriundis, ad ſedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem; equitaturas limitant vel ſubtrahunt, quæ deferunt, ſeu reportant pro ſuis opportunitatibus vel expenſis, aut quasvis alias res & bona ſive aperiunt literas vel auferunt, ſeu taxant numerum perſonarum aut evectionum, vel alias directè vel indirectè talibus venientibus, vel redeuntibus impedimentum vel obſtaculum præſtare præſumunt; impeditores fore ad dictam ſedem venientium & redeuntium, & excommunicationis ſententiam incurrere ſupra dictam. Adeo noſtris temporibus, ſicut alias fecerat, notoriè ſui regni fines in transgreſſores graviſſimis interminatis pœnis, & nos jactatis blaſphemiis arctæ cuſtodiæ deputat, ablatis contra dictam ſententiam noſtram non ſolum indigenis, ſed etiam ad eandem ſedem per regnum ipſius aliunde venientibus rebus ſuis, vel injurioſè taxatis, imo autem omnino ſubtractis; ac literis, quas deferunt apertis per cuſtodes paſſuum, aut retentis, quod nullus liberè ad prædictam ſedem poteſt accedere: nec prælati Franciæ per nos, ut ſuper dictis deliberaremus cum iis ad noſtram præſentiam evocari potuerunt ſicut eorum hujusmodi per literas conſtat, quas in archivio Romanæ Eccleſiæ facimus conſervare. Sic & Noviomen. Conſtantien. Bituricen. Epiſcopi ipſorum nuntios excuſatio, eodem impediente rege, venire: qua cauſa etiamſi Princeps quisquam fuerit, qui hoc prohibuerit, illum cenſet canon communione privandum. Quis enim libere ad memoratam ſedem proficiſci dicet, qui ſic tractatur, & quod retineatur vel regnum permittatur exire, ſub alterius poteſtate conſiſtit? Certè nullus qui ſane intelligat, & qui ſcripti juris vim in hoc cognoſcat, habet aliquam veritatem.

Sed volentes ſecundum ſacrorum doctrinam Canonum pacis ſervare vinculum, cum æquitate & firmitate portare, nec ſic moti ſumus. Immo evangelica dicta penſantes, conati ſumus errantem ovem tam charam, tamque nobis dilectam quaſi propriis humeris ne periret, ad ovile reducere in uberibus collocare paſcuis, & dulcedinis pabulo confovere. Nam cogitantes ſecundum evangelii parabolam, quod qui Notarium ſpreverat ſaltem noſtrum vereretur filium, ad reducendum eum dilectum filium noſtrum Joannem & SS. Marcellini & Petri presbyterum Cardinalem de regno oriundum ipſius, qui tamquam amicus ſuus ejus zelabat ſalutem curavimus deſtinare, offerentem inter cætera ſibi ex parte noſtra abſolutionum ab excommunicationum ſententiis, quibus erat notabiliter irretitus.

Verum fruſtra nos talis cogitatus arripuit, quia ſi erga prædictum Notarium ſe, ut præmittitur, geſſit, filium noſtrum magis ignominioſe compeſcuit. Quia ſicut ipſe nobis Cardinalis retulit, oblatam abſolutionem contempſit, eique deputatis cuſtodiis, ne libere ire poſſet, quò vellet, nec recipere, qui venirent ad eum de Regno ſuo, non reverſurum ſine ſua licentia; & ſic quodammodo, ut ejusdem Cardinalis verbo utamur, regio banno ſuppoſitum protulit & efflavit eundem. Et etiam ultra parabolam ipſe tandem nos patrem familias non dimiſit intactus, ſed iterum laceravit blaſphemiis & injuriis laceſſivit, oblitus, quod legitur, honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram; & quod filio ſemper honeſta & ſancta patris querela deberet videri, & taliter ejus non effici caſtigator: confœderationibus & colligationibus factis cum nonnullis prælatis & perſonis aliis regni ſui, pacis vinculum, quod ſalvum eſſe totis effectibus nitebamur, rupit, perturbavit unitatem Eccleſiaſticam & inconſutilem domini tunicam ſcindere non expavit, ac ſuæ appellationi frivolæ contra nos adhærere perperam coegit & cogit invitos, & in ruinam ſecum pernicioſe deducit. Sanè parabolam timeat, ne vinea aliis locetur agricolis, qui ſuis temporibus fructus reddant. Caveat cenſuram canonum quæ contra tales dignoſcitur præparata, & ne ex hujusmodi ſtricta cuſtodia Cardinalis prædicti canonem excommunicationem latæ ſententiæ qui ad eos per interpretationem tranſit, qui clericos ſine læſione detinent in cuſtodia publica vel privata; cum non multum à ſpecie verborum differant, quibus, quo volunt, facultas recedendi non datur incurrat, diligenter attendet.

Ad hoc, ut omittamus de dilecto filio Abbate Ciſtercienſe detento, & aliis multis religioſis maxime Italicis, quia juſſio regis urgebat recedentibus regno, captis de ipſius conniventia, & aliquo tempore in Caſtelletto ſervatis, eo quod adhærere nollent appellationi prædictæ, ac de eo, quod in perſona venerabilis fratris noſtri B. Apamearum Epiſcopi actum extitit nuper, & Nioclaum de Bonfractu capellanum Cardinalis jam dicti, noſtras ad eum portantem literas, quibus regem excommunicatum per Cardinalem eundem mandamus publice nuntiari, capi fecit, & repetitum à Cardinali eodem à carcere noluit relaxare, prout idem Cardinalis nobis id per proprias literas notum fecit: unde perinde dicitur habere, cum ipſe Rex impedimentum illud præſtiterit, ſicut ſi mandata renuntiatio præceſſiſſet.

Stephanum inſuper de Columna, noſtrum & Eccleſiæ hoſtem in ſuo Regno receptavit paten-

ANNO 1303.

ter,

ANNO 1303.

ter, non veritus excommunicationis sententiam, quam post Columnienſium fugam de Tibure provulgavimus publicè quibuscunque privilegiis non obſtantibus, in omnes etiamſi Imperiali aut regali præfulgeant dignitate, qui dictum Stephanum ac alios quondam filios Johannis de Columna & Jacobum fratrem dicti Joannis Ricardum & Petrum de Monte Vig. dicti Jacobi nepotes reciperent conducerent, receptari, vel recipi facerent ſeù conduci aut iis vel ipſorum alicui publicè vel occultè auxilium, favorem vel conſilium exhiberent; quodque contra adjutores, fautores & receptores prædictorum Jacobi & filiorum dicti Joannis ab olim per noſtras literas procedi mandavimus, ut contra hæreticos, receptatores, fautores, & adjutores eorum. Nequaquam in his ſervit Deo Rex Francorum in timore, aut ei cum tremore exultat, ne iratus in eum per ſuum vicarium exardeſcat; nempe tantò offendit gravius, quantò perniciosius peccat, ſuæ perditionis ad alios exempla transmittens.

Heu ipſum conſilia prava commaculant eum Syrenes, nec non usque in exitum dulces damnoſe permulcent, periculoſe regalem mentem exagitant & decipiunt inceſſanter. Non enim propter eas liberare ipſum poſſumus, nec debemus. Hominem namque primum non à peccato diaboli excuſavit ſuggeſtio, quin divini mandati transgreſſor ſolverit pœnam mortis; & ſilentium noſtrum nihil aliud foret quàm delinquendi occaſio & diſſolutio univerſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Cùm enim notorium etiam facti continui ſit, quod ipſo faciente, & contra dictam noſtram veniente ſententiam, libertas non eſt per regnum ipſius veniendi ad Apoſtolicam ſedem, & quod ſi dictus Nicolaus eſt captus, & præfatus Stephanus receptatur in Regno, noſtræque ſententiæ ſupra dictæ latæ firmatæ ſint, & prædicatæ publicè, ſic quod canonum excommunicatio in aperto liquet ex præmiſſis ut taceamus ad præſens de cuſtodia jam dicto Cardinali impoſita, detentione Abbatis, captione Religioſorum dictorum & temerariis actionibus in jam dictos commiſſis ipſum eumdem regem manifeſtis excommunicationibus eſſe ligatum, & per conſequens beneficia Eccleſiaſtica, perſonatus & dignitates, ſi eorum aliquo legitimo titulo quandoque ad eum collatio pertinet de jure, interim non poſſe conferre, imperium ſive jurisdictionem aliquam per ſe vel alios aut communes actus ſeu legitimos exercere, & collationem, & exercitium ipſum nullius exiſtere dignitatis, ac vaſallos ipſius eſſe à fidelitate, & etiam juramentis quibus aſtringuntur eidem, & hujusmodi debito totius obſequii auctoritate canonum abſolutos; hoc omnibus, his præcipuè, qui de ejus ſunt Regno vel in eo moram faciunt nuntiantes eum excommunicatum comitari pœnas hujusmodi declaramus: & more periti medici, cum non profuerint monita, à levioribus incipientes, ac ſanctorum patrum noſtrorum ſtatuta tenentes, omnes fideles vaſallos ejus eique juratos à fidelitate & juramentis, quousque idem Rex in excommunicatione permanſerit apoſtolica nihilominus auctoritate abſolvimus, & ne eidem fidelitatem obſervent, vel ſervent, modis omnibus eo ſub interminatione anathematis, quia magis Deo quàm hominibus ſervire oportet, & fidelitatem Chriſtiano Principi Deo adverſanti ejusque præcepta calcanti nullâ cohibentur auctoritate perſolvere, prohibemus.

Et quin Rex ipſe aliquos forſitan inveniret, qui beneficia hujusmodi Dei timore poſtpoſito ab ipſo reciperent, diſtrictè præcipimus ſub excommunicationis, amiſſionis beneficiorum, quæ aliàs haberent & inhabilitatis perpetuæ ad Eccleſiaſtica beneficia de cætero obtinenda pœna quam ipſo facto incurrant, ſi contrarium agant, ne ab eo ſic excommunicato manente, illa recipiant quoquo modo: diſtrictè ſub hujusmodi à nobis infligendis pœnis inhibentes capitulis Eccleſiarum in quibus beneficia ipſa per regem, excommunicatione durante, conferuntur eundem, nec eos, quibus conceduntur ab ipſo recipiant vel admittant. Porro cum ſcriptum ſit diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes; confœderationes prædictas etiam cum quibusvis terræ Regibus aut Principibus quod non credimus, initas diſſolvimus, & juramenta, ſi qua ſunt præſtita annullamus: etiam nuntiantes ipſi Regi ut à facie arcus fugiat, reſipiſcat, ad obedientiam redeat, & ad Dominum convertatur, ne quod præterire non valebimus, juſto in eum judicio animadvertere compellamur.

Ut autem hujusmodi noſter proceſſus quem de Concilio fratrum noſtrorum facimus ad omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem, in Cathedrali Eccleſia Anagnina vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum noſtrum, ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt ita, quod idem Rex & alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Anagniæ in aula noſtri palatii VI. Id. Septemb. Pontificatus noſtri anno IX.

ANNO 1303.

XIV.
Ex eod. Bulæo hiſtor. univ. Pariſ. Tom. 4. p. 7

Bulla quâ ſuam in temporalibus, & ſpiritualibus poteſtatem Francorum Regi denunciat, brevis nimium, quæ vix creditur à Pontifice ſine ullâ honoris præfatione ad Regem miſſa in re tanti momenti, ſed è prolixiori quâdam, quam poſt breviorem damus excerptam jure ſuſcipiatur *Bulæus* in *hiſtor. univerſ. Pariſienſ.* qui utrasque refert unà cum Regis reſponſo ad Bonifacium: anno 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Philippo Francorum Regi.

DEum time & mandata ejus obſerva. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla ſpectat; Et ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, fructus eorum Succeſſoribus reſerves; & ſi quæ contuliſti, collationem hujusmodi irritam decrevimus, & quantum de facto proceſſerit, revocamus. Aliud autem credentes hæreticos reputamus. Datum Laterani non. Decembris Pontificatus noſtri anno 7.

Conſtat hanc Bullam datam à Pontifice poſtquam intellexit quod à Rege fuiſſet in carcerem miſſus Apamienſis Epiſcopus, qui Regi inſolentius quàm decuiſſet auſus fuerat dicere ipſum tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus Papæ ſubeſſe, fructusque Præbendarum & Beneficiorum vacantium non poſſe retinere. Eam autem Bullam ex hac majori fuiſſe à nonnullis extractam, & in compendium miſſam jure ſuſpicari poſſumus.

ANNO 1303. BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Regi Francorum illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AUſculta, fili cariſſime, præcepta patris, & ad doctrinam magiſtri, qui gerit illius vices in terris, qui ſolus eſt magiſter & Dominus aurem tui cordis inclina, viſceroſæ ſanctæ matris Eccleſiæ ammonitionem libenter excipe & cura efficaciter adimplere, ut in corde contrito ad Deum reverenter redeas, à quo per deſidiam vel depravatus conſilio noceris receſſiſſe, ac ejus & noſtris bene placitis te devotè conformes. Ad te igitur ſermo noſter dirigitur, tibi paternus amor exprimitur & dulcia matris verba exponuntur. Campum ſiquidem militiæ humanæ mortalitatis ingreſſus, renatus ſacri Fontes Baptiſmatis renuncians diabolo & pompis ejus, non quaſi hoſpes & advena, ſed jam domeſticus fidei & civis ſanctorum effectus ovile Dominicum intraſti colluctaturus non ſolum contra carnem & ſanguinem, ſed etiam contra aëreas poteſtates mundique rectores præſentium tenebrarum. Sic veri Noe es arcam ingreſſus, extra quam nemo ſalvatur, Catholicam ſcilicet Eccleſiam, veram columbam, immaculatam unici Chriſti ſponſam, in qua Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor primatum noſcitur obtinere, qui ſi collatis clavibus Regni cælorum judex à Deo vivorum & mortuorum conſtitutus agnoſcitur ad quem ſedentem in ſolio Judicii diſſipare pertinet ſuo intuitu omne malum, hujus profecto ſponſæ quæ de Cœlo deſcendit à Deo parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo, Romanus Pontifex caput exiſtit, nec habet plura capita monſtruoſa, cum ſit ſine macula, ſine ruga, nec habens aliquod inhoneſtum. Sanè fili, cur iſta dixerimus imminente neceſſitate ac urgente conſcientia expreſſius aperimus. Conſtituit enim nos Deus licet inſufficientibus meritis ſuper Reges & Regna, impoſito nobis jugo Apoſtolicæ ſervitutis ad evellendum, deſtruendum, diſperdendum, diſſipandum, ædificandum atque plantandum ſub ejus nomine & doctrina, & ut gregem paſcentes Dominicum conſolidemus infirma, ſanemus ægrota, alligemus fracta, & reducamus abjecta, vinumque infundamus & oleum vulneribus ſauciatis.

Quare, fili cariſſime nemo tibi ſuadet, quod ſuperiorem non habes, & non ſubſis ſummo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Hierarchæ. Nam deſipit, qui ſic ſapit, & pertinaciter hæc affirmans convincitur infidelis, nec eſt intra boni paſtoris ovile; & licet de ſingulis Regibus & Principibus ſub fide militantibus Chriſtiana pro eorum ſalute ſolicitè cogitemus, erga te tamen officii noſtri debitum eo amplius, eoque carius & attentius dirigere debemus & exequi, quò majori perſonam tuam paterna & materna charitate amplectimur, & non ſolùm te, ſed & progenitores, domum & Regnum tua in diverſis noſtris ſtatibus plena & pura ſumus benevolentia proſecuti. Nec poſſumus cum non debeamus præterire ſilentio, quin ea per quæ oculos divinæ majeſtatis offendis, nos perturbas, gravas ſubditos, Eccleſias & Eccleſiaſticas, ſecularesve perſonas opprimis & affligis, nec non Pares, Comites & Barones, aliosque nobiles & univerſitates, ac populum dicti Regni, multosque diverſis anguſtiis ſcandalizas, tibi apertius exprimamus. Profecto erga te hactenus ſervaſſe nos novimus ordinem charitatis, interdum præſentialiter per nos ipſos dum nos minor ſtatus haberet, ac poſtquam nos dominus provexit ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, per multiplicatas noſtras Litteras, ſolennes noſtros & tuos Nuncios, Prælatos, Comites & alios domeſticos noſtros & tuos, te opportunis ſtudiis temporibus inducendo ut errata corrigeres, emendares exceſſus, & Regnum tuum in pacis dulcedine ac tranquillitate diſponeres, à Clerici ac populi gravaminibus abſtineres, tuoque jure contentus in aliorum injuriam occupatrices non extenderes manus tuas. Sed quod te correxeris & in te ſalutis ſemina ſata, ut vellemus, fructificaverint, non videmus, quinimo delinquendi licentiam, & multiplicandi peccata videris proh dolor! in conſuetudinem deduxiſſe; & ut aliqua explicabiliter inſeramus, ecce quod licet pateat manifeſtè ac explorati juris exiſtat, quod in Eccleſiaſticis dignitatibus Perſonatibus & beneficiis, Canonicatibus & Præbendis vacantibus in curia vel extra curiam Romanus Pontifex ſummam & potiorem obtinet poteſtatem, ad te tamen hujusmodi Eccleſiarum dignitatum, perſonatuum, & Beneficiorum Canonicatuum collatio non poteſt quomodolibet pertinere, nec pertinet; nec per tuam collationem in ipſis, vel eorum aliquo poteſt alicujus adquiri ſine authoritate vel conſenſu Apoſtolicæ ſedis tacitis vel expreſſis, quos qui acceperit, & ſe denegat accepiſſe, eis per ingratitudinem eſt privandus, & etiam ille qui permiſſa vel conceſſa abutitur poteſtate, & qui contrarium tibi ſuadet, eſt contrarius veritati. Nihilominus tu metas & terminos tibi poſitos irreverenter excedens, ac factus impatiens ſuper hoc injuriosè obvias ipſi ſedi, ejusque collationes canonicè factas executioni mandari non ſuſtines, ſed impugnas, quatenus tuas qualitercumque factas præcedere dignoſcuntur; & cum in Judicio eſſe debeat diſtinctio perſonarum, tu tamen in propriis cauſis jus tibi dicere, & non in communi, ſed in proprio judicio partes actoris & judicis ſortiarii & ſi quemquam injuriari tibi reputas, contemnis de ipſo conqueri coram competente Judice, ſeu etiam coram nobis, quantumcumque injurians ſit perſona Eccleſiaſtica, vel mundana, de Regno tuo, vel extra: & de illatis per te vel tuos injuriis atque damnis ac de tuis & tuorum exceſſibus recuſas per aliquem judicari, & ad ſatisfacienda & occupanda Eccleſiaſtica bona & jura pro libito voluntatis occupatrices manus extendis in caſibus tibi non conceſſis ab homine vel à jure. Prælatos inſuper & alias perſonas Eccleſiaſticas, tam religioſos quàm ſeculares Regni tui, etiam ſuper perſonalibus actionibus, juribus & immobilibus bonis, quæ à te non tenentur in feudum ad tuum judicium pertrahis, & coarctas & inquietas fieri facis & decimas tales, licet in Clericos & Eccleſiaſticas perſonas nulla ſit Laicis attributa poteſtas. Præterea contra injuriatores & moleſtatores Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum eos uti Spirituali gladio qui eis competit, liberè non permittis, nec jurisdictionem eis competentem in monaſteriis, ſeu locis Eccleſiaſticis, quorum recipis guardiam vel cuſtodiam, vel à Prædeceſſoribus tuis receptam præponis, pateris exercere; quin potius ſententias, ſeu proceſſus per dictos Prælatos, ac perſonas Eccleſiaſticas, licitos, promulgatos & latos, ſi tibi non placeant, directè, vel indirectè revocare com-

ANNO 1303.

ANNO 1303.

pellis. Et quod tacere nolumus Lugdunenſem Eccleſiam tam nobilem, tam famoſam, tam charam, in prædictæ ſedis pectore conſtitutam, quæ in ſpiritualibus & temporalibus hactenus reflorebat, tu, & tui injurioſis gravaminibus & exceſſibus, ad tantam inopiam & oppreſſionis anguſtiam deduxiſtis, quod vix adjicere poterit ut reſurgat, quam conſtat non eſſe infra limites Regni tui, nosque qui quandoque Canonicus fuimus in eadem Eccleſia, ejusque libertatum privilegiorum & jurium notitiam plenam habemus non revocamus in dubium, quod injuriosè nimis tractas eandem. Vacantium Regni tui Eccleſiarum Cathedralium reditus & proventus, quos tui, & tu appellas Regalia per abuſum, tu & ipſi tui non moderate percipitis, ſed immoderatè conſumitis. Sic fit ut quorum cuſtodia fuit ab initio Regibus pro conſervatione commiſſa, nunc ad conſumptionis noxam diſcriminosè deveniant, & diſcriminoſis abuſibus exponantur. Quod enim cuſtodiendum eſt, rapitur, & quod conſervandum, illicitè devoratur, & cuſtodes ſunt lupi rapaces effecti, & ſub prætextu cuſtodiæ ſtatus Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum diſpendia præfert, damna ſuſtinet, & miſerabiles ſortitur eventus, primariæ conſervationis ipſe utique defraudatur.

Et quidem Prælati & Eccleſiaſticæ perſonæ, nedum ii quos Regni tui continet incolatus, ſed per illud alienigeni etiam tranſeuntes bona propria mobilia de Regno ipſo nequaquam extrahere permittuntur, ex quo diverſa patiuntur incommoda, ii qui ſuper hoc libero uti debent arbitrio, ſervitutis quaſi jugo premuntur. Sicut de mutatione monetæ aliisque gravaminibus & injurioſis proceſſibus per te ac tuos magnis ac parvis Regni ejusdem incolis irrogatis & habitis contra eos qui proceſſu temporis explicari poterunt, tacea mus ad præſens, qualiter in præmiſſis & aliis libertas Eccleſiaſtica & immunitas tuis ſunt enervatæ temporibus, qualiter tua ſacris & piis, providis & maturis progenitorum tuorum veſtigiis, quæ per univerſa mundi climata mittebant illuſtriſſimos radios claritatem, degenerare noſcaris. Nempe, multorum ad nos infinuatio clamoſa perducit, ac nedum in Regno ipſo, ſed in diverſis mundi partibus innoteſcit, & Eccleſiæ dicti Regni, quæ ſolebant hactenus libertatibus & quiete vigere, nunc factæ ſunt ſub tributo, ſicut luctuoſus clamor earum ſub intolerabili perſecutione teſtatur.

Nec ignoras quod ſuper iis & conſimilibus de te ad Deum, nec non ad te ſæpius, nedum ſæpe clamavimus & exaltavimus vocem noſtram, annunciavimus ſcelera, delicta deteximus ſperantes te ad pœnitentiam ſalubriter revocare & adeo deſudavimus inclamando, quod raucæ factæ ſunt fauces noſtræ; ſed tu velut aſpis ſurda obturaſti aures tuas, & noſtra ſalubria monita non audiſti, nec recepiſti ea velut medicamenta curantis. Verum licet ex præmiſſis contra te ſumere arma, pharetram atque arcum non indignè nec injuſte poſſemus, ut te à tanto revocaremus invio ad ſemitam reducendo ſalutis; adhuc nihilominus dum feliciter metuas, hæc tibi præſignificare decrevimus, ut ſaniori ductus conſilio à facie arcus inflexibilis ſententiæ potius, imo prorſus effugias, quàm expectes debitæ judicium ultionis, cum tutius dignoſcantur ante caſum occurrere, quàm remedium quærere poſt ruinam.

Cum autem nos debitum Paſtoralis officii urget & publicæ utilitatis interſit, ut qui nunc Deum timent nec deſerunt Eccleſiæ, neque Cenſuram Canonum reverentur, & quaſi deſcendentes in profundum malorum conſcendunt, quamvis eis diſplicent, ad ſalutem etiam trahamus invitos.

Nos volentes ne ex diſſimulatione tam longa nos tua culpa reddat obnoxios, ne ſi nos, vel te quod abſit incorreptum Deus de hac vita ſubtraheret, anima tua de noſtris manibus requiratur, neque tui cuſtodia quam ſuſpicimus in commiſſo nobis officio Apoſtolicæ ſervitutis in noſtrum cedat periculum & diſcrimen ac perditionem multorum diſſimulando talia & diutius tolerando ea: amore paterno commoti, qui omnem vincit affectum ex affluentia maternæ ſolicitudinis excitati ad providendum, ne perdat Deus cum impiis animam tuam, neve tua & tam amati Regni claritas malis artibus & deteſtandis inſolentiis denigretur, deliberatione cum fratribus noſtris ſuper hoc habita pleniori, venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopos ac devotos filios Electos & Ciſtercienſ. Cluniacenſ. Præmonſtratenſis nec non ſancti Dionyſii in Francia Pariſienſis Diœceſis & majoris Monaſterii Turon. Ordinis Sancti Benedicti Monaſteriorum Abbates & Capitula Eccleſiarum Cathedralium Regni tui ac Magiſtros in Theologia, & in Jure Canonico & Civili, & nonnullas alias perſonas Eccleſiaſticas oriundas de Regno prædicto, per alias noſtras patentes litteras, certo modo ad noſtram præſentiam evocamus, mandantes eisdem quod in Calendis Novembribus futuris proxime, quas eis pro peremptorio termino aſſignamus, noſtro ſ conſpectui repræſentent, ut apud te ac alios ſublata repentina exceptione Conſilii, quinimo maturiori cautela ſervata & fruſtratoriis objectibus amputatis ſuper præmiſſis & aliis deliberatè conſulamus eosdem, cum quibus ſicut cum perſonis apud te ſuſpicione carentibus, quin potius acceptis & gratis, ac diligentibus nomen tuum, & affectantibus ſtatum proſperi Regni tui, tractare conſultius & ordinare ſalubrius valeamus, quæ ad præmiſſorum emendationem, quam directionem, quietem atque ſalutem ac bonum & proſperum regimen ipſius Regni videbimus expedire.

Si tuam itaque rem agi putaveris eodem tempore per te vel per fideles viros & providos tuæ conſcios voluntatis ac diligenter inſtructos de quibus plenè valeas habere fiduciam, iis poteris intereſſe, alioquin tuam vel ipſorum abſentiam divina replente præſentia in præmiſſis ac ea contingentibus, ac aliis prout nobis ſuperna miniſtraverit gratia, & expedire videbitur, procedimus.

Tu autem audies, quid loquetur in nobis Dominus Deus noſter, in quibus tamen ſine offenſa Dei, ſcandalo & periculo Eccleſiæ, offenſione juſtitiæ ac utilitatis publicæ læſione & honoris tui poterimus minorationis vitare diſpendia, deferre tibi diſponimus, & tui etiam culminis ſalubria commoda promovere, ſi te correxeris, & habilitaveris ad gratiam promerendam. Cæterum licet ſuper præmiſſis & ſimilibus ad excuſandas excuſationes in peccatis te aliqui excuſare nitantur, non tamen ea tibi, quantum & tuis pravis Conſiliariis imputando, in hoc tamen tu inexcuſabilis comprobaris, quod tales Conſiliarios honoris tui utique deſtructores tuæque ſalutis & famæ

ANNO 1303.

falſos

ANNO 1303.

falsos & impios consumptores assumis & retines, eisque regium præbes assensum qui ad tam enormia & detestabilia te inducunt.

Hi sunt quasi falsi prophetæ suadentes tibi falsa & stulta, quia non viderunt à Domino visionem. Ergo fraudulentis detractionibus & subversionibus talium sub adulationis & falsi consilii utique velamento confictis, minimè quæsumus, acquiescamus, quia in vastitate quadam hostili devorant incolas Regni tui, & non tibi, sed eis mellificarunt apes, isti sunt securiora illa hostilia per quæ ministri Bel sacrificia quæ superponebantur à Rege clanculò asportabant, ii sunt qui sub umbra tui longa manu, tua & aliorum bona diripiunt, & sub obtentu justitiæ palliati Subditos opprimunt, Ecclesias gravant, & redditus alienos violenter invadunt, pupillo & viduæ non intendunt, sed impinguantur lachrymis pauperum & divitum oppressione, discordias suscitant ac fovent, guerras nutriunt, ac pacem de Regno tollere pravis operationibus non verentur. Veruntamen cadit in hæc illa prava dissimulatio Judæorum, qui dum linguis crucifigentes Dominum, dicentes tamen eis non licere interficere quenquam, tradebant eum occidendum militibus, ut ab eis culpa in alios transferretur. Tantam namque prudentiam Deus tibi ministrat ex alto, tantam vides & audis in aliis quorum potes exemplo doceri, totque tibi meminimus salubria consilia destinasse, quòd si tua studia convertere solerter ad bonum talium te curares consiliorum juvamine communire, qui te in stultum finem nequaquam impingerent, sed ad incrementa salutis & utilitatis publicæ prudentiùs animarent, sed timemus, ne apud te, cujus interiores oculi putantur illicitis excæcatis vilescat Sermo Dominicus, & verba ædificativa vitæ productiva salutis, amoris defectui adscribantur. Ad hæc ne terræ sanctæ negotium, quod nostris & tuis ac aliorum fidelium debet arctius insidere præcordiis nos putes oblivioni dedisse, memorare fili & discute, quod primogenitores tui Christianissimi Principes quorum debes laudanda vestigia solerti studio & claris operibus imitari, exposuerunt olim personas & bona in subsidium dictæ Terræ, sed Sarracenorum invalescente perfidia & Christianorum, ac maximè tua & aliorum Regum & Principum devotione solita tepescente, terra eadem tuis utique temporibus heu perdita noscitur atque prostrata.

Quis itaque Canticum Domini cantat in ea, quis assurgit in ejus subsidium & recuperationis opportunæ juvamen adversus impios Sarracenos magnificantes & operantes iniquitatem debacchantes in illa? Ad ejus quippe succursum arma bellica periisse videntur, & abjecti sunt clypei fortium, qui contra hostes Fidei dimicare solebant. Enses & gladii evaginantur in Domesticos Fidei, & sæviunt in effusionem sanguinis Christi, & nisi à populo Dei domesticæ insolentiæ succidantur, & pax ei perveniat salutaris, terra illa fædata actibus malignorum à periculo desolationis & miseriæ per ejusdem populi ministerium non resurget. Si hæc & similia iis benevola mente revolvas invenies, quod obscuratum est aurum & color optimus est mutatus.

An non ignominia & confusio magna tibi & aliis Regibus & Principibus Christianis adesse dignoscitur, quod versa est ad alienos hereditas Jesu Christi & sepulchrum ipsius ad alienos devolutum; Qualem ergo retributionis gratiam merebuntur apud Deum Reges & Principes, & cæteri Christiani, in quibus terra quærit respirare prædicta, si non est, qui sustentent eam ex omnibus filiis quos Deus ipse genuit, nec est qui supponat manum, ex omnibus quos nutriviti. Clamat enim ad Dei filios civitas Hierusalem & suas exponit angustias, & in remedium doloris ejus filiorum Dei implorat affectus. Si ergo filius Dei es, dolores ejus excipias, tristare & dole cum ipsa, si diligis bonum ejus. Tartari quidem, Pagani & alii infideles eidem terræ succurrunt, & ei non subveniunt in eo sanguine Christi pretioso redempti, nec est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Hoc à dissidiis præmissis obvenit, dum utilitas publica cupiditatis ardore consumitur, nonnullis quærentibus, non quæ Christi, quorum peccata Deus ultionum Dominus non solum in ipsis vindicat, sed etiam in progenies eorumdem. Tremenda sunt itaque Dei judicia & timenda, quibus non parentes justitia damnabuntur, justus autem de angustia liberabitur, & cadet impius in laqueum quem extendit. Tu verò fili, communiens in tribus temporibus vitam tuam ordinando præsentia, rememorando præterita & prævidendo futura sic te præpares in præmissis, & aliis sic reformes quod ad judicium Dei & nostrum ab illo dependens non damnandus accedas, sed in præsenti divinam gratiam & in futuro salvationis ac retributionis æternæ merearis. Datum Laterani nonis Decembris Pontificatus nostri Anno septimo.

Ad has atroces litteras respondit Philippus breviter & acriter, & præsertim ad contractam & compendiosam in Bonifacii Bullam compendiosè quoque regerit fatuos se reputare & dementes, qui existimant ad se non pertinere Beneficiorum dispensationem vacantiumque reditus non posse retinere. Philippus D. G. Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam, seu nullam. Sciat maxima tua fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum ac Præbendarum vacantium collationes ad nos jure Regio pertinere, fructus earum nostros facere. Collationes à nobis hactenus factas & in posterum faciendas fore validas in præteritum & futurum, & earum possessores contra omnes viriliter nos tueri, secus autem credentes fatuos & dementes reputamus.

Datum Parisius.

ANNO 1303.

BENEDICTUS X. DICTUS XI. PONTIFEX CXCVI.

ANNO DOMINI MCCCIII.

BEnedictus antea Nicolaus Bocasinus Opilionis Filius ex Tarvisinâ Civitate, Ordinis Prædicatorum Generalis, anno 1303: Bonifacio succesſit. Matrem suam splendidis ornatam vestibus agnoscere noluit. Obiit anno 1304. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I. fol.* 182.)

I. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. II. pag. 319.

Declaratio Excommunicationis contra complices violentiæ Prædeceſſoris ipsius Bonifacio VIII. factæ Perusii 7 Id. Junii an. 1304.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

FLagitioſum scelus & scelestum flagitium, quod quidam sceleratissimi viri summum audentes nefas in personam bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris nostri, non sine gravi perfidia commiserunt puniendum, prosequi ex justis causis hucusque distulimus; sed ulterius sustinere non possumus, quin exurgamus, imo Deus in nobis exurgat, ut dissipentur inimici ejus & ab ipsius facie fugiant, qui oderunt eum. Dissipentur, inquam, si verè pœniteant, sicut ad prædicationem Jonæ, Ninive conversa est; aliàs ut Jerico subvertantur. Olim siquidem, dum idem Bonifacius Anagniæ, propriæ originis loco, cum sua curia resideret, ipsum nonnulli ditionis filii, primogeniti Satanæ, & iniquitatis alumni, pudore postposito & reverentia retrojecta, prælatum subditi, parentem liberi, & Vassalli Dominum, Guilielmus scilicet de Nogareto, Raynaldus de Supino, Thomas de Morolo, Ropertus filius dicti Raynaldi, Petrus de Genezzano, Stephanus filius ejus Adinulphus & Nicolaus nati quondam Matthiæ, Giffredus Bussa, Orlandus & Petrus de Luparia cives Anagnini: milites Sciarra de Columna, Joannes filius Landulfi, Gottifredus natus Joannis de Ceccano, Maximus de Trebis, & alii factionis ministri, armati hostiliter & injuriosè ceperunt, manus in eum injecerunt impias, protervas erexerunt cervices, ac blasphemiarum voces funestas ignominiosè jactaverunt. Eorum etiam facto & opera, per ejusdem factionis complices & alios thesaurus Romanæ Ecclesiæ ablatus violenter extitit & & nequiter asportatus. Hæc palam, hæc publicè, hæc notorie, & in nostris etiam oculis patrata fuerunt; in his læsæ majestatis, perduellionis & sacrilegii, Legis Juliæ de vi publica, Corneliæ de Sicariis, privati carceris, rapinæ, furti & tot alia, quot ex hujusmodi facinoribus secuta crimina & feloniæ etiam delictum commissa notamus: in iis stupidi facti sumus: Quis crudelis hic à lachrymis temperet, quis odiosus compassionem non habeat? Quis deses aut remissus Judex ad procedendum non surgat? Quis pius sive misericors non efficiatur severus? Hic violata securitas, hic immunitas temerata, propria patri tutela non fuit domus, refugium summum Pontificium dehonestatum est, & suo capto sponso, Ecclesia quodammodo captivata. Quis locus reperietur à modo tutus? Quæ sancta Romano violato Pontifice, poterunt inveniri? O piaculare flagitium, o inauditum facinus! O Anagnia misera quæ talia in te fieri passa es! Ros & pluvia super te non cadant, in alios descendant montes, te autem transeant; quia te vidente & prohibere valente, fortis cecidit, & accinctus robore superatus est. O infelicissimi patratores non imitati, quem nos imitari volumus S. David, qui in Christum Domini, etiam inimicum, persecutorem & æmulum suum, quia dictum erat, nolite tangere Christos meos) manum extendere noluit; & in extendentem irrui gladio justè fecit. Infandus dolor, lachrymabile factum, pernicioſum exemplum, inexpiabile malum, & confusio manifesta. Sume lamentum Ecclesia, ora tua fletibus rigent, & in adjutorium debitæ ultionis filii tui de longe veniant, & filiæ tuæ de latere surgant. Verum quia scriptum est, feci judicium & justitiam & honor regis judicium diligit, nos in prædictis sic judicium, quod ad honorem nostrum pertinet, facere cupimus, quod à justitia minimè divertamus. Ideoque forma juris, quæ sicut hæc sunt servatur in notoriis, observata præfatos superius nominatim expressos cæterosque participes, qui hæc in sæpe dictum Bonifacium, in personis propriis exercuerunt Anagniæ, omnesque qui in iis dederunt auxilium, consilium, vel favorem, denuntiamus de Fratrum nostrorum consilio, præsente hac copiosa multitudine promulgatam à Canone excommunicationis sententiam incurrisse, ipsosque peremptoriè, quatenus infra festum sanctorum Petri & Pauli proximè venturum, personaliter compareant coram nobis, justam, dante Domino, nostram supra præmissis, quæ, ut prædicitur, notoria sunt, audituri sententiam, nostrisque mandatis & justionibus parituri humiliter. Alioquin, eorum non obstante absentia, contra eos via incedentes regia, procedemus. Hanc autem citationem nostram, quam non sine causa, ex certa scientia facimus, ipsos arctare volumus, sicut si eorum quemlibet apprehendisset. Ut autem hujusmodi noster processus, ad communem omnium notitiam deducatur &c.

Datum Perusii 7. Idus Junii Pontificatus anno I.

ANNO 1304.

II. Ex Mem. du Clergé de France Tom. 2. P. 309.

Bulla ad Philippum Francorum Regem revocatoria reservationum beneficiorum à BONIFACIO factarum, & liberam Ordinariis super Beneficia restituit potestatem: anno 1304.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Philippo Regi Francorum illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

UT eo magis erga Deum & Apostolicam sedem Regalis devotionis excrescat affectus, quo sibi gratiosam sedem repererit

supra

ANNO 1305.

suprà dictam, votis tuis annuimus, & tuas petitiones, quantùm cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Dudum siquidem Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster certis ex causis provisiones omnium Cathedralium Ecclesiarum & Regularium tunc in Regno vacantium, vel quas tunc vacare contingeret, dictæ sedis dispositioni reservare duxit, districtiùs inhibendo omnibus ad quos jus eligendi, postulandi Prælatos in ipsis desideriis, aut confirmandi electiones, vel admittendi postulationes, vel aliàs earumdem Ecclesiarum provisio, vel quævis alia dispositio pertineret, hujusmodi electionibus, postulationibus, confirmationibus, admissionibus, & provisionibus, & quibuscunque dispositionibus istarum Ecclesiarum se intromitteret hujusmodi reservatione durante quoquo modo præsumerent; ac de cætero decrevit ex tunc irritum & inane si secus super hoc à quoquam fuerit scienter, vel ignoranter attentatum. Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cujus parte super hoc nobis extitit supplicatum reservationem, inhibitionem & decretum hujusmodi Apostolica auctoritate revocamus. Volentes ut prædicti omnes hujusmodi jure illis competente, cum tempus ingruerit, utantur liberè, ficut prius nihilominus provisiones ac confirmationes electionum factæ post reservationem, inhibitionem, & decretum prædictum in dictis Ecclesiis, dummodo aliàs Canonicæ fuerint, plenam obtineant firmitatem. Nec electiones, & postulationes factæ postmodum in prædictis Ecclesiis ex eisdem reservatione, inhibitione, ac Decreto, quin debitum fortiantur effectum, possint quomodolibet impediri.

Datum Viterbii 14. Kalendas Maji: Pontificatus nostri anno primo.

CLEMENS QUINTUS,

PONTIFEX CXCVII.

ANNO DOMINI MCCCV.

CLemens Vasco, priùs Bertrandus Agoutius, anno 1305. Lugduni coronatus est, ubi muri ruinâ Johannes Dux Britanniæ, Galliardus Papæ Frater oppressi, Philippus Pulcher, & Carolus Valesius læsi: Diadema Pontifici excussum est, ingentis pretii gemmâ amissâ. Hic sedem Apostolicam Româ Avenionem transtulit; Mox Viennæ Concilio habito excidium Templariorum decretum, Crux in Valdenses assumta, Reformatio Ecclesiæ tentata. Tandem decessit anno 1314. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 184.)

I. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. p. 977.

Bulla Angliæ Regi de Provisione pro suo Nepote: anno 1305.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

HAbet in te Fili carissime, firma spei nostræ fiducia, quod, ad nos & Romanam Ecclesiam habens reverentiam filialem, ea quæ nostro grata sunt animo, placida tuis votis accedant, & illa intentis studiis ac plenis affectibus prosequaris.

Nuper siquidem Ecclesia de Manisestro Conventren. & Lichefelden. Dioc. per resignationem ejusdem Ecclesiæ Rectoris vacante nos, volentes ut ipsa Ecclesia tali committeretur personæ, cujus industria salubria in spiritualibus & temporalibus susciperet incrementa, eandem Ecclesiam dilecto filio Raymundo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Nepoti nostro, tunc in minori officio constituto, duximus conferendam. Quare celsitudinem Regiam rogamus & hortamur attentius, quatinus vota tua in hac parte nostris confirmans affectibus, hujusmodi collationem nostram, etiamsi Ecclesia ipsa ad dispositionem tuam forsitan pertineret, ratam habens & gratam pro reverentia Apostolicæ sedis & nostra, velis hac vice æquo animo tolerare; per quam nec volumus, nec intendimus juri tuo, si quod in collatione, vel alia dispositione ipsius Ecclesiæ habere dignosceris imposterum derogare. Et si de præfata Ecclesia alteri forsan tua serenitas providisset, provisionem irritare velis eandem, ipsumque nepotem nostrum in possessione pacifica ejusdem Ecclesiæ tuæ potentiæ brachio, prout opportunum extiterit, protegas & defendas. Præterea, cum idem Nepos noster pro adipiscenda possessione Prioratus de Otthingham, sive Selle, Dunelmen. Dioc. per nos nuper sibi collatis, ad partes Angliæ Procuratores suos transmittat ad præsens, Celsitudinem Regiam iterato rogamus quatinus, quod Prioratus ejusdem possessionem pacificam valeat obtinere, Procuratoribus ipsis assistas favoribus opportunis. Sic igitur in hujusmodi nostrarum precum exauditione te nobis exhibeas liberalem, quod sinceritatem devotionis, quam ad nos & Apostolicam sedem te habere confidimus, valeamus cum gratiarum actionibus commendare.

Datum Lugdun. 6. Calendas Jan. Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1306.

II. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 1017.

Ad Angliæ Regem, ne Nunciis Pontificiis molestias inferat: anno 1306.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

CLaris patere consuevit operibus, nosque sine ulla dubitatione tenemus, quod eximiæ devotionis ad eum & Apostolicam sedem claritate præfulgidus, Ecclesiæ Romanæ commoditates & necessitates prudenter advertens, suis profectibus desideranter intendis, & studio sollicitudinis operosæ, ac intento prosequeris animo, quæ Apostolicæ sedi placitura, & profutura cognoscis: Prudentia Regia, præsertim in Regno tuo, diligenter evitans, quæ ipsis Ecclesiæ ac sedi ad displicentiam, vel dispendium redundarent. Profecto magnificentiam tuam Apostolicis litteris alias rogasse meminimus, ut dilectis filiis magistris, Guilielmo Testa Archidiacono, Aranan. in Ecclesia convenarum, & Guillielmo Geraldi, Canonico Rothomagen. Capellanis & Nuntiis nostris in Anglia, quos ad partes illas pro certis nostris, & dictæ sedis negotiis duximus destinandos, cum opus esset,

ANNO 1306.

Regio favore dirigeres, & foveres, ad ipsa negotia prospere prosequenda; super quo te promptum & benevolum, liberalitate Regia obtulisti.

Verum cum sicut nuper ex ipsorum Nuntiorum insinuatione percepimus, officiales, vel Gentes Regii eosdem Nuncios in exequendis aliquibus, quæ ipsis fuere commissa, & præsertim in percipiendis fructibus, Prioratus de Mortona, prope London. nunc vacantis, præter tuam, ut creditur, conscientiam impediant, ut perturbent, pro eorum libito voluntatis. Celsitudinem Regiam iterato rogamus & hortamur attente, quatinus efficaciter provideas, & liberaliter facias, ut impedimenta tollantur hujusmodi, & talia vel similia de cætero non contingant. Favorem Regium exhibendo prælibatis nuntiis, & habendo eos in his, & in aliis per te, ac tuos, cum opus fuerit & ad te, ac ipsos recursum habuerint, taliter commendatos, quod spes de tuis obtenta virtutibus, continuata operum perceptione concrescat, nosque magnificentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Burdegalis 6. Calendas Septembris Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Archiv. Reipubl. Gener.

Bulla quâ, postulante Episcopo Gebennense, Quæsitores nominat qui ejus Diœcesin inspiciant, reditusque annuos percipiant, cùm suprà dictus Episcopus ipsemet propter bellum percipere nequeat: anno 1306.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis .... Priori Sancti Johannis & ..... Cantori Gebennensi, ac ..... Præposito Montisionis Sedunensis diœcesis Ecclesiarum salutem & Apostolicam benedictionem.

EX devotionis Venerabilis Fratris nostri A. Episcopi Gebennensis provenit meritis, ut illa libenter cum gratia foveamus, quæ suis necessitatibus esse dignoscitur opportuna. Sane petitio ipsius Episcopi nobis exhibita continebat, quod ipse propter guerrarum discrimina quæ in sua diœcesi invalescunt, eandem non audet diœcesim personaliter visitare, quodque ipse hujusmodi occasione guerrarum magnam partem redditum suorum amisit, & insuper ad defensionem jurium Ecclesiæ suæ Gebennensis sollicite & ferventer intendens, pro defensione jurium eorundem quoddam castrum ædificare incepit, opere plurimum sumptuoso, quod consummare non potest, nisi nostro ei super hoc auxilio succurratur.

Nos itaque eidem Episcopo super hoc paterno compatientes affectu, & volentes ei in hac parte utiliter subvenire, ejus supplicationibus inclinati, sibi quod Ecclesias monasteria, & ecclesiastica loca suæ civitatis & diœcesis, & personas eorum, per aliquem discretum virum quem ad hoc duxerit assumendum, quotiens tempus visitationis ingruerit usque ad triennium visitare, ac procurationes ratione visitationis hujusmodi sibi debitas ab ecclesiis monasteriis, locis & personis prædictis taliter visitatis valeat recipere moderatas in pecunia numerata, qualibet constitutione contraria non obstante, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum.

Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra juxta hujusmodi concessionis nostræ tenorem, illum quem idem Episcopus ad hujusmodi visitationis officium duxerit, ut præmittitur, deputandum, ad illud admitti sibique procurationes prædictas per idem triennium integrè exhiberi.

Non obstantibus constitutione hujusmodi, seu si aliquibus à sede Apostolica sit indultum quod interdici suspendi vel excomunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Lugduni, Id. Januar. Pontificatus nostri anno primo.

Dinus G.

ANNO 1307.

IV. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 3. pag. 30.

Anglorum Regi pro Captione Templariorum uno die facienda, eodem modo quo Rex Franciæ processerat: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio, E. Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

PAstoralis præeminentiæ solio disponente illo qui cuncta disponit, licet immeriti, præsidentes hoc præcipue ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus ut excusso à nobis negligentiæ somno, circa Gregis Dominici custodiam, submovendo noxia, & agendo profutura, animas Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia valeamus. Sane dudum, circa promotionis nostræ principium ad apicem Apostolicæ dignitatis, ad nostrum quadam levi suggestione pervenit auditum, quod abolim de statu Sathanæ in Templariorum ordine, sparso pestiferi generis semine, subcrevit ex illo messis odibilis, fructus pestiferos ex sui natura producens, viz. quod Templarii sub religionis pallio militantes exterius, in Apostasiæ perfidia intus vixerunt hactenus in detestabili hæretica pravitate. Cæterum, nunc attendentes quod ordo ipsorum longis retro temporibus multæ refulsit nobilitatis gratia & decoris, ac magna fidelium devotio diu viguit apud eos, quodque tunc nullam audiveramus super præmissis suspicionem, vel infamiam contra ipsos & nihilominus quod à suæ Religionis exordio portaverunt publice signum crucis corpora exponentes & bona contra inimicos fidei pro acquisitione, retentione, ac defensione Terræ Sanctæ, Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi pretioso sanguine consecratæ, suggestioni prædictæ noluimus aures credulas exhibere. Verum postea auribus carissimi in Christo Filii nostri Philippi Reg. Franc. illustris insonuit, quod singuli fratres dicti Ordinis in sui professione cum ordinem ipsum ingrediuntur expressis verbis abnegant Dominum Jesum Christum, nec non idolum adorant in suis capitulis, & alia nefanda committunt quæ ob ruborem exprimendi subticemus ad præsens. Propter quod idem Rex ad requisitionem Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno suo generaliter à sede Apostolica deputati, de Prælatorum, Baronum, ac aliorum sapientum deliberatione solenni, Magistrum majorem, & alios singulares personas dicti Ordinis, quæ tunc erant in Regno suo, una die cum magna excogitata diligentia capi fecit, Ecclesiæ judicio præsentandas, & eorum bona mobilia & immobilia

salvæ

ANNO 1307.

salvæ custodiæ assignari pro terra sancta, si dictus ordo damnetur, alioquin, pro ipso ordine fideliter conservanda. Deinde præfatus Magister dicti Ordinis spontante confessus est palam, præsentibus majoribus Personis Ecclesiasticis Parisius, Magistris in Theologia & aliis, corruptionem erroris abnegationis Christi in Fratrum professionibus contra primam institutionem ordinis præfati, instigante Sathana introductam. Quamplurimi etiam Fratres dicti Ordinis, ex diversis partibus dicti Regni Francorum dicta scelera sunt confessi, veram & non simulatam agentes pœnitentiam de commissis, prout hæc dictus Rex nobis per suas litteras intimavit, & ad nos etiam postmodum pervenerunt, fama publica deferente. Nos quoque Fratrem unum militem dicti ordinis, magnæ generositatis & auctoritatis virum, super pravitate jam dicta personaliter examinavimus, qui dictum facinus abnegationis Jesu Christi, in ingressu dicti ordinis à se commissum, spontè confessus fuit plenariè coram Nobis. Et adjecit se vidisse, quod quidam nobilis in præsentia ducentorum Fratrum, vel plurium dicti Ordinis, inter quos erant centum milites, vel circa, ultra mare, viz. in Regno Cypri, per præfatum magistrum dicti ordinis in capitulo suo in fratrem Templi receptus fuit. Et ibi, in dictorum magistri & fratrum præsentia, idem nobilis, ad mandatum ipsius magistri, dictum facinus in sua receptione commisit. Ex quibus, si in agro plantationis dicti ordinis, qui ager putabatur esse virtutum, & grandis sublimitatis speculo prælucebat, diabolica, quod absit sint semina seminata, gravi nostra viscera commotione turbantur. Sed, si præmissa veritate non nitantur, ea comperta, cessabit turbatio, & secundum Deum jucunditas orietur; unde ad investigandum veritatem hujusmodi sine mora proponimus intendere, & quantum Deus dederit, efficaciter vigilare. Ea propter, quia sicut insinuatione multorum accepimus, super prætactis criminibus contra Templarios ipsos fama, seu verius infamia quasi continuo suscipit incrementum, & ob hoc urget nos conscientia, ut in his officii nostri debitum exequamur. Magnitudinem regiam requirimus rogamus & hortamur attentè quatinus quam citiùs, post receptionem præsentium, commode poteris, prædictis omnibus intenta meditatione pensatis, sic prudenter, sic caute, sic secretè, de sapientum secretariorum tuorum consilio, studeas ordinare, quod omnes, & singulos Templarios Regni tui, & alios, qui reperientur in eo, & eorum bona mobilia & immobilia per bonas personas, omni, maxime quo ad bona ipsa, suspicione carentes, meliori modo, quo fieri poterit, capi facias uno die: Personas eorum faciens, donec tuæ magnificentiæ scribamus aliud, nostro & sedis Apostolicæ nomine, in locis tutis sub fida custodia detineri. Bona verò ipsorum mobilia & immobilia aliquibus bonis personis, de quibus non sit verisimile quod in his, vel in similibus velint fraudem aliquam adhibere, facias commendari nostro nomine fideliter conservanda, quousque per nos aliud fuerit ordinatum. Quæ quidem personæ de dictis bonis omnibus & singulis teneantur in præsentia fratrum quorumlibet domorum dicti ordinis, & aliarum plurium bonarum Personarum, & maximè dictis domibus vicinarum, inventaria facere, &, cum tempus fuerit, plenam de ipsis reddere rationem. Quarum personarum depositariarum propter honorem tuum, ut melius negotium sine bonorum direptionis & dissipationis suspicione procedat, nullæ sint de tuis officialibus servientibus quibuscumque. Provisurus quod Terræ, ac Vineæ Templariorum ipsorum, eorum expensis, more solito excolantur, ut bona ipsa dictis Templariis, si reperiantur innocentes, alioquin pro terra sancta integrè conserventur. Taliter te super his habiturus quod exinde, præter humanæ laudis præconium apud Deum, cujus in hac parte negotium agitur, gratiæ tibi proveniat incrementum: & nihilominùs ex hoc nostram, & Apostolicæ sedis gratiam plenius merearis. Quicquid autem super præmissis fieri jusseris, & quicquid fuerit executioni mandatum nobis, quod celerius fieri possit, tuis literis intimare procures.

Datum Pictavii, 10. Calendas Dec. Pontificatus nostri anno tertio.

V.
Ex Cod. Diplom. Leibnitii Mant. Pars 2. p. 78.

Bulla quæ tangit crimina Templariorum confessa, jubetque inquiri super articulis transmissis: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Narbonensi, ac Bajocensi, Mimatensi & Lemovicensi Episcopis & dilectis Filiis Magistris Mattheo de Neapoli Majoris Caleti Rhotomagensi, Notario nostro, Joanni de Mantua Tridentinensi, Joanni de Montelauro Magalonensi Archidiaconis, ac Guilelmo Agarin præposito Aquensi &c. salutem & Apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei Filius Dominus Jesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti Apostolatus assumi ut gerentes licet immeriti vices ejus in Terris in cunctis nostris actibus & processibus ipsius vestigia, quantum poterit humana fragilitas, imitemur.

Sanè dudum circa promotionis nostræ ad apicem summi Apostolatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus; & post etiam tam ibi quàm alibi secretò quorundam nobis insinuatio intimavit, quod Magister, Præceptores, & alii fratres ordinis militiæ Templi Hierosolomitani & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ejusdem Domini nostri Jesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum dominum in scelus Apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ, vitium execrabile Sodomorum, & hæreses varias erant lapsi: quia verò non erant verisimilia, nec credibile vibebatur, quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in divinis officiis, quàm in jejuniis & aliis observantiis devotionis signa frequentius prætendebant, suæ sic esse salutis immemores, quod talia perpetrarent, hujusmodi insinuationi ac delationi ipsorum ejusdem domini exemplis & canonicæ scripturæ doctrinis edocti aurem noluimus inclinare.

Deinde verò carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, cui

fuerant

ANNO 1307.

fuerant eadem facinora nuntiata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare vel appropriare intendat, imò ea nobis & Eccleſiæ per deputandos à nobis adminiſtranda, gubernanda, conſervanda, & cuſtodienda liberaliter ac devotè in regno ſuo dimiſit manum ſuam totaliter inde amovendo, ſed fidei orthodoxæ fervore, ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus de præmiſſis quantum licere potuit ſe informans ad inſtruendum & informandum nos ſuper his multa, & magnas nobis informationes per ſuos nuntios & literas deſtinavit. Infamia verò contra Templarios ipſos increbreſcente validius ſuper ſceleribus ante dictis, & quia etiam quidam miles ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis nec levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecreto juratus depoſuit quod in receptione Fratrum præfati ordinis hæc conſuetudo vel verius corruptela ſervatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati ſuggeſtionem qui recipitur, Jeſum Chriſtum negat & ſuper crucem ſibi oſtenſam ſpuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia recipiens & receptus, quæ licita non ſunt, nechumanæ conveniunt honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis, vitare nequivimus urgente nos ad id officii noſtri debito, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum.

Sed cum demum fama publica deferente & clamoſa inſinuatione dicti Regis, nec non & Ducum, Comitum & Baronum, & aliorum nobilium, clericque & populi dicti Regni Francorum, ad noſtram propter hæc tam per ſe, quàm per Procuratores & Syndicos præſentiam venientium, quod dolentes referimus, ad noſtram audientiam perveniſſet, quod Magiſter, Præceptores, & alii Fratres dicti orbinis & ipſe ordo præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti & præmiſſa per multas confeſſiones, atteſtationes, & depoſitiones præfati Magiſtri & plurium præceptorum & fratrum Ordinis prælibati, coram multis prælatis & hæreticæ pravitatis inquiſitore in Regno Franciæ factas, habitas & receptas & in publicam ſcripturam redactas, nobisque & fratribus noſtris oſtenſas probata quodammodo viderentur, ac nominis fama & clamores prædicti in tantum invaluiſſent ac etiam adſcendiſſent tam contra ipſum ordinem, quàm contra ſingulas perſonas ejusdem, non ſine gravi ſcandalo præteriri non poterat, nec absque imminente periculo tolerari: Nos illius, cujus vices licet immeriti in terris gerimus, veſtigiis inhærentes ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum, multosque de præſentibus presbyteris & militibus & aliis Fratribus dicti Ordinis reputationis non modicæ, in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis juramento, quod ſuper præmiſſis meram ac plenam nobis dicerent veritatem ſuper præmiſſis interrogavimus & examinavimus uſque ad numerum ſeptuaginta duorum, multis ex fratribus noſtris nobis aſſiſtentibus, diligenter eos eorumque confeſſiones per publicas manus in autenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra & dictorum fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio in conſiſtorio publico legi fecimus coram ipſis & eas in ſuo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perſeverantes in illis eas expreſſè & ſponte prout recitatæ fuerunt, approbarunt. Poſtquam cum Magiſtro & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendentes ſuper præmiſſis inquirentes per nos ipſos, ipſum Magiſtrum & fratres terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, Pictaviæ præceptores majores nobis Pictavia exiſtentibus mandavimus præſentari.

Sed quoniam quidam ex ipſis ſic infirmabantur tunc temporis quod impetrare (f. itinerare) non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquomodo adduci, nos cum eis ſcire volentes de præmiſſis omnibus veritatem, & an vera eſſent quæ continebantur in eorum confeſſionibus & depoſitionibus, quas coram inquiſitore hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, quibusdam præſentibus notariis publicis & multis aliis viris bonis feciſſe dicebantur, nobis & fratribus noſtris, per Inquiſitorem ſub maribus publicis exhibitis & oſtenſis dilectis filiis noſtris Bernardo tit. S. S. Nerei & Achillei & Stephano tit. S. Cyriaci in Thermis Presbyteris & Landulpho S. Angeli Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commiſimus & mandavimus, ut ipſi cum præfato Magiſtro & Præceptoribus inquirerent tam contra ipſos & alios ſingulares dicti Ordinis generaliter quàm contra ipſum Ordinem ſuper præmiſſis cum diligentia veritatem, & quicquid ſuper præmiſſis his invenerint, nobis referre atque confeſſiones & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas noſtro Apoſtolatui deferre ac præſentare curarent, eisdem magiſto ac præceptoribus abſolutionis beneficium à ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera erant, incurrerent, ſi abſolutionem humiliter & devotè peterent, ut debebant, juxta formam Eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales ad ipſos Magiſtrum & præceptores perſonaliter accedentes eis ſui adventus cauſam expoſuerunt. Et quoniam tam perſonæ, quàm res ipſorum & aliorum Templariorum in Regno Franciæ conſiſtentium in manibus noſtris erant, quod liberè absque metu cujusquam plenè, ac pure ſuper præmiſſis omnibus ipſis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apoſtolica injunxerunt. Qui magiſter, & præceptores Franciæ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ atque Pictaviæ coram ipſis tribus Cardinalibus, & præſentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris ad Sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta præſtito juramento, quod ſuper præmiſſis omnibus meram & plenam dicerent veritatem coram ipſis ſingulariter, liberè ac ſponte, absque coactione qualibet & terrore depoſiti ſunt & confeſſi fuerunt inter cætera, Chriſti abnegationem, & ſpuitionem ſuper crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis quædam alia horribilia & inhoneſta confeſſi, quæ ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ ſubticemus. Dixerunt præterea & confeſſi fuerunt eſſe vera, quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerunt coram Inquiſitore hæreticæ pravitatis, quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum Magiſtri & Præceptorum in ſcripturam publicam per quatuor Tabelliones publicos redactæ, in ipſorum Magiſtri & Præceptorum & quorundam aliorum bonorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio coram ipſis eisdem lectæ fuerunt, de mandato & in præſentia Cardinalium prædictorum, in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem, qui perſeverantes in illis eas expreſſè ac ſponte prout recitatæ fuerunt, & probarunt, & poſt confeſſiones & depoſitiones hujusmodi, ab ipſis Cardinalibus ab excommunicatione, quam

ANNO 1307.

pro

ANNO 1307.

pro præmissis incurrerant absolutionem flexis genibus manibusque complosis, humiliter, ac devote, & cum lacrymarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti ab eisdem Magistro, & Præceptoribus hæresis abjurata, expresse ipsius secundum formam Ecclesiæ auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt: ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum Magistri, & Præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis præsentaverunt; & quæ cum dictis Magistro & Præceptoribus fecerunt, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus ac relatione invenimus sæpe fatos Magistrum & Fratres in præmissis, licet quosdam ex eis in pluribus, & in paucioribus, graviter deliquisse. Verum quia in universis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, & fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos discretioni vestræ, de quorum circumspectione specialem fiduciam gerimus, de fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Senonensis Civitatis Diœcesin, & provinciam personaliter accedatis, & per publicum citationis edictum per vos faciendum in locis, de quibus vobis visum fuerit expedire, vocetis, qui fuerint evocandi, super articulis, quos vobis sub Bulla nostra inclusos transmittimus, & super aliis, de quibus prudentiæ vestræ visum fuerit, expedire, inquiratis hac auctoritate nostra contra dictum Ordinem cum diligentia veritatem, quæ super præmissis inveneritis fideliter in scriptis publica manu redacta sub vestris sigillis ad nostram præsentiam delaturi seu etiam transmissuri. Testes autem si qui à vobis requisiti, seu admoniti, vel citati, ut super dictis articulis ferant veritatis testimonium coram vobis se prece, vel pretio, gratia timore odio vel amore à ferendo testimonio subtraxerint, nec non fautores, receptores, & defensores prædictorum Fratrum, qui à vobis citati vel vocati ut præmittitur coram vobis non comparuerint, eos insuper qui prædictam vestram inquisitionem directè, vel indirectè, publicè vel occultè per se vel alium seu alios vel alias quoquomodo præsumpserint impedire, per censuram Ecclesiasticam oppositione postposita compescatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse; septem, sex, quinque, quatuor, vel tres, duo videlicet de Prælatis prædictis coram altero saltem de aliis ea nihilominus exequantur.

Datum Pictavii II. Idus Augusti Pontificatus nostri anno tertio.

Isti sunt Articuli, super quibus inquiretur contra Ordinem militiæ Templi (quorum mentio in superiori Clementis Papæ Bulla facta.)

PRimò quod licet asserent sanctè ordinem fuisse institutum, & à sede Apostolica approbatum, tamen in receptione Fratrum dicti Ordinis, & quandoque post servabantur & fiebant ab ipsis Fratribus quæ sequuntur.

1. Videlicet quod quilibet in receptione sua, & quandoque post, vel quam citò ad hæc commoditatem recipiens habere poterat, abnegabat Christum aliquando crucifixum, & quandoque Jesum, & quandoque Deum, & quandoque Beatam Virginem, & quandoque omnes sanctos, & sanctas Dei, inductus seu munitus per illos qui eũ recipiebant.
2. Item quod communiter Fratres hoc faciebant.
3. Item, quod major pars.
4. Item, quod dicebant & dogmatizabant receptores illis, quos recipiebant, Christum non esse verum Deum, vel quandoque Jesum, vel quandoque crucifixum.
5. Item, quod dicebant ipsi illis, quos recipiebant, ipsum fuisse falsum Prophetam.
6. Item, ipsum non fuisse passum pro redemptione humani generis, nec crucifixum, sed pro sceleribus suis.
7. Item, quod nec receptores nec recepti habebant spem salvationis habendæ per Jesum, & hoc dicebant illis, quos recipiebant, vel æquipollens, vel simile.
8. Item, quod faciebant illos quos recipiebant spuere super crucem seu super signum, vel sculpturam crucis & imaginem Christi, licet interdum, qui recipiebantur, spuerant juxta.
9. Item, quod ipsam crucem pedibus conculcari quandoque mandabant.
10. Item, quod eandem crucem ipsi Fratres recepti quandoque conculcabant.
11. Item, quod mingebant & conculcabant interdum, & alios mingere faciebant super ipsam crucem, & hoc in die veneris sancti aliquotiens faciebant.
12. Item quod nonnulli eorum ipsa die septimanæ sanctæ, pro calcatione & mictione prædictis convenire consueverunt.
13. Item, quod adorabant quendam catum sibi in ipsa congregatione apparentem quandoque.
14. Item, quod hæc faciebant in vituperium Christi & fidei orthodoxæ.
15. Item, quod non credebant Sacramentum Altaris.
16. Item, quod aliqui ex iis.
17. Item, quod major pars.
18. Item, quod hæc receptores eorum sibi injungebant.
19. Item, quod credebant, & sic dicebatur eis, quod magnus Magister à peccatis poterat eos absolvere.
20. Item, quod Visitator.
21. Item, quod aliqui eorum.
22. Item, quod magnus Magister Ordinis prædicti hæc fuit de se confessus in præsentia magnarum personarum, antequam esse captus.
23. Item, quod in receptione fratrum dicti Ordinis, vel circa interdum recipiens & receptus aliquando se deosculabantur in ore, in umbilico seu in ventre nudo, & in ano seu spina dorsi.
24. Item, aliquando in umbilico.
25. Item aliquando in fine spinæ dorsi.
26. Item aliquando in virga virili.
27. Item, quod in receptione sua illa faciebant jurare illos, quos recipiebant, quod Ordinem non exirent.
28. Item, quod habebant eos statim pro professis.
29. Item, quod receptiones ipsas clandestinè faciebant.
30. Item, quod nullis præsentibus nisi Fratribus dicti Ordinis.
31. Item, quod propter hoc contra dictum Ordinem vehemens suspicio à longis temporibus laboravit.

ANNO 1307.

ANNO 1307.

32. Item quod communiter habebatur.
33. Item, quod fratribus, quos recipiebant, dicebant, quod ad invicem poterant unus cum alio commiſceri carnaliter.
34. Item, quod hoc licitum erat eis facere.
35. Item, quod debebant hoc facere ad invicem & pati.
36. Item, quod hoc facere non erat eis peccatum.
37. Item, quod hoc faciebant ipſi vel plures eorum.
38. Item, quod aliqui eorum.
39. Item, quod ipſi per ſingulas Provincias habebant Idola, videlicet capita, quorum aliqua habebant tres facies, & alia unam, & aliqua cranium humanum habebant.
40. Item, quod illa Idola, vel illud idolum adorabant, & ſpecialiter in eorum magnis capitulis & congregationibus.
41. Item, quod venerabantur.
42. Item, quod ut Deum.
43. Item, quod ut Salvatorem ſuum.
44. Item, quod aliqui eorum.
45. Item, quod major pars illorum, qui erant in capitulis.
46. Item, quod dicebant, quod illud caput poterat eos ſalvare.
47. Item, quod divites facere.
48. Item, quod omnes divitias Ordinis dabat eis.
49. Item, quod facit arbores florere.
50. Item, quod Terram germinare.
51. Item, quod aliquod caput idolorum prædictorum ſingebant citra camiſiam ſeu carnem.
52. Item, quod in ſui receptione ſingulis fratribus prædictæ chordulæ tradebantur, vel aliæ longitudines earum.
53. Item, quod in venerationem Idoli hæc faciebant.
54. Item, quod injungebant eis, quod dictis chordulis, ut præmittitur, ſe cingerent, & continuè portarent, & hæc faciebant etiam de nocte.
55. Item, quod communiter Fratres dicti Ordinis recipiebantur modis prædictis.
56. Item, quod ubique.
57. Item, quod, pro majori parte.
58. Item, quod, qui nolebant prædicta in ſui receptione facere, vel poſt interficiebantur vel carceri mancipabantur.
59. Item, quod aliqui ex eis.
60. Item, quod major pars.
61. Item, quod injungebant eis per ſacramentum ne prædicta non revelarent.
62. Item, quod ſub pœna mortis vel carceris.
63. Item, quod neque modum receptionis eorum revelarent.
64. Item, quod nec de prædictis inter ſe loqui audebant.
65. Item, quod ſi capiebantur, quod revelarent, morte, vel carcere affligebantur.
66. Item quod injungebant eis quod non confiterentur aliquibus niſi Fratribus ejuſdem Ordinis.
67. Item, quod Fratres dicti Ordinis ſcientes dictos errores corrigere neglexerunt.
68. Item, quod Sanctæ Matri Eccleſiæ nunciare neglexerunt.
69. Item, quod non receſſerunt ab obſervantia prædictorum errorum & communione prædictorum fratrum, licet facultatem habuiſſent recedendi & prædicta faciendi.
70. Item, quod prædicta fiebant & ſervabantur ultra mare in locis in quibus Magiſter generalis & conventus dicti ordinis pro tempore ſunt morati.
71. Item, quod aliquando prædicta abnegatio Chriſti fiebat in præſentia Magiſtri & conventus prædictorum.
72. Item, quod prædicta fiebant & ſervabantur in Cypro.
73. Item, quod ſimiliter citra mare in omnibus Regnis, & locis aliis in quibus fiebant receptiones fratrum prædictorum.
74. Item, quod prædicta obſervabantur in toto ordine generaliter & communiter.
75. Item, quod ex obſervantia generali & longa.
76. Item, quod de conſuetudine antiqua.
77. Item, quod ex ſtatuto Ordinis prædicti.
78. Item, quod prædictæ obſervantiæ, conſuetudines ordinationes & ſtatuta in toto ordine ultra mare & citra mare fiebant & obſervabantur.
79. Item, quod prædicta erant de punctis Ordinis introductis per errores eorum poſt approbationem Sedis Apoſtolicæ.
80. Item, quod receptiones Fratrum dicti Ordinis fiebant communiter modis prædictis in toto ordine ſupra dicto.
81. Item, quod Magiſter generalis dicti ordinis prædicta ſic ſervari & fieri injungebat.
82. Item, quod Viſitatores.
83. Item, quod Præceptores.
84. Item, quod alii Majores dicti Ordinis.
85. Item, quod ipſimet obſervabant prædicta hæc, & dogmatizabant fieri & ſervari.
86. Item, quod aliqui eorum.
87. Item, quod alium modum recipiendi in dicto ordine Fratres non ſervabant.
88. Item, quod non eſt memoria alicujus de Ordine, qui vivat, quod ſuis temporibus modus alius obſervatus fuerit.
89. Item, quod prædictum receptionis modum & ſupra dicta alia non ſervantes & ſervare nolentes, Magiſter Generalis, Viſitatores, & alii Magiſtri dicti Ordinis in hoc poteſtatem habentes, graviter puniebant, quando querela deferebatur ad eos.
90. Item, quod eleemoſynæ in d. Ordine non fiebant, ut debebant nec hoſpilitas ſervabatur.
91. Item, quod non reputabatur peccatum in d. Ordine per fas, aut nefas jura aquirere aliena.
92. Item, quod juramentum præſtabatur ab eis, augmentum & quæſtum dicti Ordinis quibuſcumquæ modis poſſunt, per fas, & nefas procurare.
93. Item, quod non reputabatur peccatum propter hoc dejerare.
94. Item, quod clam conſueverunt tenere ſua capitula.
95. Item, quod clam ac in primo ſomno, vel prima vigilia noctis.
96. Item, quod clam quia expulſa tota alia familia de domo & clauſuris domus, ut omnes de familia illis noctibus, quibus tenent capitula jaceant extra.
97. Item, quod clam quia ſic ſe includunt ad tenendum capitulum, ut omnes januas domus & Eccleſiæ, in quibus tenent capitulum, ferment adeo firmiter, quod nullus ſit vel eſſe poſſit acceſſus ad eos, nec juxta, ut poſſit quicunque videre vel audire de factis aut dictis ipſorum.
98. Item, quod clam adeo quod ſcilicet ponere excubiam ſupra tectum domus vel Eccleſiæ in quibus tenent capitulum, ad providendum, ne quis ad locum, in quo tenent capitulum, appropinquet.

ANNO 1307.

ANNO 1307.

99. Item, quod similem clandestinitatem observant, & observare consueverunt ut plurimum in recipiendo Fratres.
100. Item, quod error hic viget & viguit in ordine longo tempore, quod ipsi tenent opinionem & tenuere retroactis temporibus, quod magnus Magister possit absolvere Fratres Ordinis à peccatis etiam non confessatis, quæ confiteri propter aliquam erubescentiam aut timorem pœnitentiæ injungendæ omiserunt.
101. Item, quod magnus Magister hos prædictos errores confessus est ante captionem, sponte coram fide dignis clericis & laicis.
102. Item, quod præsentibus Majoribus Præceptoribus sui Ordinis.
103. Item, quod prædictos errores tenent & tenuerunt, nedum hæc opiniantes & tenentes de magno Magistro, sed de cæteris Præceptoribus Ordinis, Visitatoribus maximè.
104. Item, quod quidquid magnus Magister maximè cum Conventu suo faciebat, ordinabat, aut statuebat totus Ordo tenere & observare habebat, & etiam observabat.
105. Item, quod hæc potestas sibi competebat & in eo residerat ab antiquo.
106. Item, quod tanto tempore duraverant supra dicti pravi modi & errores, quod Ordo in personis potuit renovare semel, bis vel pluries tempore introductorum seu observatorum prædictorum errorum.
107. Item, quod omnes vel quasi duæ partes Ordinis scientes dictos errores corrigere neglexerunt.
108. Item, quod non recesserunt ab observantia prædictorum errorum & communione dictorum Fratrum, licet facultatem habuissent recedendi & prædicta faciendi.
109. Item, quod propter prædicta & singula grandia scandala contra dictum Ordinem sunt exorta in cordibus sublimium personarum, etiam Regum, & Principum & ferè totius populi Christiani Generata.
110. Item, quod multi fratres de dicto Ordine propter fæditates & errores ejusdem ordinis exierunt, nonnulli ad Religionem aliam transeuntes, & nonnulli in seculo remanentes.
111. Item, quod prædicta omnia & singula sunt nota & manifesta inter fratres dicti Ordinis.
112. Item, quod de his est publica vox, opinio communis & fama tam inter fratres dicti Ordinis, quàm extrà.
113. Item, quod de majori parte prædictorum.
114. Item, quod de aliquibus.
115. Item, quod magnus Magister Ordinis, Visitator, & magnus Præceptor Cypri, Normanniæ, Pictaviæ & quam plures alii Præceptores & nonnulli alii fratres dicti Ordinis præmissa confessi fuerunt tam in judicio quàm extra coram solemnibus personis, & in pluribus locis, etiam personis publicis.
116. Item, quod nonnulli Fratres dicti Ordinis tam milites, quàm Sacerdotes, alii etiam in præsentia Domini nostri Papæ & Dominorum Cardinalium fuerunt prædicta vel magnam partem dictorum errorum confessi.
117. Item, quod per juramenta præstita ab eisdem.
118. Item, quod etiam in pleno consistorio recognoverunt prædicta.

ANNO 1307.

VI.

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Mant. Pars 2. p. 89.

Quod omnes Templarii Regni Siciliæ, & eorum bona capiantur uno die, quodque ipsorum Personæ, & bona custodiantur, quoque de ipsis fuerit aliud ordinatum: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio nobili Viro Roberto Duci Calabriæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

PAstoralis præeminentiæ solio, disponente illo, qui cuncta disponit, licet immeriti præsidentes; hoc præcipuè ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus, ut excusso à nobis negligentiæ somno, circa gregis Dominici custodiam submovendo noxia, & agendo profutura animas Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Sanè dudum circa promotionis nostræ principium ad apicem Apostolicæ dignitatis, ad nostrum quadam levi suggestione pervenit auditum, quod ab olim de flatu satanæ in Templariorum Ordine, sparso pestiferi generis semine, subcrevit ex illo messis odibilis fructus pestiferos de sui natura producens: videlicet quod Templarii sub religionis pallio militantes exterius, in apostasiæ perfidia intus vixerunt hactenus in detestabili hæretica pravitate. Cæterum tunc attendentes quod Ordo ipsorum longis retro temporibus multæ refulsit nobilitatis gratia, & decoris, ac magna fidelium devotio diu viguit apud eos, quodque tunc nullam audiveramus super præmissis suspicionem vel infamiam contra ipsos, & nihilominus quod à suæ Religionis exordio portaverunt publicè signum crucis corpora exponentes, & bona contra inimicos fidei pro acquisitione, retentione, ac defensione Terræ Sanctæ, & Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi pretioso sanguine consecratæ suggestioni prædictæ aures noluimus credulas exhibere. Verùm postea auribus charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris insonuit, quod singuli Fratres dicti Ordinis in sui professione, cum ordinem ipsum ingrediuntur, expressis nobis abnegant Dominum Jesum Christum, nec non idolum adorant in suis capitulis, & alia nefanda committunt, quæ ob ruborem exprimendi subticemus ad præsens. Propter quod idem Rex ad requisitiones inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno suo generaliter à sede Apostolica deputati de Prælatorum, Baronum, & aliorum sapientum deliberatione solemni, magistrum majorem, & alias singulares personas dicti Ordinis, quæ tunc erant in Regno suo, una die cum magna excogitata diligentia capi fecit Ecclesiæ judicio præsentandas, & eorum bona mobilia & immobilia salvæ custodiæ assignari pro terra sancta, si dictus Ordo damnetur, alioqui pro ipso ordine feliciter conservanda. Deinde præfatus Magister dicti Ordinis spontaneè confessus est palam, præsentibus majoribus personis Ecclesiasticis Parisius, magistris in Theologia & aliis corruptionem erroris, abnegationis Christi in Fratrum professionibus contra primam institutionem ordinis præfatam instigante Sathana introductam. Quam plurimi etiam fratres dicti Ordinis ex diversis partibus dicti Regni Franciæ, dicta scelera sunt confessi, veram, & non simulatam agentes pœnitentiam de commissis, prout hæc dictus Rex nobis per suas literas intimavit, & ad nos etiam pervenerunt fama publica deferente. Nos

ANNO 1307.

quoque Fratrem unum militem dicti Ordinis magnæ generositatis, & auctoritatis virum, super pravitate jam dicta personaliter examinavimus, qui dictum facinus abnegationis Jesu Christi in ingressu dicti Ordinis à se commissum sponte confessus fuit plenariè coram nobis, & adjecit se vidisse, quod quidam nobilis in præsentia ducentorum Fratrum vel plurium dicti Ordinis, inter quos erant centum milites vel circa, ultra mare, videlicet in Regno Cypri per præfatum Magistrum dicti Ordinis in Capitulo suo in fratrem Templi receptus fuit, & ibi in dictorum Magistri & Fratrum præsentia idem nobilis ad mandatum ipsius Magistri dictum facinus in sua receptione commisit. Ex quibus si in agro plantationis dicti Ordinis, qui ager putabatur esse virtutum, & grandis sublimationis speculo prælucebat, diabolica, quod absit, sint semina seminata gravi nostra viscera commotione turbantur. Sed si præmissa veritate nitantur, ea comperta cessabit turbatio, & secundum Deum jucunditas orietur. Unde ad investigandam veritatem hujusmodi sine mora proponimus intendere,& quantum Deus dederit efficaciter vigilare. Ea propter quia sicut insinuatione multorum accepimus super præfatis criminibus contra Templarios ipsos fama seu verius infamia communi continuè suscipit incrementum, & ob hoc urget nos conscientia, ut in his officii nostri debitum exequamur, nobilitatem tuam requirimus, rogamus & hortamur attentè, quatenus quam citius post receptionem præsentium commodè poteris prædictis omnibus intenta meditatione pensatis, sic prudenter, sic cautè, sic secrete de sapientium Secretariorum tuorum consilio studeas ordinare, quod omnes, & singulos Templarios Dominii tui, & alios qui reperiuntur in eo, & eorum bona mobilia, & immobilia per bonas personas, omni maxime quoad bona ipsa suspicione carentes, meliori modo, quo fieri poterit, capi facias uno die personas eorum faciens donec tibi scribamus aliud, nostro & sedis Apostolicæ nomine in locis tutis sub fida custodia detineri. Bona verò ipsorum mobilia & immobilia aliquibus bonis personis, de quibus non sit verisimile, quod in his, vel similibus velint fraudem aliquam adhibere facias commendari nostro nomine fideliter conservanda, quousque per nos aliud fuerit ordinatum. Quæ quidem personæ de dictis bonis omnibus & singulis teneantur in præsentia Fratrum quarumlibet domorum dicti Ordinis & aliarum plurium bonarum personarum, & maximè dictis domibus vicinarum inventaria facere, & cum tempus fuerit plenam de ipsis reddere rationem. Quarum personarum depositariarum, propter honorem tuum sic melius negotium sine bonorum direptionis & dissipationis suspicione procedat nullæ sint de tuis officialibus, servientibus, vel aliis servitoribus quibuscumque. Provisurus quod terræ ac vineæ Templariorum ipsorum, eorum expensis more solito excolantur, ut bona ipsa dictis Templariis si reperiantur innocentes, alioquin pro Terra Sancta integrè conserventur. Taliter te super his habiturus, quod exinde præter humanæ laudis præconium apud Deum, cujus in hac parte negotium agitur, gratiæ tibi proveniat incrementum, & nihilominus ex hoc nostram & Apostolicæ sedis gratiam plenius merearis. Quidquid autem super præmissis fieri jusseris, & quidquid fuerit executioni mandatum nobis quàm celerius fieri possit, tuis litteris intimare procures.

Datum Pictavis 10. Decembr. Pontificatus nostri anno tertio.

Ad Philippum IV. cognomento Pulchrum Galliæ Regem: de his, quæ egerit ut Principibus Electoribus Germaniæ suaderet electionem Fratris Regis Caroli Comitis Andegavensis in Regem Romanorum: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUia sicut pro certo speramus, mentem tuam prospera de nostræ incolumitate personæ audire delectat; tibi significavimus ad gaudium, quod licet pluries discruciati fuerimus, tamen illo faciente, qui potest, corporis incolumitate vigemus, quamvis in eo vigore non simus, in quo eramus, quando recessimus de Pictavis; cum aër locorum, per quæ transitum fecisse dignoscimur, dispositioni personæ nostræ non competat, ut credimus, sicut aër partium Pictavienſium competebat. Præterea dilecti filii *Petrus Bareriі Canonicus Virdunensis, & Hugo de Cella miles* tuus, nuper ad nostram præsentiam venientes, nobis litteras tuas, continentes inter cætera credentiam, præsentarunt, & qualiter ipsi dudum cum nostris & tuis litteris *super facto electionis futuri Romanorum Regis, ad partes Alemaniæ accedentes* personaliter, & qualiter in hujusmodi negotio processerant, ac venerabilis frater noster *Colonienſis Archiepiscopus* lætanter ipsos receperat, eique dilectum filium nobilem virum, *Carolum Comitem Andegavensem, germanum tuum*, in Regem Romanorum ex parte tua nominaverant, eligendum; ac tu per regias litteras supra dictas præfato Archiepiscopo etiam specialiter nominatas, & qualiter dictus Archiepiscopus eis benevolum exhibens responsum & gratum, obtulit, super electionis ejusdem negotio liberaliter se facturum quicquid posset effici per eundem; nobis seriosius retulerunt. Cumque postmodum idem Canonicus & miles apud nos ex parte tua instarent sollicitè & iterato, præfato Colonienſi nec non & venerabilibus fratribus nostris *Maguntienſi* ac *Trevirenſi* Archiepiscopis, quibus scripta nostra direxeramus per eos, sicut hujusmodi negotio scriberemus; nos iisdem respondimus, quod, cum per duos vel tres dies ante ipsorum ad præsentiam nostram adventum, prædictis Archiepiscopis ac dilectis filiis, nobilibus viris, Marchioni Brandenburgensi ac . . . Saxoniæ & . . . Bavariæ Ducibus, prout intercessu tuo de Pictavis nos instanter rogaveras pro ejusdem promotione negotii, nominando specialiter ipsum Comitem, scripsissemus; non videbatur expediens sive decens eis scribere super eodem negotio iterato, nisi prius nobis ad easdem literas respondissent: tamen responsione habita ab eisdem, parati eramus scribere, ut petebatur. Verùm quia dictus Colonienſis Archiepiscopus præfatis Canonico & militi, ut prædiximus, benignè & grato respondit, ipsum per nostras literas super negotii promotione prædicti pulsamus precibus & exhortationibus iteratis, prout in transsumpto litterarum ipsarum, quod tibi mittimus præsentibus intercluſum, poteris plenius intueri; ad illud autem super quo Canonicus & Miles præfati nobis supplicasse noscuntur, dictæque tuæ litteræ continebant,

ANNO 1307.

VII.

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. Mant. p. 241.

videlicet

ANNO 1307.

videlicet quod aliquam solennem personam ad Electores eosdem vel procuratores ipsorum, die quæ pro habendo tractatu super electione præfata convenire videbatur, insimul mitteremus; respondimus, & adhuc Celsitudini tuæ respondemus, quod de hujusmodi persona, quæ tibi grata & fidelis existat, de qua tu pleniorem, quàm nos, poteris habere notitiam, cogites diligenter, tuamque super hoc nobis reicribas plenariè voluntatem, cum juxta votum tuum ad electores eosdem destinare personam hujusmodi proponamus. Supplicaverunt nobis insuper ex parte magnitudinis tuæ, Canonicus & Miles præfati, ut dilecto filio, nobili viro, *Comiti Luceburgensi*, pro hujusmodi promotione negotii per nostras Litteras scriberemus; quibus ad hæc duximus respondendum: quòd cum præfatus *Archiepiscopus Trevirensis, dicti Comitis frater, ipseque Comes pro sua promotione ad regnum prædictum*, apud nos devotis supplicationibus institissent, ac idem Comes tibi fidelis existat; magis videbatur expediens, quòd tu eundem Comitem super hoc requireres per litteras tuas cum instantia opportuna. Præterea cum præfati Canonicus & Miles nobis supplicarent, quod dicto Archiepiscopo Maguntinensi, *ne ad Coronationem dilecti filii, nobilis viri; ducis Carinthiæ, qui se gerit pro Rege Bohemiæ, procederet, donec esset ipsius Regis Romanorum electio celebrata*, per nostras litteras scriberemus; eisdem duximus respondendum; quòd nobis, qui sumus omnibus in justitia debitores, non videbatur congruum rationi, quod nullo conquerente de ipso, ad ejus impeditionem honoris procederemus aliquatenus ex abrupto. Cæterum die Sabbati præterita apud Reulam Vacensentis Diocesis existentes per nuncium ex parte regia nobis missum, qui cum Litteris tuis, continentibus adventum venerabilis fratris nostri Arnaldi Episcopi Pictavenensis ad tui præsentiam, quam ex certis causis retinueras & petebas per nos excusatum haberi, inibi ad nos venit; literas dilecti filii nobilis viri *Joannis Ducis Saxoniæ* recepimus, quas tibi mittimus præsentibus intercluſas, ut ea, quæ ipsæ continent, plenè valeas intueri. Datum apud Cadelhacum Burdegalensis Diocesis, Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio, sub plumbo cum cordula canapis.

VIII. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. II. pag. 243. Mant.

Ad Philippum Pulchrum de tractatu cum Republica Venetâ pro Imperio Constantinopolitano pro Carolo ipsius Philippi Fratre obtinendo: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei carissimo in Christo Filio Philippo Regi Francorum Illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUdum prout *celsitudo regia* non ignorat, dilectis filiis .... Duci, Consilio & communi *Venetiarum*, quod dilecto filio, nobili viro *Carolo, Comiti Andegavensi, germano tuo* ad juramentum præstandum super certis conventionibus & pactis inter eundem Comitem & ipsos Ducem, Consilium & commune initis, *occasione negotii imperii Constantinopolitani*, usque ad Calend. februarii tunc proximè venturi terminum prorogarent, per litteras nostras preces & monita porreximus efficacia; ad quæ Dux ipse per suas nobis respondit litteras, sicut in eis, quas tibi mittimus Litteras præsentibus intercluſas, poteris intueri, quarum etiam copiam prædicto Comiti destinamus. Præterea non credimus à tua memoria recessisse, quatenus dum Pictavis residentiam faceremus præsentibus dilectis filiis, nobilibus viris, Ludovico fratre tuo, Ebroicensi ac Sancti Pauli Comitibus, Constabulario Franciæ & Ignorammo Cambellano tuo aliqua *super negotio ejusdem imperii sub magno sigillo facta* exponi per ipsum Ingeramum tecisti oretenus coram nobis, pro quibus eras tuos speciales nuncios, qui per nos debebant transitum facere ad aliquos magnos Principes, transmissurus. Super quo, quia nihil super hoc audivimus, postmodum admiramur. Quare tuo & ejusdem Comitis Andegavensis honori convenire videtur, dictoque negotio expedire, quòd ea, quæ tunc, ut prædicitur, dicta fuerunt, ad effectum debitum perducantur & quia secreta ipsa non committeremus libenter alicui referenda, vel exprimeremus litteris, nisi de tua procederet voluntate, tibi, licet forsitan ex superabundanti, ad memoriam reducimus, magnitudini tuæ tunc temporis respondisse, quod ex infusione Spiritus Sancti ex tuis præcordiis, ut videbatur, extiterant inspirata. Cæterum *literas* dilecti filii nobilis viri *Rudolfi Ducis Bavariæ*, per quas *de negotio electionis futuri Regis Romanorum*, super quo tibi per nostras litteras scripseramus, respondet, pridem recepimus, quas tibi intercluſas præsentibus, nec non & earum copiam dicto Comiti Andegavensi specialiter destinamus. Datum in Laureomente prope Burdegalas, XI. Calend. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1308.

IX. Ex Cod. Leibnitii Tom. II. pag. 320. Mant.

Citatio eorum qui Bonifacium Prædecessorem Pontificem Hæreseos accusant: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad certitudinem præsentium & memoriam futuram.

DUdum postquam, divina cooperante Clementiâ, fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, primò Lugduni & deinde Pictavis, cum nostra curia residentes, charissimus in Christo filius noster *Philippus Rex Francorum illustris*, zelo, ut credimus, & ipse promebat, fidei Orthodoxæ & devotionis accensus credensque Ecclesiæ statui plurimum expedire, Nos cum instantia requisivit, & id ipsum dilecti filii, nobiles viri, *Ludovicus natus claræ memoriæ Philippi Regis Francorum Ebroicen.* Guido S. Pauli, & Joannes Drocensis Comites ac Gulielmus de Plasiano miles, qui *contra Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, quem dicebant in labe pravitatis hæreticæ decessisse*, crimen hæreseos se velle imponere, & ad illud probandum sufficientes probationes habere, illasque coram nobis velle proponere asserebant: postularunt instanter, quod ipsis videlicet nobilibus benignam audientiam exhibentes, ad recipiendas probationes hujusmodi, memoriamque damnandam ejusdem defuncti, justitiâ prævia procederemus. Nos verò quamvis de ipso, quod de orthodoxis parentibus, & Catholica patria traxit originem, ac in curia Romanâ, pro majori

ANNO 1307.

parte temporis vitæ ſuæ, nutritus extitit, ac cum Martino dum in Franciæ, ac Adriano in Angliæ Regnis, prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, legationis officio fungerentur, ſucceſſivis temporibus, quaſi continuo converſatus, Cancellariæ officium exercuit, cum iis & ſubſequenter in dicta Romanâ curiâ, in qua prius exercuerat advocationis officium, ad officium Notariatus primò, & deinde ad honorem Cardinalatus S. R. Eccleſiæ, & demum in ſummum Pontificem extitit, qui ad honorem Dei & roborationem & hereticorum exterminium multas edidit Sanctiones, in Prædicationis, ... divina officia exercendo ... in præfata curia, & etiam extra eam, tum in dictis Regni Franciæ & Angliæ, cum aliis diverſis mundi partibus antequam ſummus Pontifex ... viris authoritatis eximiæ Catholicis & Eccleſiaſticis converſatus, alias etiam ..., apparebat communiter ſemper vixit; prædicta veritate ſubniti nullatenus crederemus. Quia tamen crimen hæreſeos, quod eſt inter cætera crimina plus exetrabile ac horrendum, magisque deteſtabile ac damnoſum, contra dictum prædeceſſorem oppoſitum, diſſimulanter indiſcuſſum negligi non debebat: ad præfati Regis aliorumque nobilium prædictorum inſtantiam, & ne in Sacro Sancta Romana Eccleſia, quæ mater eſt cunctorum Chriſti fidelium & magiſtra, quæque cunctis tribuit catholicæ religionis normam, veramque doctrinam fidei orthodoxæ, videamur negligere, quod in aliis debet diræ cenſuræ acerbitate damnari: Dum adhuc cum prædictâ curiâ Pictavis eſſemus, ut præfatis oppoſitoribus de fratrum noſtrorum conſilio audientiam duximus concedendam, iis primam diem juridicam, poſt feſtum purificationis B. Mariæ Virginis proximum jam tranſactum, ad comparendum coram nobis Avenione, & quantum ac prout eſſet de jure in ipſo negotio procedendum, pro peremptorio termino ſignantes &c. Actum Avenione in domibus fratrum Prædicatorum, videlicet in aula inferiori, quâ conſiſtoria publica tenemus: Idibus Septembris pontificatus anno IV.

X.
Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I.

Bulla, quæ repetitis Templariorum criminibus eosdem, & omnes ipſis faventes excommunicationis fulmine ferit: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD omnium fere notitiam jam credimus perveniſſe notanda ſcelera, & crimina abhorrenda, hæreſim notoriè ſapientia, quibus Ordo & perſonæ Templariorum non levibus argumentis, ſed manifeſtis indiciis, & violentis præſumptionibus diffamati noſcuntur, ſuper abnegatione videlicet Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſuper nefanda, temeraria præſumptuoſa, hæretica conſpuitione ſuper ejusdem imaginem crucifixi, nec non & ſuper pluribus aliis articulis, quos, qui fore credimus manifeſtas, exprimi non oportet, ſicque excrebreſcente infamia & imminentibus ſcandalis plurimis minime contemnendis, quæ non leviter totam ſcandalizant Eccleſiam urgente conſcientia per totum orbem terrarum jamdudum ipſos capi mandavimus, & tandem cæpimus ſuper iis contra eos inquirere per nos ipſos nonnullis & fratribus noſtris aſcitis ad inquiſitionem prædictam nobiſcum ſollicite peragendam, & tandem præſentatis nobis perſonis eisdem non parvo, ſed grandi numero, non levis, ſed magnæ auctoritatis viris, olim in ordine ſupra dicto Sacerdotibus, præceptoribus, militibus & ſervientibus, per eorum confeſſiones & depoſitiones ſpontaneas liberè factas coram nobis & fratribus noſtris in ſecreto, prius & poſtmodum coram nobis totoque collegio fratrum noſtrorum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalium, patuit manifeſtè quoad perſonas iſtas crimina & ſcelera eſſe vera, iidemque confitentes omnes & ſinguli ſuum humiliter recognoſcentes errorem, noſtram, & Apoſtolicæ ſedis non juſtitiam, ſed miſericordiam & veniam imploraruntur, quibus cum omni humilitate & reverentia & proprii eorum recognitione erroris omnino perſiſtentibus pro abſolutione ab excommunicationis ſententia quam ex hujusmodi hæreſis reatibus, & ſceleribus incurrerant ipſis miſericorditer impendenda nos, qui, licet indigni vicarii ſumus illius, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus exiſtunt, & quia Romana mater Eccleſia non claudit, prout nec claudere debet gremium redeunti, facta à prædictis confitentibus cum humilitate & reverentia abjuratione hujusmodi hæreſeos ſecundum canonicas ſanctiones, eis juxta formam Eccleſiæ fecimus munus abſolutionis impendi, poteſtate injungendi eis propterea ſalutarem pœnitentiam nobis & dictæ ſedi ſeu quibus id committendum duxerimus ſpecialiter reſervata. Poſt quæ cum magiſtro & Præceptoribus præcipuis præfati ordinis intendentes ſuper præmiſſis inquirere per nos ipſos, ipſum magiſtrum & Franciæ, terræ ultramarinæ Normanniæ, Aquitaniæ, ac Præceptores majores nobis Pictavis exiſtentibus mandavimus præſentari. Sed quoniam quidam ex ipſis ſic infirmabantur tunc temporis, quod equitate non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquomodo adduci, nos cum eis de præmiſſis & nonnullis confeſſionibus, & depoſitionibus dictorum fratrum, factis coram Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis Regni Franciæ, certificari volentes, dilectis filiis noſtris Berengario tituli ſanctorum Nerei, & Achillei & Stephano tituli ſancti Cyriaci in Thermis Presbyteris ac Landulfo S. Angeli Diacono Cardinalibus: de quorum prudentia, experientia & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commiſimus & mandavimus, ut ipſi cum præfatis Magiſtro & Præceptoribus inquirerent tam contra ipſos & alias ſingulares perſonas dicti ordinis generaliter, quàm etiam contra ipſum ordinem ſuper præmiſſis diligentius veritatem, & quod ſuper iis invenirent, nobis referre, ipſorumque confeſſiones & depoſitiones ſub manu publica deferre ac præſentare curarent, impenſuri eidem magiſtro & præceptoribus juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa, ſi vera erant incurrerant; ſi abſolutionem humiliter & devote peterent, ut debebant. Dictis autem Cardinalibus ad caſtrum de Raynone Turonenſis diœceſis, in quo tunc erant dicti Magiſter & Præceptores perſonaliter accedentibus, iidem Magiſter & Præceptores majores de mera & plena veritate dicenda ab eis corporaliter præſtito juramento, ſingulariter, libere, ac ſponte, abſque coactione qualibet & terrore coram ipſis tribus Cardinalibus quatuorque tabellionibus publicis, ac multis aliis probis viris depoſuerunt & confeſſi fuerunt inter

ANNO 1308.

cætera

ANNO 1307.

cætera Christi abnegationem & spuitionem super Crucem cum in Ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi & spuitione super Crucem fratres plurimos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Ac deinde in confessionibus ac depositionibus factis per ipsos antea coram Jnquisitore pravitatis prædictæ ac ipsis & eorum cuilibet Lectis & expositis de mandato & in præsentiæ Cardinalium prædictorum, firmiter perseverantes & approbantes easdem absolutionem au excommunicatione prædicta petitam ab eis humiliter & devotè sibi obtinuerunt juxta præmissam formam per Cardinales ipsos impendi, hæresi expressè ac publice abjurata. De quibus omnibus per fidelem relationem dictorum Cardinalium nobis facta extitit plena fides, hujusmodi confessionibus & depositionibus eorundem nobis sub manu publica præsentatis. Nos igitur volentes super iis, prout ad nostram spectat officium, congruum remedium adhibere auctoritate Apostolica districtius inhibemus ne aliquis de cetero eisdem Templariis vel eorum alicui scienter, publicè vel occultè præstet auxilium, consilium, vel favorem, seu aliàs ipsos vel aliquem ipsorum receptare seu retinere aut eis favere præsumat, sed eos tanquam suspectos de hæresi omnino deviter. Mandantes nihilominus eadem auctoritate omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus personis, nec non Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, & plebeiis, & Communitatibus, Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, quatinus dictos Templarios capiant, & eos locorum Ordinariis, singulis eorum videlicet in suis civitate & diœcesi, sine difficultate qualibet assignare ac tradere non postponant, si & quandocunque ab eisdem super hoc fuerint requisiti, vel ad ipsorum Ordinariorum requisitionem eosdem Templarios sub fida & tuta custodia teneant, repræsentandos eisdem Ordinariis vel Inquisitoribus deputatis seu deputandis à nobis, & ipsis tradendos ad eorum requisitionem, seu Inquisitionibus hujusmodi faciendis, & aliàs quotiens & quandocumque eis videbitur faciendis. Nos enim omnes & singulos cujuscunque præminentiæ sint, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi pontificali præfulgeant dignitate, qui suprà dictis Templariis vel eorum alicui scienter, publicè vel occulte præstabunt auxilium, consilium, vel favorem vel aliàs ipsos vel aliquos ipsorum receptare, vel retinere, aut eis, ut præmittitur favere præsumpserint: auctoritate præsentium excommunicationis sententia innodamus ac civitates, castra, terras, & loca, quæ ipsos vel aliquem eorum scienter susceperint vel tenuerint Ecclesiastico supponimus interdicto, absolutionem prædictorum præterquam in mortis articulo ac relaxationem ipsius interdicti nobis nostrisque successoribus reservantes, non obstantibus quibuslibet privilegiis, Indulgentiis & Litteris Apostolicis quibuscunque & sub quacunque verborum forma, vel expressione concessis, per quæ effectus præsentium posset quomodolibet impediri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, mandati, excommunicationis, interdicti & reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tolosæ III. Kal. Januarij Pontificatus, nostri anno quarto.

ANNO 1307.

Ad Episcopum Wigornienſem, ut inducat Regem Angliæ ad Reformandos exceſſus officialium ſuorum: anno 1308.

XI. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. III. pag. 76.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Valterio Wigornienſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUanto inter cæteros mundi Principes, cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Edvardum Regem Angliæ illuſtrem ſpecialis dilectionis affectione diligimus, gerimus in viſceribus caritatis, & ad ejus honorem pro viribus promovendum, tam natura & naturalis origo, quàm nutritura longa, & familiaris ardentius nos inducit, tanto amplius dolemus, affligimur, & turbamur, cum eum audimus aliqua facere, per quæ inter Romanam Eccleſiam & Regem eundem Regnumque ſuum, materia diſſenſionis & ſcandali, aut ſcintilla turbationis poſſet quomodolibet ſuboriri, vel quæ ipſum notent, vel notare valeant aliqualiter à Progenitorum veſtigiis deviare ſuorum, qui propter plenitudinem devotionis & fidei, quam erga Deum & Romanam Eccleſiam inviolabiliter obtinentes, in bellis fortes & ſtrenui, honorabiles hominibus, & Deo amabiles, inclitum Regnum ſuum ampliare terris & regionibus multiplicare populis, & augere honoribus & accumulare divitiis à multis retro temporibus meruerunt. Porro auditu multiplici, non ſine cordis amaritudine, jam dudum audivimus, Venerabilem Fratrem noſtrum Valterum Licheſeldenſem Epiſcopum per Officiales Regios, manus ad indebita & illicita extendentes captum fuiſſe temere, & non ſine offenſa Dei, & contemptu Eccleſiæ, & diruptione Eccleſiaſticæ libertatis, uſque adhuc in carcere detineri, quod non tàm ratione perſonæ, quàm honore Dei & Eccleſiæ per ipſum jam dudum voluiſſemus eſſe correctum, & adhuc corrigi ſine ulterioris moræ diſpendio, eum in domino exhortamur, ne ex hujuſmodi, quod abſit, illicitis non dicamus actibus, ſed tolerantiis, irreverentiam & indevotionem ad Deum, & Eccleſiam ſapientibus ſui clari nominis præconia dinigreſcaret. Tuam ſiquidem diſcretionem credimus non latere, quod licet, claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ ut ſibi capiendi Venerabiles Fratres noſtros, Villielmum Sancti Andreæ & Robertum Glaſguenſem Epiſcopos prout in Bulla ſuperiore, uſque hæc verba, viz. Quo circa diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum noſtrum filium prædilectum ſollicites ſtudioſiùs, & inducas, quod ipſe zelo devotionis & fervore reverentiæ, ſic ad revocandos prædictos ſuorum Officialium errores velit exurgere, quod præter humanæ laudis præconium, ſibi à Deo exinde honoris, & commodi proveniat incrementum, tuque à Deo, & nobis exinde valeas commendari. Nos enim, prout eidem Regi ſcribimus, de ipſis Epiſcopis ſic celeriter, ſic plenariè de his, quæ invenientur in ſuum, vel ſubditorum ſuorum damnum ſeu injuriam commiſiſſe faciemus juſtitiæ complementum, etiam infra limites,

ſi

ANNO 1307.

Si expedire videbitur, Regni sui, quod sua exinde serenitas meritò contentari debebit. Nihilominus autem dilectum filium Magistrum Sicardum de Vauro Archidiaconum Corbariæ in Ecclesia Narbonensi, Capellanum nostrum, latorem præsentium, ad suam, & tuam præsentiam destinamus; cui super præmissis & his, quæ circa ea tibi ex parte nostra, duxerit, ferenda, adhibeas plenam fidem. Datum Pictavii 5. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno tertio.

XII. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. Pag. 101.

Inquisitores super negotio Templariorum assignantur, & deputantur in Regno Angliæ: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Cantuariensi, & suis suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei filius, Dominus Jesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti Apostolatus assumi: ut gerentes, licet immeriti, vices ejus in terris in cunctis actibus & processibus, ipsius vestigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sanè dudum, circa nostræ promotionis ad apicem summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugduni, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post etiam, tam ibi, quàm alibi, secreta quorumdam nobis insinuatio intimavit, quod Magister Præceptores, & alii Fratres Ordinis Militiæ Templi Jerosolimitani, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem Patrimonii ejusdem Domini nostri Jesu Christi, fuerant in transmarinis partibus deputati contra ipsum dominum, in scelus Apostasiæ nephandum, detestabile idololatriæ vitium excecrabile facinus Sodomorum, & Hæreses varias erant lapsi. Quia verò non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri, tam Religiosi, qui præcipuè pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna, tam in divinis Officiis, quàm in jejuniis, & aliis observantiis, devotionis signa frequentiùs prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent; hujusmodi insinuationi & delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis & Canonicæ Scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde verò Charissimus in Christo filius noster, Philippus Rex Francorum illustris, cui eadem fuerant facinora intimata non typo avaritiæ cum de bonis Templariorum nihil sibi vendicare, vel appropriare intendat; imo ea per deputandos à nobis generaliter, & per Prælatos Regni Franciæ specialiter in suis Diocesibus administranda in Regno suo dimisit; manum suam exinde totaliter emovendo, sed fidei orthodoxæ fervore suorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus de præmissis, quantum licitè potuit, se informans, ad instruendum & informandum nos super his multas & magnas nobis informationes per suos nuncios & literas destinavit. Infamia verò contra templarios ipsos increbrescente validiùs super sceleribus ante dictis: & quia etiam quidam miles, ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit quod, in receptione Fratrum præfati Ordinis, hæc consuetudo, vel potiùs corruptela servatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputatis suggestionem, qui recipitur Jesum Christum negat, & super Crucem sibi ostensam, spuit, in vituperium crucifixi, & quædam alia faciunt Recipiens & Receptus, quæ licita non sunt, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis; Vitare nequivimus, urgente nos ad id Officii nostri debito, quin tot & tantis clamoribus accomodaremus auditum. Sed cum demùm, fama publica deferente, ac clamosa insinuatione dicti Regis, nec non & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum nobilium cleri quoque & Populi dicti Regni Franciæ, ad nostram propter hoc tam per se, quàm per Procuratores, & Syndicos præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam perveniisset quod Magister, Præceptores & alii fratres dicti Ordinis, & ipse Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti. Et præmissa per multas confessiones, attestationes, & depositiones præfati Magistri, & plurium Præceptorum & Fratrum Ordinis prælibati, coram multis Prælatis, & Hæreticæ pravitatis Inquisitore, in Regno Franciæ factas, nobisque ac Fratribus nostris ostensas probari quodammodo viderentur. Ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum invaluissent, & etiam ascendissent, tàm contra ipsum Ordinem, quàm contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterant, nec absque imminenti periculo tolerari. Nos illius, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis, ratione prævia, duximus procedendum; multosque de Præceptoribus Presbyteris, militibus, & aliis Fratribus dicti Ordinis, reputationis non modicæ in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus & examinavimus, usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex Fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones, per publicas manus in autenticam scripturam redactas, illicò in nostra & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde, interposito aliquorum dierum spatio, in Consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cujuslibet eorum exponi, qui perseverantes in illis eas expresse & sponte, prout recitatæ fuerant approbarunt. Postque, coram Magistro, & Præceptoribus præfati Ordinis intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum Magistrum & Franciæ Terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, præceptores majores nobis, Pictavii existentibus mandavimus præsentari: sed, quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci; Nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum Confessionibus & depositionibus, quas coram Inquisitore pravitatis Hæreticæ in Regno

ANNO 1308.

Franciæ

ANNO 1308.

Franciæ, præsentibus quibusdam Notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur feciſſe, nobis & fratribus noſtris per ipſum inquiſitorem ſub manibus publicis, exhibitis & oſtenſis. Dilectis filiis noſtris, Berengario titulo Sanctorum Nerrei & Achillei, & Stephano, titulo Sancti Citiaci in Thermis, Preſbyteris ac Landulpho Sancti Angeli, Diacono, Cardinalibus de quorum providentia experientia & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commiſimus & mandavimus, ut ipſi, cum præfatis, Magiſtro & Præceptoribus, inquirerent, tam contra ipſos, & alias ſingulares perſonas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipſum ordinem ſuper præmiſſis cum diligentia veritatem; & quicquid ſuper his invenirent nobis referre, ac eorum confeſſiones, & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas, noſtro Apoſtolatui deferre ac præſentare curarent. Eisdem, Magiſtro & Præceptoribus abſolutionis beneficium à Sententia Excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, ſi abſolutionem, humiliter & devotè peterent ut debebant, juxta formam Eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales, ad ipſos Magiſtrum & Præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui adventus cauſam expoſuerunt. Et quoniam perſonæ ipſorum & aliorum Templariorum in Regno Franciæ conſiſtentium, nobis traditæ fuerant, quòd liberè absque metu cujusquam plenè & purè ſuper præmiſſis omnibus, ipſis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apoſtolica injunxerant. Qui Magiſter & Præceptores Franciæ, Terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitanniæ, ac Pictaviæ, coram ipſis tribus Cardinalibus præſentibus quatuor Tabellionibus publicis, & multis bonis aliis Viris, ad ſancta Dei Evangelia, ab eis corporaliter tacta præſtito Juramento, quòd, ſuper præmiſſis omnibus, meram & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter, liberè ac ſponte absque coactione qualibet & terrore, depoſuerunt, & confeſſi fuerunt, inter cætera, Chriſti abnegationem, & ſpuitionem ſuper crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis ſe, ſub eadem forma, ſcilicet, cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper crucem, fratres milites recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhoneſta confeſſi, quæ ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus. Dixerunt præterea, & confeſſi fuerunt eſſe vera, quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquiſitore Hæreticæ pravitatis. Quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum Magiſtri & Præceptorum in ſcripturam publicam per quatuor Tabelliones publicos redactæ, in ipſorum, Magiſtri & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præſentia: ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, coram ipſis eædem lectæ fuerint, de mandato & in præſentia Cardinalium prædictorum & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem; qui perſeverantes in illis, eas expreſſè ac ſponte, prout recitatæ fuerant approbarunt. Et poſt confeſſiones & depoſitiones hujuſmodi, ab ipſis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro præmiſſis incurrerant, abſolutionem flexis genibus manibusque complosſis humiliter & devotè ac cum lacrimarum effuſione modica petierunt. Ipſi verò Cardinales, quia Eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eisdem, Magiſtro & Præceptoribus Hæreſi abjurata expreſſè, ipſis ſecundum formam Eccleſiæ auctoritate noſtra, abſolutionis beneficium impenderunt. Ac deinde, ad noſtram præſentiam redeuntes confeſſiones & depoſitiones prælibatorum Magiſtri & Præceptorum, in ſcripturam publicam per manus publicas ut dictum eſt redactas, nobis præſentaverunt, & quæ cum dictis Magiſtro & Præceptoribus, fecerant, retulerunt. Ex quibus confeſſionibus & depoſitionibus, ac relatione, invenimus ſæpe fatos, Magiſtrum & Fratres in præmiſſis, & circa præmiſſa licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquiſſe. Verum, quia univerſis mundi partibus, per quos idem ordo diffunditur, ac Fratres degunt ipſius, ſuper his non poſſumus inquirere per nos ipſos. Fraternitati veſtræ, de Fratrum noſtrorum conſilio per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos vel quilibet veſtrum, videlicet, in ſuis civitate & Diœceſi, una cum Venerabilibus fratribus noſtris Patriarcha Jeroſolymitano, ac Archiepiſcopo Eboracenſi, Lincolnienſi, Ciceſtrienſi, & Aureleanenſi Epiſcopis: & dilectis Filiis, de Lathiniaco, Parienſis Dioceſis, & S. Germani de Pratis juxta Pariſius, Monaſteriorum Abbatibus; ac Magiſtris Sicardo de Vauro, Canonico Narbonenſi Capellano noſtro, noſtriqne Palatii Auditore cauſarum, & Guidone de Vichio Rectore Eccleſiæ de Hoſche Londonienſis Dioceſis, vel octo, ſeptem, ſex quinque quatuor, tribus, duobus, aut uno ex ipſis, quos nobis in hac parte, propter negotii magnitudinem, duximus adjungendos, vocatis, per publicum Citationis Edictum, per vos: & ipſos adjunctos vel eorum aliquos ſeu aliquem, in locis de quibus vobis & eis videbitur faciendum, qui fuerunt evocandi, contra ſingulares Perſonas, & Fratres dicti Ordinis, in Civitatibus & Diœceſibus veſtris degentes, etiamſi aliunde venerint, vel illùc adducti forſan extiterint, ſuper Articulis, quos vobis, ſub Bulla noſtra incluſos tranſmittamus & ſuper aliis, de quibus prudentiæ veſtræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis. Volumus inſuper quod, Inquiſitione, ſeu Inquiſitionibus hujusmodi factis, per Provinciale Concilium contra ipſos ſingulares Perſonas, & Fratres, qui in eadem Provincia fuerint, ſeu pro eis, ſuper his, de quibus contra eos inquiſitum extiterit, abſolutoria, ſeu condemnatoria ſententia, juxta juris exigentiam, proferatur; Inquiſitore nihilominus, ſeu inquiſitoribus ejusdem pravitatis Hæreticæ in ipſa Provincia per ſedem Apoſtolicam deputatis, tam ad dictas Inquiſitiones quàm ad hujusmodi prolationem ſententiæ admiſſis, ſi ad eas vobiſcum voluerint intereſſe. Proviſo quod de inquirendo vel ſententiando contra Magiſtrum, Præceptorem dicti Ordinis, in Regno Angliæ conſtitutum, contra quos, per certas perſonas, inquiri mandavimus, vos intermittere nullatenus præſumatis.

Datum Pictavis ſecundo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio.

ANNO 1308.

ANNO 1308.

XIII. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. pag. 109.

Bulla super liberatione Episcoporum Glasquensis, Sancti Andreæ, & Lychefeldensis, & de bonis Templariorum: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

ATtende, Fili, & diligenter intellige verba Patris, magnitudinis Regiæ profectus uberes, & exaltationis incrementa felicia diligentis. Cogit Nos quidem debitum Pastoralis officii, & vincimur à dilectione nimia, qua fili carissime inter cæteros Christianæ Religionis Principes, specialiter nobis conjungeris, & portaris in Apostolicæ sedis visceribus caritatis, ut personam Regiam ad actiones laudabiles, operaque salutis per quæ gratia summi Regis acquiritur, nomen Regium magnificetur in populis, & præcelsæ tuæ famæ præconium exaltationis multiplicis suscipiat incrementa, teque instantius, cum velut homo ab his quæ justa sunt devias, & quæ oculos divinæ Majestatis offendunt, salutis tuæ commodis obviant, derogant, Regalibus titulis, sollicitè paternis verborum oraculis revocemus. Optamus enim, dilectissime Fili, ut quemadmodum in orbe terrarum, inter cæteros Catholicos Principes, generosi sanguinis fulgore prærutilas, sic laudabilium claritate resplendeas actionum & mentis oculis erectis ad illum, per quem honorum culmina, & Regnorum solia possidentur, ejus humiliter beneplacitis te conformes, & Progenitorum tuorum imitans laudanda vestigia, limites studeas observare justitiæ, personas Ecclesiasticas Regni tui favoris Regii ope confoveas, & protectionis tuæ præsidio tuearis à quibusvis earum molestiis, offensis, & injuris abstinendo. Hæc profectò sunt opera in conspectu divinæ Majestatis accepta: Hoc est salubrium exercitium actionum: Hæc sunt utique studia, quæ in populis gentium, Principum gesta clarificant, & regnantium stabiliunt solia incommutabili firmamento. Dudum siquidem Venerabilis Frater noster Petrus Episcopus Sabinensis ad Regnum tuum pro quibusdam negotiis, statum pacificum & tranquillum, claræ memoriæ, Eduardi Genitoris tui, & dicti Regni tangentibus, accedens venerabiles Fratres nostros Sancti Andreæ & Glasguen. Episcopos, quos licet ad devotam, & instantem dicti Genitoris tui instantiam mandavissemus per venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Eboracensem propter quædam horribilia, quæ de ipsis idem Genitor tuus nobis contra ipsum, pacem & tranquillitatem Regni tui intimaverat fuisse commissa, quæ ipse in sua conscientiâ asserebat fore vera, per suas litteras & Nuncios speciales, ipsius Archiepiscopi carceri mancipari, & in eo etiam detineri donec ipsos ad nostram præsentiam mandaremus adduci, in gravem Divinæ Majestatis offensam, & non modicam Apostolicæ sedis injuriam, dictus Genitor tuus detinebat Regio carceri manciparos, cum instantia ex parte nostra libertati restitui postulavit. Idem autem Rex, ejusdem Sabinensis Episcopi postulationibus annuens, præfatos Episcopos cum magna humilitate eidem Episcopo Sabinensi verbo restituit, & mandavit restitui cum effectu Apostolicæ Sedis conspectui præsentandos. Et licet præfatus Sabinensis Episcopus illos proponeret secum adducere, cum ipsum redire ad præsentiam Apostolatus nostri contingeret, eosque tunc, cum haberet inibi moram contrahere, & timeret de fuga eorum, recipere distulisset; postmodum tamen eodem Genitore tuo, viam universæ carnis ingresso, ipsos, nec non & Venerabilem Fratrem nostrum Valterum Lichefeldensem Episcopum, quem carcere detinebat, dicto Sabinensi Episcopo, ab eo requisitus, instanter restituere distulisti, asserens, prout ex dicti Sabinensis Episcopi relatione percepimus, te velle nobis super hoc per speciales Nuncios respondere. Cumque postmodum dilectum filium Magistrum Siccardum de Vauro Archidiaconum Corbariæ in Ecclesia Narbonensi, Capellanum nostrum, pro ipsorum Episcoporum liberatione, & certis aliis negotiis, ad te cum nostris litteris specialiter misissemus, tu demum hujusmodi litteris nostris tibi præsentatis per ipsum, receptis, nobis per regias litteras respondisti, quod super liberatione, vel missione dictorum Episcoporum ad nostram præsentiam cum Proceribus Regni tui, quorum præsentiam propter Guerram tuam in Scotia susceitatam, nequibas habere, quam citius posses, intendebas habere colloquium & tractatum. Supplicans, ut molestam dilationem, & consilii deliberationem hujusmodi non ferremus; quoniam habito, quàm citiùs fieri posset consilio de prædictis, quicquid in offensa Regia dignitate, & absque exhæredatione & gravi præjudicio subditorum tuorum, & tuo fieri posset, Filiali efficere promptitudine procurares. Sicque adhuc Episcopos ipsos, quod dolentes referimus, non sine tuæ salutis dispendio, & æterni Regis opprobrio, carceratos diceris detinere. Præterea alia cordi nostro de tuis actibus non indignè materia grandis turbationis accrevit, quod sicut notitiæ nostræ ex relatione plurium magnatum innotuit, bona quæ Templarii in Regno tuo habent, quæ ad ordinem ipsius Templi pertinent, si bonus reperiatur; Et aliàs ad dictæ sedis dispositionem plenariam pertinere noscuntur, & quæ ad manus tuas de mandato nostro posueras, non absque divinæ Majestatis offensa, & dictæ sedis injuria, diversis distribuisti personis, pro tuæ libito voluntatis. Verum ut ordinatio de prædictis & aliis bonis Templariorum ipsorum consistentibus per singulas partes orbis, per nos de fratrum nostrorum consilio præsente carissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum illustre, facta dum adhuc Pictavio residentiam faceremus, tuis sensibus fiat nota, Regiam magnitudinem volumus non latere, quod per dictum Regem personis dictorum Templariorum, ac mobilibus, & immobilibus bonis ipsorum in Regno suo consistentibus, nobis liberaliter redditis, & dimissis, & manu sua ab eis ad nostram requisitionem amota, ac injuncto, per suas Patentes, & diversas litteras, omnibus suis Justitiariis, & subditis, ut illis, quos ordinaremus ad recipiendum prædicta, personas, & bona Templariorum ipsorum, quam citiùs essent requisiti per eos, traderent integraliter absque fraude, ordinavimus quod certæ personæ idoneæ pro inquisitione facienda contra ordinem, & Templarios memoratos, super execrandis excessibus, qui per ipsos commissi dicuntur, ac bonis recipiendis eorum, unà cum Prælatis ad hoc specialiter deputatis à Nobis ad idem Regnum

tuum,

ANNO 1308.

ANNO 1308.

tuum, & universas alias partes Orbis specialiter mitterentur, in quibus dicti Templarii aliquid habere noscuntur intendentes, ut ordinationi prædictæ in brevi debitus subsequatur effectus. Cum itaque ab intimis cupiamus, quod Progenitorum tuorum, qui erga Deum & Romanam Ecclesiam zelo devotionis accensi, cultum in Regnis suis augmentare Divinum, tueri Ecclesiasticam libertatem, Ecclesias & Personas Ecclesiasticas fovere Regnorum ipsorum, & protegere curaverunt, salubria eligas vestigia imitari, teque ostendas æmulatorem fervidum, per effectum, ac ejusdem tui Genitoris exemplo, qui fide præclarus in dictæ terræ subsidium transfretando pro terræ defensione prædictæ, & nostri Salvatoris injuria ulciscenda, in terra ipsa plagas sustinuit diras & vulnera, seque mortis periculis offerre devotis affectibus non expavit, tuas dirigas actiones. Regalem magnificentiam rogamus & hortamur in Filio Dei Patris, quatinus super dictorum liberatione Prælatorum in Parliamento, per te in proximo, ut audivimus, celebrando, sic salubri consilio dirigaris, sicque nobis promptitudine devota respondeas, quod responsio ipsa grata in oculis Divinæ majestatis appareat nostrisque affectionibus sit accepta, & nihilominus concessione prædictorum bonorum, siqua facta sit, quæ nulla sit ipso jure, per te sine difficultate qualibet revocata, de facto, sicut de facto processit, sic in conservatione ipsorum & aliorum bonorum Templariorum eorumdem, consistentium infra terminos Regni tui, efficaciter te geras & habeas, quod personæ, quas pro dictis bonis recipiendis ad idem Regnum tuum celeriter, Auctore Domino, transmittemus, bona ipsa pro dicto ordine, si ea, quæ ipsis Templariis imponuntur, inveniantur veritate carere, alioquin pro Terræ Sanctæ subsidio conservanda, pro quo fuerunt à conferentibus deputata, habere pacificè valeant & percipere fructus & redditus eorumdem, & propter hoc Divinæ majestatis, cujus agitur in hac parte negotium, non incurras offensam, & in examine districti judicis non cogaris debitam reddere rationem. Alioquin scire te volumus, quod quantumcunque personam tuam diligamus ex corde, & quantumcumque tuum, & Regni tui statum prosperum, sicut proprium, cupiamus, & quælibet tua, & Regni prædicti adversa, quæ personam nostram reputamus contingere, displiceant votis nostris & ipsis libenter paternis affectibus obviemus, detentionem Prælatorum, & devastationem bonorum ipsorum dissimulare salva conscientia non possemus, quin circa præmissa adhiberemus remedium opportunum. Cæterum quia, in adventu Capellani prædicti ad nostri Apostolatus præsentiam, Venerabilis Frater noster Arnaldus Pictavensis Episcopus, quem ad Regnum tuum pro tua, & Baronum prædictorum pace transmisimus, jam recedens de Curia versus partes ipsas arripuerat iter suum, hujusmodi litteras sibi transmisimus, per eum tuæ Celsitudini præsentandas, sibique mandavimus quod apud te super præmissis efficaciter interponeret partes suas.

Datum apud Silvam majorem Burdegalensis Dioces. 4. Nonas Octobris Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1309.

XIV.

Ex. Arch. Angl. Rimer Tom. III. pag. 187.

Ad Episcopum Wigornienſem, quod Regem moneat à gravaminibus Ecclesiæ abstinere, quodque Ministros ab injuriis Personis Ecclesiasticis inferendis, coerceat, nec non quod censum Ecclesiæ Romanæ debitum integraliter persolvat: anno 1309.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Vigornienſi, salutem & Apostolicam Benedictionem.

SUpra montem excelsum Apostolicæ Sedis, quamvis insufficientibus meritis disponente Domino, constituti; cum de ipsius vertice montis ad infima nostræ considerationis reflectentes intuitum importabilium onerum nostræ debilitatis incumbentium humeris intuemur diligentiùs gravitatem multifariè multisque modis anxiamur ab intimis, qualiter illa possimus salubriter ad laudem Divini nominis supportare. Sed dum à sponso cœlesti qui Christus est, curam universalis Ecclesiæ, peramabilis & inclitæ sponsæ suæ, quam sibi amoris ineffabilis dulcedine copulavit, insufficientiæ nostræ commissam advertimus in mente non levi stupore deprimimur, & graviter in animo deterremur. Verum supereſt nobis spes in solo auxilio divino reposita, ad quod humiliter recurrentes, devotius imploramus ut ipse, qui Ecclesiæ præfatæ custodiam insufficientiæ nostræ commisit, suæ libertatis beneficium gloriosum cœlesti sibi dono concessum nobis custodire salubriter largiatur. Ad hoc enim vocati sumus à Domino: ad hoc jugum subivimus Apostolicæ servitutis: ad hoc nostros continuè diffundimus cogitatus, ad hoc labores subimus diurnos assidue, & ad hoc insomnes deducimus horas noctis, ut sui decoris gloriam & honorem, suæque pulchritudinis dotes amplissimas, immaculatas illi, qui speciosus est præ filiis hominum, conservemus. Sanè jam dudum ad nostri Apostolatus auditum, non sine grandi admiratione relatio fide digna perduxit, quod nonnulli Officiales & Ministri carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris eorum finibus non contenti, nec attendentes quod venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quos cœlestis altitudo consilii in Apostolicæ sollicitudinis partem assumpsit, velut capitis ejusdem Ecclesiæ membris nobilibus, & qui nostri lateris individua pars existunt, à cunctis Ecclesiæ filiis debetur reverentiæ plenitudo, sed extendentes potius ad illicita in eorum injuriam manus suas dilectis filiis nostris Neapoleoni Sancti Adriani, & Francisco Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diaconis Cardinalibus, & non nullis, ex dictis aliis Cardinalibus, quorum aliqui, nec non & Progenitores ipsorum de terra dicti Regis originem traxisse noscuntur: Et Procuratoribus eorumdem, quibus pro dictæ sedis & nostra reverentia, deberent in agendis, ratione beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, in Regno prædicto incumbentibus, ferventer assistere, graves injurias & duras molestias irrogare præsumunt, quamvis Cardinales ipsi ad promotionem eorum, quæ dicti Regis statum magnificarent honoris, ac impediendum contrarium, si, quod absit evenire posse prospicerent, promptis animis sint parati. Præterea sensibus nostris alia profundæ turbationis causa consurgit, quod cùm

ANNO 1309.

interdum de Dignitatibus & Beneficiis Ecclesiasticis Regnorum & Terrarum prædictorum, per nos sufficientibus personis & dignis, sicut divino & humano jure licite possumus, in hoc Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, qui in Regnis & Terris eisdem, sicut & in aliis partibus orbis, de Beneficiis Ecclesiasticis providerunt, laudabilia vestigia imitantes provideri contingit certis eis super hoc, juxta morem quem Apostolica sedes servare in talibus consuevit, Executoribus deputatis, nonnulli ex dictis Officialibus & Ministris, qui gloriantur in malitia, in iniquitate potentes, licentiæ laxatis habenis, quamvis nulla in talibus à Deo vel ab homine, cui hoc justè competat attributa potestas vel jurisdictio sit, eisdem Executoribus ipsis temerariè inhibere præsumunt, ne commissæ ipsis hujusmodi Ministerium executionis exerceant, aut processus aliquos faciant super illis, seu factos publicent, vel faciant publicari in excommunicationum sententias, quas ut plurimum, executores hujusmodi gratiarum in quoslibet impeditores, quo minus præfatæ gratiæ debitum sortiantur effectum proferunt damnabiliter incidendo. Et nihilominus coacervare pejora prioribus non verentes citationes, cum super aliquibus negotiis sive causis ad Ecclesiasticum forum spectantibus, in eisdem Regnis & Terris auctoritate dictæ sedis, etiamsi contra Ecclesiasticas Personas emanant, Commissariis & Executoribus concessis super illis, & subdelegatis ab eis, ne ad citationes procedant easdem, aut illas fieri quoquomodo permittant, aut aliquem extra dictum Regnum earundem litterarum auctoritate conveniant. Tabellionibus quoque, ne super ipsis publica conficiant instrumenta. Citatis etiam, ne ratione citationum hujusmodi, ad sedem accedant præfatam, vel citationibus eisdem pareant, & intendant, sub personarum, & bonorum pœnis gravissimis, contra Canonem, eo ipso excommunicationis sententiam suis contemptoribus inferentem, inhibere præsumptione damnabili non formidant. Nec ex eo sufficimus admirari, dirasque sentimus in animo punctiones, quod, cum Nuncii dictæ sedis ad dictum Regnum Angliæ ex causis aliquibus destinantur, potestatem sibi super eisdem negotiis ab eadem sede concessam, donec illa eidem Regi sit denunciata per eos, ausi non sunt quomodolibet publicare; quod, si contrarium fieri contigerit per eosdem, post minas & errores ipsis illatos, non absque gravis ruboris confusione, de Regno ipso fugantur, & per Officiales & Ministros prædictos, ut Patriæ verbis utamur, attachiantur interdum, & quandoque capiuntur: Et, sicut viles & reprobæ conditionis homines, non attendunt cujus calicis potus, ex hoc, nostris visceribus ministretur, & quantum honori & reverentiæ dictæ sedis propter hoc detrahatur, in dictæ sedis opprobrium & contemptum, prout de dilecto filio, Magistro Guillielmo de Prato, ejusdem sedis Nuncio, Ministrorum, & Officialium prædictorum detestanda temeritas, ac ipsorum recens offensa, per evidentiam facti, nos compellit, non absque cordis amaritudine, reminisci. Ipse verò, quia à collectione fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, per nos, pro nostris & Ecclesiæ Romanæ necessitatibus, in Regno reservatorum, prædicto commissa, juxta prohibitionem, per prædicti Regis Officiales minùs rationabiliter sibi factam, noluit, prout nec debebat etiam, resilire, in nostram, & dictæ sedis contumeliam, per Vicecomitem Eboracensem; non attento quod supereminens Apostolicæ sedis auctoritas honoratur & spernitur in Ministris, carcerali fuit custodiæ mancipatus; nec à dicto carcere, quod non absque sedis prædictæ rubore referimus, nisi prius se pro decem libris redimeret Sterlingorum, liberationem potuit obtinere. Excommunicatos quoque sedis auctoritate prædictæ ad requisitionem Nunciorum prædictorum seu Judicum, à sede concessorum eadem, dicti Officiales & Ministri Regis præfati capi facere denegant; quamvis ipsi, ad instantiam Ordinariorum Regni prædicti eorum auctoritate excommunicationis sententia innodatos, dummodo sententiam hujusmodi per quadraginta dies substinuisse constiterit personaliter, pia ac laudabili, & religiosa consuetudine, capi faciant, & sub carcerali custodia detineri. Et nihilominus, nè Delegati sedis prædictæ, aut Ordinarii memorati, seu quicumque Ecclesiastici viri de causis, ad Ecclesiasticum forum merè spectantibus, prout pertinet ad eosdem, cognoscere possint, dicti Officiales & Ministri impediunt, & minùs juste eis, ne de cognitione hujusmodi se aliquatenus intromittant, districtius interdicunt; quod, si contra interdictum hujusmodi, cui minimè parere tenentur, eos venire contingat, bona eorum indebitè iidem Officiales & Ministri capi faciunt; impediendo per hoc jurisdictionem Ecclesiasticam manifestè quam deberent, pro reverentia divina & eorum salutis augmento, intentis studiis defensare: Ordinarii etiam supra dicti aliquam personam Ecclesiasticam quantumcumque grave delictum commiserit, non audent, ut de ipsa per ipsos fiat justitiæ debitum, dictorum Ministrorum minis perterriti capere vel tenere. Et insuper, dicti Officiales & Ministri, non attendentes quod Laicis in Clericos nulla prorsus est attributa potestas. Et aliæ Gentes ipsius Regis, ac seculares potestates per suam celsitudinem deputatæ, Clericos, etiam in Sacerdotii ordine constitutos, & alias personas Ecclesiasticas, tam Religiosas, quàm Seculares, etiamsi pontificiali præfulgeant dignitate, absque nostra, vel superiorum suorum licentia, in dicti Regis derogationem honoris, armersiant, ut juxta Patriæ vulgare loquamur, in pœna pecuniaria. Et alias condemnant injustè, pro eorum libito voluntatis; ipsasque per captionem personarum & bonorum suorum, ex eorum officio; & alias, ad instantiam quorumcumque, tam super criminalibus, quàm personalibus, & aliis actionibus quibuscumque, renitentes, & invitas, & etiam eorum forum declinantes, & clericale privilegium allegantes coram se respondere compellunt. Et, cum per Officiales & Ministros prædictos, aliquos Clericos, etiam in dicto Sacerdotis ordine existentes, accusatos pro quovis delicto, quamvis indebitè, capi contingit, ipsos coram se, nudis pedibus, capite discoperto, in sola tunica vel camisia, sicut homicidas vel latrones Laicos, damnandos ad mortem, in supremi Regis offensam, qui Christos suos per quemcumque secularem Potentatum tangi prohibuit in ipsius Matris Ecclesiæ & totius Ordinis Clericalis opprobrium quantumcumque se Clericos asserant, & tonsuram & habitum deferant Clericales, certumque aliàs sit eisdem quod Clerici sint, omnino coram se faciunt præsentari, ipsosque turpissima morte damnantes, eos, nisi per ipsorum Ordinarios requirantur, mandant suspendi patibulis, vel capitibus detruncari

licet

ANNO 1309.

licet, cum per eosdem Ordinarios, ut prædicitur, requiruntur, restituantur eisdem Ordinariis condemnati. Si verò in casu absolutionis existant, per Officiales ipsius Regis absolvuntur, & ex tunc non permittunt quod ipsi Ordinarii se de ipsis Clericis intromittant. In casu autem hujusmodi contra dictos Clericos duodecim Laici admittuntur in testes, qui, si dicant se credere illos, super quo accusantur, commisisse delictum, testibus creditur indubitanter eisdem, & ex hoc ad mortem ut præmittitur condemnantur; propter quæ non est dubium eos excommunicationis sententiam incurrere ipso facto. Bona etiam Prælatorum & Clericorum Regni prædicti, eorumque fructus, redditus, & proventus, Officiales, Ministri, & Gentes prædicti, eis invitis, recipiunt, pro eorum libito voluntatis, illis satisfactione de ipsis aliqua non impensa. Et nihilominus tam iidem Officiales & Ministri, quàm Nobiles Regni præfati, prætendentes quod Ecclesiæ & Monasteria omnia fundata fuerunt ab ipsis, domos Religiosorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum ejusdem Regni, eundo sæpius, & etiam redeundo, adeò gravant & opprimunt sicque duras exactiones recipiunt ab eisdem, quod vix possunt sufficere sibi ipsis, ab eis quandoque mediam & interdum quartam, vel aliam certam partem bonorum ipsorum, vel violentiam extorquendo, quod si forte ipsorum aliquis in hoc eis contradicere quoquo modo præsumat, à protectione ejusdem Regis defensionis excluditur; & bona ipsius occupantibus conceduntur. Si autem custodia Episcopatuum, Monasteriorum, Prioratuum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, ratione vacationis, vel aliàs pertineat ad eosdem, domos, nemora, vivaria, stagna, parcos, & feras ipsorum, molendina quoque, & alia bona, ad ipsos spectantia, adeò destruunt & consumunt, quod non possunt per longi temporis spatium reparari; propter quæ tam dicti Officiales & Ministri, quàm ipsi Nobiles, ac alii præstantes circa præmissa consilium, auxilium vel favorem, divinam offensam & alias gravissimas pœnas incurrunt. Profectò, licet præmissa, per quæ benignitas salvatoris offenditur derogatur multipliciter Ecclesiasticæ libertati, immo ipsa, quod dolenter reminiscimur, conculcatur, dicti Regis salutis obviatur commodis, & honoribus Regiis dispendiose detrahitur, cessare propter Regis æterni reverentiam debuissent: Ac Officiales & Ministri prædicti à præfatis injuriis & offensis eodem Rege jubente, eo deberent attentius continere; eoque accuratiùs ab illis retrahere manus suas, quo erga eum, & inclitam domum suam uberiùs, quàm alicujus prædecessorum nostrorum, quorum habeatur in præsenti memoria, ardor Apostolicæ caritatis exæstuat, sinceriùs fervor dilectionis exuberat, nosque affectuosiùs, atque solertius Prædecessoribus ipsis, studia nostra convertimus, ut ipsius Regis culmina principatus latius diffundantur. Propter quæ, sicut à memoria dicti Regis excidisse non credimus, celsitudinem suam diversarum litterarum nostrarum oraculis, sibi per venerabilem fratrem nostrum Episcopum & dilectos Filios, Magistros Johannem de Ferreriis Archidiaconum Pictavensem, & Sycardum de Vauro Archidiaconum Corbariæ in Ecclesiæ Narbonensi, Capellanos & Nuncios nostros, quos propter hoc ad ipsius Regis præsentiam destinavimus, diversis vicibus transmissarum, rogandam duximus attentius & hortandam, ut à gravaminibus ipsis Officiales ac Ministros eosdem cogeret restitui, quamvis hujusmodi precibus & hortationibus nostris nullus extiterit subsecutus effectus, nec preces & exhortationes ipsæ apud magnitudinem suam efficaciam invenerint postulatam. Et, licet postmodum idem Rex, per suas nobis litteras rescripsisset, quod ad præmissa nobis erat per speciales nuncios responsurus, nullum tamen dictus Rex, si bene recolat, de responsione hujusmodi ad nostram præsentiam nuncium destinavit, vel misit litteras per quas super prædictis nostro Apostolatui responderet; quamvis nuper tibi, Venerabili Fratri nostro Norvicensi Episcopo, & dilectis Filiis, Nobilibus viris, Johanni de Britannia Richemundiæ, & Adomaro de Valentia, Pembrochiæ Comitibus, quos dictus Rex ad nostram destinavit præsentiam, duximus injungendum, ut super præmissis, velut plurimum insidentibus cordi nostro, sibi prædictum nostræ mentis desiderium explicarent. Propter quæ preces easdem timor domini nos iterare, & ejusdem matris Ecclesiæ, inclitæ sponsæ suæ quam nobis, licet insufficientibus meritis, custodiendam commisit, affectio, ne libertatis suæ gloria sibi cœlestis muneris dono concessa in eisdem Regnis & Terris, ipso dissimulante, in ipsius salutis & honoris dispendium, maculetur, exhortationes easdem paternis affectibus renovare nostros compellunt & excitant cogitatus. Præterque ipsius Regis magnificentiam rogamus, monemus & hortamur in illo, qui Regibus dat salutem quatinus à nobis, & Apostolica sede, cui disponente Domino, præsidemus, & qui eundem Regem paterna & sincera dilectione prosequimur super his sumat consilium: sumptum exequatur, ac devotus illud adimplens, non patiatur gravamina, injurias, & molestias hujusmodi per Officiales & Ministros eosdem præfatis Ecclesiis & personis aliquatinus irrogari; quinimo Ecclesias & personas ipsas, pro divina dictæ sedis & nostra reverentia opportuni favoris ope confoveat, & Regiæ protectionis munimine tueatur. Præterea, ut nihil de his quæ ad præsens nobis occurrunt, securitati & præservationi dicti Regis, Honoris, & status, & per quæ adversus eandem Ecclesiam, alicujus irreverentiæ, vel ingratitudinis notam, aut offensæ materiam magnificentia Regalis posset incurrere, omittamus intactum, suam notitiam volumus non latere, quod cum, claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ, Genitor suus, tum Lugduni moram, pro recipiendis nostræ coronationis solemniis, traheremus, prædictum Norvicensem, ac Venerabiles Fratres nostros Conventrensem & Cicestrensem, Episcopos, & dilectos filios nobiles viros Comitem Lincolniæ, Hugonem le Despenser, & Oddonem de Grandison, & quosdam alios, nuncios suos ad nostram præsentiam destinasset; nos de securitate status Regis ejusdem ac salute solliciti, ejusdem nunciis, inter cætera, duximus injungendum, quod, cum idem Genitor à solutione mille marcarum argenti, in quibus, annui census nomine memoratæ Ecclesiæ tenebatur, per quindecim annos, tunc proxime transactos, vel circa cessasset, ipsaque cessatio sibi posset non modicum afferre periculum, præfatum Genitorem cautum redderent & attentum, quod sibi super hoc curaret, per promptæ satisfactionis exhibitionem congruam providere. Et, licet præfati Nuncij coram nobis assererent quod idem Rex, qui dicta pericula cogitabat, firmum haberet propositum de censu prædicto Ecclesiæ præfatæ satisfactionem plenariam exhibere. Et saltem majorem

ANNO 1309.

ANNO 1308.

partem prædictorum arreragiorum, si totam summam non posset, infra Festum Beati Michaelis, tunc proxime secuturum, persolvere; nullum tamen nobis, vel eidem Ecclesiæ fuit super hoc satisfactio subsecuta. Cumque postmodum per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Sabinensem, & dilectum filium, nobilem virum Amanenum Dominum de Lebreto, qui, de mandato nostro, pro quibusdam arduis negotiis Regis & Regni prædictorum, ad partes illas accesserant, idem Genitor super hoc sollicitatus ex parte nostra fuisset, ipse, sicut postmodum auditui nostri apostolatus innotuit, pericula gravia & jacturas, quæ per cessationem solutionis census ejusdem poterat formidare, diligenter & attentè considerans dictisque periculis & jacturis volens obviare prudenter dicto Conventrensi Episcopo, tunc Thesaurario suo, expresse mandavit quod eidem Ecclesiæ Romanæ pro satisfactione census ejusdem arreragia solveret supra dicta. Et quamvis idem Episcopus pecuniam hujusmodi, transmittendam ad sedem Apostolicam, pro dicti solutione census, specialiter consignasset, quia tamen medio tempore, eodem Genitore, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, dictus Rex, seu Ministri sui eandem pecuniam ut asserit, receperunt, dictaque pecunia pro ipsius satisfactione census soluta non extitit, nec idem Rex, postquam dicti Regni, Deo volente gubernacula suscepit, de prædicta pecunia, nec pro tempore sui regiminis satisfacere procuravit, ignorans forte, sicut nostra tenet opinio, Litteras, & alia munimenta, super hujusmodi census solutione confecta, obligationes & pacta ac pœnas etiam continentes, quibus Reges Angliæ, qui sunt pro tempore existunt ad dicti census solutionem astricti: Nec advertens discrimina dispendiosa, quæ suo statui & honori producere posset solutionis census cessatio supra dicti. Quia vero planæ sinceritatis affectus quo personam regiam gerimus in præcordiis Apostolicis prædilectam, pro ipsius Regis status prosperitate continuo pulsat ostium cordis nostri, & instanter nostros sollicitat cogitatus, ut cunctis periculis omnibusque suis sinistris eventibus obviemus. Considerantes attentius quod, nobis de præsenti valle miseriæ per illum, qui auferet spiritum Principum, cum ei placuerit ad cœlestem patriam revocatis nobis successor poterit subrogari, qui, suis indemnitatibus non tantum intentus sicut nos, ad incrementum suæ celsitudinis non fervebit excellentiam Regiam, per alias Litteras nostras, paterno rogamus & hortamur affectu, ut pro sui conservatione nominis & honoris litteras & Registra Cameræ suæ per quæ super his poterit plenius edoceri & vitare dispendia supra dicta exquiri faciat diligenter. Quia verò, sine dubitatione tenemus nobisque firma spes suggerit, & indubitata fiducia repromittit quod vigorem libertatis ipsius, prout tua interesse dignoscitur, desideranter affectus, dictorumque Regis & Regni votiva prosperitas delectat multipliciter intima cordis tui quodque, ut ipsi in ejusdem Ecclesiæ stabili devotione persistant, accedit gratissimum votis tuis. Fraternitatem tuam monemus & hortamur attentius, tibique nihilominus per Apostolica scripta mandamus quatenus præmissa pericula, & alia plurima, quæ Regi & Regno præfatis possent ex præmissis provenire, dispendia eidem Regi diligenter exponens eum quod à gravaminibus supra dictis abstineat, ac officiales & Ministros eosdem resilire compellat, & alias præfatas Ecclesias & personas suæ protectionis munimine tueatur, & censum prædictum integraliter persolverit, pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia, sic efficaciter exhorteris, quod super prædictis quæ specialiter insident cordi nostro, cui salubris Ministerii operante virtute, desiderii nostri celerem & expectatum consequamur effectum; nosque tuæ fraternitatis sollicitudinem vigilem, quam in hac parte duxeris adhibendam commendare dignis in Domino laudibus valeamus. Quicquid autem factum fuerit, & tu etiam egeris in præmissis, nobis per tuas litteras, eidem Episcopo Pictavensi, Latori præsentium, tradendas, & per eum nobis differendas, fideliter intimare procures.

Datum in Prioratu de Grunsello prope Malausanam Vasionen. Dioc. 5. Calendas Novembris Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1309.

XV. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 3. p. 139.

Privilegium Regi Angliæ, ne à sedis Apostolicæ delegatis possit excommunicari: an. 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

TUæ devotionis &c. Ut igitur ex devotione hujusmodi benevolentiam Apostolicæ sedis & nostram tibi sentias accrevisse, tibi, auctoritate præsentium indulgemus, ut nullus Delegatus Apostolicæ sedis, vel subdelegatus ab eo, auctoritate sedis ejusdem, possit in personam aut Cappellas tuas excommunicationis vel suspensionis, sive interdicti sententias promulgare, absque speciali mandato sedis ejusdem, faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim omnes excommunicationis suspensionis, & interdicti sententias, quas in te & cappellas easdem contra indulti prædicti tenorem, forsan promulgari contigerit, ex nunc irritas decernimus & inanes. Nulli ergo &c.

Datum Avinion. 12. Calendas Junii Pontificatus nostri anno quarto.

XVI. Ex Memoires du Clergé de France Tom. 3. pag. 127.

Confirmantur jura prætensa à Clero Provinciæ Britanniæ contra Ducem, Nobiles, aliosque ejusdem Provinciæ: anno 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

MUlto sicut ad multorum pervenit notitiam, est labore sudatum vel inter venerabiles Fratres nostros Episcopos, & dilectos filios, alios Prælatos, & Rectores Ecclesiarum, & Clerum Ducatus Britanniæ, ex parte una: Et dilectos filios nobiles viros, Ducem, Barones & Nobiles: ac populum dicti Ducatus ex altera; ut subductis seminatæ antiquæ discordiæ incommodis vigeret pacis ac dilectionis unitas, consolidaretur inter eos unio & vinculum caritatis. Sed impediente illo, ut credimus, qui est pater zizaniæ, discordiarum nutritor, qui schisma suscitavit in cœlo, nondum hucusque est votis laborantium laudabiliter satisfactum. Nos autem Dei illius omnipotentis spe concepta, qui concordiam in sublimibus operatur à labore tam utili, non putavimus desistendum: sed insisten-

dum

ANNO 1309.

dum potius tantò propensius, quanto fructus ex eo, Deo inspiciente, proventurus divinæ Majestati acceptior, Ecclesiæ Britanniæ utilior, & saluti convenientior animarum speratur. Convenientibus itaque dictus proximis coram vobis venerabili Fratre nostro Daniele Nannetensi Episcopo, & dilecto Filio Nicolao de Guymenego, Rectore Ecclesiæ sancti Medardi Nannetensis Diœcesis, Procuratoribus venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum & dilectorum filiorum, aliorum Prælatorum ac Rectorum Ecclesiarum totius Britanniæ, primogenito dilecti filii nobilis viri Arcturi Ducis Britanniæ, & Petro de Ballio Clerico, & Guillielmo de Badam Laico Procuratoribus prædicti Ducis Britanniæ, Baronum, Nobilium ac populi dicti Ducatus, ex altera: nec non & quibusdam consiliariis Ducis ipsius videlicet Guillielmo de Rais, S. le Boigne Baronibus, Guidone de Castrobriensi, Gaufrido Davosco, Reginaldo Demonstrelaix militibus ipsius Ducatus. Post disceptationes varias allegationes, diversas propositiones multiplices inter prædictas partes; primum coram venerabili Fratre Petro Pestrino Episcopo, & dilecto Fratre nostro Raymundo, Sanctæ Mariæ Novæ Diacono Cardinale. Quibus tanquam zelatoribus pacis, & concordiæ & si inter omnes, potissimè inter supra dictos, ad quos peculiaris dilectionis affectione trahimur, id duximus committendum; & prostremo in nostra præsentia factas, & habitas super mortuagiis seu præstationibus Ecclesiis Parochialibus Ducatus Britanniæ, Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum ipsarum, videlicet in tertia parte bonorum mobilium, quæ tertiagium dicitur, de consuetudine laudabili, pia devotione fidelium introducta debitis: ut dicti Episcopi & Clerus dicebant, in bonis seu ex bonis defunctorum seu decedentium Parrochianorum suorum. Nec non & super pastu nuptis Parrochianis ipsis nubentibus seu nuptiali debito ex consuetudine simili, ut dicebant super nonnullis etiam articulis aliis, & contingentibas ipsos de quibus & super quibus orta fuerat & vere batur inter ipsos materia quæstionis. Affutit clementer eorum animis misericordiarum Dominus, qui post tempestatem tranquillum facit mundum perpetua ratione gubernans, & utriusque partis animos post diversas nostras, & fratrum nostrorum prædictorum exhortationes & monita ad pacem & concordiam revocavit: quæ dum ore Angelico bonæ voluntatis hominibus in terra promittitur, indicitur ipsis, malevolis denegatur, nulla est enim pax impiis, nulla contendentibus: sed multa diligentibus nomen Dei. Impii siquidem ut mare fervens quiescere nequeunt; pacis commoda nesciunt: sed differpentibus viis in septis dissident, & dum avertuntur ab eo qui est pax vera, quæ exuberat omnem sensum, à pace redduntur per consequens alieni non immerito ob sua demerita peccatorum, & temporis secundum utrumque ordinem pace frustrati. De prædictarum itaque partium voluntate & unanimi consensu, pro ipsarum tranquillitate statuimus & ordinamus atque decernimus, de Apostolicæ plenitudine potestatis hanc provisionem & ordinationem nostram præsentemve tractatum & compositionem inter eos habitos in prædictis robur habere volumus perpetuæ firmitatis, quod modus in præstatione illius quotæ qui sequitur sine exactione observetur. Videlicet quod mortuo Parrochiano cujuslibet sexus, præpositus, allocatus vel serviens, vel locum tenens Ducis, seu alterius Domini temporalis dicti defuncti, quæ ad requisitionem Rectoris Parrochialis prædicti, si hoc fieri voluerit, tenebuntur facere inventarium de bonis mobilibus defuncti, quæ hoc casu ubi de mortuagiis agitur dumtaxat intelligi volumus deducto ære alieno bona fide & sine fraude, infra quindecim dies à tempore mortis in præsentia ipsius Parrochialis Rectoris qui petit, & alterius vicini Rectoris qui veniet ad requisitionem ipsius Rectoris petentis, nec non & in præsentia hæredum seu executorum & superstitis conjugis si fuerit. Et tenebuntur jurare hæredes, & executores conjuges superstites prædicti, quod omnia bona mobilia dicti defuncti, quæ habebant tempore mortis suæ, prout melius scient & poterunt, sine fraude & dolo cum omni veritate, & sine diminutione aliqua revelabunt. Et prædicti confectores inventarii designabunt, & alii etiam quicunque sint quos Rector sperabit & verisimiliter suspicabitur habere aliquid de bonis mobilibus ipsorum defunctorum, tenebuntur præstare simile juramentum. Et nisi hæredes executores testamenti defunctorum hujusmodi seu bonorum detentores satisfecerint ipsis Rectoribus de quota ipsa secundum summam ipso Inventario comprehensam, poterunt dicti Rectores ipsos super hoc coram Ecclesiasticis Judicibus convenire & petere justitiæ complementum. Poterunt etiam dicti Rectores personas prædictas super aliis bonis defunctorum ipsorum, quæ non invenientur contenta in Inventario coram dictis Judicibus Ecclesiasticis cum voluerint convenire, & jus suum prosequi. Dum tamen ante omnia jurent, quod credunt se in hoc justam causam habere. Et secundum quod ad omissa bona & de novo emergentia sive apparentia eidem Rectori datur ingressus, sic eidem Rector tenebitur restituere, si debita de novo emergunt pro quota sibi solum præstito juramento simili appetente. Pro dicta autem parte tertia bonorum mobilium prædictorum quæ tertiagium, ut dictum est de consuetudine vocabatur, nonam partem bonorum mobilium prædictorum in bonis, seu ex bonis defunctorum, seu decedentium Parochianorum suorum exigi & solvi volumus & mandamus de unanimi consensu, & voluntate partium prædictarum. Nobiles tamen si qui sunt & fuerunt, qui nihil de tertiagio pro consuetudine tertiagii solvere tenebantur, aut præstare, successoresque eorum per hanc nostram ordinationem, aut compositionem nolumus, nec intendimus obligari: sed sicut in ea immunitate pro nona in qua consueverunt esse pro tertia, ita tamen quod in locis illis, & Parochiis in quibus aliqua compositio communis, & certa hujusmodi mortuagiis de qua constet per publica instrumenta, & alia legitima publica documenta, nihil decrescat occasione compositionis hujusmodi vel accrescat. A præstatione autem dictæ nonæ partis mortuagiorum excipi volumus, & ordinamus defunctum, qui in bonis mobilibus quibuscunque seu in bonis quibuscunque consistant, etiam si sint communia sibi, & alteri conjugi & liberis, si quos habet tempore quo decedit, quadraginta solidos in valore non invenitur habere. Ita videlicet quod habentes quadraginta solidos & supra persolvant, habentes infra quadraginta solidos, nihil solvere teneantur. Sed à solutione prædicti nonæ partis, sint liberi & immunes. De partium etiam prædictarum unanimi consensu, & voluntate concordi ordinamus & decernimus, quod per universam Brittanniam decimam quorumlibet fructuum statim collectis fructibus ipsis, ubi creverint in campis, & prædiis à personis Ecclesiasticis percipiantur, & exigantur, ac solutio eis fieri debeat secundum portiones, & quotas ipsorum

ANNO 1309.

fructuum,

ANNO 1309.

fructuum, quas consueverunt solvere temporibus retroactis, de fructibus illis videlicet qui per Rectores decimari solebant antea, & à quibus personis, & de quibus fructibus ipsorum exactio & solutio fieri consuevit. Non intendentes per hoc concedere titulum Laicis, qui usque nunc minus legitimè decimarunt, vel quos decimare contigerit in futurum, vel eis auferre hujusmodi titulum in decimis, si quem habent, aut super hoc ipsis Ecclesiis aliquod præjudicium generari.

De pastu verò nuptiali prædicto, ordinamus, atque decernimus de consensu partium prædictarum, quod pro ipso pastu à personis notoriè pauperibus non habentibus triginta solidos in valore, in bonis mobilibus quibuscunque, nuptis seu nubendis in posterum nihil penitus exigatur. Ab aliis verò qui valorem quinquaginta solidorum, aliàs librarum, & supra in bonis mobilibus quibuscumque secundum famam dicentur habere tres solidos: ab aliis verò qui minus quinquaginta librarum, dum tamen valorem tringinta solidorum habeant, aut supra duos solidos. Post benedictionem tamen nubentibus liberè, & gratis impensam pro ipsarum partium majori commoditate persolvantur: præter oblationes, in quibus & de quibus observetur, & fiat sicut hactenus laudabiliter extitit consuetum.

Statuimus etiam & ordinamus de partium prædictarum voluntate, concordia & consensu, quo ratione laudabilis consuetudinis supra dictæ, quod ibidem consuevit in talibus hujusmodi observari casibus, post Sacramentum extremæ Unctionis gratis & liberè præstitum, præstentur de cætero tantum octo denarii.

Excusentur tamen illi quos notoriè paupertas excusat à præstatione prædicta. Videlicet qui non habent triginta solidos in bonis mobilibus in valore, ut superius est præmissum. Mandamus etiam & ordinamus de partium prædictarum consensu, de arreragiis præteriti temporis in articulis supra dictis nihil debere exigi atque solvi.

Decernimus etiam atque mandamus per præsentes compositionem pronunciationem atque decretum in ipsis parvulis non includi: sed sicut in eorum sepultura impræsentiarum servatur, observetur propensius in futurum. Decernimus quoque atque statuimus præsentem ordinationem, & pronunciationem nostras atque decretum quæ de partium prædictarum voluntate unanimi & concordia processerunt in perpetuum inviolabiliter & irrefragabiliter observari, & auctoritate Apostolica de plenitudine potestatis tollimus, evacuamus, irritamus, & revocamus privilegium recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ prædecessoris nostri, & cujuscumque alterius quodcumque aliud privilegium vel scriptum nec non & consuetudinem vel usum quoad omnem omnino effectum ipsorum in quantum præsentibus ordinationi vel decreto nostris in totum vel in partem contradicerent, vel in aliquo contrairent: & quidquid ex eis vel ab ipsa est quomodolibet subsequutum, quoad omnem omnino efficaciam & effectum ipsorum. Retinemus autem nobis & successoribus nostris etiam de voluntate ac consensu partium prædictarum declarationem omnium & singulorum prædictorum & contingentium, ipsa & quæ contingere potuerunt quomodolibet in futurum. Et si qua dubietas seu ambiguitas juris vel facti nunc vel aliàs in posterum contingeret, vel oriretur quomodolibet in ipsis, & de ipsis, dubium, dubietatem & ambiguitatem, nos & successores nostri de jure, & de facto, prout, & quotiens expedire viderimus tollere, declarare & ordinare possimus. Et nostris declarationi, & voluntati, & successorum nostrorum in omnibus, & per omnia partes prædictæ stare habeant, & in omnibus obedire. Mandamus etiam, ordinamus atque decernimus de consensu, ut dictum est, partium prædictarum, ut ea, quæ per supra dictos procuratores Prælatorum & Cleri, Ducis, & populi coram nobis acta sunt solemniter, & firmiter, de quorum procuratoriis constat per publica documenta de nostro mandato visa, examinata, & lecta, & ex certa scientia approbata; Prælati, Rectores, & Clerus ac supra dicti Britanniæ Dux ejusque subditi vel saltem majores ipsorum vice, & nomine totius populi in se suscipientes, & ipsius ratificare solemniter teneantur, & servare posse in omnibus, & singulis articulis supra dictis, & quolibet prædictorum. Volumus autem quod dicta procuratoria nunquam de cætero necesse sit ostendi propter præmissa vel aliquatenus exhiberi. Sed præsenti nostræ ordinationi absque ipsis in omnibus plenè stetur. Nos enim defectum si quis in eisdem procuratoriis quomodolibet extitisset, supplemus de ejusdem plenitudine potestatis.

Nulli ergo omnino hominiliceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationis, constitutionis, voluntatis, evocationis, revocationis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avenione quinto Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1309.

XVII. Ex Cod. Leibnitii Tom. 2. Mant. Pag. 244.

Ad Philippum Pulchrum Bulla, qua testatur quantam desideret ipsius concordiam perpetuam cum Henrico VII. Rege Romanorum, & quod ideò non sit assensurus, si hic Regna Arelatense, & Viennense in alium Principem sæcularem transferre vellet: anno 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei charissimo in Christo filio Philippo, Regi Francorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

REx pacificus, filius summi Regis, qui nos, licet indignos, vocari ad sui vicariatus officium sua inscrutabili dignatione concessit, nostris infudit affectibus, ut, ab hujusmodi vocationis exordio ponentes quasi viarum nostrarum principium, bonum pacis in sanctæ matris ecclesiæ filios & præsertim in Catholicos reges & Principes, qui majores aliis & in altioribus positi speculis dignitatum, virtutum inferioribus debent exempla porrigere; totis nisibus illius niteremur derivare fluenta, diffusaque continuis favoribus irrigando fovere. Et licet de singulis Christi fidelibus, & præcipuè Regibus Principibusque Catholicis nobis sit sollicitudo continua, ut virtutis fomitibus odiorum & discriminibus guerrarum exclusis, in pulchritudine pacis sedeant, in fiduciæ tabernaculis habitent, & in requie opulenta quiescant: ut tamen inter te & carissimum in Christo filium nostrum Henricum, Regem Romanorum illustrem unitatis, caritatis & pacis solidæ fœdera, perpetuis duratura temporibus, vigeant, tantò ferventiori desiderio ducimur, quanto ad te & Regem eundem præcipuos & peculiares Ecclesiæ filios, inter cæteros Reges & Principes orbis terræ, majori zelo dilectionis afficimur, ac utriusque Regis & regni statum felicem & prosperum ac honoris & exaltationis

augmentum

ANNO 1310.

augmentum, prædecessorum nostrorum exemplo laudabili, votis potioribus affectamus; quantoque tuam & ipsius Regis unionem ac conformem & unanimem voluntatem utilitatis totius Reipublicæ Christianæ, & præsertim negotii terræ sanctæ efficaciorem speramus & credimus, divina favente Clementia, promotricem. Hujus quippe nostri ferventis desiderii sic viget instantia, ut patenter ostendat in experientiæ libro, quod legimus, amor operatur, multa, si est; si autem operari renuit, amor non est: anxia enim mens, præsertim quam Zelus veræ caritatis accendit ad optatum, cogitationibus æstuat, curis effluit, meditationibus immoratur, quærit remedia, quæsitis adjicit quæsita & adjecta prosequitur, nec solers inquisitio vel adaucta prosecutio efficit, quo minus inquirendo & prosequendo crescat anxietas, donec, quod avidè quæritur, efficaciter exequatur. Attendentes itaque, quod ex donationis concessione vel translatione *Regnorum Arelatensis & Viennensis Romani Imperii membrorum*, vel alterius eorundem *in eas* per dictum Henricum Regem Romanorum in alium seu alios, quàm in Romanam vel aliam Ecclesiam fieri fortasse contingeret, inter te ac Regem præfatum & utriusque Regis & Regni vasallos fideles & subditos, suboriri possent in posterum simultates & odia, commotiones guerrarum & periculosæ dissensiones & scandala multipliciter pervenire; ac volentes tot & tantis periculis, malis & scandalis, paternæ sollicitudinis studio, congruis remediis obviare; tibi tenore præsentium intimamus, quod ipsi Regi super donatione, concessione seu translatione hujusmodi de Regnis prædictis vel eorum altero, per eundem Regem in alium seu alios, quàm in Romanam seu aliam Ecclesiam, ut præmittitur, faciendis, *non intendimus nostrum* impertiri attensum.

Datum Avenioni Cal. Maji, Pontificatus nostri Anno sexto, sub plumbo cum cordula canapis.

XVIII. Ex Codic. Dipl. Leib. Tom 2. Mant. pag. 328.

Bulla quæ narrat tum adversarios, tum Patronos causæ Bonifacianæ, desertis judiciariis formulis litis arbitrium permisisse eidem Clementi, qui laxatis censuris in Regem, & Regnum Galliæ latis, plurimisque in illius Genus laudem dictis, inter alia decernit, literas, & sententias Bonifacii Regi Franciæ injurias è regesto Pontificio eradendas Anno 1310.

CLEMENS PAPA V.

Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

EX parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris fuit expositum coram nobis, quod significantibus olim sibi frequenter & pluries nonnullis sublimibus & magnæ authoritatis personis, Bonifacium Papam octavum prædecessorem nostrum non per ostium, sed aliunde intrasse ovile dominicum, Ecclesiam videlicet sponsam Christi, ipsumque fore crimine pravitatis hæreticæ irretitum quibusdam ex personis ipsis ipsum super hoc impetere seu denuntiare volentibus, ac requirentibus Regem ipsum, tanquam fidei pugilem & Ecclesiæ defensorem, ut cum ex vitioso & illegitimo ingressu damnabili, perversis actibus, detestandis operibus & perniciosis exemplis dicti Bonifacii status fidei & Ecclesiæ miserabilibus dispendiis & ærumnis gravisque ruinæ periculis subjaceret; ac ubi de hæresi agitur, fidei & Ecclesiæ defensatrix semper extiterit inclyta domus sua per declarationem veritatis hujusmodi procuraret generale Concilium convocari; Rex ipse, quia pudenda patris proprio libenter pallio contexisset denuntiatorum & objectorum ipsorum frequentibus pulsatus instantiis & assiduis clamoribus excitatus, ejusque conscientia, tam per nonnullas sublimes, graves & dignas personas, videlicet dilectos filios, nobiles viros Ludovicum Ebroicensem & Guidonem Sancti Pauli, ac quondam Joannem Drocensem Comites asserentes, præstitis ad sancta Dei Evangelia ab eis tacta corporaliter juramentis se præmissa credere esse vera & ea legitime posse probari quàm per alias quamplures sublimes & fide dignas personas, status tam Ecclesiastici, quàm mundani, eundem Bonifacium diversis hæresium speciebus infectum, ac in profundo malorum positum, ac omnino incorrigibilem affirmantes super his, ut decuit, informata negotium convocationis hujusmodi Concilii generalis pro declaratione veritatis, ut videlicet dicti Bonifacii innocentia in hac parte clarescceret, sicut teste conscientia exoptabat, aut ipso Bonifacio, si denunciata & objecta contra eum forent veritati subnixa tanquam illegitimo prorsus amoto, & cunctis erroribus, iniquitatibus & spurcitiis à domo Domini procul pulsis, de vero legitimo pastore provideretur Ecclesiæ sanctæ Dei una cum præfatis Baronibus, collegiis, universitatibus, communitatibus & universitatibus Civitatum & aliarum villarum, diversorum Regnorum & climatum orbis terræ, aliisque sibi adhærentibus ex fervore fidei & Zelo justitiæ ac pro reformatione status Ecclesiæ ac generali bono totius Reipublicæ Christianæ, assumpsit deliberato consilio ad laudem divini nominis & exaltatione catholicæ fidei promovendum, ipsiusque promotionem convocationis Concilii generalis, ut ipsius provisione salubri memoratis objectoribus audientia præberetur, ac super objectis sciretur veritas, ac statueretur & fieret, quod justitia suaderet, apud eundem Bonifacium, dum viveret, per solemnes nuntios Regios, & post ejus obitum apud bonæ memoriæ Benedictum Papam XI. prædecessorem nostrum, & eo sublato de medio, apud nos ad Ecclesiæ præfatæ regimen licet insufficientibus meritis divina dispositione vocatos, dum paulo post nostræ promotionis auspicia Lugduni nobiscum, pro hujusmodi & terræ sanctæ & aliis negotiis arduis, personaliter convenisset, ac Pictavii postmodum iteratis instantiis, ut videlicet per eundem Bonifacium prædecessorem nostrum, dum in humanis agebat, & post ejus decessum per nos etiam de præfati deliberatione Concilii convocandi, si expediens videretur, super denuntiatis & objectis hujusmodi discuteretur veritas ac decerneretur & fieret, quod censent & stabiliunt Canonicæ sanctiones operosis studiis ac sollicitudinibus instituit indefessis.

Quare præfatus Rex nobis humiliter supplicavit, ut, cum sicut denuntiatorum & objectorum prædictorum habebat assertio ex certis causis exhibitionis justitiæ in hac parte morosa protractio negotio fidei ac eisdem denuntiatoribus & objectoribus dispendiosa foret, & periculosa quam plurimum; in negotio memorato procedere ac exhibere super eo justitiæ plenitudinem dignaremur. Proponebatur autem in contrarium ex parte quorundam se offerentium defensioni memoriæ & status Bonifacii memorati, dictum Regem ex malignitatis & odii fomite potius, quàm charitatis aut fidei vel justitiæ zelo procedere ad requisitiones hujusmodi faciendas, ipsumque denuntiationes, objectiones & assertiones prædictas calumniosè fieri procurasse, ac Regem eundem & quosdam

ANNO 1310.

ex denuntiatoribus & objectoribus supra dictis ausu sacrilego capi feciſſe Bonifacium memoratum, ac denuntiatores, & objectores & assertores eosdem, conspiratores fuisse, & esse dicti Bonifacii inimicos etiam capitales: quibus præmissis & aliis multis rationibus, dicebatur, dictum Regem super requisitione prædicta nullatenus audiendum, ac denuntiatores, & objectores prædictos ad denuntiationes hujusmodi non fore aliquatenus admittendos. Sed respondebatur è contra pro parte Regis, denuntiatorum & objectorum & assertorum ipsorum, quod ab ipso primordio promotionis dicti Bonifacii ad summi Pontificatus apicem, memorato Regi per nonnullas sublimes & præeminentis excellentiæ aliasque fide dignas personas Ecclesiasticas & mundanas insinuatum multotiens fuerat, & diversis successivè temporibus auribus regiis pluries inculcatum, quod Bonifacius per ostium non intrasset, quodque vitio labis hæreticæ & aliis nefandis criminibus irretitus, ac positus in profundo malorum omnino incorrigibilis existebat ipsumque Regem, ut tanquam fidei pugil Ecclesiæque defensor imminentibus malis & scandalis remediis occurreret opportunis, fuisse cum instantia requisitum. Sed Rex ipse, ut filius pudoratus, illius, quem loco patris habebat, pudenda cernere veritus, avertens à prædictis insinuationibus & denuntiationibus aures suas, ipsum diutius propter honorem Ecclesiæ toleravit & venerabatur ut patrem; donec personarum prædictarum frequentibus & continuatis instantiis & demum in publico Parlamento Parisiis præsentibus Prælatis Baronibus & Capitulis, Conventibus, Collegiis & Communitatibus, & Universitatibus Villarum regni prædicti opportunè & importune pulsatus, cum ulterius urgente conscientia de præmissis, ut præmittitur, informata, absque Dei offensa dissimulare non posset, nec sine gravibus scandalis & periculis tolerare; de Prælatorum, Baronum ac Capitulorum, Conventuum, Collegiorum, Communitatum & Universitatum, villarum regni præfati, nec non Magistrorum in Theologia ac Professorum utriusque juris, & aliorum sapientum & gravium personarum diversorum Regnorum & partium deliberato consilio non ex odii fomite, non typo malitiæ, sed zelo fidei, necessitate cogente, promotionem, ut prædicitur, assumpsit negotii supra dicti, nec præfatum Bonifacium capi, nec aggressionem vel insultum in eum vel ejus domum fieri mandavit aut fecit; sed denuntiationes & objectiones prædictas sibi per Gulielmum de Nogareto militem & alios suos nuntios ad hoc ab eo patentibus & expressis litteris regiis destinatos duntaxat insinuari præcepit, & ab eo super his generale Concilium convocari; & si dictus Gulielmus circa personam vel domum dicti Bonifacii vel alias in præmissis aliqua commisit illicita, displicuerunt & displicent dicto Regi, nec ea rata vel grata unquam habuit neque habet. Adjiciebatur etiam denuntiatores & objectores prædictos, de hæresi, illegitimo ingressu & aliis criminibus prædictis à longe retrolapsis temporibus per nonnullas graves & fide dignas personas instructos & informatos fuisse, ipsosque ad denuntiationes & objectiones, easdem apud præfatum Regem, cum ad præfatum Bonifacium tunc aditum commodè habere non possent, in publicum defendendas, non ex odio præconcepto, cum tunc ipsos in nullo dictus Bonifacius offendisset, non ex fermento malitiæ, sed potius ex fervore fidei, & zelo justitiæ processisse, & earum prosecutioni etiam nunc instare, paratos eas secundum formam curiæ legitimæ prosequi & probare. Nos autem cum fratribus nostris matura & frequenti super hoc deliberatione præhabita, considerantes attentiùs & infra claustr pectoris meditatione solicita revolventes, quod prætacti negotii prosecutio rigorosa, impeditiva nimis prædicti negotii terræ Sanctæ, & aliis gravioribus onusta dispendiis & diversis undique periculis plena existebat, sicut jam facti exordia indicabant; ac volentes tot, & tantis malis & periculis, ne in segetem periculosè succrescerent, sed præcisis radicibus suo præfocarentur in ortu ex debito pastoralis officii solicitè providere; apud eundem Regem de Fratrum nostrorum consilio, & ad eorum supplicationem instantem salutaribus monitis, exhortationibusque paternis institimus, ut rejectis anfractibus denuntiationum & objectionum hujusmodi, cum per alias congruas & legitimas vias prætactum negotium tractari commodius & facilius posset & brevius terminari ipsius negotii prosecutionem nostræ & Ecclesiæ ordinationi relinqueret, & ut denuntiatores & objectores præfati ibidem facerent, interponeret partes suas; ita quod nos & eadem Ecclesia, causarum vitatis anfractibus, & prædictis malis & periculis obviando, ex officii nostri debito ad ipsius negotii cogitationem examinationem totalem, decisionem procedere, statuere, ordinare de ipso ac finem congruum eidem imponere deberemus prout Catholicæ fidei ac universalis Ecclesiæ statui & honori conveniens, ac terræ Sanctæ negotium & alias secundum Deum expediens videretur. Sed licet requisitionem hujusmodi apud eundem Regem pluries diversis successivè temporibus atque locis duxerimus repetendam, ipso tamen Rege, ad denuntiatorum & objectorum prædictorum instantiam requisitioni prædictæ ut prius nihilominus insistente, nos inter tot diversa & adversa in medio super justitiæ solium constituti in tanto negotio non præcipitanter aut irruptive, sed cum debita cautela & maturitate procedere cupientes, diversos & varios in negotio ipso per legitima intervalla dierum & temporum continuatis terminis fecimus, justitia mediante processus. Et ne vel malignis aut falsis delationibus aditum nimis facilem pandere, aut denuntiatoribus & objectoribus supra dictis, si spiritu Dei aguntur, in dispendium fidei viam præcludere, vel negare justitiam videremur. Non intendentes tamen denuntiatores & objectores prædictos vel alterum eorundem, aut denuntiationes vel objectiones, vel aliqua proposita per eosdem admittere, nisi si, prout & in quantum contra summos Pontifices vivos vel mortuos admittendi forent, & etiam admittenda juxta sanctorum patrum decreta & canonica instituta de motu & Zelo Regis præfati circa requisitionem hujusmodi, & assertorum & denuntiatorum & objectorum prædictorum circa assertiones, denuntiationes & objectiones præmissas duximus inquirendum. Et demum competenti super his inquisitione præhabita, comperimus, quod etsi etiam assertores, denuntiatores & objectores prædictos ad assertiones denuntiationes & objectiones hujusmodi ac dictum Regem ac requisitionem prædictam, ut præmittitur, faciendas objectorum veritas de quibus certi non sumus, forsitan non moviſſet; ipsos tamen ad hoc præconcepta malignitas aut mala causa non impulit, sed bonus, sincerus & justus Zelus induxit. Unde assertores, denuntiatores & objectores eosdem ad assertiones denuntiationes & objectiones easdem ad dictum Regem, qui ad eorum nec non aliarum sublimium & gravium personarum frequentem & sæpius repetitam instantiam ad requisitionem prædictam ab initio processerat & nunc etiam procedebat extra omnem calumniam fuisse & esse ac bono, sincero & justo zelo ex fervore Catholi-

ANNO 1310.

cæ fidei processisse, de fratrum nostrorum consilio authoritate apostolica pronuntiamus, dicimus atque decernimus, & tenore præsentium declaramus. Unde nos de sæpe fati Regis innocentia in hac parte tam per confessionem præfati Gulielmi quàm alias sufficienter instructi, pronuntiamus, dicimus atque decernimus, & authoritate prædicta de fratrum præfatorum consilio tenore præsentium declaramus, Regem ipsum super captione, aggressione & insultu prædictis, ac dispersione & amissione thesauri & aliis quæ in conflictu vel facto captionis dicti Bonifacii, aut aggressione vel insultu prædictis ipsi Gulielmo impositis quomodolibet contigerunt, innocentem penitus & inculpabilem fuisse ac esse. Quibus pronuntiationibus, declarationibus & decretis per nos, ut præmittitur factis & habitis, cum in negotio memorato vel lemus ulterius justitia mediante procedere, n causa fidei indiscussa diutius remaneret; illi qui defensioni, memoriæ & statui dicti Bonifacii se, ut præmittitur offerebant, negotium hu jusmodi in officii nostri mera & libera potestate sponte ac libere dimiserunt, ac demum præfatus Rex præmissa pericula considerantes attendens tanquam benedictionis & gratiæ filius, progenitorum suorum qui se semper ipsius Ecclesiæ beneplacitis coaptarunt, vestigia clara sequens, pro se ac universis regnicolis regni sui, cujuscumque status vel conditionis existant, nostris in hac parte requisitionibus de abundantia regalis clementiæ per effectum operis acquievit. Præfati quoque denuntiatores & objectores, ad inductionem dicti Regis factam eisdem ad preces nostras, per nos, ut præmittitur, ipsi Regi porrectas, auctoritate nostra interveniente, nostris circa id beneplacitis finaliter assenserunt, negotium hujusmodi & prosecutionem ipsius nostræ & Ecclesiæ cognitioni, decisioni, ordinationi, & dispositioni libere relinquentes, prout per patentes regias, ac denuntiatorum & objectorum & assertorum prædictorum litteras quas ad cautelam & in memoriam rei gestæ & ipsius Ecclesiæ archivio repositas servari facimus plenè constat. Nos itaque mansuetudinem regiam ac expertam in his devotionis & reverentiæ filialis gratitudinem, quas pro tot, & tantis malis & & periculis evitandis dicto Regi divinitus credimus inspiratas, plenis in Domino laudibus commendantes Regi cœlesti, in cujus manu corda sunt principum & à quo tantum bonum non ambigimus processisse, cum ab ipso bona cuncta procedant, laudes & gratias profundæ humilitatis spiritu, totoque devotionis animo exhibemus ac motum & Zelum dicti Regis in hac parte ex fervore fidei quem Rex ipse à progenitoribus suis hæreditario quasi jure attraxisse dignoscitur, prodeuntem non immeritò approbantes, & honoris laudum efferentes præconiis, ac volentes præfato Regi & suis adversus futura pericula sic plenè prospicere, & alias in hac parte ad honorem Dei & Ecclesiæ sic utiliter & salubriter providere, quod inclytæ domus & Regni Franciæ fama celebris suique nominis claritas, ubique divulgata per orbem nullis obloquentium morsibus, vel ullorum caninis latratibus, qui vel ex ignorantia veritatis aut propriæ malignitatis astutia, vel invidiæ stimulis concitati malum in bono præsumunt, & prædicant in posterum pateat, sed in sui splendore luminis semper illibata persistat, vitentur jam experta pericula, ac tot & tantis malis & scandalis jam prævisis, quæ ex præteritorum commemoratione, refricatione vel recidiva iteratione quacumque verisimiliter sequi possent in posterum, via præcludatur omninò, ac charitatis veritas & pacis fœdera, quæ inter præfatam Ecclesiam ac Regem & Regnum Franciæ hactenus divina favente clementia viguerunt & vigent in sui vigoris & roboris firmitate, de bono semper in melius illibata perpetuis temporibus asserventur, omnes sententias latas ab homine vel à jure constitutiones declarationes non inclusas in sexto libro decretalium, in quantum præjudicant vel possent præjudicare honori, statui, juribus & libertatibus dictorum Regis & Regni, regnicolis, assertoribus, denuntiatoribus, fautoribus delatoribus, adhærentibus, ac valitoribus antedictis, duabus, constitutionibus, quæ non sunt in eodem libro inclusæ, quarum una incipit: unam sanctam, & alia: rem non novam, quas secundum moderationes easdem aliàs per nos factas & non aliter intelligi volumus & secundum moderationes ipsas volumus in suo robore remanere exceptis; nec non privilegiorum revocationes responsiones ac quoslibet processus suspensionum, excommunicationum, interdictorum, privationum, dispositionum & aliis quoscumque processus juris vel facti, verbo vel literis, in scriptis, vel sine scriptis, directè, vel indirecte principaliter vel incidenter, implicite vel explicitè, publice, vel occultè contra dictum Regem liberos, & fratres ipsius & Regnum Franciæ statum, jura & libertates ejusdem pro quibuscunque factis, causis vel occasionibus, aut exquisitis coloribus vel figmentis quibuscumque præteritis temporibus, nec non contra denuntiatores, objectores vel assertores prædictos, ac Prælatos, Barones, & alios incolas & habitatores regni ejusdem quibuscumque temporibus, causa vel occasione prædictarum assertionum, denuntiationum propositionum, objectionum, provocationum, appellationum, petitionum, seu requisitionum, convocationis Concilii generalis blasphemiarum, injuriarum dictarum vel factarum contra dictum Bonifacium quoquo modo, vel captionis, aggressionis, vel invasionis domus personæve suæ dispersionis, & amissionis thesauri aliorum, quæ in facto Angniæ vel alibi ubicunque occasione dicti Regis, aut occasione discordiæ quam habuit contra ipsum Regem Bonifacius prædictus, seu causa vel occasione aliquorum emergentium vel contingentium, seu quæ contingere potuerant ex eisdem, ac etiam contra adjutores, valitores & præmissis seu ea tangentibus ipsius Regis vel sibi quomodo libet adhærentes, vivos vel mortuos cujuscumque nationis, præeminentiæ, honoris, ordinis dignitatis aut status Ecclesiastici vel mundani existant; etiamsi Cardinalatus, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, vel regali dignitate præfulgeant, tam per dictum Bonifacium, quàm quoscunque alios in vita vel post mortem ipsius authoritate sua, quam per memoratum Benedictum immediatum successorem suum pro factis, causis vel occasionibus antedictis factos & habitos à festo sanctorum omnium, quod fuit anno nativitatis Dominicæ millesimo trecentesimo citra, si qui sint, vel fuerint, ad cautelam relaxamus, revocamus, irritamus, annullamus, cassamus & ex nunc nullos, cassos & irritos nuntiamus ex certa scientia de fratrum nostrorum consilio & de Apostolicæ plenitudine potestatis. Et si quis calumniæ macula, sive nota ex præmissis denuntiationibus, objectionibus, assertionibus aut quibuscunque contumeliis, blasphemiis, injuriis, verbis vel factis, in scripturis privatis vel famosis libellis occultè vel publicè eidem Bonifacio in vita ejus vel post mortem illatis, aut earum publicatione, assumptione vel prosecutione, aut culpa, offensa aut injuria qualibet, seu infamia juris vel facti, præfato Regi, posteritati suæ, assertoribus & denuntiatoribus ac objectoribus, Prælatis, Baronibus vel aliis indigenis, incolis & habitatoribus dicti Regni, nec non & adjutoribus valitori-

ANNO 1310.

litoribus & adhærentibus prædictis aut aliquibus ex eis aut aliis consentientibus mandantibus vel ratum habentibus, opem, consilium, auxilium, vel favorem præbentibus quoquo modo, vivis, vel mortuis, personis infra nominatis exceptis, ex captione, insultu & aggressione prædictis, aut ex rapina seu perditione thesauri Ecclesiæ, aut ex aliis quibuscunque, quæ in conflictu vel facto captionis, insultus aggressionis prædictorum, vel alias ipsorum occasione, ut præmittitur contigerunt impingi, imponi vel imputari possent in posterum quoquo modo hujusmodi calumnias, notas, maculas, injurias, infamiam, actiones, querelas & offensas, si quæ forsan sint vel esse possint in posterum totaliter abolemus & tollimus, & etiam ad cautelam penitus amovemus, & sententias, emendas, mulctas & pœnas, si quæ sint, pro eis impositas vel inflictas ab homine vel à jure & quæ imponi vel infligi possent in posterum, etiamsi supponerentur vel dicerentur captio prædicta vel aliqua de præmissis facta nomine dicti Regis, valitorum adjutorum vel adhærentium prædictorum, aut ipsis mandantibus vel procurantibus vel ratum habentibus aut sub vexillo suo aut insigniis armorum suorum; prorsus amovemus & tollimus, & etiam ad cautelam omnino remittimus & quietamus: ac Regem ipsum & Regnum prædictum assertores, denuntiatores & objectores, Prælatos, Barones & Clerum & populum dicti Regni, nec non valitores & adhærentes, & alios supra dictos, in eum statum in omnibus & per omnia, si forsan ipsi vel eorum aliqui quomodolibet egeant, personis inferius nominatis dumtaxat exceptis, reponimus, restituimus, & plene reducimus, in quo Rex ipse & alii supra dicti erant ante omnia supra dicta juxta distinctiones personarum, factorum, causarum & temporum superius assignatas; ita quod Rex ipse posteritas sua & regnum prædictum, apertores, denuntiatores & objectores, Barones & alii supra dicti, aut aliqui seu quivis ex eis, exceptis duntaxat infra nominatis personis, & calumnia, notis, maculis, captione, aggressione, insultu, rapina, seu de perditione thesauri, culpis, injuriis vel offensis, blasphemiis, sententiis vel processibus vel quibuscumque aliis supra dictis deinceps notari vel impeti nequeant, nec sententia aut processus hujusmodi, contra ipsos vel quemvis ex eis aliquem possint habere vigorem, effectum, aut roboris firmitatem subdit, cum rerum experientia doceat imminentia pericula discutere; sui esse consilii præteritorum memoriam penitus extinguere ne forte malum aliquando recrudesceret: atque adeo memoratas constitutiones privilegiorum declarationes, revocationes, suspensiones, anathematis interdicti Ecclesiastici abrogataeve dignitatis sententias, aliasve publicas tabulas è Pontificum regestis, legumve codicibus ex Sacri Cardinalium Senatus Consilio evulsisse, atque intentato Ecclesiastico fulmine, ab omnibus cujuscumque Ecclesiasticæ etiam Cardinalitiæ vel Regiæ dignitatis, sexus, conditionis infra menses quatuor illarum exempla flammis dari, vel è libris suis abradi jubere, neque cuiquam ullas prærogativas in ea re ad eludendum hoc Pontificium Imperium suffragaturas. Datum Avin. V. Kalend. Maii Pontificatus anno VI.

Absolutio Gulielmi de Nogareto, imposita ei admodùm severâ pœnitentiâ anno 1310.

ANNO 1310. XIX. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. pag. 334. Mant.

CLEMENS EPISCOPUS,

Universis Christi fidelibus præsentes Literas inspecturis.

LIcet Gulielmus de Nogareto Regis miles à pluribus contentis in prædictis literis & eorum effectu specialiter, ut præmittitur, excludatur, sive excipiatur, nos considerantes, quòd si licet ipse asserat ex his, quæ in personam vel erga personam Bonifacii prædecessoris nostri & ingressu domus suæ cum multitudine armatorum, & occupatione & rapinâ thesauri Ecclesiæ Anagninæ factæ fuerunt, se pluribus rationibus, quas se probaturum offerebat, non teneri, nec propter præmissa vel illa, ad quæ idem Benedictus prædecessor noster ratione præmissorum, contra eum processit, excommunicationis seu excommunicationum sententiis se fore ligatum: Quia tamen cum instanti instantia humiliter & devotè à nobis impertiri sibi, super hujusmodi petiit absolutionis beneficium *ad cautelam*, offerens ob divinam Ecclesiæ & nostram reverentiam, pœnitentiam, quam ei duxerimus injungendam super prædictis se ad cautelam recepturum, ac etiam completurum: Nos volentes saluti animæ suæ providere, nec non & *consideratione ipsius Regis, pro ipso in hac parte cum instantiâ supplicantis*, ipsum ab omnibus sententiis supra dictis *absolvimus ad cautelam*, & injungimus sibi pœnitentiam ad cautelam: videlicet quod in proximo passagio generali transiret personaliter cum equis & armis in subsidium terræ sanctæ, ibidem in dictæ terræ subsidium perpetuo moraturus, nisi à nobis, vel successoribus nostris super abbreviatione temporis gratiam meruerit obtinere.

Volumus etiam, quod *interim peregrinationes personaliter faciat* infra scriptas, videlicet quod visitet *B. Mariæ de valle viridi de rupe amatoria, Aniciensis de Bolonio super mare: Carnotensis S. Egidii & de monte majori Ecclesias, ac limina B. Jacobi Compostellani*: ipsumque dummodo pœnitentiam hujusmodi devotè susceperit & peregerit cum affectu, dum vitam duxerit in humanis, vel eo mortuo hæres ejus, prædictarum relaxationum, revocationum, irritationum, abolitionum, remissionum, quitationum, relittationum, repositionum, reductionum, & aliorum omnium & singulorum effectuum, provisionum & securitatum secundum distinctiones personarum, factorum, causarum & temporum in prædictis nostris literis comprehensas, de fratrum nostrorum consilio, de plenitudine potestatis participem efficimus & consortem &c. Denuntiat dein Nogareto, si inflictas illi pœnas ipse hæresve respuerint ipsum irrogatis antea censuris sententiisque irretitum fore. Dat. Avenione V. Cal. Maii anno VI.

Super Concessione factâ Hospitali S. Joannis Hierosolymitani de bonis Templariorum: anno 1312.

XX. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 3. pag. 323.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD providam Christi vicarii, præsidentis in specula Apostolicæ Dignitatis circumcum-

ANNO 1312.

cumſpectionem pertinet vices penſare temporum emergentium, negotiorum cauſas diſcutere, ac perſonarum, attendere qualitates, ut ad ſingula debitorum dirigens neceſſariæ conſiderationis intuitum & opportunæ manum operationis apponens, de agro Domini ſic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet: ſic prævaricantium ſpinas tollat, ut evellendo plus placeat, quàm deſtruat: & in loca vacua, per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantaria transferendo, potiorem præbeat, de proviſa & utili eorumdem locorum unione & tranſlatione, lætitiam; quam vera juſtitia, quæ compaſſionem habet, dolorem intulerit demerentium perſonarum locorum hujuſmodi per ruinam; ſic enim ſufferendo quod officit, & ſubrogando quod proficit, virtutum profectus amplificat, & ſublata de medio meliori ſubrogatione reſtaurat. Dudum ſiquidem ordinem Domus militiæ, Templi Jeroſolymitani, propter Magiſtrum & Fratres cæteraſque perſonas dicti Ordinis, in quibuſlibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diverſis, non tam nefandis, quàm infandis, Proh dolor! errorum & ſcelerum obſcenitatibus, pravitatibus, maculis & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam, præſentibus ſubticemus, ejuſdemque ordinis ſtatum, habitum atque nomen, non ſine cordis amaritudine, & dolore, ſacro approbante Concilio. Non per modum diffinitivæ ſententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum inquiſitiones & proceſſus, ſuper his habitos, non poſſemus ferre de jure, ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuò valitura ſubſtulimus ſanctione ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictiùs inhibendo nequis dictum ordinem, de cætero, intrare, vel ejus habitum ſuſcipere vel portare, aut pro Templario gerere ſe præſumeret: quod ſi quis contra faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Univerſa etiam bona Ordinis prælibati Apoſtolicæ Sedis ordinationi, & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica, duximus reſervanda, inhibentes diſtrictius ne quis, cujuſcumque conditionis vel ſtatus exiſteret, ſe de perſonis vel bonis hujuſmodi aliquatinus intromitteret, vel circa ea in præjudicium ordinationis ſeu diſpoſitionis Apoſtolicæ, per ſedem eandem, ut præmittitur faciendæ aliquid faceret, innovaret, vel etiam attentaret: Decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus à quoquam ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Ac poſtmodum ne dicta bona, quæ dudum, ad ſubſidium Terræ Sanctæ & impugnationem inimicorum Fidei Chriſtianæ, & Chriſti cultoribus data, legata, conceſſa & acquiſita fuerunt, debita gubernatione carentia, tanquam vacantia deperirent, vel converterentur in uſus alios, quàm in illos ad quos fuerunt pia devotione fidelium deputata; vel propter tarditatem ordinationis & diſpoſitionis hujuſmodi eorum deſtructio vel dilapidatio ſequeretur, cum Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus & illuſtribus Perſonis, cum reliquorum quoque abſentium Prælatorum, ac etiam Capitulorum, & Conventuum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum Procuratoribus in dicto Concilio conſtitutis, habuimus arduâ, moroſa, & diverſa conſilia & tractatus, ut per hujuſmodi conſiliorum & tractatuum liberationem præbitorum diligentem dictorum bonorum Ordinatio, & diſpoſitio ad honorem Dei, augmentum Fidei exaltationem Eccleſiæ, dictæ Terræ ſubſidium, ſalutem quoque fidelium & quietem ſalubris & utilis proveniret. Poſt quæ utique longa præmeditata proviſa, & matura conſilia ſuadentibus plurimis juſtis cauſis, noſtra, & dictorum Fratrum, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, ac excellentium & illuſtrium Perſonarum prædictorum in dicto Concilio tunc præſentium deliberationis & conſilia in hoc finaliter reſiderunt. Ut prædicta bona ordini hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitani, & ipſi hoſpitali, ac dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis ejuſdem nomine Hoſpitalis & Ordinis eorumdem, qui, tamquam athletæ Domini pro defenſione Fidei ſe periculis mortis jugiter exponentes, onerosa nimis & periculoſa diſpendia continuè perferunt in partibus transmarinis in perpetuum unirentur. Nos igitur, inter cætera mundi loca in quibus vigere dignoſcitur obſervantia regularis, dictum ordinem hoſpitalis & ipſum Hoſpitale ſinceræ caritatis plenitudine proſequentes: ac attendentes quod, ſicut evidentia facti docet in eo divinis obſequiis ferventer inſiſtitur, pietatis & miſericordiæ opera vigilantibus ſtudiis exercuerunt, Fratres Hoſpitalis ipſius, mundanis ſpretis illecebris, devotum impendentes Altiſſimo famulatum, ac pro recuperatione Terræ prædictæ, tanquam intrepidi Chriſti pugiles, ferventibus ſtudiis & deſideriis intendentes, quælibet ducunt humana pericula in contemptum: Conſiderantes quoque quod ex hoc, tanto eorumdem Magiſtri & Fratrum dictorum Ordinis & hoſpitalis creſcet ſtrenuitas animorum fervor augebitur, & ipſorum roborabitur fortitudo ad propulſandas noſtri Redemptoris injurias, & hoſtes ejuſdem fidei conterendos, quanto ipſorum potentia in opulentioribus facultatibus augmenta onera, quæ proſecutionis tanti negotii neceſſitas exigit, leviùs & faciliùs poterunt ſupportare & propterea non indigne vigiles reddit ſtudiisque ſollicitis excitat, ut ad ſui ſtatus augmentum, opem & operam impendamus, eodem ſacro approbante Concilio, ipſam Domum militiæ Templi, cæteraſque Domos, Eccleſias, Cappellas, Oratoria, Civitates, Caſtra, Villas, Terras, Grangias, & loca, Poſſeſſiones, Juriſdictiones, Redditus, atque jura, omniaque alia bona, immobilia & mobilia, vel ſe moventia, cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis ſuis, ultra & citra mare, ac in univerſis & quibuſlibet mundi partibus conſiſtentia, quæ ipſe Ordo & dicti Magiſtri & Fratres ipſius ordinis militiæ Templi, tempore quo ipſe magiſter & nonnulli ex eiſdem Fratribus militiæ Templi in Regno Francæ communiter capti fuerunt, videlicet, anno domini milleſimo trecenteſimo octavo, menſe Octobris, per ſe vel quoſcumque alios habebant, tenebant, & poſſidebant vel ad eoſdem Domum & Ordinem militiæ Templi, & dictos magiſtrum & Fratres ipſius Ordinis militiæ Templi quomodolibet pertinebant: nec non nomina, actiones, & jura quæ prædicto tempore captionis ipſorum eiſdem Domui, ordini vel perſonis ipſius ordinis militiæ Templi quocumque modo competebant, vel competere poterant, contra quoſcumque, cujuſcumque Dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſterent, cum omnibus Privilegiis, Indulgentiis, Immunitatibus, & libertatibus, quibus præfati magiſtri & Fratres dictorum Domus & Ordinis Militiæ Templi, & ipſa Domus, & ordo per ſedem Apoſtolicam, vel per Catholicos Imperatores, Reges & Principes & Fideles alios, vel quocumque alio modo erant legitimè communiti, idem Ordini Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolimitani, & ipſi hoſpitali donamus, concedimus unimus, incorporamus, applicamus & annecti-

ANNO 1312.

ANNO 1312.

mus in perpetuum de Apostolicæ plenitudine potestatis. Exceptis bonis quondam dicti Ordinis ipsius militiæ templi, consistentibus in Regnis & terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum Regum illustrium, extra Regnum Franciæ; quæ à donatione, & annexione prædictis, specialiter excipienda duximus, ac etiam excludenda: Ea nihilominus dispositioni & ordinationi sedis Apostolicæ reservantes. Inhibitionem dudum, per alios processus nostros factam, ne quis videlicet, cujuscumque conditionis, vel status existeret, sede personis & bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præjudicium ordinationis, seu dispositionis sedis ejusdem, faciendæ de illis, nec non decreti nostri interpositionem, quo ad personas & bona in dictis Regnis & Terris eorumdem Regum proximò expressorum consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis & rebus prædictis in eisdem Regnis & Terris consistentibus per dispositionem sedis ejusdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores cujuscumque status, conditionis, Excellentiæ, vel Dignitatis extiterint, etiamsi Pontificali, vel Imperiali, vel Regali præfulgeant Dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos magistrum & Fratres ipsius Hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratorem seu Procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plenè & liberè restituerint Ordini ipsius Hospitalis, & eidem Hospitali, aut magistro seu Prioribus, vel Præceptoribus, aut Fratribus Hospitalis ejusdem, in quibuscumque partibus & provinciis constitutis: eorumque singulis, vel Procuratori, seu Procuratoribus eorumdem, ejusdem Ordinis ipsius Hospitalis nomine, etiam si dicti Priores, Præceptores & Fratres ipsius hospitalis & Procuratores ipsorum, & eorum quilibet, à dicto magistro ipsius hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo Procuratores prædicti à dictis prioribus & Præceptoribus, vel eorum singulis, in Provinciis & partibus, in quibus hujusmodi priores & Præceptores extiterint deputati mandatum super hoc habuerint vel ostenderint speciale. Qui omnes & singuli, videlicet, Priores, præceptores & Fratres, dicto magistro: Procuratores verò prædicti eisdem Prioribus & Præceptoribus, eorumque singulis, à quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis receptis, & Procuratis per eos quomodolibet in hac parte computum & rationem ponere & reddere teneantur. Nec non omnes, qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis, in occupatione vel detentione hujusmodi dederint auxilium, Consilium, vel favorem, publicæ vel occultæ excommunicationis: Capitula verò Collegia, seu Conventus, Ecclesiarum, & monasteriorum, nec non universitates Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & ipsas Civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia extiterint: ac etiam Civitates, Castra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi Dominium obtinuerint temporale, si hujusmodi Domini temporales, in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa Magistro & Fratribus Ordinis & Hospitalis ipsius obstaculum adhibebunt, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non destiterint, postquam super hoc ut præmittitur fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subjacere; à quibus absolvi non possint, donec super his plenam & debitam satisfactionem curaverint exhibere. Et nihilominus occupatores, & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem, ut præmittitur, auxilium, consilium, vel favorem sive singulares personæ, sive Capitula, Collegia, seu Conventus, Ecclesiarum, & monasteriorum, aut universitates Civitatum, Castrorum, Terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ à Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos, sive privata; ita quod ad Ecclesias, ad quas spectant illa, liberè, sine conditione aliqua, revertantur; earumque Ecclesiarum Prælati sive Rectores de ipsis, pro sua voluntate disponant, sicut utilitati Ecclesiarum ipsarum viderint expedire. Nulli ergo &c. Datum Viennæ Sexto nonas Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

ANNO 1312.

XXI. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. pag. 326.

Bulla Anglorum Regi porrecta pro Hospitalariis de Terris Templariorum in Concilio Viennensi eis collatis, ipsis liberandis: anno 1312.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper in Generali Concilio per nos Viennæ disponente Domino celebrato, post longam deliberationem præhabitam, & maturam, acceptabilius fore Altissimo, magis honorabile Fidei Orthodoxæ cultoribus, ac subventioni Terræ Sanctæ utilius, bona quondam Domus & Ordinis militiæ Templi, Ordini Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani concedere, quàm Ordini de novo creando unire aut etiam applicare consilium, deliberationis nostræ providit. Sed quia, tunc aliquibus afferentibus utilius forè bona ipsi ordini, noviter creando, conferre, quàm dicti Hospitalis Ordini applicare, tunc noster affectus speratum effectum super hoc obtinere nequivit. Tandem verò sic per Dei gratiam actum fore dignoscitur, quod sexto nonas præsentis mensis Maii, eodem sacro approbante Concilio, Hospitali, seu ipsius Hospitalis ordini, supra dictis præfata bona concedenda & applicanda duximus, ac etiam unienda, bonis ejusdem ordinis militiæ Templi, in Regnis & Terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragonum, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illustrium, extra Regnum Franciæ consistentibus, duntaxat, exceptis, quæ ab unione, concessione, & applicatione hujusmodi ex certis causis excipienda duximus, & etiam excludenda, ipsa dispositioni nostræ & sedis Apostolicæ specialiter reservantes, quousque de illis aliter pro dictæ Terræ subsidio per nostram, & dictæ sedis providentiam extiterit ordinatum. Quo circa magnificentiam Regiam rogamus, & hortamur attentius quatinus pro reverentia Salvatoris, cujus in hac parte negotium promovemus, ac dictæ Sedis, & nostra, magistro & Fratribus seu prioribus, & Præceptoribus Hospitalis ejusdem, in quibuscumque partibus, & Provinciis Terrarum tuarum constitutis, seu Procuratori, vel Procuratoribus eorundem, quod prædicta bona in eisdem Regno, & Terris tuis consistentia, integrè & pacifice valeant assequi, & habere Regis favoris præstes auxilium, prout extiterit opportunum. Et nihilominus omnibus, Comitibus, Baronibus, Ducibus, Principibus, & aliis nobilibus, Communitatibus, & universitatibus, Senescallis, Ballivis cæterisque Officialibus dicti Regni quocumque nomine censeantur, & aliis

qui

ANNO 1312.

qui ad custodiam bonorum ipsorum de tuo mandato fuerint deputati, per litteras tuas mandes expresse ut eadem bona, Magistro & Fratribus seu Prioribus, & Præceptoribus, vel Procuratori, aut Procuratoribus ante dictis, & singulis eorumdem, à quibus super hoc fuerint requisiti, sine diminutione qualibet, quantum in eis fuerit, restituant, & assignent; eis circa nanciscendam, habendam & retinendam possessionem bonorum ipsorum per te, & Officiales eosdem, & alias executoribus super executione hujusmodi concessionis nostræ deputatis, & in posterum deputandis super eadem executione de liberalitate Regia efficaciter assistendo, cum pro parte ipsorum extiteris requisitus. Sic igitur in præmissis te promptum & liberalem exhibeas, quod præter retributionis æternæ præmium, quod inde mereberis, tibi laudis humanæ proveniat incrementum, & nos celsitudinem tuam dignis valeamus in Domino laudibus commendare. Datum Liberon. Valentin. Dioces. 17. Calendas Junii Pontificatus nostri anno septimo.

ANNO 1316.

JOANNES XXI. DICTUS XXII.

PONTIFEX CXGVIII.

ANNO DOMINI MCCCXVI.

JOannes post Clementem V. biennio Ecclesia capite destituta, throno conscenso se ipsum in Pontificatu confirmavit dicens: *Ego sum Papa*, qui prius Jacobus de Ossa dicebatur. Hæreticos judicavit eos qui docebant, Christum, ejusque Discipulos in hâc Terrâ nil proprii possedisse, clerumque similiter in paupertate vivere debere. Trinum Tintinnabuli pulsum, quô virginem Matrem oramus (vulgò *ave Maria*) instituit. Ludovicum Bavarum vehementer infestavit. Græcos ad subjectionem revocare tentavit, at frustrà fuit. Interea à Ludovico Imperatore Romæ depositus est, Nicolao V. subrogato, qui anno 1330. Joanni cessit, in carcere aliquot post annis mortuus. Obiit Avenione anno 1334. ætatis 90. relinquens in Thesauris Ecclesiæ 25. milliones auri. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I.* 1727. *App. fol.* 190.)

I. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 3. pag. 594.

Bulla de Treguis Scotiæ per biennium, & Infractoribus excommunicatis: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

VOcatis nobis, licet insufficientibus meritis, ad Apostolatus officium occurrit, quasi confestim, considerationis nostræ conspectui, acerbis infesta molestiis, periculosa dissensio, quam inter carissimum in Christo filium Eduardum Regem Angliæ illustrem, & dilectum filium Nobilem Virum Robertum de Bus, gerentem se pro Rege Scotiæ jamdudum inventor malorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstantias, quas frequenter, dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus repræsentans. Hinc etenim se offerebant, & offerunt nostris obtutibus, impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & præcipue Terræ Sanctæ, desertæ incolis Christi fidelibus ipsorumque destituta suffragiis, cui Catholicis Principibus distractis ad bella Civilia, consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis. Hinc se ingerebant, & ingerunt animarum pericula, Christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum ipsorum dissidentium, suarumque gentium, sed & quamplurium aliorum in ipsorum commotione, periculosa turbatio pariter & damnosa. Hæc quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrorum interpellant Officium, ut ad occurrendum, per opportuna remedia tanto Religionis Christianæ discrimini ocius exurgamus. Attendentes igitur quod ad nos qui, licet immeriti, vices Regis pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur, potestatis Apostolorum Principi suisque successoribus ex alto concessæ, singulariter pertinet, in Universali Ecclesia cunctave Congregatione fidelium, pacem quærere, ac ipsam facere diligentiùs observari, inter præfatos, Regem Angliæ & gerentem se pro Rege Scotiæ, auctoritate Apostolica treugas, quarum fœdus imaginem pacis inducit usque ad biennium duraturas. Ac in eos, & omnes, & singulos eorum adjutores, valitores consiliatores, sequaces, complices, & eorum adhærentes, treugas infringentes easdem vel quemlibet, non servantes Excommunicationis sententiam promulgamus, non obstante si Regi, & gerenti, prædictis, aut ipsis Adhærentibus, seu cuivis eorum, à Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari non possint per litteras Sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quælibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit vel quomodolibet retardari. Treugas autem & sententiam ante dictas à die notificationis seu publicationis suarum, suum effectum volumus obtinere. Vassallos insuper, & subditos, Regis & Gerentis, prædictorum à juramento fidelitatis, quo eis, vel eorum alteri tenentur astricti, quantum ad cujusmodi guerræ seu dissensionis articulum, cum in illicitis eis obedire non debeant, per idem tempus absolvimus. Et nihilominus promissiones & obligationes, quæ inter Regem & Gerentem, prædictos, & quoscumque alios sub belli seu conflictus, utrinque committendi, processu; nec non confœderationes colligationes, & pactiones, quæ inter ipsum Regem & quoscumque alios, ex una parte, ac prædictum Gerentem, & alios quoscumque ex altera intervenerint, pro ipsa fovenda discordia, utpote contra bonum pacis præsumpta illicitè & acceptata in divinæ Majestatis offensam; & quascumque pœnas adjectas ac juramenta præstita super his, sub quibuscumque forma, modo vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, ex nunc nulla fore decernimus, & quatenus de facto processerint irritamus. Nulli ergo omnino hominum lic at

ANNO 1317.

ANNO 1317.

hanc paginam noſtræ inductionis, promulgationis, abſolutionis, & conſtitutionis, & irritationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinion. Calendas Januarii Pontificatus noſtri Anno primo.

II. Ex Arch. Angliæ Rimer Tom. 3. pag. 619.

Excommunicatio contrà omnes Inimicos Regis Angliæ, & Invaſores Regni: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Vintonienſi, ac Elyenſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PErſonam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris, ejuſque Regnum inclitum, ea dilectionis ſinceritate proſequimur, ut ſuum dictique Regni ſtatum, à guerrarum fluctibus liberum, & à diſcriminibus turbationis immunem, paternis deſideriis affectantes ad procurandum tranquillitatem & quietem illius, opportunum Apoſtolicæ Sedis favorem, quantum cum Deo poſſumus liberaliter impendamus, quatinus Rex ipſe, ſecuritate ſibi ab inſidiis æmulorum indulta utilitatibus propriis liberius poſſit intendere, ſeque ad aſſumendum negotium Terræ Sanctæ, noſtris præcordiis non mediocriter inſidens, ad quod, ut aſſerit ferventer anhelat, habilius valeat præparare. Cum itaque, ſicut diſplicenter audivimus, nonnulli Nobiles, & Magnates, Regem ipſum, & Regnum Angliæ, ac Terram ſuam Hiberniæ, invadere auſu nitantur illicito; nos, eorum in hac parte conatibus opportunis obviare remediis cupientes, & ad id expedire cenſentes, ſpiritualem gladium exeri in omnes & ſingulos, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, aut ſtatus, qui Regem ipſum, Regnum, & Terram prædicta invadere, aut Regnum ipſum, & Terram contra Regem eundem, cum armis, vel ſine armis intrare præſumpſerint, vel aliàs intrantibus ipſis, ut præmittitur, ſeu invaſoribus, in pecunia, equis, armis, vel aliis præſtiterint auxilium, conſilium, vel favorem publicum, vel occultum, Excommunicationis ſententiam promulgamus, à qua eos ſine ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo, prohibemus abſolvi: In quo ſi fuerint abſoluti, & ipſos contigerit ſanitati reſtitui, niſi ſatisfecerint infrà menſem, eadem ſententia ligari volumus eo ipſo. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, hujuſmodi Excommunicationis ſententiam ubicumque expedire videritis &, præcipuè in locis maritimis, ſeu mari vicinis ſolenniter publicetis. Non obſtante ſi alicui, vel aliquibus, ſub quacumque forma, vel conceptione verborum, à Sede Apoſtolica ſit indultum quod excommunicari non poſſint per litteras ſedis ejuſdem, non facientes plenam, & expreſſam, acde verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentiam, generali vel ſpeciali cujuſcumque tenoris vel expreſſionis exiſtat, per quam effectus præſentium impediri poſſit, vel quomodolibet retardari. Datum Avinion. quarto Calendas Aprilis Pontificatus noſtri Anno primo.

ANNO 1317.

III. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 3. pag. 620.

Super Roberto de Brus, & Eduardo Fratre excommunicandis: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Dublinenſi, & Ceſſellenſi Archiepiſcopis; ac dilecto filio Decano Eccleſiæ Dublinenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

HAbet inſinuatio pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ, noviter facta nobis quod Robertus de Brus, dudum Comes de Carrik, & Eduardus Frater ejus, in eam ab olim prorupere furoris audaciam, quod Homagium & fidelitatis juramentum, per eos præſtita, claræ memoriæ, Eduardo Regi Angliæ, Regis genitori prædicti, temeritate prætereuntes damnabili, & obſervantiæ cultura debitæ non colentes, eidem Genitori, dum viveret in Terra ſua Scotiæ efrænatis auſibus guerrarum moverunt, quam nedum contra Regem ipſum poſt gubernacula Regni ab ipſo ſuſcepta, reproba continuantes profecutione, quin etiam Dei timore poſtpoſito, & omni fidelitatis fœdere violato, in augmentum ſceleris adaugentes, Regnum Angliæ, ac Terras Valliæ & Hiberniæ invaſerunt hoſtiliter, & depopulatis agris quamplures Civitates, Caſtra, & alia plura loca in ipſis, Regno & Terra proditionaliter occuparunt, perſonis pluribus tam in Regno, quàm in Terris prædictis etiam in locis ſacris ſine delectu conditionis ſexus, ordinis, vel ætatis, in ore gladii trucidatis immaniter, & multis exulare coactis. Et nihilominus nec ſacrilegium execrantes, nec incendiariorum pœnas horrentes, Ædes Sacras, Eccleſias, & monaſteria, ac Loca Religioſa, divino cultui dedicata deſtruere ac comburere, Dei calcata reverentia, nequiter præſumpſerunt, bonis & rebus, ſiſtentibus inibi, quæ potuerunt ab incendio præſervari furtivis manibus non ſine reatu ſacrilegii aſportatis. Ex quibus in partibus illis Divinus cultus eſt non leviter diminutus, fidei & devotio Chriſtiana notabiliter tepuerunt & dictus Rex in Regaliis ſuis grande ſubiit, & ſubit jugiter detrimentum; unde ad aſſumptionem ultra marini paſſagii, ad quod, ut aſſerit ferventer anhelat, minus habilis redditur, & multipliciter impeditur. Nos igitur, exceſſus hujuſmodi, quos in partibus illis, ſicut audivimus, & facti evidentia, & quaſi communis aſſertio publicat, eò magis horrentes, quò eis diſplicibiliores eſſe novimus Regi pacifico, cujus vices gerimus in Terris, licet immeriti quove ipſos in Regnum Angliæ, Eccleſiæ Romanæ præcarum, ac Terras prædictas, & in Regis prædicti perſonam, quem, veluti Filium prædilectum, ſpecialiter inter brachia caritatis internæ complectimur, cernimus fuiſſe commiſſos; & proindè tam exceden-tium ſaluti proſpicere quàm Regis occur-

rere

ANNO 1317.

rere præfati dispendiis, ac statu suo pacifico providere paternis affectibus cupientes discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus vos vel duo, aut unus vestrum, dictos Robertum de Brus & Eduardum Fratrem ejus, ac omnes & singulos, quos ipsorum in præmissis excessibus complices fautores, & valitores esse noveritis, per vos, vel alium, seu alios canonicè moneatis, ut ab invasione & impugnatione dictorum, Regis & Regni, ac Terrarum prædictarum, penitus desistentes, quæcumque in Regno Angliæ, ac Terris Valliæ & Hiberniæ prædictis, temere occuparunt infra certum competentem terminum, per vos aut duos, vel alterum vestrum præfigendum, eadem dicto Regi, vel certo suo mandato, cum effectu restituant, & in pace dimittant. Et quia de occupatis hujusmodi ab occupationis tempore, fructus, redditus & proventus, & jura indebitè percepisse feruntur, præcipiendo subjungimus quod, de perceptione ipsa, & perceptorum valore, cum diligentia inquirentes, ut quæcumque ipsos, per prædictæ inquisitionis indaginem, indè minus justè percepisse reperitis, si extant, alioquin justam extimationem eorum, infra certum tempus, vestro moderandum arbitrio, dicto Regi, vel certo mandato suo reddant restituant, sive solvant, auctoritate prædicta canonice moneatis. Quod si forte hujusmodi monitioni vestræ quin potiùs Apostolicæ parere contempserint, vos eos & eorum quemlibet, quos ex nunc, & ex tunc excommunicamus, excommunicatos publicè, diebus Dominicis & Festivis pulsatis campanis, & candelis accensis, ubicunque vobis expediens fore videbitur, nuncietis, & denunciari, ac ab omnibus evitari arctiùs faciatis, ipsam insuper aggravaturi sententiam prout inobedientia eorum exegerit & facti qualitas suadebit. Et ut in his impedimenti vel obstaculi cujuslibet tollatur occasio, omnes & singulos, eisdem Fratribus homagio & juramento hujusmodi, quo ad præmissa, penitus absolvendi, ac inhibendi firmiter ne quisquam de cætero eisdem Roberto & Eduardo Fratri ejus, in prædictis excessibus, vel eorum aliquo, faveat pareat vel intendat, ac dissolvendi, vacuandi irritandi & revocandi omnes pactiones, obligationes, confœderationes & colligationes ab ipsis fratribus, & sibi adhærentibus, & quibuslibet aliis quomodo libet initas, juramento, vel quacunque alia firmitate vallatas. Nec non & relaxandi hujusmodi & quælibet alia juramenta à quibuscunque præstita, per quæ possent excessus nutriri prædicti, ac debita de illis satisfactio & occupatorum restitutio impediri, prout ea secundum Deum videritis dissolvenda, vacuanda, irritanda, seu etiam relaxanda. Et insuper inquirendi contra ipsos, Robertum & Eduardum, & quoslibet alios de damnis datis Ecclesiis, Monasteriis, Religiosis locis, & Ecclesiasticis, Secularibusve personis, ac illos & eorum quemlibet ad satisfaciendum debite de eisdem, per censuram Ecclesiasticam, & aliis remediis de quibus vobis expedire videbitur compellendi. Non obstante si eis vel eorum aliquibus, à sede Apostolica sit indultum, sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari quavis auctoritate non possint, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia, generali vel speciali, cujuscunque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeret quomodo libet vel differri. Vobis & vestrum cuilibet, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem.

Datum Avinion. 4. Calendas Aprilis Pontificatus nostri Anno primo.

Bulla contra Fratres de Ordine Mendicantium ad Populum Hybernicum rebellionem prædicantes: Anno 1317.

IV. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. pag. 630.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei venerabilibus Fratribus Dulinensi & Castellensi Archiepiscopis, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Dublinensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

DOlenter audivimus, & ægro animo recensemus, quod nonnulli Fratres de ordinibus mendicantium, eos quos profitentur, ordines damnabiliter polluentes, & plerique Rectores, Vicarii, & Capellani Parochialium Ecclesiarum de Hiberniæ partibus, qui deputati ad directionem, & regimen populorum, eis deberent doctrinæ lumine viam veritatis ostendere, & ipsos laudabilium operum exemplari vehiculo deducere ad salutem, facti sunt illis in deviationem potiùs & ruinam: dum iidem Fratres Rectores, Vicarii, Capellani tanquam Viti discoli, patis semitas minimè cognoscentes, Hibernicum Populum, carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris subjectum dominio, ab ipsius obedientia, & fidelitate, nedum persuasiones occultas & prava consilia quin etiam per prædicationes & monita publica, temerariis ausibus, retrahunt, & ad impugnandum jura Regalia, & Rebelliones calcaneum guerrarum turbinibus concitatis erigendum in Regem eundem, potenter inducunt. Non attento quod per id impediendo bonum pacis, & obedientiæ fiunt procul dubio Dæmonum adjutores, accensum ignem illorum studio tanquam lignis nutrientes injectis, suscitata nutrientes scandala, & illud, quod extinguere deberent incendium, fovere temerè non verentes & nihilominus non timentes animas decipere talium, eos qui suis in hac parte siniſtris suggestionibus acquiescunt à perpetratis ac etiam perpetrandis in hujusmodi prosecutione guerrarum homicidiis, incendiis, sacrilegiis, & rapinis absolvere reproba temeritate præsumunt. Nos itaque tot malorum materiam, à radice præcidere cupientes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, omnes & singulos Fratres prædictorum, & aliorum Ordinum, Rectores, Vicarios, & capellanos Ecclesiarum partium prædictarum, & alios de quibus vobis expedire videbitur, cujuscunque status, ordinis, dignitatis, gradus, aut conditionis existant, auctoritate Apostolica moneatis, ut à prædictis suasionibus, consiliis, prædicationibus, monitis, & absolutionibus, & aliis omnibus & singulis per quæ guerra, seu discordia posset in partibus nutriri prædictis, prorsus abstineant, & omninò desistant, infra dierum octo spatium à tempore monitionis hujusmodi computandum. Alioquin eos, in quos ex nunc prout ex tunc, excommunicationis sententiam promulgamus, excommunicatos

ANNO 1317.

publicè singulis diebus Dominicis & Festivis, pulsatis campanis, & extinctis candelis, ubicumque vobis expediens esse videbitur, publicè nuncietis, processuri auctoritate prædictâ gravius contra eos prout eorum inobedientia, & facti qualitas suadebit. Volumus insuper, vobisque mandamus, ut de personis, quæ sint, vel fuerint in hac parte culpabiles, inquiratis cum diligentia veritatem, & quos, per hujusmodi inquisitionis indaginem, reos inde forecompereritis, sic prout justum fuerit, eadem auctoritate canonicè puniatis, quod & ipsi talia se commisisse pœniteant, & alii exemplo territi, præsumere similia pertimescant. Nos enim vobis & vestrum cuilibet præmissa omnia, & singula faciendi plenam & liberam concedimus, tenore præsentium potestatem. Non obstante si aliquibus, vel alicui, aut eorum ordinibus specialiter, vel generaliter à sede præfata indultum existat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi, ac de propriis Ordinum, locorum, & Personarum ipsarum nominibus mentionem; & quibuslibet literis, privilegiis, & indulgentiis, generalibus, vel specialibus, quibuscumque dignitatibus, ordinibus, personis, & locis sub quacumque forma, vel conceptione verborum à dicta sede concessis, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentionem in nostris litteris fieri oporteat specialem. Datum Avinion. quarto Idus Aprilis Pontificatus nostri anno primo.

V. ibid. p. 635.

Bulla, de Treugis inter Regem, & Robertum de Brus ineundi: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gauselino, Tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Presbytero, & Lucæ, Sanctæ Mariæ in Via lata, Diacono, Cardinalibus, Apostolicæ sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Vocatis nobis, licet insufficientibus meritis ad Apostolatus Officium occurrit, quasi confestim considerationis nostræ conspectui, acerbis infesta molestiis periculosa dissensio, quam inter carissimum in Christo Filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, & dilectum filium, nobilem Virum, Robertum de Brus gerentem se pro Rege Scotiæ, jam dudum Incentor malorum omnium suscitavit, amaras nobis, suas circumstantias, quas frequenter, dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus repræsentans. Hinc etiam se offerebant, & offerunt nostris obtutibus impedimentum proindè facile receptura pia Dei negotia, & præcipuè Terræ Sanctæ, desertæ incolis Christi fidelibus, ipsorumque destitutæ suffragiis, cui Catholicis Principibus distractis ad Bella Civilia, Consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis. Hinc se ingerebant, & ingerunt animarum pericula, Christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum ipsorum dissidentium, suarumque Gentium, sed & quamplurium aliorum, in ipsorum commotione, periculosa turbatio pariter & damnosa. Hæc quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrum interpellant Officium, ut ad occurrendum, per opportuna remedia, tanto Religionis Christianæ discrimini ocius exurgamus. Attendentes igitur quod ad nos, qui licet immeriti, Vices Regis Pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatis, Apostolorum Principi, suisque successoribus ex alto concessæ singulariter pertinet in Universali Ecclesia cunctave Congregatione fidelium, pacem quærere, ac ipsam facere diligentius reservari. Ut vobis, quod ad Angliæ & Scotiæ Regna, ac Hiberniæ & Valliæ partes, pro tractanda & reformanda concordia inter Regem & Nobilem ante dictos, tanquam pacis Angelos destinamus ad id, juxta nostrum desiderium, via eo paratior, eoque facilior pateat quo, Rex & Nobilis ante dicti, ac partium ipsarum incolæ minorum dissidiorum turbine quatientur, inter Regem ipsum, complices, fautores, valitores, Consiliarios ejus, ac adhærentes ei ex una parte, & præfatum nobilem, complices, fautores, Valitores, & Consiliarios ejus, ac adhærentes ei ex altera Treugas, quarum fœdus, pacis inducit imaginem auctoritate nostra inducendi, usque ad biennium duraturas, de quo & prout videritis expedire, ac omnium & singulorum, Treugas ipsas infringentium aut quomodolibet non servantium personas, excommunicationis sententias promulgandi. Non obstante si eis, aut eorum alicui, sub quacumque forma vel modo verborum sit indultum quod excommunicari, vel eorum Terræ Ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & quælibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit, vel quomodolibet differri. Treugas hujusmodi, sic indictas, & excommunicationis, ac interdicti sententias promulgatas ubicumque, & quibuscumque vobis expedire fore videbitur, per vos, vel alium seu alios notificandi ac solemniter publicandi. Et nihilominus omnes & singulas Commissiones, obligationes, confœderationes & colligationes, super hujusmodi dissensionibus, seu discordiis nutrientibus, inter quoscumque, & à quibuscumque quomodolibet initas, vel ineundas, veluti contra bonum pacis assumptas illicite, & attentatas in divinæ majestatis offensam, & quascumque pœnas, adjectas vel adjiciendas, ac juramenta, præstita vel præstanda, super illis, sub quibuscumque, forma, modo, vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat ex nunc nulla fore decernimus, & quatinus de facto processerint, irritamus, nulla & irrita nunciandi, plenam & liberam vobis & vestrum cuilibet concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avinion. Calendas Maii Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1317.

VI. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 3. pag. 688.

Bulla de excommunicando Regni Invasores, & Turbatores Pacis Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gauselino tituli sanctorum Marcellini, & Petri, Presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata, Diacono Cardinalibus, Apostolicæ sedis nuntiis, salutem & Apostolicam benedictionem.

PErsonam carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris, ejusque Regnum inclitum ea dilectionis sinceritate prosequimur, ut suum dicti Regni statum à guerrarum fluctibus liberum, & à discriminum, paternis desideriis affectantes, ad procurandum tranquilliratem & quietem illius, opportunum Apostolicæ sedis Patrocinium, quantum cum Deo possumus liberaliter impendamus, quatinus Rex ipse, securitate sibi ab insidiis æmulorum indulta utilitatibus propriis liberius possit intendere, seque ad assumendum negotium Terræ Sanctæ, nostris præcordiis non mediocriter insidens, ad quod, ut asserit, firmiter anhelat, habilius valeat præparare. Cum itaque, sicut displiceter audivimus, ipsorum Regis & Regni Pax & optanda tranquillitas, nedum sit forinsecis Guerrarum turbinibus perturbata, sed & intestinis periculosè lacerata scissuris, dum nonnulli magnates & Domini dicti Regni, spreto fidelitatis debito ipsius Regis obedientia se subducunt, & tàm illi, quàm alii in ipsum, ac regnum prædictum, & Terram suam Hiberniæ impugnationis & invasionis reprobandæ conatus exercent. Nos eisdem, Regi & Regno præmisso considerationis intuitu, circa id, quantùm in nobis est, prospici cupientes, in omnes & singulos cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis ac status, qui Regem ipsum, Regnum & terram prædicta, aut eorum partem invadere, vel Regnum ipsum, & Terram contra Regem eundem, cum Armis, vel sine Armis intrare præsumpserint, aut alias eorum pacem & tranquillitatem injustè turbaverint, seù hujusmodi Turbatoribus aut Invasoribus in Pecunia, equis, vel armis, vel aliis circa hæc præstiterint auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, Excommunicationis in personas, & interdicti sententias in Terras eorum auctoritate præsentium, promulgandi. A qua quidem Excommunicationis sententia, sine speciali mandato sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, absolvi nequeant, in quo etiam, si fuerint absoluti, & ipsos contigerit sanitati restitui, nisi satisfecerint infrà mensem, eadem sententia eo ipso ligentur. Nec non ad quascunque pœnas alias, spirituales & temporales contra illos debitè procedendi. Et insuper, sententias atque pœnas, ubicumque & quotiescumque expedire videritis, & præcipuè in locis maritimis, seu mari vicinis per vos, vel alium, seù alios solemniter publicandi. Ac omnes pactiones, obligationes confœderationes & colligationes circa præmissa, vel eorum aliquod factas, Juramento vel quacunque firmitate alia roboratas, nullas, irritas, & Juribus, vacuas nuntiandi, vacuandi, seu dissolvendi, irritandi & revocandi, quatenùs de facto processerint. Nec non & Juramenta, circa id præstita, proùt secundum Deum expedire videritis, relaxandi. Et alia, quæ circa præmissa, & ea tangentia, fuerint opportuna, mediante Justitia, faciendi; non obstantibus quibuscunque commissionibus superdictis, vel eorum aliquo, vobis aut quibuslibet aliis, aliàs per nos factis: quibus tamen per hæc non intendimus derogare; Sed eas volumus in suo vigore manere: Aut si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod excommunicari, vel eorum Terræ Ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras sedis ejusdem non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ sedis Indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit, vel quomodo libet retardari vobis, aut vestrum alteri, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium facultatem.

Datum Avinion. quarto Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno secundo.

VII. Ex Anecd. Martene Tom. 1. pag. 1349.

Ne quis è Fratribus ordinis Prædicatorum in Episcopum electus absque facultate superiorum electionem acceptet: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis & fratribus Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

ORdinis vestri sacra Religio promeretur, ut petitionibus vestris quantùm cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Oblata nobis siquidem vestra petitio continebat, quod sæpe contingit, Fratres ejusdem ordinis in Episcopos eligi vel etiam postulari ab illis ad quos de jure hujusmodi electio seù postulatio dignoscitur pertinere. Nos itaque volentes super hoc remedium adhibere, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ut nullus Fratrum vestri ordinis electionem, seù postulationem de se factam valeat acceptare, nec etiam aliquatenùs consentire, nisi prius petita, & obtenta speciali licentia à Magistro ordinis supra dicti, vel à Priori Provinciali suo duntaxat, de cujus provincia hujusmodi electus fuerit, vel etiam postulatus, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædecessoris nostri super hoc edita, & qualibet alia contraria non obstante.

Datum Avenione decimo sexto Calendas Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

VIII. Ex Miscel. Baluzii Tom. I. pag. 195.

Fratri Michaeli Ordinis Minorum committit causam quorundam Fratrum ejusdem Ordinis non benè de fide sentientium: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Michaeli Monacho Ordinis fratrum Minorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Provinciæ ac Forqualquerii Comitatibus, nec non & in Civitatibus, terris & locis infra Arelatensem, Aquensem, Ebredunensem, & Viennensem provincias consistentibus auctoritate Apostolica constituto salutem, & Apostolicam benedictionem.

SUper omnia desiderabilia cordis nostri fidei catholicæ continuum increm entum intensio-

ANNO 1317.

ribus desideriis cupientes, gravi mirum dolore torquemur cum audimus aliquos vel sentimus ad depressionem illius qualicumque malignitatis astutiâ vel colore satagere aut ei detractionibus vel commentis mendacibus derogare ad quorum iniqua sternenda molimina eo ferventiùs nostra suspirat intentio quò pernicioſiùs in animarum stragem perversis conatibus machinantur. Nuper siquidem non absque multa mentis turbatione, percepto quòd nonnulli prætensi minorum ordinis Fratres solo nomine professores ad eam mentis inopem cecitatem devenerant quòd hæretica labe respersi adversùs saluberrimam Christianæ fidei veritatem . . . . . sentiebant & alios verbis mendacibus sub mentitæ pallio sanctitatis in errorum suorum devium trahere ipsosque errores defendere pro viribus conabantur, nos, qui sollicitudine vigili contra talium dolosam astutiam opportunum remedium libenter ubilibet adhibemus, ne virus hujusmodi in eodem ordine sub specie sanctitatis hujusmodi subintraret, tibi mandasse recolimus oraculo vivæ vocis ut adversùs eosdem prætensos fratres procederes juxta canonicas sanctiones & de illis faceres justitiæ complementum. Verùm intendentes ut eò tutius ad hujusmodi pestis omnimodam exterminationem procedas quò per nos certiori fueris auctoritate munitus, discretioni tuæ, de qua fiduciam obtinemus in Domino specialem, per Apostolica scripta committimus, & mandamus quatenus contra fratres Johannem Barravi, Guillelmum Santoni, Deodatum Michaelis, Pontium Rocha, Bernardum Aspa, Berengarium Tortelli, Petrum Fabri, Vincentium Girandi, Bernardum Antinaci, Guiraudum Martini, Bernardum Franciſci, Guillelmum Arnaudi, Jacobum Seguini, Johannem Razerii, Raimundum Bordini, Arnaudum Raimundi, Franciſcum Sanctii, Guillelmum de Sancto Amantio, Franciſcum de Badonis, Servianum Philippum Ferrarii, Arnaudum Maurini, Jacobum de Rivo, Arnaudum de Felgunio, Guillelmum Girandi, & Bernardum Boneti prætensos dicti Ordinis professores eadem labe respersos, quorum aliqui à quibusdam mandatis auctoritate nostra factis eisdem certas appellationes, & protestationes interposuisse noscuntur & omnes & singulos ipsis adhærentes sic efficaciter & solerter juxta statuta canonica procedere studeas quod per tuæ sollicitudinis circumspectam prudentiam dicti Ordinis sacra plantatio, exterminatis vulpeculis, quæ illum venenosis morsibus demoliri præsumunt, fructus offerat catholicæ veritatis. Nos enim super præmissis contra eos juxta statuta hujusmodi procedendi & alia omnia, & singula quæ circa præmissa opportuna fuerint facienda & etiam exercenda, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus etiam ordini, aut ipsius ordinis fratribus vel eorum aliquibus sub quavis verborum forma concessis, quæ prætensis fratribus & adhærentibus supra dictis contra præmissa, vel aliqua præmissorum in nullo volumus suffragari, & tam de duabus dictis in Concilio generali quàm felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri editis, per quas judices à sede deputati prædicta extra Civitates & dioceses in quibus deputati fuerint, aut aliquos ultra unam dictam à finibus suæ dioceſis trahere prohibentur, & aliis contrariis Constitutionibus quibuscumque, sive si aliquibus communiter vel divisim à dicta sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca trahi vel ad judicium evocari non possunt per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum personis ac locis ac nominibus propriis vel ordinibus mentionem, & qualibet dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam tuæ jurisdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, plenam tibi concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus insuper & Apostolica auctoritate decernimus quòd à data præsentium tibi sit in præmissis omnibus & singulis præsentibus & futuris perpetua potestas & jurisdictio attributa, ut eo vigore illaque firmitate possis in præmissis omnibus cæptis & non cæptis præsentibus & futuris procedere, ac si jurisdictio tua in prædictis omnibus & singulis per citationem vel alium modum perpetua legitimum extitisset. Datum Avinioni 8. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

ANNO 1318.

I X.
Ex Archiv. Angliæ Tom. 3. p. 707.

De Berewico post publicationem Treugarum occupato de litteris Apostolicis laceratis, & de Roberto de Brus excommunicando: anno 1318.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Gaucelino tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Presbytero, & Lucæ Sanctæ Mariæ in Via Latâ, Diacono, Cardinalibus, Apostolicæ sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CRescit facile in immensum impunita temeritas, cum unius impunitas ausum in aliis parere soleat, & ausus excessivos persæpe producant. Quantæ autem temeritatis fuerit, his diebus, Roberti de Brus, Regnum Scotiæ nunc Regentis, suorumque in hac parte complicum, effrenata præsumptio, non expedit nobis longo sermone retexere ne doctos instruere videamur aut certiorare scientes. Nostris etenim, sicut illi quos evidentia palpatæ veritatis instruxit, qualiter à nostræ promotionis auspiciis, Piis attendentes effectibus Animarum & Corporum pericula gravia, & immensa dispendia facultatum, quæ molesta nimis & damnosa dissensio, inter carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, ex una parte, & prædictum Robertum ex altera, prætextu occupationis injustæ dicti Regni Scotiæ, in qua Rex ipse Robertum eundem injuriare sibi conqueritur, procurante cunctorum incentore malorum, ab olim exorta, mundo produxerat, & quæ, nisi prospiceretur ex alto, producere graviora verisimiliter timebatur: Considerantes etiam impedimenta non levia, quæ ipsa Dei negotia, & præcipue illius Terræ necessitas, in qua Redemptor noster nasci, & pati, pro salute nostra dignatus est, propterea subierunt, & quæ poterant ex ipsius dissensionis continuatione subire; ut tantis discriminibus, Deo propitio, possimus occurrere, totque obviare præpediis atque damnis, ad ponendum, in tranquillitate dissidentes eosdem, ac solitæ caritatis unanimitate conjungendum, vota nostra, Domino inspirante, direximus, vosque, quos ad id elegimus ministros idoneos de Fratrum nostrorum Consilio, in partes illas, tanquam Pacis Angelos propter hæc providimus destinandos. Et ut eo habiliùs

ANNO 1318.

via pateret, ad pacificandum dissidentes eosdem, quo minoribus Guerrarum flatibus quaterentur inter eos & adhærentes eisdem certi temporis Treugas indiximus : quas à die publicationis earum à nobis, per nos vel alium, seu alios faciendæ, suum volumus obtinere vigorem ; ex tunc in personas non servantium, seu infringentium Treugas hujusmodi, Excommunicationis sententia promulgata. Vos autem injunctum vobis Officium tam humiliter, quàm utiliter exequi cupientes, directis versus Dunelmiam gressibus, ad Robertum ipsum venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Carbanensem, & dilectum filium Magistrum Aymericum Girardi Archidiaconum Eluensem, Familiares vestros, & nuncios mittere curavistis ; qui & sibi pacificum vestrum pronunciarent adventum, & litteras nostras directas eidem salutaria super prædictis continentes monita præsentarent. Ipse verò intelligere nolens ut bene ageret, sed aures suas, more aspidis surdæ, ne audiret vocem Patris sapienter exhortantis, obturans, quasi de impensa à nobis super his benignitate, superbiæ concepisse videatur audaciam iniquitatem, de exhibita sibi per Apostolicam sedem mansuetudine, non absque ingratitudinis vitio parturivit, contemnens ipsas nostras recipere litteras, per Nuncios ipsos eidem oblatas. Et, ut contemptus contemptui adderetur, literæ nostræ super Treugarum ipsarum publicationem confectæ, quas per duos fratres minores in Scotiam mittebatis, in ingressu Scotiæ, non absque ipsius conniventia, violenter ipsis ablatæ fratribus, & dictæ sedis calcata reverentia totaliter laceratæ fuerunt ; Fratribus ipsis nihilominus inhumaniter spoliatis ; Ne non fore posset ambiguum, quicquid malignitas in hac parte conceperit, licet Treugæ prædictæ per vos, vel alium, seu alios de mandato nostro per Angliam solemniter publicatæ fuissent, ita quod verisimiliter potuerat ad ejus notitiam hujusmodi publicatio pervenisse : ne lateret eum cominùs positum quod aliis eminus constitutis non credebatur occultum ; ipse tamen Treugas ipsas, non absque multæ insolentiæ temeritate & plectibili nostro & sedis prædictæ contemptu, spretaque sententia ante dicta, observare contempsit. Villam Berevici, quam præfatus Rex Angliæ possidebat, & in qua, ad ipsius Roberti instantiam, de pace, inter Regem ipsum & Robertum eundem per tractatores communes, tractari debebat, post publicationem Treugarum ipsarum, & conventionem Tractatus ipsius, nequiter invadens, & eo liberius occupans, quo numquam eidem Regi poterat super hoc inesse suspicio, Tractatu pendente prædicto, ac cædem crudelem & magnam in Gentem Regiam sistentem inibi ac incolas dictæ Villæ perperam, & iniquè committens ; per quod non est dubium Robertum ipsum, & in his adhærentes eidem, prædictam sententiam incurrisse. Hæc & alia, quæ ad præsens in silentio præterimus, fecerant dicti Robertus & complices, prout nobis intimare curatis, & tacuimus usque modo sperantes ut eorum corda, tangente Domino, post tantorum culpam excessuum alicujus humiliationis signa prætenderent, filialis devotionis exolverent debitum, & ad ea, quæ pacis sunt, animos inclinarent. Ipsi verò, velut vitiis malleatoris pertinacia solidata constructi patientia nostræ longanimitatis damnabiliter abutentes, in elationis obstinatæ vitium corruerunt. Nos igitur illatam nobis & Apostolicæ sedi, & vobis in præmissis injuriam, & in his, adhærentium sibi detestandos & enormes excessus, nec volentes, nec valentes conniventibus oculis pertransire, cum ad eos compescendos, ne periculosa in alios exempla alveo diriventur, excercendus sit potiùs Ecclesiasticæ gladius ultionis, discretioni vestræ, de qua, in his, & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus præsentium tenore, committimus & mandamus, quatinus, per vos, & alium, seu alios, prædictum Robertum & adhærentes eidem, prædictam incurrisse sententiam, in Ecclesiis & in locis insignibus, de quibus expedire videbitis, prout justum & æquum fuerit, nuncietis solemniter & publicè singulis diebus Dominicis & Festivis ; contra eos nihilominus ad pœnas alias spirituales & temporales, prout vobis videbitur, juxtà prædictorum qualitatem excessuum, auctoritate Apostolica processuri. Et si, quod absit, in sua nequitia ulterius perseverare præsumpserint, indurantes instar lapidis corda sua, vos juxta contumaciam & excessuum exigentiam, nostros in eos curetis exaggerare processus. Nos enim præmissa omnia & singula faciendi & exequendi, nec non prædictos, & quoscumque alios prædictæ Pacis & Concordiæ Turbatores, seu Impeditores, sive Incolæ dictorum Regnorum, sive quicumque alii, & undecunque fuerint, & omnes & singulos complices adjutores, Valitores, Consiliarios, Fautores, & sequaces eorum hac in hoc adhærentes eisdem, publicè, vel occultè, etiamsi inter eos personæ aliquæ Ecclesiasticæ fuerint, cujuscumque sint hi vel alii conditionis, Dignitatis, ordinis, sive status Ecclesiastici vel mundani, quamvis Archiepiscopali vel Episcopali præfulgeant dignitate. Ut ab hujusmodi turbatione sine impedimento, nec non ab omni favore, Consilio, Auxilio, sequela, & adhærentia circa id impediendis, omnino desistant ; & Excommunicationis in Personas, & interdicti sententias in Terras & Ecclesias eorum, ac per privationem Feudorum, locationum, officiorum, & quorumcumque beneficiorum spiritualium, citra Archiepiscopalem & Episcopalem Dignitatem, aut etiam Temporalium, quæ à quibuscumque Ecclesiis obtinebunt, ut sic liberè illa ad ipsas Ecclesias revertantur, quod Prælati, & Rectores eorum, aut alii, ad quos id pertinebit, de illis pro sua voluntate disponant, ac per inhabilitationem etiam tam Personarum ipsarum Ecclesiasticarum Archiepiscopis & Episcopis duntaxat exceptis, quàm filiorum, Nepotum & aliorum descendentium ab ipsis turbatoribus & Impeditoribus laicis, usque ad secundum gradum ad quævis Ecclesiastica Beneficia obtinendum, & per alia juris remedia, de quibus, & prout expedire videritis, appellatione remota debite compescendi. Omnes quoque ac singulos qui eisdem Turbatoribus seu Impeditoribus laicis aut eorum alicui juramento fidelitatis tenentur astricti, ab ipso juramento quamdiu ipsis pacis hujusmodi extiterint absolvendi. Et alia faciendi, quæ circa præmissa vel aliqua de præmissis fuerint opportuna. Non obstante si eis aut eorum aliquibus, vel alicui à sede Apostolica sit indultum, sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut eorum Terræ, vel Ecclesiæ Ecclesiastico interdicto supponi quavis auctoritate non possint, & qualibet alia dictæ sedi indulgentia, generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri. Vobis & vestrum cuilibet plenam & liberam concedimus, tenore præsentium

ANNO 1318.

facultatem. Per hæc autem non intendimus in aliquo derogare commiſſionibus, ſuper his, vel aliis quibuſlibet, vobis aliàs per nos factis; ſed eas nihilominus in ſuo volumus remanere vigore.

Datum Avinion. quarto Calendas Junii Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

X.
Rimer. Tom. 3. pag. 716.

Contra exceſſus Seneſcalli Vaſconiæ: Anno 1318.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Edvardo, Regi Angliæ illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INfuſum à Deo tuis eſſe præcordiis promtum tibi ſit, quantùm ad te pertinuerit, juſtitiam miniſtrare; Sed ubi præſertim de injunctis gravaminibus, per officiales tuos noſtris illatis familiaribus, agitur, de tua filiali devotione fiducia, quod ad juſtam reformationem illorum Regia Celſitudo promptius inclinetur. Sanè dilectus filius nobilis Vir, Seneſcallus tuus, in Vaſconiæ partibus, dilectum filium, nobilem Virum, Jordanum de inſula, Domicellum & familiarem noſtrum, in multis jam injuſtè ſicut accepimus, gravavit, & gravare non ceſſat, eumque de perſona fecit capi pro libito, & adhuc detinet carceri mancipatum, in juris injuriam, & grandem ipſius Jordani jacturam. Et, licet jam, binis vicibus Jordanum eundem, in ſua juſtitia, Seneſcallo prædicto commendaverimus, confidenter ſperantes Jordanum ipſum apud Seneſcallum eundem, ipſius noſtræ recommendationis intuitu, aliquid reperire favoris. Ipſe tamen Seneſcallus, factus ex noſtræ interceſſionis adjectione ſeverior Jordanum ipſum gravaminibus pluribus in intercedentis, ut videtur contemtum, affecit. Quia igitur fili cariſſime, hæc tuis affectibus placitura non credimus, celſitudinem tuam attentè requirimus & rogamus, quatinùs prudenter attento quod, in illis præcipuè partibus tua plurimum intereſt, in juſtitia, & lenitate gubernare ſubjectos, ut ipſi ſub tuo felici Regimine absque inculcatione gravaminum, vitam fælicem degentes, ad tua reddantur, ſi neceſſè fuerit exequenda ſervitia promptiores. Circa prædictorum Reformationem gravaminum, ac debitam liberationem Jordani prædicti, nec non circa correctionem injuſtè gravantis opportunum mandes, ac facias adhiberi remedium, per quod etiam via præcludatur quantùm honeſtè fieri poterit, ſub dictorum gravaminibus in futurum, ſic te, fili chariſſime, in his habiturus, quod juſto Judici placeas, & nobis, qui ad Jordanum ipſum conſiderationibus certis afficimur cum gratiarum actionibus commendamus occurras.

Datum Avinion. Calendas Julii Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

ANNO 1319.

XI.
Ibid. pag. 764.

Bulla, de licentia tractandi de pace cum excommunicatis: Anno 1319.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

ATrendentes, fili cariſſimi, incommoda grandia, & diſcrimina varia, non facile numeranda, quæ ex guerrarum turbinibus, & bellicis congreſſibus ſunt ſolita provenire, intenſo deſideramus affectu, & ingenti deſiderio affectamus inter diſſidentes per vias pacificas tractatus amicabiles pacis fœdera reformari. Hinc eſt quod votivum eſt nobis plurimum, & acceptum, tuæque magnificentiæ, tenore præſentium indulgemus, ut quoſvis hoſtes tuos, æmulos & Rebelles, ac eis adhærentes ad tractandum, ordinandum, & firmandum, per ſe, vel alios tecum, vel cum illis, quos ad hoc duxeris deputandos, quæ ad pacem ſunt, vel pertinere aliquatenùs poſſunt, impunè poſſis admittere, quanquam ſint innodati ſententiis à Canone, vel Homine, quavis auctoritate etiam apoſtolica promulgatis, ipſosque ad hoc cum expedire videris, invitare.

Datum Avinion. 8. Calendas Maji Pontificatus noſtri Anno tertio.

ANNO 1319.

XII.
Ibid. pag. 797.

Bulla, de Poteſtate Fulminandi contra Robertum de Brus, perpetuata.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gaucelino tituli Sanctæ Marcellini & Petri Presbytero, & Lucæ ſanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinalibus, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum poſt noſtræ Promotionis auſpicia ad ſtatum Apoſtolicæ Dignitatis, antiquatam ab olim inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eduardum Regem Angliæ illuſtrem, & Robertum de Brus, tunc Regnum Scotiæ Gubernantem, Diſſenſionis odioſæ materiam in animo revolventes, & animarum deflenda pericula dolentes; Fidelium ſtrages innumeras, multiplicia diſpendia facultatum, & nocumenta graviſſima, quæ multis Regnorum ipſorum Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, ipſius protractio diſſenſionis intulerat, ac diſpendioſa, quæ paraverat obſtacula negotio Terræ ſanctæ, & veriſimiliter poterat formidari, ne ſimilia forſan objiceret in futurum; vias & modos, quibus circa præmiſſa, Domino propitiante ſalubria adhibere poſſemus remedia, cum multa diligentia duximus exquirendum. Et tandem ad perſonas veſtras noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum, vos ad Angliæ & Scotiæ Regna ac Hiberniæ, & Valliæ partes pro reformatione pacis hujuſmodi plena vobis ſuper hoc per noſtras litteras poteſtate conceſſa, duximus deſtinandos. Et nihilominùs, ut via facilior ad hujuſmodi Reformationem pacis Domino dirigente, pateret, inter eosdem Regem & Robertum, treugas per certi temporis ſpatium duraturas, duximus indicendas, volentes illas à die notificationis, ſeù publicationis earum per vos, vel alium, ſeù alios faciendæ ſuum obtinere vigorem. Et ex tunc in perſonas non ſervantium, vel infringentium illas Excommunicationis ſententiam proferentequas per vos vel per alium, ſeù alios Regi ac Roberto prædictis & aliis, de quibus vobis videretur expediens notificari mandavimus, ſeù etiam publicari. Cumque vos poſtmodum, ſicut Apoſtolatui noſtro per veſtras litteras intimaſtis, ad executionem per miſſorum vobis negotiorum hujuſmodi volentes, ſervata debita maturitate procedere, quia de facili ad dictum Regnum Scotiæ tunc, nonnullis interjectis obſtaculis, vobis non patebat acceſſus clauſas litteras veſtras dicto Roberto, veſtri cauſam nunciantes per curſores proprios deſtinaſtis. Sed idem Robertus ſeù Gentes ſuæ,

nedum

ANNO 1319.

nedum quod ipsi Roberto permisissent easdem litteras præsentari, immo nuncios ipsos nequaquam Regnum intrare Scotiæ permiserunt. Propter quod Venerabilem Fratrem Nostrum, Petrum Episcopum Carbaniensem, & dilectum filium Magistrum Aymericum Gerardi, Archidiaconum Eluensem, Capellanum nostrum, Nuncios & familiares vestros, ad dictum Robertum, cum ipso, super his, quæ Apostolicæ vobis directæ litteræ continebant, habituros tractatum, ac ordinaturos, inter cætera, cum eodem de tempore & loco, vobis tuto, quibus super commissis vobis, possetis habere cum ipso Tractatum & colloquium destinatis. Qui demum Nuncii, non sine periculis & difficultate multiplici, prius ab eodem Roberto litteris habitis de conductu, ad Castrum de Rokesbour, in ingressu Scotiæ constitutum, finaliter applicarunt. Et cum ipsos Gentes ejusdem Roberti præsentiam ipsius Roberti nequaquam adire permitterent, & ab eodem Roberto ut ad eum possent accedere per speciales eorum litteras postulassent; Jacobus Danglars & Alexander, milites ac familiares ejusdem Roberti, cum quibusdam aliis, ad eosdem nuncios accedentes, ab eisdem nunciis litteras si quas ostendendas dicto Roberto portabant exhibere sibi, deferendas per eos ad dictum Robertum cum instantia postularunt, comminantes eisdem, quod eos aliter Regnum nequaquam intrare permitterent ante dictum. Quibus iidem nuntii Apostolicas litteras eidem Roberto directas, per quas ad pacem caritativis affectibus hortabamur, ejusdem dictis militibus tradiderunt, dicto Roberto per eosdem milites assignandas. Postmodum autem, quodam ipsius Roberti Clerico ad conducendum dictos nuncios ad ipsius Roberti præsentiam accedente. Tandem, cum dicti nuncii ad locum, ubi dictus Robertus morabatur tunc temporis applicássent, eidem Roberto causam missionis & adventus eorum oretenus exponere curaverunt; ipsum rogantes instanter quod easdem Apostolicas Exhortationes hujusmodi continentes, aliasque vestras clausas litteras, directas eidem quas ei præsentialiter assignarunt aperiret, & inspiceret diligenter, & ad contenta in eis, tanquam obedientiæ Filius responderet. Sed idem Robertus, litteras ipsas præfatis nunciis, non absque mentis indignatione; restituens, illas legere quibusdam confictis excusationibus frivolis, recusavit: & nihilominus se aliquibus nolle tractatibus pacis vel Treugarum intendere, non verens damnabiliter affirmare, vos & nuncios ipsos ad hujusmodi Tractatum admittere denegavit, eisdem nunciis, ac Propositis per eosdem responsum dare, ductus vesaniæ spiritu, denegando; quamvis nunciis dixisset eisdem, quod super præmissis deliberatione cum suis Consiliariis habita pleniori infra festum Beati Michaelis, tunc próximo secuturum, eis per suas litteras plenius responderet. Qui damnabiliter in contumacia suæ inobedientiæ perseverans, longè post dictum Terminum per suas litteras nunciis respondit eisdem, quod in responsione quam Comites & Barones eisdem nunciis per litteras ipsorum fecerant speciales, inter alia continentes, quod nisi dictus Robertus nominaretur Rex Scotiæ Tractatum aliquem super præmissis vobiscum, vel cum dictis nunciis non haberet eum persistere oportebat. Et quia ex his poterat colligi manifeste, verisimilibus conjecturis, quod dictus Robertus nequaquam Apostolicis ac vestris monitis & exhortationibus in hac parte acquiescere, datus in sensum reprobum intendebat, vos ut ad tractatum Pacis hujusmodi prosequendum liberior aditus haberetur, ac volentes futuris periculis obviare, Treugas prædictas, juxta formam ipsarum, in litteris Apostolicis super Treugis eisdem confectis annotatam, Londoniæ, ubi tunc degebatis præsentialiter publicastis; & in nonnullis aliis Angliæ & Scotiæ Regnorum prædictorum locis insignibus & confinibus eorumdem, mandastis, ac fecistis per alios publicari. Et deinde volentes Treugas easdem & indictionem ac Publicationem ipsarum, ad Roberti ac sequacium, Fautorum, & Complicum suorum & aliarum Personarum dicti Regni Scotiæ notitiam pervenire, Dilectum filium fratrem Adam Guardianum Fratrum Ordinis minorum de Bervicco nuncium vestrum, cum eisdem Apostolicis Indictionem Treugarum continentibus earumdem, & diversis aliis litteris, ac Processibus vestris, ad eosdem Robertum & Regnum Scotiæ distinastis. Qui demum, versus partes illas accedens, & obtentis ab eodem Roberto, ut ad ipsum proficisci posset, litteris de conductu, dictumque Regnum Scotiæ jam intrasset, Quidam, Alexander nomine se ipsius Roberti asserens Senescallum, præfato Guardiano occurrens in viam, prædictas, tàm Apostolicas, quàm vestras, litteras & Processus de manibus dicti Guardiani, pro viribus contradicentis, eripuit; Dicens illas se dicto Roberto, qui per medicum ab inde distabat spatium, delaturum. Qui tandem Alexander, post brevis temporis intervallum, vadens ad dictum Robertum, ut dicebat, ac rediens, literas, & Processus eosdem Guardiano sæpe dicto restituit; ei sub pœna Capitis, districtè præcipiens quod statim Scotiæ Terram & Regnum exiret; eidem litteris de securo conductu, quas petebat cum instantia, denegatis. Sed idem Guardianus, mandatum vestrum hujusmodi, nequaquam propter hoc negligens ut potuit adimplere, Treugas ipsas & indictionem earum, in vulgari suo, sonoro Præconio pluribus ibidem Scotis astantibus, publicavit; & subsequenter, de loco ipso recedens & inter suum prosequens festinanter, cum ab eodem Alexandro elongatus per modicum spatium extitisset, quidam dicti Roberti satellites, ipsum sacrilegis ausibus aggredientes in via, eum litteris & Processibus ante dictis, habituque suo, ac vestibus paupertatis, & rebus aliis quas portabat immaniter spoliarunt. Et insuper dictus Robertus, tantam inobedientiam & contemptum satagens sub rectæ intentionis palliare velamine, & fraudulenter confingens ad Pacis aspirare tractatum, eidem Regi Angliæ litteras destinavit, & per illas litteras vobis scripsit, quod ab eodem Rege literis obtentis de securo conductu, ad vos sex vel plures mitteret Tractatores. Ad quod ei per vestras litteras respondentes, illas cuidam nuncio, qui easdem suas ad vos detulerat literas, ad eum deferendas, specialiter tradidistis; qui cum usque ad ingressum Scotiæ cum eisdem litteris accessisset, dicti Roberti Gentes nuncium ipsum ad eundem Robertum dictas portare literas minimè permiserunt; quas ad vos postmodum idem nuncius clausas, sicut prius & integras reportavit. Deindè verò præfatus Robertus, suæ currum elationis ascendens & eligens perire potius, quàm salvari, nedum quod, se convertens ad Dominum à suæ obstinationis duritia propositum revocaret, sed in illa potius damnabiliter perseverans, & pejora prioribus in suæ damnationis cumulum

ANNO 1319.

coacer-

ANNO 1319.

coacervans, per se, vel Comites, ac Barones, & Nobiles, & alios de præfato Regno Scotiæ, indictionis & Publicationis Treugarum hujusmodi non ignaros, monitis exhortationibus, ac pœnis & sententiis Apostolicis, non sine nota rebellionis detestabilis, vilipensi, & Apostolicæ sedis reverentia, temeraria præsumptione calcata, Villam & Castrum de Bervico, quæ diù dictus Rex Angliæ, & claræ memoriæ, Edvardus Rex Angliæ, Genitor suus, dum viveret, quietè possederunt, & ante tempus, ac etiam tempore indictionis Treugarum ipsarum idem Rex possidebat, ac postea per se, & suos in pace possedit. Nec non & quædam alia Castra, Terras, & Loca dicti Regis, & ipsius Regni Angliæ Incolarum, consistentia infra illud, nequiter, & fraudulenter invadens, crudelem in magnam Gentem Regis ipsius, dictæque Villæ de Bervico incolas eadem damnabili temeritate commisit; ad aliarum ejusdem Regis occupationem Terrarum se processurum detestabiliter comminando; propter quæ dictus Robertus, & alii in præmissis adhærentes eidem Excommunicationis sententiam incurrerant supra dictam. Nos verò dicti Roberti tam enormem contemtum, tamque graves & detestandos excessus, non valentes conniventibus oculis pertransire, vobis per alias nostras dedimus litteras in mandatis, ut per vos, vel alium, seù alios, dictum Robertum, & adhærentes eidem, præfatam excommunicationis sententiam incurrisse, in Ecclesiis & locis insignibus, de quibus vobis videretur expediens, prout esset justum, & æquum nuntiaretis solenniter, ac publice, singulis diebus Dominicis & Festivis, contrà eos ad alias spirituales & temporales pœnas, prout vobis visum foret, juxta prædictorum qualitatem excessuum, processuri. Quod si forsan eos in sua nequitia perdurare contingeret contumaciæ & excessuum eorumdem, vestros curaretis in eos exaggerare processus. Nec non & ipsos, & quosvis alios dictæ pacis & concordiæ turbatores, sive incolæ dictorum Regnorum, sive quicunque alii, & undecunque forent, & omnes & singulos complices, Adjutores, Valitores, Consiliarios, Fautores, & sequaces eorum, ac in his adhærentes eisdem, publicè, vel occultè, etiamsi personæ Ecclesiasticæ forent, cujuscunque Conditionis, Dignitatis, Ordinis, sive status Ecclesiastici vel mundani, forsan existerent, etiamsi Archiepiscopali, vel Episcopali Dignitate fulgerent, ut ab hujusmodi turbatione, seù impedimento, favore, Consilio, Auxilio, sequela, & adhærentia, prædictorum omnium desisterent, per excommunicationis in Personas & interdicti sententias in Terras & Ecclesias eorum, ac privationem Feudorum officiorum, locationum, & quorumcumque Beneficiorum spiritualium, citra tamen Archiepiscopalem & Episcopalem Dignitatem, & Temporalium etiam, quæ à quibuscunque Ecclesiis obtinerent, ut illa sic libere ad Ecclesias reverterentur easdem, quod Prælati & Rectores earum, aut alii vel quos pertinerent, pro sua disponerent voluntate, nec non & per inhabilitatem tuam ipsarum Ecclesiasticarum personarum, Archiepiscopis & Episcopis dumtaxat exceptis, quàm filiorum nepotum, & aliorum ab ipsis turbatoribus & Impeditoribus laicis, usque ad secundum gradum descendentium, ad quævis Ecclesiastica Beneficia obtinenda, & alia etiam Juris remedia, de quibus & prout videretur expediens, Appellatione postpositâ, debite compescendi: Omnes quoque & singulos, qui dictis Turbatoribus, seu impeditoribus laicis, vel ipsorum alicui juramento fidelitatis tenerentur astricti, quandiu ipsi pacis hujusmodi turbatores seu impeditores existerent, absolvendi, & alia omnia faciendi, quæ circa præmissa & prædictorum quodlibet forent opportuna, plenam contulimus per alias nostras litteras potestatem. Et quamvis post receptionem hujusmodi literarum nostrarum præfatus Robertus, ut ad cor rediens à sua malignitate cessaret & vobis expectatus fuisset; quam tamen ipse instar lapidis obduratus, ac de nostra, & dictæ sedis benignitate, sibi libenter exhibita non absque ingratitudinis nota spiritum Electionis assumens, nedum, quod, se convertens ad dominum à suæ obstinationis duritia propositum revocaret, sed in illa, potiùs elata mente persistens, tanquam in profundum malorum demersus, quædam ipsius Regis una cum sequacibus, Complicibus, Adjutoribus, Valitoribus, & Fautoribus suis, obsidere per violentiam præsumebat, & alia quorumdam Incolarum ipsius Regni Angliæ, Castra, Terras, & Jura invadere nitebatur. Vos autem considerantes attentius quod idem Robertus ex præmissis de quibus vobis per sufficientia documenta constabat, quæve alias erant adeo publica & notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari. Nobis & Ecclesiæ Romanæ inobedientem, notoriè, & manifeste Rebellem, ac nostrum & ejusdem Ecclesiæ mandatorum contemptorem publicum se reddiderat & reddebat: quodque Pacis ejusdem tractatus impeditus extiterat & impediebatur tunc etiam ex præmissis; & quod impediretur imposterum erat verisimiliter præsumendum. Et propterea tam enormes excessus & injurias dissimulare salva conscientia nequeuntes, ne tantorum malorum pernicies ad similia concitaret iniquorum animos per exemplum pronuntiastis, & declarastis dictum Robertum ejusdem Ecclesiæ inobedientem notorium & rebellem, ac suis & Apostolicis sedis, & nostris Jussionibus renitentem, decernentes contra eum, sicut contra rebellem & inobedientem nostrum, & ejusdem Ecclesiæ manifestum, ac nostris & ipsius Ecclesiæ mandatis renitentem, notabiliter procedendum. Et eum nihilominus, dictosque sequaces, Adjutores, Valitores Complices, & fautores, & etiam adhærentes denuntiantes prædictam excommunicationis sententiam, contra infringentes seu non servantes treugas easdem, ut præmittitur promulgatam, tanquam violatores Treugarum ipsarum, & alias pœnas & sententias, per nos latas in dictis litteris, incurrisse. Quos demum excommunicatos, pulsatis campanis, & candelis accensis, publicè nunciastis, & feciftis, in diversis Cathedralibus, & aliis Ecclesiis solennibus, nuntiari; eisdem prædicentes apertè quod, si eos in hujusmodi pertinacia persistere fortè contingeret ad alias spirituales & temporales pœnas procederetis sicut videretis expediens contra eos. Postremò autem ut hujusmodi processus vester ad communem omnium deduceretur notitiam pleniorem membranas, processum continentes eundem in prædictarum Ecclesiarum appendi vel affigi ostiis sive superliminaribus mandavistis, quæ processus ipsos, suo quasi sonoro Præconio & patulo indicio, publicarent. Ita quod hi, quos processus ipse contingebat, nullam ignorantiam postea prætendere possent, quod processus ipse

ANNO 1319.

non

ANNO 1319.

non perveniſſet ad notitiam eorumdem, cum non eſſet veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod publicabatur tam patenter & ſolemniter univerſis. Nos igitur nolentes tam præſumptuoſam inobedientiam & contemtum, tantæque rebellionis audaciam, contra nos & Romanam Eccleſiam attentatos, prout non poſſumus, nec debemus, conniventibus oculis præterire. Vosque quos poſtmodum ad Sedem Apoſtolicam duximus revocandos, non poteritis, poſt revocationem hujuſmodi, ulterius procedere in præmiſſis, nec de illis absque novo mandato vos intromittere quomodolibet valeatis. Diſcretioni veſtræ, per Apoſtolica ſcripta, committimus & mandamus quatinùs vos, vel alter veſtrum, per vos, vel per alium, ſeù alios, tam in Curia Romana, quàm per eadem Angliæ & Scotiæ, nec non & Franciæ Regna, & Hiberniæ, Valliæ, & Flandriæ, & alias partes, terras, & loca, de quibus vobis videbitur, prædictam Excommunicationis ſententiam præinde facere valeatis inviolabiliter obſervari, & denuntiari Robertum, Impeditores, Turbatores, complices Adjutores, Valitores, Conſiliarios, Fautores, ſequaces, & adhærentes prædictos & ipſorum quemlibet nominibus eorum expreſſis, quotiens & quando videritis expedire, præfatas pœnas & ſententias incurriſſe, ipſisque omnibus & ſingulis ſubjacere, ac ſi juriſdictio veſtra, vobis in præmiſſis commiſſa plene duraret & nequaquam à nobis hujuſmodi revocatio proceſſiſſet. Cæterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus, quodque à data præſentium, ſit vobis & unicuique veſtrum, in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cæptis & non cæptis præſentibus & futuris, perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus, cæptis & non cæptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cæpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuſlibet veſtrum, in prædictis omnibus & ſingulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet, qualibet conſtitutione contraria non obſtante.

Datum Avinion. 15. Calendas Decembris Pontificatus noſtri Anno quarto.

ANNO 1320.

XIII. Rimer. Tom. 3. pag. 810.

Bulla Excommunicationis contra Invaſores Hiberniæ: Anno 1320.

JOANNES EPISCOPUS,

Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, per Regnum Angliæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

DUdum perſonam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris, ſuique Regni ſtatum, & Guerrarum fluctibus liberos & diſcriminibus turbationis reddere cupientes immunes, ac procurandum ejuſdem Regni quietem, tranquillitatem & pacem, ut Rex ipſe ſecuritate ſibi ab æmulorum inſidiis acquiſita, utilitatibus propriis poſſet vacare commodiùs ſeque ad intendendum circa negotium Terræ ſanctæ, noſtris præcordiis non mediocriter inſidens, ad quod, ut aſſerit, ferventer anhelat, idque virilius proſequendum habilius præparare opportunum Apoſtolicæ ſedis favorem quantum cum Deo potuimus, ſtuduimus adhibere. Propter quod, tunc fide digna relatione percepto, quod nonnulli nobiles & magnates Regem ipſum, & Regnum, ac terram ſuam Hiberniæ invadere auſu temerario & illicito nitebantur. Nos eorundem Invaſorum in hac parte conatibus opportunis obviare remediis intendentes, & ad id expedire noſcentes gladium exeri ſpiritualem, in omnes & ſingulos cujuſcunque forent præminentiæ, dignitatis aut ſtatus, qui Regem ipſum, Regnum & Terram prædictam invadere, aut eadem Regnum & Terram, contra Regem eumdem cum armis, vel ſine armis intrare præſumerent, vel aliàs turbarent, aut turbatoribus, ſeù invaſoribus in pecunia, equis, armis, vel aliis præſtarent auxilium vel favorem, publicum, vel occultum, Excommunicationis ſententiam duximus promulgandam, à qua eos, ſine ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo, prohibuimus abſolvi, in quo ſi abſoluti fuiſſent & ipſos contigiſſet ſanitati reſtitui, niſi poſt recuperatam ſanitatem hujuſmodi ſatisfacerent infra menſem eadem ſententia ligari voluimus eo ipſo. Dantes dilectis Filiis noſtris Gaucelmo, tituli Sanctorum Marcellini & Petri Preſbytero, ac Lucæ ſanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinalibus, noſtris litteris in mandatis, ut ipſi, vel alter eorum, per ſe, vel alium ſeu alios, hujuſmodi Excommunicationis ſententiam, ubicunque expedire viderent, & præcipuè in locis maritimis, ſeù mari vicinis ſolenniter publicarent. Non obſtante ſi alicui, vel aliquibus ſub quacumque forma, vel conceptione verborum, à ſede Apoſtolica eſſet indultum, quod excommunicari non poſſent per litteras ſedis ejuſdem, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, prout in litteris noſtris, inde confectis, plenius, & ſerioſiùs continetur. Cum autem præfatæ litteræ in prædictis, & aliis locis illarum partium ſolemniter ſicut ex prædictis Lucæ Cardinalis relatione percepimus, fuerint publicatæ, & demum poſt publicationem ipſarum prout, fama publica referente & multorum fide dignorum relatione percepimus, nonnulli magnates & nobiles Regni Scotiæ, & adhærentes eiſdem, Regnum & Terram prædicta manu armata ingredientes hoſtiliter, illa invadere nequiter & illicitè perturbare & ſceleſtis actibus laxatis habenis, in multos ipſorum Regni & terræ fidelium ſævam cædem committere manibus cruentatis innumera damna per ſpolia, incendia & rapinas inferre: Nonnullos de fidelibus ipſis eorumque animalia & alia bona in prædam abducere: & alia gravia nocumenta eisdem Regno ac terræ irrogare temerariis auſibus præſumſerunt; quæ ut aſſeritur per evidentiam facti, adeo palpabiliter ſe cunctorum partium illarum oculis ingerunt, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari, ſed ſe omnibus exhibent non ignota, ſicque tam invaſores prædictos quàm Duces & Præceptores, Adjutores, Valitores, Fautores, Adhærentes, & Sequaces eorum ac præbentes eiſdem, ut præ dicitur, auxilium, conſilium, vel favorem certum exiſtat prædictam excommunicationis ſententiam incurriſſe. Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatinùs vos, & quilibet veſtrum per vos vel alium ſeù alios magnates & nobiles, Duces, Præceptores, Adhærentes, Sequaces, Valitores & fautores eorum prædictos, quocunque nomine cenſeantur cujuſcum-

ANNO 1320.

ANNO 1320.

juscunque dignitatis, status, vel conditionis existant, qui Regnum ipsum hostiliter, & Terram invadere & intrare illicitè, ut præmittitur præsumpserunt: vel per alios invadi fecerunt, mandaverunt, seu etiam procuraverunt; vel alias turbare, aut turbantibus, seu invadentibus in pecunia, equis, armis, vel alias, præstiterunt auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, tandiu per omnia loca in quibus expedire videritis, & præsertim in locis maritimis & mari vicinis, & aliis in quibus ad ipsorum excommunicatorum, & ad participantium cum eisdem notitiam id valeat pervenire, singulis diebus Dominicis & festivis pulsatis campanis, & candelis accensis excommunicatos publicè nuntietis, & faciatis ab illis nuntiari, ac ab omnibus arctius evitari donec præfati excommunicati per satisfactionis debitum ad Ecclesiæ mandatum redierint & absolutionis beneficium meruerint obtinere. Datum Avinion. 6. Januar. Pontificatus nostri anno quarto.

XIV. Rimer Tom. 3. pag. 848.

Super processu & transactis inter nuncios Roberti de Brus & Papam, notificatoria: anno 1320.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

UT eorum quæ in negotio processuum, contra nobilem Virum Robertum dictum Brus, qui pro Scotiæ Rege se gerit, hactenus habitorum, post nunciorum suorum ad Apostolicam sedem adventum, sunt acta, plenam habeat tua celsitudo notitiam; scire te volumus, quod nuper dilecti filii, Odoardus de Mambuisson & Adam de Gondon, dicti Roberti Milites, & nuncii speciales, ad nostram præsentiam venientes, nobis ejusdem Roberti litteras præsentarunt, inter cætera continentes. Quod per nos duobus Viris nobilibus, quos litterarum scientia, morum honestas, & vitæ munditia commendabant, electis ad regimen Ecclesiæ Glasguensis, ab electionibus expulsis ipsorum, de quodam Anglico, Ordinis Prædicatorum, suo Regnique sui inimico Capitali, in suum dispendium fuerat Apostolica auctoritate provisum. Adjiciens in litteris supra dictis, quod quidam Clerici de Terra sua, qui nullis exigentibus culpis, nisi quod allecti instinctu naturali quædam statum suum, & nationis suæ contingentia, fidelitatem suam eidem nationi servare volentes, sibi scripserant, digni venia videbantur. Ac supplicans per nuncios & litteras suprà dictos, quod processus & sententias, si qui per nos contra eum fuissent habiti, & prolatæ, relaxare de benignitate Apostolica dignaremur. Ad quæ sibi duximus respondendum quod nos dudum attendentes multarum dona virtutum, quibus Glasguensis Episcopus dignoscitur insignitus, ipsumque multipliciter utilem ad ejusdem Ecclesiæ regimen extimantes de illo eidem Ecclesiæ Glasguensis duximus providendum. Propter quod non decebat Sedis Apostolicæ gravitatem, ad ipsius amotionem Episcopi procedere sine culpa: Sed processu temporis, cum locus adesset, negotiorum, & temporum qualitate pensata, libenter super hoc, quantum cum Deo fieri posset curaremus honore servato dicti Episcopi providere. Ad id verò, quod dicebat, quod dicti Clerici digni venia videbantur, respondimus; quod processus, habitos contra Clericos supra dictos ipsorumque confessores, ut sibi, & eisdem nunciis de ipsorum Clericorum excessibus plene constaret, legi fecimus coram eis: quibus auditis seriosè per eos nobis expresse dixerunt, quod nunquam ipse pro Clericis scripsisset eisdem, si sciviset eosdem tam detestandorum excessuum patratores. Super relaxatione autem processuum & sententiarum prædictorum, sibi duximus respondendum; quod olim dilecti Filii nostri Gaucelinus Tituli Sancti Marcellini & Petri Presbyter, & Lucas Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis Nuntii, ad partes ipsas transmissi, dictum Robertum, omnesque adhærentes eidem, tanquam violatores treuguarum inter te, dictumque Robertum, auctoritate Apostolica indictarum, denuntiarunt, Excommunicationis sententiam contra Treugas infringentes easdem, seu etiam non servantes, prolatam auctoritate eadem incurrisse, quam demum Cardinales ipsi contra præfatum Robertum ipsosque adhærentes fecerunt solenniter publicari. Et deinde quia dictus Robertus præfatam sententiam contemnebat, Regni Scotiæ, quæ idem Robertus tunc temporis gubernabat, & alias terras adhærentium eorundem per ipsorum sententiam Interdicto Ecclesiastico subjecerunt. Quas idem Robertus, claves Ecclesiæ contemnendo, sustinuerat per annum, & amplius & tunc etiam mala malis, sicut nobis extiterat assertione fide digna revelatum, coacervando continuè sustinebat animo indurato. Nos, licet contra præfatum Robertum fuisset merito gravius procedendum, tamen ex mansuetudine dictæ sedis deferre volentes eidem, ipsum, auctoritate prædicta, fidelium astante multitudine copiosa citavimus, ut usque ad Calendas Maii tunc proximè venturas, quas ei pro peremptorio termino duximus præfigendas, per se, vel Procuratorem idoneum, Apostolico se conspectui præsentaret, super præmissis legitimè processurus, ac facturus, & recepturus, quod justitia suaderet. Et quia in dicto termino, vel post ipsum diutiùs expectatus, per se, vel Procuratorem suum coram Nobis comparere contumaciter non curarat, ipsum de fratrum nostrorum consilio contumacem merito reputantes, in eum Excommunicationis sententiam duximus proferendam, Regnum Scotiæ prædictum subjicientes Ecclesiastico interdicto. Et nihilominus super præmissis, nos inquisitionem contra eum quibusdam ex Fratribus nostris duximus committendam. Verùm quia præfati nuncii ad petendum relaxationem hujusmodi, & alia faciendum, quæ natura negotii requirebat mandatum aliquod non habebant, ad relaxationem prædictam, de jure procedi non poterat, nec debebat. Propterea Nuncii memorati, iterata precum instantia, supplicarunt, ut processum, & Inquisitionem hujusmodi, jam inceptam, suspendere, ac publicationi, & aggravationi sententiarum ipsarum, usque ad Calendas Aprilis proximo venturas, superfedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, volentes ut idem Robertus mansuetudinem dictæ sedis sibi reperiret propi-

ANNO 1320.

ANNO 1321.

tiam, & benignam, de omnium & singulorum prædictorum Fratrum consilio supplicationi prædictæ, de speciali gratia duximus annuendum. Datum Avinion. 15. Calendas Septembris Pontificatus nostri anno quarto.

XV. Ex Anecd. Martene Tom. 1. col. 1368.

Sententia adversùs errores Johannis de Polliaco: anno 1321.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

VAs electionis Doctor eximius, & egregius Prædicator, cujus prædicatio mundum docuit universum, præsumtuosam illorum audaciam refrænat sollicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in errores varios prolabuntur, non plus sæpere quàm oportet sapere, sed ad sobrietatem salubri doctrinâ suggessit, ut juxtà sapientis eloquium quisque suæ prudentiæ modum ponat. Sanè dudùm cum dilectum filium Magistrum Johannem de Polliaco Sacræ Theologiæ Doctorem certis de causis, de Fratrum nostrorum consilio; ad nostram præsentiam vocassemus, fide digna ad nostrum relatio perduxit auditum, quod in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ sacramentum, non sobriè, sed perperam sapiebat: infra scriptos articulos periculosos continentes errores docens publicè in suis prædicationibus, & in scholis. Primò siquidem asserens quod

I. Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur iterum eadem peccata quæ confessi fuerant confiteri proprio sacerdoti.

II. Quod stante statuto *omnis utriusque sexûs* edito in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere quin Parochiani teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum: immò nec Deus posset hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem.

III. Quod Papa non potest generalem potestatem audiendi confessiones, immò nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur iterum eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, parochialem curatum.

Nos igitur volentes scire, si suggesta nobis veritatem haberent, articulorum copiam præmissorum eidem Magistro J. fecimus assignari; & ad defensionem sui audientiam sibi præbuimus, tàm in nostrâ, & dictorum Fratrum præsentia in consistorio, quàm alias coram aliquibus ex ipsis Fratribus per nos ad hujusmodi deputatis. Verùm licèt præfatus Magister dictos articulos, & contenta in ipsis defendere niteretur, asserebat tamen se paratum credere in præmissis, & aliis ea, quæ credenda, & tenenda esse sedes Apostolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod dictorum articulorum assertio, prædicatio, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipsos per plures Magistros nihilominùs examinari fecimus diligenter, nos ipsi, & cum dictis Fratribus collationem solertem habuimus super ipsis, per quas quidem collationem, & examinationem super hoc perhibitas, comperimus prædictos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum, ac veritati contrariam continere, quos etiam articulos omnes & singulos idem Magister J. veris sibi rationibus opinioni suæ dudum habitæ contrariis demonstratis in Consistorio revocavit, asserens se credere eos esse non veros, sed ipsorum contrarium verum esse, cum diceret se nescire rationibus factis in contrarium respondere. Ideòque nè per assertionem, & prædicationem, & doctrinam hujusmodi in errorem (quod absit) animæ simplicium prolabantur, dictos articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos & à sana doctrinâ devios auctoritate Apostolicâ damnamus, & reprobamus, de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu doctrinam ipsis contrariam veram esse, & Catholicam asserentes, cum illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si aliàs illa confessi fuissent eorum proprio sacerdoti. Optantes igitur unitatis vias notas esse Fidelibus, & cunctis erroribus aditum præcludere, nè subintrent juxtà dictum Concilium generale, felicis recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigia imitando, universis, & singulis districtiùs inhibemus, ne quisquam dictos articulos per nos, ut præmittitur damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in ipsis, vel aliquo ipsorum, utpotè à Catholicis mentibus respuenda tenere audeat, vel defensare quomodolibet, vel docere. Quo circà universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, districtè præcipiendo, quatenùs universi, & singuli vestrum in Civitatibus, & diocesibus vestris, convocato clero communiter præmissa omnia, & singula per vos, seù alios solemniter publicetis. Nos etiam eidem Magistro J. mandavimus, quod ipse in Scholis, & in sermone Parisius dictos articulos, & contenta in eis tanquam veritati contraria propriæ vocis oraculo, & assertione constanti publicè debeat revocare. Quod se facturum dictus J. efficaciter repromisit.

Datum Avenioni VIII. Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1321.

XVI. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 3. pag. 956.

Concedit literas, & possessiones Templariorum Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolimitani in Anglia: anno 1322.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum post sublatum quondam Ordinem militiæ Templi Jerosolimitani, in generali concilio Viennensi, felicis recordationis, Clemens Papa Quintus prædecessor noster, sicut ad communem omnium notitiam credimus perveniisse, volens de bonis ipsius ordinis salubriter ordinare. Eodem approbante Concilio, domum ejusdem militiæ Templi, cæteraque Domos, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Civitates, Castra, Villas, Terras, Grangias, Loca, Possessiones, jurisdictiones, Redditus atque jura, omniaque alia bona, mobilia, immobilia, vel se moventia cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis suis ultra & citra mare, ac in universis, & quibuslibet mundi partibus consistentia. Quæ ordo ipse, ac magister & Fratres ejusdem

ANNO 1322.

Ordinis militiæ Templi, tempore quo idem magister, & nonnulli ex eisdem Fratribus communiter capti fuerant, per se, vel quoscumque alios habebant, tenebant, & possidebant, vel ad eosdem, Domum & Ordinem, & ad dictos, magistrum & Fratres ipsius ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant. Nec non & actiones ac jura, quæ dictis Domui, Ordini, vel Personis ipsius quomodolibet competebant, vel competere poterant, contra quoscumque cujuscumque dignitatis, status vel conditionis existerent. Cum omnibus Indulgentiis, Privilegiis, Immunitatibus, & libertatibus, quibus præfatus Magister & Fratres dictorum domus & ordinis, ac ipsi Domus & Ordo, per sedem Apostolicam, vel Catholicos Imperatores, Reges, ac Principes, & Fideles alios, vel quocumque modo erant legitimè communiti, Ordini ejusdem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, & ipsi Hospitali; Quibusdam tamen, ex dictis bonis, in certis locis consistentibus tunc per prædecessorem eundem exceptis; quæ nos postmodum ad apicem summi Apostolatus assumpti, præter quædam ex eis, de quibus aliter duximus ordinandum, eisdem Magistro & Fratribus ac Hospitali Sancti Johannis Jerosolimitani, de Fratrum nostrorum Consilio, modo simili duximus concedenda, donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit, & annexuit in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine potestatis. Qualiter etiam idem Prædecessor occupatores dictorum bonorum, ac illicitos detentores, cujuscumque status, Conditionis, Excellentiæ, vel dignitatis existerent; etiam si Pontificali, vel Regali dignitate fulgerent, nisi infra unius mensis spatium, postquam per eosdem Magistrum & fratres, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratores eorum ipsorum nomine requisiti fuissent, dicta bona plenè liberè, & expedite dimitterent ipsis in quibuscumque partibus, & pertinentiis constitutis, & eorum singulis, vel Procuratoribus eorumdem nomine Hospitalis & Ordinis prædictorum. Nec non & omnes qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis in occupatione vel detentione hujusmodi, darent Consilium, auxilium, vel favorem, publicè, vel occultè, Excommunicationis, capitula verò, Collegia, seu conventus Ecclesiarum & monasteriorum, nec non & Universitates, Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & ipsa, Civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia existerent; & etiam Civitates, Castra, & loca in quibus detentores, & occupatores hujusmodi obtinerent Dominium temporale, si iidem Domini temporales, in dimittendo bona prædicta & restituendo illa Magistro & Fratribus Ordinis Hospitalis ejusdem, nomine Hospitalis ipsius, obstaculum exhiberent, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non desisterent postquam super hoc, ut præmittitur, requisiti forent interdicti sententiis ipso facto subjacere decrevit; à quibus absolvi non possent, donec super his plenam & debitam satisfactionem exhibere curarent. Et nihilominus occupatores & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem ut præmittitur auxilium, consilium, vel favorem, sive singulares Personæ, sive capitula, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ac Universitates civitatum, Castrorum, Terrarum, vel aliorum locorum existerent, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ à Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenerent in feudum, esse privatos, seu privatas ipso facto decrevit; ita quod ad Ecclesias, ad quas illa spectabant, reverterentur liberè, & sine contradictione quacunque; ipsarumque Ecclesiarum Prælati sive Rectores, de ipsis, pro sua voluntate disponerent, sicut utilitati ipsarum Ecclesiarum cognoscerent expedire. Et licet tu, progenitorum tuorum succedens virtutibus, qui Ecclesiæ Romanæ Ordinationibus & mandatis semper humiliter paruerunt, ad requisitionem ipsorum, Magistri & Fratrum, facta tibi de concessione hujusmodi & aliis præmissis fide plenaria omnia præfata bona dicti quondam Ordinis Templi, in Regno & Terris tuis consistentia, tanquam devotus Ecclesiæ filius, Magistro & Fratribus, ac Hospitali prædictis obedientiæ pura & libera dimisisses, eaque omnia expedita per alios Regni tui dimitti mandasses; nonnulli tamen Comites, & Barones, Nobiles, milites, Universitates, Civitatum, Castrorum, & alii laici, &, quod graviùs mentem nostram amaricat, aliæ personæ Ecclesiasticæ, quæ se deberent pro fratribus ipsis murum defensionis opponere, præfatas sententias non verentes, ad dicta bona, concessa, ut prædicitur, pro tam salubri negotio magistro & Fratribus supra dictis extendentes manus suas rapaciter, ea sicut ex ipsorum Magistri & Fratrum dolorosis audiveramus relatibus occuparant hactenus violenter, & detinebant violentius occupata, sicut adhuc detinere noscuntur in animarum suarum pernitiem, grave damnum Hospitalis ejusdem, ac Terræ Sanctæ præcipuè ad cujus subsidium deputata, ut prædicitur, fore noscuntur non modicum detrimentum; nonnullis executoribus eisdem Magistro & Fratribus super eisdem bonis & sententiis supra dictis per prædecessorem deputatis eundem, & quod deterius est, per eosdem Magistrum & Fratres requisitis frequenter in ipsorum manifestam injuriam, & Apostolicæ sedis contemptum procedere non curantibus in præmissis. Propter quod, cum nostra interesset sicut & interest in prædictis auxiliatrices manus apponere quibus specialiter inest ipsius Terræ Sanctæ cura præcipua cujus oppressiones, Deo teste, nos opprimunt, & ad recuperationem ipsius intentis desideriis aspiramus, ac de tali, super occupationibus ipsis, volentes remedio subvenire, quod tam salubris negotii videlicet, Terræ prædictæ subsidiis, tolleretur cujuslibet causa præpedii, & concessio dictorum bonorum facta per sedem eandem, debitum sortiretur effectum, & occupatores hujusmodi à suis illicitis resipiscerent actibus, ipsosque sequeretur pœna condigna. Venerabilibus Fratribus nostris Cantuarien. & Eboracen. Archiepiscopis, ipsorumque suffraganeis, in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis, quam eos & quemlibet eorum postquam hujusmodi mandatum nostrum perveniisset ad eos, incurrere voluimus ipso facto, si mandatis Apostolicis in hac parte negligerent obedire, per diversas dedimus litteras in mandatis, ut omnes & singulos in eorum Civitatibus & Diocesibus constitutos, cujuscumque status, vel Conditionis existerent, quos invenirent bona occupasse, vel occupata tenere prædicta, per se vel alios, publicè, vel occultè peremptorie monere curarent, ut infra unius mensis spatium, post monitionem ipsorum ea omnia & singula, in quibuscumque consisterent, & quocumque nomine censerentur, cum fructibus inde perceptis, & qui medio tempore percipi potuerunt, Magistro &

ANNO 1322.

Fra-

ANNO 1322.

Fratribus ac Hospitali restituerent supra dictis : alioquin si infra dictum terminum, hujusmodi monitioni humiliter & effectualiter non parerent, occupata per eos, vel ipsorum nomine cum fructibus inde perceptis, ut prædicitur, non dimittendo libere magistro & Fratribus ante dictis, ipsos omnes & singulos, cujuscumque status, Ordinis, vel conditionis existerent, quantacumque dignitate fulgerent, ex tunc auctoritate nostra Excommunicationis ; Capitula verò, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum, nec non & Universitates Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum ; & ipsa civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia forent, vel in quibus occupatores hujusmodi obtinerent Dominium temporale, si infra dictum terminum post mentionem hujusmodi, bona non restituerent, ut præmittitur, ante dicta ipso facto decernerent interdicti sententiis subjacere. Et ad majorem ignominiam eorumdem dictas sententias, & alias pœnas per Prædecessorem eumdem, ut prædicitur, promulgatas, denunciarent incurrisse, & facerent ab illis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec restituerent, cum integritate præmissa, & mererentur absolutionis beneficium obtinere. Et licet postmodum dictum mandatum nostrum Archiepiscopi & suffraganei memorati diligenter fuerint executi, nonnulli tamen, sicut ex conquestione Magistri & Fratrum prædictorum accepimus, prætextu quarumdam appellationum ad sedem interjectarum frivolè supra dictam, & Inhibitionem quas injustè super his fieri procurarunt, præfata bona injustè & indebite retinebant, illaque dictis Magistro & Fratribus, quamvis dictæ Ordinationi celsitudo Regia paruisset dictisque Magistro & Fratribus bona dimisisses, eadem reddere non curabant. Propter quod Archiepiscopi & suffraganei memorati denunciarunt eosdem, juxta prædicti mandati nostri tenorem, dictas pœnas & sententias incurrisse, quas diu sustinuerunt, sicut, & adhuc sustinent animis induratis, in propriæ salutis dispendium & scandalum plurimorum. Postmodum autem nos, volentes detentorum ipsorum malitiis obviare, Archiepiscopis & suffraganeis supra dictis, sub eisdem pœnis, per alias diversas nostras dedimus litteras in mandatis ut omnes & singulos domorum & aliorum prædictorum bonorum detentores, in eorum Civitatibus, & Diocesibus consistentes, quibusvis affectu favore & timore sepositis, ad restitutionem domorum & bonorum ipsorum per aggravationem pœnarum & sententiarum earumdem, appellationibus & inhibitionibus memoratis nequaquam obstantibus compellere procurarent. Cum igitur dilectissime Fili, hujusmodi restitutionis nondum fuerit debitus subsecutus effectus, nosque illam pro Terræ Sanctæ commodis, ad quæ desideranter aspirare te novimus, intentis desideriis affectemus. Magnificentiam Regiam paterno rogamus & hortamur affectu, & per misericordiam ejus, qui Terram ipsam aspersione sui pretiosissimi sanguinis, pro humani salute generis consecravit, instantius obsecramus, quatinus Domos & bona prædicta præfatis Magistro & Fratribus, sic plenè, sic integrè, pro divina & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia restitui facias cum effectu, detentores ipsorum laicos videlicet, ad restitutionem eorum integram, prout expediens fuerit, compellendo ; & super his, Archiepiscopis & suffraganeis memoratis, favoribus & auxiliis opportunis nec non & per potentiam Brachii secularis, si opus fuerit, assistendo, quod dicti Magister & Fratres eorum in hac parte juris plenius assequantur ; tibi proinde apud eum qui pro minimis grandia recompensat, augeatur cumulus meritorum, humanæ laudis crescant præconia, & à nobis condigna proveniat actio gratiarum, nosque pro restitutione bonorum hujusmodi, non oporteat amplius laborare.

Datum Avinion. Decimo Calendas Junii Pontificatus nostri anno Sexto.

ANNO 1323.

XVII.

Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 641.

Contra usurpantes Romani Imperii Vicariatum : anno circiter 1323.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

SI Fratrum & coepiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet jura illibata servari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus & ad id libenter nostræ sollicitudinis studium adhibemus, multo fortius equidem pro nostris, & Romanæ Ecclesiæ sponsæ nostræ juribus, & honoribus conservandis ex injuncto nobis officii debito, apostolicæ provisionis partes tenemur intendere, nè temporibus nostris usurpationis injuriam subeant, aut detrimentum cujusvis derogationis incurrant. Sanè in nostram, & Fratrum nostrorum deductum est, fama divulgante, notitiam, quod licèt de jure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcussè servatum, quod vacante imperio, sicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem cui in persona beati Petri terreni simùl, & cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, jurisdictio Imperii prædicti devolvitur, ac illam, absque alterius participio durante vacatione hujusmodi, per se vel per alium, seù alios exercet in eodem imperio pleno jure : nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis, & dignitatis fastigium illicitæ ambientes, in nostrum, & Sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ, quantum in eis est præjudicium evidens, ac diminutionem honoris, & juris, vicariatus, seù alterius cujuscumque nomen officii, quod ipso Imperatore vivente ex ipsius fortè commissione gerebant in certis terris, territoriis, sivè locis post decessum ipsius absque nostra, vel apostolicæ sedis petita, vel obtenta licentia retinere sibi, & nonnulli etiam de novo assumere, quod non gesserunt anteà temerariis ausibus præsumserunt : quo vel quibus adhuc non verentur abuti, ac sub ejus, vel eorum colore multa facere, & feciſſe noscuntur, quæ in nostram, & Ecclesiæ prædictæ injuriam apertè redundant, non abhorrentes pro his variis involvi criminibus, nec divinæ majestatis formidantes offensam. Quia igitur error cui non resistitur approbari videtur, & latum pandet delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit. Nos volentes nostris & Ecclesiæ sponsæ nostræ juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis, ac scandalis, quæ ex usurpativa retentione, seù assumtione hujusmodi orta sunt hactenùs, & quæ procul dubio possent in anteà suboriri, celeriter obviare, necnon periculis animarum hujusmodi retinentium, & usurpantium nomina, & eis abutentium, ut præfertur, salubriter occurrere cupien-

ANNO 1323.

tes, præsentium auctoritate monemus sub excommunicationis pœna omnes, & singulos cujuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant, etiamsi patriarchali, vel quâvis aliâ superiori, aut Pontificali, vel regia seù aliâ quacumque præfulgeant dignitate, qui post vacationem imperii absquè nostrâ, vel sedis prædictæ licentia, hujusmodi vicarii seù cujusvis alterius officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, seù assumserunt, & retinent, & sub talis denominationis pallio abusi sunt, & abutuntur potestate, vel jurisdictione quacumque, seù ejus exercitio publicè, vel occultè, quatenùs de cetero à denominatione hujusmodi, aut nominis usurpatione, seù retentione prædicti, vel cujuscumque alterius, necnon usu, potestate, vel exercitio supra dictis prorsus abstineant, & omninò desistant. Inhibentes insuper sub pœnâ prædictâ omnibus, & singulis Patriarchis, & Prælatis, etiam aliis superioribus, & inferioribus, ac regibus, Civitatibus, Communitatibus, Universitatibus, Capitaneis, potestatibus, rectoribus, comitibus, vice-comitibus, Baronibus, & omnibus aliis cujuscumque sint dignitatis, conditionis, aut status, ne prædictos hujusmodi nomen vicariis, seù aliud quodlibet in eodem imperio retinentes, ut præfertur, aut usurpantes illicitè, vel eorum aliquem sub denominatione, vel titulo hujusmodi nominum, seù procuratores, commissarios, judices, aut vices eorum gerentes, quocumque colore quæsito recipiant, vel admittant, nec ut vicariis, seù vicario, aut Officialibus imperii pareant vel intendant, aut pareri, vel intendi faciant, vel permittant, nec in his eis, vel ei quomodolibet præstet auxilium, consilium, vel favorem, alioquin in omnes, & singulos Patriarchas, Prælatos, etiam superiores, & inferiores reges, & ceteros de nominatione prædicta, ut præmissum est, abutentes, ac illius prætextu assumentes quæcumque officia, potestates, jurisdictiones, ac eorum exercitia, & in recipientes eos, ut vicarios, vel officiales imperii, aut commissarios eorum, ut talium, & in parentes, seù obedientes eis ut talibus, aut præstantes in hoc sibi auxilium, consilium, vel favorem, nisi infrà duorum mensium spatium à die datæ præsentium numerandum penitùs resipuerint, vel sè licentia sedis Apostolicæ super hoc ostenderint communitos, excommunicationis in singulares personas, & in terras, & loca ipsorum, & quaslibet communitates, universitates, civitates, aut villas, interdicti sententias de Fratrum nostrorum consilio publicè promulgamus, contrà eos nihilominus spiritaliter, & temporaliter graviùs processuri, proùt inobedientia eorum exegerit, qualitas facti suaserit, & videbimus expedire. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes, & singulos, qui hujusmodi vicariatus nomen usurpantibus juramento fidelitatis tenentur astricti, à juramento hujusmodi quantum ad hoc de potestatis plenitudine absolventes, auctoritate Apostolicâ firmiter inhibemus eisdem, ne talibus, ut vicariis, vel Officialibus imperii aliquatenùs pareant, vel intendant. Et insuper omnes pactiones, obligationes, & confœderationes, & colligationes à quibuscunque super hoc quomodolibet initas juramento, vel quacunque aliâ firmitate vallatas omninò dissolvimus, juribus vacuamus, irritamus, & quatenùs de pacto processerint revocamus, ac hujusmodi, & quælibet alia juramenta à quibuslibet super his præstita, per quæ posset in prædictis nostris, & Ecclesiæ prædictæ juribus derogari, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus. Ceterum ut hujusmodi processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, sivè membranas processum continentes eumdem in Ecclesiâ Avenionensi appendi, vel affigi ostiis, seù superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod omnes, & singuli, quos processus ipse contingit, & contingere potest, nullam posteà possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum, vel occultum, quod tam potenter omnibus publicatur. Actum Avenioni in domo Episcopali undecimo Kalendas Aprilis.

ANNO 1324.

De Colloquio inter Papam & Comitem de Murref Angli, & super titulo Regis in literis ad Robertum de Brus scribendis: anno 1324.

XVIII. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 4. pag. 28.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

NE celsitudo Regia de his, quæ nobilis Vir Comes Moraviæ, nuper ad sedem veniens Apostolicam, proposuit & petiit coram nobis, aliter, quàm veritas se habeat, informetur; ecce quod illa, nec non & ea, quæ nos sibi respondimus tibi seriosè duximus, ut sequitur, describenda. Primò, namque petiit dictus Comes quod, cum ipse votum de transfretando in Terræ Sanctæ subsidium emisisset, nec illud commode, sine sedis prædictæ licentia complere valeret. Sibi licentiam hujusmodi, nec non & indulgentiam, quæ per ipsam sedem dari consuevit in dictæ Terræ subsidium transfretantibus, pro quibus principaliter nostram adierat, ut asseruit præsentiam, concedere dignaremur. Ad quod sibi duximus respondendum, quod cum ex hujusmodi particulari peregrinatione negotium dictæ Terræ non speraremus probabiliter adjuvari, nec ad præsens saluti suæ peregrinationem prædictam censeremus proficere, cum tàm ipse, quàm alii partium Scotiæ Regnicolæ, suis demeritis exigentibus, pœnis & sententiis nostrorum Processuum irretiti à commune fidelium, & merito bonorum Operum se reddidissent indignos, non erat per nos petitioni suæ hujusmodi annuendum. Sed cum super concordia, inter te & Scotos eosdem, Actore Domino reformanda nedum utrique parti dissidentium, sed toti Christianitati perutili, & Terræ prædictæ negotium non modicum opportuna, ipsius Comitis præsentiam accommodam multipliciter speraremus, si prædictæ tractandæ concordiæ, pro parte Scotorum ipsorum labores efficaciter vellet assumere; nos postquam illos ad effectum debitum perduxisset, vel per ipsum, bona fide, circa dictam perficiendam concordiam, data opera efficaci, non staret, quo minus finis votivus ejusdem concordiæ sequeretur, reconciliato eo primitùs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præstita satisfactione condigna petitioni suæ prædictæ exauditionis aditum præberemus. Eodem verò Comite postmodum subjungente, quod certi, solennes nuncii pro reconciliatione Scotorum ipsorum Ecclesiæ procuranda erant in proximo ad nostram præsentiam destinan-

di:

ANNO 1324.

di: ac humiliter supplicante quod eis, in veniendo ad sedem prædictam, providere de securo conductu benignius dignaremur. Nos idem providimus super hoc respondendum, quod in Terris principum, & Baronum securum eis conductum, quantum ad præsens, concedere nolebamus, verumtamen nostras litteras Apostolicas requisitorias & monitorias super hoc, ad eosdem Principes, & Barones, ac alios, juxta formam solitam parati essemus concedere pro securo conductu dictis præstando nunciis, si prodicta reconciliatione ad sedem venientes prædictam, transitum facerent per terras & districtus ipsorum. Prætereà subsequenter, pro parte nobilis viri, Roberti de Brus Avunculi sui, nobis obtulit idem Comes, quod, cum crederetur, carissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Franciæ & Navarræ illustrem assumpturum negotium passagii transmarini, dictus Robertus paratus erat cum Rege transfretare prædicto, dictumve passagium assumere, si dictus Rex Franciæ ab assumptione dicti negotii duceret abstinendum, & illud prosequi personaliter, vel per Comitem antedictum. Cui sic noscimur respondisse, quod, quousque pacem tecum haberent, & forent reconciliati Ecclesiæ non erat decens nec expediens quod Nos ipsos admitteremus, cum Rege prædicto, vel aliter, ad prosecutionem negotii suprà dicti. Verùm Comes prædictus, asserens se concordiam & reconciliationem hujusmodi desiderabiliter affectare, nobis obtulit se fideliter & solerter laboraturum pro illis, si nos ad earum tractatum dare velimus operam efficacem, circa quem valdè utile, quinimmo necessarium reputabat, quod in litteris exhortatoriis, per nos dicto Roberto super hoc dirigendis, sub Titulo Regio scriberemus: tenens indubiè, quod sic dictus Robertus concordiæ & reformationi prædictis promptè consentiret, aliàs autem probabiliter verebatur, quod si dicto suppresso titulo, scriberemus, ipse non admittat litteras nec tractatum, sed quod impediretur prædictum penitùs negotium, sicut extitit occasione hujusmodi, hactenus impeditum. Nos autem, qui pacem, & reconciliationem prædictas multipliciter, sicut præmisimus, profuturas intensis desideramus affectibus, attendentes, quod juri & honori tuo nihil decresceret, nec juri prædicti Roberti accresceret, sicut aliàs tibi scripsisse meminimus, Titulus memoratus scriptionis, quodque litteræ nostræ super prædictis destinandæ, sic ad ipsum Robertum possent liberè pervenire, quæ aliàs nequiverunt, sicut Regia non ignorat prudentia, ratione omissionis prædicti tituli, præsentari; propter quod tractatus dictæ concordiæ hactenus extitit dispendiosè nimium impeditus, Providentiam Regiam exhortamur, quatinùs, præmissis in scrutinio debitæ considerationis adductis, velit Regia circumspectio æquanimiter tolerare, quod nos scribamus eidem Roberto sub titulo Regiæ dignitatis. Quod autem memoratus Comes quævis alia, tibi, vel Regno tuo præjudicialia, proposuerit coram nobis, quamvis forsan Regiæ Providentiæ contrarium sicut accepimus, sit suggestum, fulcimento carere, non est dubium, veritatis. Nos enim illa non audivimus quomodolibet, negotiorum Regiorum Promotoribus non vocatis; sed nec ea etiam, dilectus filius nobilis Vir Henricus Dominus de Soliaco Buticularius Franciæ, honoris & commodi Regii Zelator fervidus, qui præsens extitit in omnibus suprà dictis aliqualiter admisisset. Datum Avinion. Idus Januarii Pontificatus nostri anno octavo.

ANNO 1327.

XIX. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 4. pag. 315.

Bulla contra Hæreticos qui dogmatizant, & prædicant suprematum esse in Cæsare & non in Papa: anno 1327.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Vigornienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CErtum processum, per quem non nullos pessimos errores & Hæreses, quos damnati Hæretici, Marsilius de Padua, & Johannes de Janduno, dogmatizare ac prædicare publicè, tàm in Bavaria, quàm aliis locis pluribus & diversis præsumpserant, nec non & ipsos Hæreticos reprobavimus, & sententialiter duximus condemnandos, pridem, de fratrum nostrorum consilio præsente multitudine copiosa fidelium habuimus; cujus tenor sequitur, in hunc modum. Johannes Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Licet juxta doctrinam Apostoli, ob id esse Hæreses necesse, ut fiant, qui probati sunt, aptius manifesti; quia tamen, juxta doctrinam ejusdem Apostoli, Hæreticorum primo, ut cancer serpere, id est à parvo ad majus, paulatim tendere consuevit, necesse est ut talibus eorumque perversis dogmatibus sic celeriter occurratur, quod tam pernicioſus morbus neglectus inter initia, vires sumere nequeat, sed potius suo præfocetur in ortu. Sanè dudum ad nostram audientiam, relatione tam verbali, quàm litterali plurium sublimium ac fidelium personarum, nec non fama publica notoriante, perducta, quod duo viri nequam, perditionis Filii, & maledictionis alumni quorum unus Marsilium de Padua, & alter Johannem de Janduno, se faciunt nominari, quendam librum composuerunt, multa falsa, erronea, & Hæretica continentem. Quodque ipsos errores & Hæreses in Ducatu & terris Bavariæ, Ludovico de Bavaria excommunicato Dei, & Ecclesiæ, Fideique Catholicæ persecutore manifesto, & hoste crudeli, suisque horrendis excessibus & gravibus culpis exigentibus jure, si quod ei ex electione discordi, quæ de ipso celebrata dicebatur ad Regnum Romanum, vel Imperium competebat, justo privato judicio, eisdem, Marsilio, & Johanni, favente super his, ac etiam adhærente, dogmatizare publicè præsumebant. Quibus licet nonnulli Viri

Catho-

ANNO 1327.

Catholici, se pro defensione fidei opponentes, ostendissent apertè quod illa doctrina erat erronea & hæretica, velut contraria Evangelicæ & Apostolicæ veritati, & ut à tali doctrina desisterent suasissent eisdem, ipsique eorum nollent acquiescere monitis, sed in publicandis suis erroribus perdurarent. Tandem tam præfati quàm plures Prælati, nec non alii Viri Catholici, tam pernitiosas hæreses inter catholicos dogmatizare publicè indecens, & periculosum nimium reputantes, nobis certos Articulos excerptos de libro prædicto curaverint nonnulli mittere, ac per se ipsos aliqui præsentare, supplicantes attentiùs, ut super præmissis curaremus sanctæ Dei Ecclesiæ, de opportuno remedio providere, de quibus articulis subscriptos duximus præsentibus annotandos. Et licet tam cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quàm cum multis Archiepiscopis & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, nec non, & cum pluribus sacræ Theologiæ Magistris, ac utriusque Juris Professoribus, deliberationem super ipsis Articulis præhabuerimus diligentem. Ex quorum deliberatione apertè convincitur, quod errores articulorum ipsorum sunt adeo manifesti, quod quicquid ad eorum manifestationem addicitur, frustra addici videatur, & quasi sol facibus adjuvari. Ut tamen minùs periti promtiùs illos percipere valeant & vitare, quædam ad ipsos declarandos errores, perfunctoriè satis, de Fratrum eorumdem consilio, præsentibus duximus inserenda. In primis itaque isti Viri reprobi dogmatizare præsumunt, quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumtum ex ore piscis, illis qui petebant Didragma, jussit dari, hoc fecit non condescensivè & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus; quod utique Doctrinæ contradicit Evangelicæ nostrique sententiæ Salvatoris. Cum enim, sicut in eodem Evangelio legitur, Christus interrogasset Petrum, à quibus Reges terræ accipiunt tributum, vel censum; A filiis suis, an ab alienis, & Petus respondisset quod ab alienis; ex hoc concludens Christus filios Regum esse liberos, dixit ergo liberi sunt filii. Constat autem Christum secundum carnem, fuisse David filium, juxta Testimonium Angeli, sic dicentis, dabit ei Dominus sedem David Patris ejus, & per consequens quod ipse à solutione tributi vel census prorsus erat immunis. Hoc etiam ex hoc patet quod statim subjunxit, ut non scandalizemus eos, vade & da staterem pro me & pro te eis; ubi evidenter patet quod non, ut astrictus, sed ut evitaret scandalum, staterem tributi exactoribus jussit solvi. Et prædicto autem dicto suo nituntur concludere præfati Viri reprobi, quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt Imperatori, & ea potest accipere, velut sua; videntur enim supponere quod ex hoc, quod Christus tributum solvit ex debito, res temporales ejus Imperatori subessent, & per consequens, quod res Ecclesiæ temporales sint Imperatori subjectæ, & eas possit recipere velut suas. Quæ quidem conclusio nullatenus ex præmissis sequitur, nec sequi potest, etiam apparet; Cùm enim liqueat ex prædictis Christum fuisse à solutione tributi vel census liberum & immunem, & staterem non solvisse ex debito, sed ut aliorum scandalum evitaret, nullo modo potest concludi quod res Christi, quales sunt Res Ecclesiæ subsint Imperatori. Præterea etiam, si Christus staterem solvisset ex debito, impertinenter concluderetur ex eo quod res Christi, quales sunt res Ecclesiæ, subessent Imperatori, cum Christus non pro rebus, sed pro persona, staterem solverit ante dictum, quod patet ex eo, quod illum jussit solvi pro se & Petro modo prædicto, non pro rebus suis & bonis; unde non sequitur quod ex eo, quod Persona est tributaria, tributaria sint & bona, immo qui pro persona tributum tenetur solvere habere bona libera & æqua. Et quia hæc patent falsa esse per Jura Imperialia manifestè, supersedimus super hoc pleniùs allegare. Secundò, isti filii Belial dogmatizare præsumunt, quòd beatus Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quàm alii Apostoli habuerunt nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem Vicarium suum fecit, quod est totum contrarium Evangelicæ & Apostolicæ veritati. Quod enim Christus Vicarium suum beatum Petrum constituerit patet; constat enim quod Christus Officium Pastoris gessit in terris, hinc est quod, in Jo. se vocat Pastorem, dicens ego sum Pastor bonus; liquet etiam quod curam gregis sui ante Ascensionem beato Petro generalem commisit quando sibi illud Johannis dixit, Simon Johannis pasce oves meas, pasce agnos meos; unde cum Pastor gregis, Dominici, scilicet Christus, curam ejusdem gregis beato Petro commisit; quin eum, quoad curam gregis suum Vicarium fecerit, nullus debet in dubium revocare. Hoc ille Imperator Christianissimus scilicet Constantinus, testatus est, dicens, beatus Petrus videtur in terris Vicarius Dei filii constitutus; Ex hoc etenim secuturum evidenter, quod Petrus caput universalis Ecclesiæ potest dici, juxta morem illum sacræ Scripturæ, quo Rector alicujus multitudinis dicitur esse caput; unde legitur in Joele, congregabuntur filii Judæ & filii Israel, & ponent sibi caput unum, id est Rectorem. Constat autem quod Beatum Petrum, eo ipso, quod Christus sibi commisit curam gregis Dominici, ipsum ejusdem gregis videtur constituisse Rectorem, & per consequens caput. Fatemur tamen cum Apostolo, quod Christus Ecclesiæ est verum caput & Principale, sub quo tamen Petrus caput dicitur, secundum modum prædictum, secundum quem modum, sub Christo capite & Petro multa capita particularia possunt dici, sicut Patriarcha fidelium Patriarchatus sui, & Archiepiscopus Archiepiscopatus, & Episcopus Episcopatus sui; sic videmus, quod licet Christus sit Ecclesiæ principale, & primum fundamentum, juxta illud Apostoli, fundamentum autem nemo potest ponere præter illud, quod positum est, quod est Christus Jesus: & alibi, loquens gentilibus conversis, dixit vos estis cives sanctorum, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo Jesu, id est, quod fundamentum est Christus Jesus; tamen etiam Apostoli dicuntur fundamentum, juxta illud Psalmistæ, fundamenta ejus (i. e. Ecclesiæ) in montibus sanctis. Et secundum hunc modum, Christus videtur Petrum prædixisse futurum Ecclesiæ fundamentum, cum dixit

ANNO 1327.

tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Unde sicut Christus dicitur sanctus sanctorum, Rex Regum, Dominus dominantium; sic, similitudinariè, Pastor Pastorum, & caput capitum, & fundamentum fundamentorum Ecclesiæ potest dici. Sic igitur ex prædictis patet, quod Petrus secundum prædictum modum, caput est Ecclesiæ & vocatur. Et hoc videtur Christus, in impositione nominis, designasse, dixit enim sibi, sicut legitur in Jo. tu vocaberis Cephas: Cephas autem græcè interpretatur caput latinè; unde Constantinus Imperator, de Romana Ecclesia loquens, dicit, quod Principatus Sacerdotum & Christianæ Religionis Caput, ab Imperatore cœlesti constitutus est Romæ. Justinianus quoque, in quadam Epistola, Johanni Papæ missa, testatur hæc dicens, non patimur quicquam quod ad Ecclesiam pertineat, quamvis manifestum & indubitatum sit, quod innovetur, ut non hoc S. V. quæ caput est Ecclesiarum omnium, innotescat, etiam alibi sic dicit, summi Pontificatus apicem apud Romanam Ecclesiam esse ipsamque fore sacerdotii fontem, nemo est qui dubitet, id est qui debet dubitare. Ludovicus autem Imperator beatum Petrum Apostolorum Principem vocat. Quod autem beatus Petrus plus, quàm alii Apostoli habuit auctoritatis, ex prædictis etiam concluditur evidenter. Certum est enim quod major est auctoritas Pastoris, quàm gregis: Petrus autem totius gregis dominici generalis constitutus est pastor, ut probatum est superius, quod de nullo alio Apostolo potest dici. Præterea constat, quod major est non limitata auctoritas limitatâ: omnes autem alii Apostoli receperunt limitatam potestatem, sive supra verum corpus Christi conficiendum, sumendum, & aliis ministrandum, quæ quidem Auctoritas, seu Potestas, fuit in cœna Domini, omnibus Apostolis attributa, & etiam illa, quam post resurrectionem Dominus supra corpus mysticum dedit illis, dicens, quorum remiseritis peccata remissa sunt, & quorum retinueritis retenta sunt; sive in Ascensione, quando dixit eis, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris. Petro autem, sine limitatione aliqua commisit curam Dominici gregis, cum sibi dixit, pasce oves meas, pasce agnos meos; item sibi soli, ita quod nulli aliter singulariter dixit, tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram erit solutum in Cœlis. Hæc autem in sancto Lucæ Evangelio, Jesus videtur satis congrue designasse, ubi loquens Petro & aliis, dixit; Duc in altum, & relaxate retia in capturam; soli enim Petro dixit, & non ulli alii, duc in altum, significans quod ad ipsum solum pertineret in altum i. e. in profundum disputationum fidei dubia diffinire: sibi autem & aliis, quod sequitur, dixit, laxate retia in capturam, quia omnes Apostolos constituit hujusmodi piscatores, juxta illud, quod in sancto Evangelio Marci dixisse legitur Christus, venite post me, & faciam vos hominum piscatores. Hoc quoque, scilicet, quod Petrus plus cæteris Apostolis receperit auctoritatis, apparet ex multis, quæ Jesus sibi, & de ipso, illis dixit, nec non & ex multis, quæ ipsum, post Ascensionem Domini, dixisse, & fecisse, scriptura sacra testatur. Ex prædictis itaque patet quod Petrus à Christo fuit Vicarius constitutus, quando sibi totius gregis Dominici curam commisit, & per consequens Rector & caput ipsius gregis institutus est, & vocatus, ex quibus sequitur; quod sibi à Christo amplior, quàm aliis Apostolis, attributa fuit auctoritas, & potestas; hinc est; quod Clemens, ejusdem Petri successor & discipulus, dixit, nec inter ipsos Apostolos par fuit institutio, sed omnibus præfuit unus, scilicet Petrus. Tertiò, isti filii Belial, asserere non verentur; quod ad Imperatorem spectat Papam instituere, & destituere, ac punire, quæ utique omni Juri obviant & repugnant. De primo quidem post Christum, novi Testamenti summo Pontifice scilicet, Petro patet, quod non ab Imperatore temporali, seù terreno, constitutus Papa fuerit, sed à Christo, dicente sibi soli illud Johannis, pasce oves meas, pasce agnos meos, per quæ verba ipsum suum Vicarium generalem constituit, ut patet ex prædictis. Adhuc de illis summis Pontificibus qui fuerunt ante Constantinum magnum Imperatorem, quod ipsorum institutio ad Imperatores non pertinuerit, satis liquet volenti acquiescere veritati; cùm enim ferè omnes Imperatores illius temporis fuerint idololatræ ac fidei Catholicæ, & Orthodoxorum Pontificum, persecutores atrociſſimi, adeo quod omnes fere à beato Petro inclusivè usque ad bonum Sylvestrum, effecerunt martyres, quod ad eos papæ institutio potuerit pertinere nullo modo utique credi debet, nec de ipso Constantino, usque ad suam conversionem ad fidem Catholicam, quod ad eum Papæ institutio pertinuerit dici potest; nec per conversionem ad fidem hoc assequi potuit, cum per eam Papæ Filius & Discipulus effectus fuerit & subjectus. Præterea cum Imperator ipse post susceptum Baptismum, inconveniens reputaverit, & injustum, quod ubi principatus sacerdotum, & Christianæ Religionis caput, ab Imperatore cœlesti institutum fuerat, videlicet, Romæ, illic Imperator terrenus potestatem haberet; Ideoque sedem Imperialem Sylvestro Papæ cesserit, & ad partes Orientales Imperii & Regni transtulerit potestatem; multo fortius injustum & inconveniens est censendum quod ad ipsum Imperatorem Papæ potuerit institutio pertinere; & idem patet dicendum esse de græcis Imperatoribus qui sibi in Imperio successerunt. Quod autem ad Imperatores Latinos non pertinuerit, nec pertineat institutio, supradicta patet. Imperium enim per Papam à Græcis translatum est in Latinos; nec plus juris in ipsos, quàm apud Græcos existeret, Papam, ipsum transferentem, legimus transtulisse: Græcis autem Imperatoribus, ut ex prædictis patet, talis non pertinebat institutio; quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et si dicatur quod Papæ institutio ad Latinos Imperatores pertinet ex concessione, postea ipsis facta per summum Pontificem vel summos Pontifices, est dicendum, quod nulla concessio facta per Papam aliquem Imperatori, seu Imperatoribus, debet intelligi quod ipsi Imperatores Papam possent instituere seù eli-

ANNO 1327.

ANNO 1327.

eligere, sed quod possent electioni summi Pontificis interesse: & quod sic concessiones illæ intelligi debeant, satis ex eo quod in quodam Capitulo legitur, ubi sic dicitur, patet verum, quia Imperatores, quandoque, modum suum ignorantes non in numero consequentium, sed potius distribuentium, immo exterminantium esse voluerunt. Item, Querimonia Nunciorum Ludovici Imperatoris, quibus in Urbe præsentibus, electio de Papa Adriano secundo, ipsis non vocatis, extitit celebrata, hoc similiter probat: conquerebantur enim, dicentes, quòd, cum præsentes essent, non fuerant invitati, nec optatæ meruerunt electioni futuri præsulis interesse. Adhuc, quia nonnulli Imperatores illo Privilegio abusi fuerant, & frequenter, in Hæreticorum prolapsi perfidiam, Catholicæ matris Ecclesiæ unitatem fuerunt impugnare conati, statuta Sanctorum Patrum contra eos, Sanctæ ut se electioni Papæ non ingererent, prodierunt, ac ut anathematis innodarent vinculo, quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret: nonnulli quoque Imperatores, ducti Religiosæ mentis affectu, ex abundanti, supra dicto renunciaverunt Privilegio, ut patet ex tenore Canonum super hoc conditorum, per quos, & non alios probatur concessio ante dicta. Prætereà, legant homines isti pestiferi Historias approbatas, quis unquam Papa Catholicus ab Imperatore institutus fuerit; profecto credimus quod nullum poterunt reperire: nec dubium, si ad eos talis pertinuisset Institutio, quin potestate fuissent nisi hujusmodi & quum in Historiis de institutione tali mentio haberetur. Dicere autem quòd Papæ institutio, seu punitio, ad Imperatorem pertineat, est erroneum & insanum, quomodo enim ad Imperatorem pertinebat Papæ destitutio; cum ejus Institutio ad eum non pertineat, ut ex prædictis patet; indè enim etiam, secundum jura Imperialia, privatio debet procedere, unde datio noscitur processisse. Præterea, quomodo Imperator Principem Clericorum destituere poterit, vel punire; cum etiam secundum Imperiales Leges, id in simplici Clerico nequeat exercere. Audiant isti homines perfidi quid circa hoc nonnulli Principes Catholici senserint, & quid duxerint sanciendum; Theodosius quidem & Arcadius, Imperatores Catholici, expressè sanxerunt quod nullus Episcoporum, sive eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad Ordinariorum, sive Extraordinariorum, judicium pertrahantur; habent enim illi Judices suos, nec quicquam eis cum legibus est commune. Item, Imperator Constantinus, cum querelam Clericorum quorundam coram se deferendam, conspiceret, dixit vos à nemine Laicorum judicari potestis, qui Dei solius estis judicio reservati; & si dicatur si solius Dei judicio reservantur, ergo nec à judicibus Ecclesiasticis poterunt judicari, dicendum quod immo ipsi quidem Pontifices Vicarii licet differenter, sint Christi: quia Papa universalis, velut vocati in potestatis plenitudinem; illi verò particulares, velut illi qui in partem sollicitudinis sunt vocati; undè à Deo videntur judicari, quia ab eo judicantur, potius quàm ab ipsis, cum ille hujus auctoritate sic facere videatur; & propter hoc Imperator prædictus signanter dixit, à nemine laicorum. Item Theodosius Imperator, cum Romæ Concilium convocasset, ut Sanctum Concilium judicaret de his, quæ Papæ Symmacho ab adversariis dicebantur impingi, certi Episcopi, qui convenerant Imperatori dixerunt quod ad illum qui impetebatur, scilicet Papam, pertinebat Concilium convocare, quia ejus sedi primum Petri Apostoli meritum, deinde secuta jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem; nec ante minoris subjacuisse judicio Antistitem dictæ sedis: quo audito Imperator prædictus Deo inspirante, respondit, Synodalis esse arbitrii in tanto negotio sequenda præscribere, ac ad se nihil, præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis asseruit pertinere; Episcopis etenim Principes Christianos solitum est capita subdere, non de eorum capitibus judicare. Hinc est, quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem excommunicavit, quia consensit ut à sua sede Sanctus Johannes Chrysostomus pelleretur; plures quoque summos Pontifices legimus, Imperatores, pro suis excessibus, Imperiali dignitate privasse. Beatus quoque Ambrosius, licet Ecclesiæ universalis non esset Pontifex, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans, eidem ingressum Ecclesiæ interdixit: Ad hujusmodi autem erroris sui fulcimentum, scilicet, quod ad Imperatorem pertineat Papam destituere, & punire illud, quod in Sanctis Evangeliis legitur, de Pilato, scilicet, quod Christum crucifixerit, præsumunt inducere, asserentes ipsum Pilatum tanquam Christi Ordinarium crucifixisse ipsum, tanquam sibi subjectum. Quod habet duplicem intellectum; aut enim intelligunt Pilatum Christum crucifixisse de jure, aut de facto. Si de jure hoc obviat veritati: de jure enim de crimine quis puniri non potest, nisi qui deliquerit verè, vel interpretativè vel qui convictus fuerit deliquisse; Christus autem secundum veritatem non deliquit, quia innocens fuit manibus, & mundo corde, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; & hoc ipse Pilatus fuit expressè testatus: cum enim ipsum Judæis tradidit crucifigendum, dixit, mundus sum à sanguine justi hujusmodi; Item non fuit deliquisse convictus, quod idem pluries testatus: cum enim Judæi instarent quod crucifigeret eum, in uno loco dixit, quid enim mali fecit, quasi dicat, nihil invenio eum feciſſe mali: & alibi, pluries eisdem Judæis instantibus quod crucifigeret illum, dixit, Ego nullam in eo invenio causam mortis; quare ipsum de jure non potuit punire. Si autem intelligunt quod de facto, & injustè punivit eum innocentem, sicut & veritas se habet, tunc ex hoc non possunt concludere aliud, nisi quod Imperator Papam de facto potest interficere & injustè, quod utique non solum de Imperatore concedimus, sed etiam de privato, sicut & plures Imperatores à privatis personis, & Summos Pontifices à non suis Judicibus, sicut omnes martyres legimus interemptos. Quartò, dicunt isti vaniloqui, immo falsiloqui, quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt, ex institutione Christi, auctoritatis & jurisdictionis æqualis: quod autem unus plus alio habeat, hoc est secundum quod Imperator concedit uni vel aliis plus & minus: & sicut concessit alicui, sic potest illud etiam revocare, quæ utique doctrinæ sacræ ob-

ANNO 1327.

viant,

ANNO 1327.

viant, & Hæreticam ſapiunt pravitatem. Quod enim Sacerdotum, ſimplicium, & non ſimplicium, ex ipſa inſtitutione Chriſti, non exiſtat æqualis poteſtas, patet tàm in his qui fuerunt in Teſtamento veteri, quàm in his qui fuerunt in novo. In veteri ſiquidem Teſtamento per Moyſen ex præcepto Domini, Aaron in ſummum Pontificem, filii verò ejus uncti fuerunt in ſimplices ſacerdotes; quorum poteſtas, ut patet, inæqualis extitit, quia ex ſimplicibus ſacerdotibus, velut ad ſuperioris auctoritatis & poteſtatis honorem, ad Pontificium ſunt aſſumpti: tumque licebant quædam Pontifici, utpote in ſancta Sanctorum ingredi, quæ non licebant ſimplici ſacerdoti. In novo verò Teſtamento Pontificum & ſimplicium ſacerdotum ab ipſo Chriſto, ex eo aſſumpſiſſe videtur exordium, quod duodecim Apoſtolos quorum typum gerunt Pontifices ac LXXII. Diſcipulos inſtituit, quorum typum gerunt ſimplices ſacerdotes. Conſtat autem ex multis, quæ de ipſis in ſanctis leguntur Evangeliis, quod Apoſtolorum & diſcipulorum auctoritas diſpar fuit. Adhuc, quod poteſtas aliorum quorumcumque ſacerdotum poteſtati Papæ par non ſit, nec æqualis patet evidentiùs ex prædictis. Quod aliorum Epiſcoporum ſcilicet, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, par poteſtas non ſit nec fuerit, patet; inferior ſiquidem poteſtas ſuperiori non eſt par poteſtati. Conſtat autem Patriarchas eſſe ſuperiores reſpectu Archiepiſcoporum, & Archiepiſcopos reſpectu Epiſcoporum, & Epiſcopos reſpectu ſimplicium ſacerdotum. Et ſi dicant iſti homines reprobi quod iſtorum Epiſcoporum diſtinctio ab Imperatore proceſſit, non à Chriſto, dicimus quod immò proceſſit ab ipſo. Ille enim, cujus auctoritate ſit aliquid, illud feciſſe videtur: Beatus autem Petrus, Chriſti Vicarius, & gregis Dominici caput, attendens quod, aucto grege ſine ipſius augmentatione cuſtodiæ, gregi non poterat ſalubriter provideri, auctum gregem, poſt aſcenſionem Domini, conſiderans, & aucturum amplius providens in futurum, gradus prædictarum poteſtatum inſtituit & diſtinxit. Quare, cum auctoritate Chriſti prædicta diſtinctio facta fuerit, Chriſto debet aſcribi. Hanc autem poteſtatem daturam Eccleſiæ poteſtas diu ante prædixerat dicens, pro patribus nati ſunt tibi Filii, conſtitues eos Principes ſuper omnes Terras; ubi Patres Eccleſiæ vocat Apoſtolos, & filios Eccleſiæ fideles per Apoſtolos ipſos converſos; ubi ſatis apertè Eccleſiæ JJ. C. ejus paſtori, attributa poteſtas, intelligitur, inſtituendi diverſos gradus Principum, cum expedire perciperet Eccleſiæ Sanctæ Dei. Audiant inſuper iſti perverſi homines quid Juſtinianus Imperator Catholicus ſuper hoc dixit; Cùm enim circa gradus prædictos Epiſcoporum, eorumque ſuperioritatem, & ſubjectionem conſtituiſſet aliqua, ſubjunxit, dicens, Nos hæc ſecundum ſacrarum regularum explanationem Apoſtolicamque Traditionem conſtituimus: ex quibus colligitur evidenter, non ab Imperatore diſtinctionem & auctoritatem Pontificum, originaliter & principaliter, ſed ab auctoritate Apoſtolica proceſſiſſe; Imperatoremque, ut illa ſervarentur melius, juxta ſtatuta Apoſtolica, eadem ſtatuiſſe. Conſiderent etiam quæ, & quanta ex his, ſi vera eſſent, inconvenientia ſequerentur; ſequeretur utique, quod uſque ad tempus Conſtantini nulla poteſtas eſſe potuerit in Eccleſia Sancta Dei, cum illo tempore Imperatores fere omnes Gentiles fuerunt, Perſecutores Eccleſiæ, ac Prælatorum ejuſdem; de quibus dici non poteſt, quod Prælatis Eccleſiæ poteſtatem conceſſerint aliquam, ut ex prædictis patet. Ex prædictis inſuper ſequeretur, quod Univerſalis Eccleſia, quæ Spiritu Sancto regitur, erret, & erraverit, ipſos honorando pro Sanctis: quod eſt utique contra illud, quod Chriſtus diſcipulis, in aſcenſione ſua ut in Sancto Evangelio Matthæi legitur, promiſit, dicens, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi; Secundum enim iſtos Diaboli filios, pro illo tempore, vera Chriſti promiſſio non fuiſſet nec aliquis illorum Pontificum, qui à paganis fuerunt eo tempore interfecti, ſancti fuerunt nec pro ſanctis honorari deberent: hoc quoque eſt expreſſa contra illum articulum, unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quia ſecundum eos, nec ſancta fuit, pro illo tempore, nec potuit dici ſancta. Utrum autem in omnibus Apoſtolicis, ac in ſimplicibus, & non ſimplicibus ſacerdotibus fuerit ordinis poteſtas æqualis, dicimus quod, quantum ad Ordinis dignitatem, pares ſunt, & fuerunt: æque enim ſacerdos quilibet ſacerdotalem characterem recepit, rite & ſecundum formam Eccleſiæ, ordinatus. Poteſtas autem ipſius Ordinis par quoad Sacramentum altaris, omnino non exiſtit, nec extitit, ſimplicis, & non ſimplicis ſacerdotis, quod patet, quia poteſtas ligabilis & ſuſpenſibilis illi, quæ ligari vel ſuſpendi nequit, nequaquam par poteſt dici. Conſtat autem quod Papa ligare potuit aliorum ſacerdotum & ſuſpendere poteſtatem, ſic quod licitè ut dicta poteſtate non poterunt, licet effectus ſubſequatur, ſi uſi fuerunt, & ipſi ſunt ex hoc merito puniendi; nullus autem aliorum ſacerdotum poteſtatem Papæ ligare vel ſuſpendere poteſt, quod etiam de aliis ſuperioribus & inferioribus patet; ex quo ſequitur evidenter, quod poteſtas eſſet Ordinis, ſuperiorum & inferiorum ſacerdotum, omnino par judicari non poteſt. Concedimus tamen quod, ſi ſine probatione aliqua, minores uſi fuerint hujuſmodi Ordinis poteſtate, puta hoſtiam conſecrando, par ſequitur effectus; æquè enim, prolatis verbis illis, Hoc eſt corpus meum, à ſimplici Sacerdote ſit Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, ſicut ſi ea ſuperior protuliſſet; quod ex eo contingere noſcitur, quia unus & idem eſt ſacerdos interior, videlicet Chriſtus, qui prolatis verbis prædictis à ſacerdote quolibet, animo conſecrandi, Tranſubſtantiationem hujuſmodi facit; & ideo non eſt mirum ſi pars effectus ſequi debeat verbis prædictis à quocumque ſacerdote prolatis, cum unus & idem actor hujuſmodi eſſe noſcatur effectus. Adhuc iſti blasfemi dicunt, quod tota Eccleſia, ſimul juncta, nullum hominem punire poſſit punitione coactiva niſi concedat hoc Imperator: quod utique Doctrinæ Evangelicæ noſcitur obviare. Conſtat enim quod à Chriſto, Petro, &

ANNO 1327.

ANNO 1327.

in persona Petri, Ecclesiæ potestas coactiva concessa, vel saltem promissa extitit, quæ quidem promissio fuit postea adimpleta cum sibi Christus dixit, Quodcumque ligaveris super terram; liganrur enim non solum voluntarii, sed inviti. Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthæo, quod si aliquis damnum alii indebitè dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem, à Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per Excommunicationis sententiam compellere potest; quæ quidem potestas est utique coactiva. Circa quod est advertendum, quod cum Excommunicatio major nedum excommunicatum à perceptione Sacramentorum removeat, sed etiam à communione fidelium ipsum Excommunicatum excludit, quod corporalis etiam à Christo coactio Ecclesiæ est permissa, cum etiam, secundum Imperiales leges, gravius reputetur inter homines conversari ipsorumque privari suffragio, quàm ab hominibus separari; ex quo sequitur potestatem coactivam, non ab Imperatore terreno, sed ab ipso Christo, fuisse originaliter Ecclesiam consecutam. Præterea beatus Petrus post Ascensionem Domini, in personam Ananiæ, & Saphiræ, uxoris suæ, sine Imperiali concessione, in quos, quia de pretio agri Deo oblati, fraudaverunt, mortis sententiam promulgavit; quæ quidem sententia non processit de ipsorum conjugum voluntate. Item, Beatus Paulus, Elimam, Magum, Sergium Paulum à Fide quærentem avertere, ad tempus luce corporali privavit; illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit Sathanæ, ut ejus spiritus salvus esset. Item, Corinthiis scribens, dixit idem Apostolus, Quid vultis, in virga ad vos veniam? an in caritate & in spiritu mansuetudinis? in quo satis expresse coactivam potestatem suppositi se habere. Item scribens eisdem, alibi dixit arma militiæ nostræ non sunt carnalia sed potentia Deo, i. e. à Deo concessa ad destructionem munitionum, Consilia, destruentes & omnem altitudinem excellentem se adversus sententiam Dei, & sequitur, in promptu habentes ulciscì omnem inobedientiam. Ex quibus patet Paulum non ab Imperatore, sed à Deo habuisse potestatem etiam coactivam, cujus contrarium blasfemi præsumunt dicere supra dicti. Rursus advertant isti nequam homines, quo modo audent dicere supra dicti, quod ab Imperatore terreno Ecclesiarum Prælati coactivam, vel aliam receperint, originaliter, potestatem; cum, ut suprà dictum est, Imperatores usque ad Constantinum Magnum, fere omnes, pagani fuerant, & Idololatræ, & persecutores, immo exterminatores, quantum fuit in eis, Ecclesiæ Sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam, vel aliam potestatem concederent, utique nullus sapiens hoc credere debet. Et quia, ne tantorum auctores & Doctores errorum plures in ipsorum errorem pertraherent devium, ipsique, propter impunitatis audaciam, nequaquam fierent nequitiores, licet Nos, cum eorum excessus adeo forent notorii, quod nulla poterant tergiversatione celari, tunc possemus procedere ad sententiam contra eos, de benignitate tamen Apostolica, quæ conversionem desiderat perversorum, Nos ipsos, Marsilium, & Johannem, & quemlibet ipsorum, de Fratrum eorumdem consilio V. Id. Aprilis proximò præteriti, die videlicet Dominicæ cœnæ, per Edictum citavimus publicum, præsente fidelium multitudine copiosa, ut infra quatuor mensium, tunc proximo subsequentium spatium, quos eis, & eorum cuilibet de eorum Fratrum consilio, pro peremptorio termino præfiximus & assignavimus; Apostolico conspectui se personaliter præsentarent, super prædictis excessibus, & delictis, ut præfertur, notoriis, justam, dante Domino, sententiam audituri, ac responsuri, & facturi quod Justitia suaderet eisdem. Apertiùs prædicentes, quod sive infrà prædictum terminum, coram nobis, sive non, comparerent, nos ad prædicta, absque monitione & citatione, procederemus aliàs prout videremus expediens, eorum absentia non obstante. Volentes tunc nihilominus, & etiam dicentes, citationem prædictam, etiamsi termini prædicti præfixio in tempore forsitan caderet feriato, perindè valere, suumque effectum sortiri debere, ac si tempus feriatum non existeret, quacumque Constitutione, super hoc in contrarium edita, non obstante. Et ut ad ipsorum & aliorum, quos tangebant notitiam communem deducerentur, prædictas cartas sive membranas, Processum continentes eundem in Majoris Ecclesiæ Avinionen. appendi vel affigi ostiis fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut ipsi & alii, quos processus ipse tangebat, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non pervenisset vel quod ignorassent eundem, cum non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod publicabatur omnibus tàm patenter. Voluimus etiam auctoritate Apostolica decernentes, quod idem Processus per dictos citatos apprehendetur & arctaret, quia ad eos, moram trahentes cum dicto Ludovico, tutus non patebat accessus, ac si eis insinuatus personaliter & publicatus solemniter extitisset. Constitutione quacumque per Romanos Pontifices, prædecessores nostros in contrarium edita, non obstante. Cum autem præfati, Marsilius & Johannes, citati, ut prædicitur in proximo præfixo sibi termino comparere non curaverint, nec aliquis pro eisdem, nos ipsos, & eorum quemlibet, de Fratrum prædictorum consilio reputavimus & decrevimus meritò contumaces. Et licet tunc, eorum contumacia exigente potuissem, cum eorum essent excessus, ut præfertur, adeò notorii, quod non poterant aliqua tergiversatione celari ad sententiam & alia rationabiliter contra ipsos procedere, & quemlibet eorum; de benignitate tamen Apostolica, quæ conversionem peccatorum desiderat, ipsos decrevimus usque ad nostrum

ANNO 1327.

bene-

beneplacitum expectandos; quo circa contra ipsos procedere, usque ad diem præsentem, de eorumdem Fratrum Consilio, duximus differendum. Sanè considerantes attentè, quod præmissi, Marsilius & Johannes, ad redeundum ad sinum Ecclesiæ se non præparaverunt, sed potiùs ut in sui erroris devium alios pertrahant elaborant. Nec non ad memoriam reducentes, quod dudum, cum hostis humani generis, ad impugnandum sinceritatem fidei, hæreticorum fallaciam subinduceret fraudulentam, sancti Patres, prædecessores nostri, contra ipsos viriliter insurgentes, eorum prava Dogmata cum suis Auctoribus, condemnarunt, sicut patet de Arrio & Manichæo, Nestorio & Diascoro ejusque complicibus, & pluribus aliis, quos, cum suis hæresibus, justissima sententia condemnarunt; ac volentes eorumdem Patrum vestigiis inhærere: Et insuper attendentes probabiliter formidari, quod in præmissis mora periculum, & damnum dissimulatio, forent procul dubio allatura non intendentes eos ulteriùs expectare, sed reputantes, ac decernentes potius contumaces, ad laudem & gloriam sanctæ & Individuæ Trinitatis, consolationemque Fidelium & Fidei Catholicæ firmamentum, de Fratrum nostrorum consilio Dei nomine invocato, Articulos prædictos, videlicet. Quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando statterem, sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didragma, jussit dari, hoc fecit non condescensive & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. Item, quod beatus Petrus Apostolus non fuit plus caput Ecclesiæ, quàm quilibet aliorum Apostolorum, nec habuit plus auctoritatis, quàm habuerunt alii Apostoli, & quod Christus nullum Caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem fecit Vicarium suum. Rursus, quod omnes sacerdotes, sivè sit Papa, sivè Archiepiscopus, sive Sacerdos simplex quicumque, sunt æqualis auctoritatis, & Jurisdictionis, ex Institutione Christi, sed quod unus habeat plus alio, hoc est, secundum, quod Imperator concessit plus, vel minus, & sicut concessit revocare potest. Ultimo quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem; Velut Sacræ Scripturæ contrarios, & fidei Catholicæ inimicos Hæreticos seù Hæreticales & erroneos. Nec non & prædictos, Marsilium & Johannem hæreticos, immo hæresiarchas, fore manifestos & notorios sententialiter declaramus. Articulosque ac librum prædictos nec non, & quamcumque aliam scripturam, continentem eosdem, prædictos quoque Marsilium & Johannem, ut Hæreticos manifestos & notorios, immo ut Hæresiarchas potius reprobamus, & sententialiter condemnamus. Si quis autem Doctrinam prædictam defendere vel approbare præsumpserit cujuscumque sit dignitatis, Ordinis, conditionis, aut status, tanquam Hæreticus, ab omnibus confutetur. Præterea universis & singulis Christi fidelibus districtiùs inhibemus, ne prædictos Marsilium & Johannem, Hæreticos, & de Hæresi, ut præmittitur sententialiter condemnatos, aut eorum alterum, receptare, defendere, fovere, aut eis quomodolibet adhærere, seu præstare, per se, vel per alium, seu alios, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, auxilium, consilium, vel favorem præsumant; sed eos evitet, potiùs, ut Hæreticos manifestos, ipsosque, quos fidelibus capiendos exponimus Zelo persequantur Fidei & capiant ubicunque ipsos reperire poterunt, ac Ecclesiæ captos assignent, & restituant animadversione debita puniendos. Nos adversus quoscumque dictorum Hæreticorum Receptatores, Defensores, Fautores, Credentes, Adhærentes, aut eis præstantes quomodolibet auxilium, consilium, vel favorem, processuros, prout rationis fuerit, & expedire videbimus, apertius prædicentes. Ut autem sententia & processus hujusmodi ad eorumdem Marsilii & Johannis, & aliorum omnium quorum interest, communem notitiam deducantur, cartas seu membranas, sententiam & processum continentes eosdem, in Majoris Ecclesiæ Avinionen. appendi & affigi Hostiis, seu super liminibus, faciemus, quæ ipsos processum & sententiam, suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod ipsi & alii, quos contingere dignoscuntur, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerint, vel quod ignorarint eosdem, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avinion. X. Calendas Novembris Pontificatus nostri Anno XII. Volentes itaque processum ipsum in eis partibus, ut notitiæ fidelium innotescat clarius, solemniter publicari, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinùs per te vel alium, seu alios Religiosos & Seculares, exemptos & non exemptos, de quibus tibi videbitur, dictum processum, & contenta in eo, in tuis Civitate, & Diocese, solemniter publicans, etiam ut intelligantur meliùs ab omnibus, in vulgare singulis diebus, Dominicis, & Festivis in Ecclesiis tuarum Civitatis & Diocesis, & alibi, ubi videritis expedire, prædictos, Marsilium & Johannem Excommunicatos & Hæreticos præsentibus fidelibus populis, dum convenerint ad Divina, facias publicè nunciari: Populosque ipsos, ut eosdem vitent Hæreticos, nec eisdem quomodolibet adhæreant, aut præstent auxilium, consilium, vel favorem, solerter & fideliter etiam in Sermonibus publicis inducendo. Super publicatione autem prædicta fieri volumus publica Instrumenta, principium, & finem præsentium continentia, nobis postmodum transmittenda.

Datum Avenioni VII. Calendas Novembris Pontificatus nostri anno XII.

ANNO 1320.

XX.
Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 1. pag. 215.

Declarat Beghinas Belgicas esse immunes ab erroribus Beghinarum Alemanniæ quas Clemens V. damnaverat: anno 1320.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Cameracensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm de his mulieribus, quæ Beghinæ vulgariter, & communius nuncupantur felicis recordationis Clementi Papæ V. Prædecessori nostro, præcipuè de Alemanniæ partibus multa fuissent insinuata siniſtra, præsertim quòd earum aliquæ de summa Trinitate, ac divina essentia disputare, ac etiam prædicare circa articulos quoque fidei, & Ecclesiastica sacramenta, opiniones fidei eidem contrarias introducere, multorumque simplicium animos in diversos super his errores inducere, & alia multa pericula animarum parientia facere, sub fucato sanctitatis velamine præsumebant.

Ex quibus, nec non & aliis de dictis mulieribus frequenter auditis, habens eas dictus Prædecessor non indignâ ratione suspectas, statum earum prohibendum duxit perpetuò, & à Dei Ecclesia penitus abolendum; in illas, quæ statum hujusmodi jam assumptum sectarentur ulteriùs, aut quæ de novo illum assumerent, excommunicationis sententiam promulgando.

Cum autem ad Apostolatus nostri auditum relatio fide digna deduxerit, esse plurimas in tuis Civitate, & Diœcesi hujusmodi mulieres Beghinas simpliciter nuncupatas, quæ per virtutum odoramenta currentes, honestè vivunt, devotè frequentant Ecclesias, Prælatis suis reverenter obediunt, & se in præmissis disputationibus, & erroribus non involvunt nec suas, nec aliorum animas per opiniones erroneas, ab evangelica veritate degeneres, damnabili præsumptione decipiunt.

Sed in Sancta, & solida simplicitate viventes, aliquæ propriis, aliquæ parentum, aliquæ conductas, vel sibi communes, & cum honesta Familia domos inhabitant, aliquæ verò rerum cogente defectu, simul in eisdem domibus, & diversis Beghinagiis ad majorem charitatis observantiam, commorantur.

Et quia hæ sic hactenùs vixerunt laudabiliter, atque vivunt, quod nulla unquam semper his fuit, vel est suspicio, aut infamia contra ipsas; propterea fuit nobis pro parte ipsarum humiliter supplicatum, ut cum indignum sit innocentes cum nocentibus ad pœnam judicari, sintque propterea occasione hujusmodi, in dictis Civitate, & Diœcesi, scandala gravia, dissensiones, & odia, guerrarumque pericula suscitata, providere super his per Apostolicæ sedis providentiam dignaremur.

Nos igitur indignum, & rationi contrarium reputantes, si probas, & reprobas similis censura percelleret; præmissis enim scandalis, dissensionibus, odiis, atque periculis obviare volentes, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus per Apostolica scripta mandamus.

Quatenus per te, vel alium, de vita dictarum mulierum laudabiliter viventium, ut præfertur, diligentiùs informatus, si repereris ità esse, non permittas eas, vel ipsarum aliquam in personis, & bonis earumdem occasione prohibitionis, & abolitionis hujusmodi (quousque de statu earumdem fuerit aliter per sedem Apostolicam ordinatum) ab aliquibus molestari, molestatores si qui fuerint, per censuras Ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo.

Non obstante si eis, vel eorum aliquibus communiter, vel divisim à sede prædicta sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dictæ sedis non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem, quòd prædictas mulieres attentè, & accuratè præmoneas, eisque districtè præcipias, ne de hujusmodi disputationibus contra hujusmodi prædicti Prædecessoris nostri prohibitionis, & abolitionis tenorem, se aliquatenùs intromittant, sed in sanctis operibus persistentes, & proficientes semper de virtutibus in virtutes mereantur retributionis æternæ præmium, quod non inchoantibus, sed perseverantibus in consummatione præstatur.

Datum Avenione 2. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1320.

ANNO 1426.

MARTINUS V.

Erectio Universitatis in oppido Lovaniensi ad preces Joannis IV. Brabantiæ Ducis anno 1426.

Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 1. pag. 223.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SApientiæ immarcescibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus, omnem habens vigorem, & virtutis Altissimi dispensator, omniumque Chrismatum elargitor, ipse Dominus ad hoc suæ miserationis dignatu, nobis licet immeritis sponsæ suæ universalis Ecclesiæ regimen plâ dispensatione commisit, & nostræ debilitatis oculo jugum imposuit Apostolicæ servitutis, ut in Petri specula positi tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris, qui non nativitatis deposcunt fructus, sed intelligentiæ spiritu, eandem, unius initium verissima est disciplinæ concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxæ, quid starui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus attentiùs, & qualiter à fidelibus ipsis profugatis ignorantiæ tenebris, illi post supereminentissimam summi Opificis notionem, per ejusdem sapientiæ donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes eò ad quærendum ipsius sapientiæ alimenta

litte-

ANNO 1320.

litterarum ſtudia, per quæ divini nominis, & ejuſdem fidei cultus protenditur, militantis Eccleſiæ Reſpublica, in ſpiritualibus, & temporalibus cum animarum ſalute geritur, pax & tranquillitas ubilibet ſolidantur, omnisque conditionis humanæ dilatatur proſperitas, noſtræ proviſionis, ſolicitudinis ope, Apoſtolicisque favoribus propenſius excitemur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum, nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiæ, ac Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, & Capituli Eccleſiæ S. Petri, nec non Burgi-Magiſtrorum, Scabinorum, & Communitatis Oppidi Lovanienſis, Leodienſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat.

Quod licèt in Ducatu Brabantiæ & in aliis Dominiis ipſius Ducis, nec non etiam in Leodienſi, Cameracenſi, Trajectenſi, Morinenſi, & Tornacenſi Diœceſibus, cæteriſque ibidem circumvicinis partibus, & Dominiis, multa famoſa, & inſignia loca populo Chriſtiano, & rerum copiâ admodum opulenta exiſtant, nullus tamen in illis locus eſſe noſcitur, in quo ſaltem Generale vigeat ſtudium literarum. Undè partium illarum plerique commodo, & uſu ſtudii carentes, vel hujuſmodi literarum imperitiæ ſubjacent, vel in remotis partibus degere habent, ſcientiæ hujuſmodi in eis ſectantes incrementum.

Verùm oppidum præfatum, quod de temporali Dominio ipſius Ducis exiſtit, adeò rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, & aliarum rerum neceſſariarum commoditate per Dei gratiam eſt refertum, quod ad hujuſmodi receptandum, confovendumque ſtudium, aptum plurimum, & idoneum exiſtere perhibetur.

Quapropter ipſi, Dux, Præpoſitus, Decanus, Scholaſticus, Capitulum, Burgi-Magiſtri, Scabini, & Communitas C. conſiderantes attentius, quòd inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta Summo rerum auctori ſacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa divinæ Majeſtati grata plurimùm nullatenùs ambiguntur, per quæ ad ſuſcipiendum ſingulare virtutum diadema illis, qui ſcientiarum earumdem ſitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, & auxiliaribus commodis ſubventionis præſidium efficaciter impertitur, Generale literarum ſtudium in eodem Oppido ordinari deſiderant, ut inibi diſciplinæ, atque ſapientiæ ſe ſtudiis exercentes, ſibi & aliis meliores effici valeant, & partium illarum proſperitatis auctore Domino facilius incrementum ſequatur.

Et nihilominus Dux ipſe, unà cum Burgimagiſtris, Scabinis, & Communitate hujuſmodi domos aptas, & loca convenientia illic cum ſcamnis, & aliis neceſſariis Officiis pro Magiſtris, Doctoribus, & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, diſputantibus, & audientibus deputare, nec non eiſdem Magiſtris, & Doctoribus legentibus de ſalario competenti annis ſingulis, vel aliàs de beneficiis Eccleſiaſticis providere.

Nec non quòd Rector Univerſitatis ſtudiis hujuſmodi pro tempore exiſtens ſuper omnia membra Univerſitatis ejuſdem, & illorum ſervientes tam in Civilibus, quàm in criminalibus, & aliis quibuſlibet cauſis, negociis, & exceſſibus, ſine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coërcitionem, & emendationem dictis Duci, Præpoſito, Decano, Scholaſtico, Capitulo, Burgi-Magiſtris, Scabinis, & Communitati, communiter, vel diverſim in eodem oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coërcitionem, & correctionem hujuſmodi à ſe penitùs abdicare, & in Rectorem ipſum plenariè transferre.

Singulis quoque Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus, cauſâ ſtudii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus pro tempore quæcumque ſua, res, & bona ſecum aſportandi, & ea pro ſuæ voluntatis libito deportandi, ſivè ibidem vendendi libertatem tribuere intendunt pariter, & proponunt.

Quare pro parte dictorum Ducis, Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Capituli, Burgi-Magiſtrorum, Scabinorum, & Communitatis deſiderantium etiam, quòd Magiſtri, Doctores, & Scholares ſupra dicti pro potiori dicti ſtudii incremento condignis privilegiis ſe communitos ſentiant, quibuſlibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus aliorum generalium ſtudiorum quantum in ipſis, Duce, Præpoſito, Decano, Scholaſtico, Capitulo, Burgi-Magiſtris, Scabinis & Communitate, & aliis ipſius Ducis ſubditis fuerit, gaudeant, & utantur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto oppido Generale litterarum ſtudium in qualibet licita facultate erigere, & ordinare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui relatione fidâ, poſt informationem diligentem ſuper habilitate loci, & aliis circumſtantiis præmiſſis de mandato noſtro receptam, oppidum ipſum aëris temperie politum, ſingularumque rerum humano uſui neceſſariarum uberrate refertum, & aliàs pro hujuſmodi ſtudio locum aptum dicimus, pium, meritoriumque eorumdem Ducis, Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Capituli Burgimagiſtrorum, Scabinorum, & Communitatis deſiderium, per quod ſcientiarum fons, ex quo ad Dei laudem, & gloriam haurire poſſint ſinguli viri conſilii maturitate perſpicui, virtutum, & dogmatum ornatibus redimiti ſuccedant, plurimum commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica præſentium ſerie ſtatuimus, & etiam ordinamus: Quod à modo in dicto oppido generale in facultate qualibet, præterquam in Theologia, ſit ſtudium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, & obſervetur: Quodque omnes, & ſinguli Doctores, Magiſtri & Scholares inibi omnibus, & ſingulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibuſvis Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus, Coloniæ, Wiennæ, ac Lipſenſis, Patavienſis, & Merſeburgenſis Diœceſium Oppidis ſtudiis cauſa commorantibus per Sedem Apoſtolicam, vel aliàs qualitercumque conceſſis gaudeant pariter, & utantur.

Singuli verò, qui curſu feliciter conſummato in ea facultate, qua hujuſmodi inhæſere ſtudio, bravium obtinere meruerint, ſibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus, ſive Magiſterii honorem petierint elargiri, per ipſorum inibi Doctores, ſive Magiſtros Præpoſito, (quem Cancellarium ſtudii in oppido hujuſmodi eſſe perpetuò volumus) ſi illic præſens fuerit, alioquin Decano dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtentibus, ſive aliis ab eis deputandis præſententur, ut ab illis, ſi ſervatis conſuetudine, & modis, ſuper talibus in-

ANNO 1320.

dictis

ANNO 1329.

dictis studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam, & honorem sortiantur; eo reportent ante dictos, & qui quidem præsentavit quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, & approbatione in ipsa facultate, quam licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere, & docere liberè, & licitè ubique possint, & valeant.

Rursus quoque omnium, & singulorum causarum, & negotiorum cognitio, atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholariorum, membrorum, atque servitorum eorumdem, sive Clerici, sive laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus, & excessibus, correctis & punitis, atque omnimoda super illis jurisdictio ad rectorem studii in eodem oppido C. quem dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, & ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem studiorum hujusmodi eligi volumus, & non ad Ducem, seu ejus successores, Duces Brabantiæ, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgimagistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimodè dignoscantur, præfatique Duci, Successoribus, Præfatoque Duci successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, Communitati, & Officialibus, & aliis quibuscumque de causis, & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa diriмendi, aut membra, & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, & excessibus, eisdem, aut quomodo libet corrigendi, vel puniendi seu aliquam in eos superioritatem, vel jurisdictionem exercendi, facultate, & autoritate penitùs interdictis; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod nisi infra annum à data præsentium computandum, Dux, & Præpositus, Decanus, Scholasticus, & Capitulum, ac Burgimagistri, Scabini, & communitas supra dicti, prout eos communiter, vel divisim contingere censetur, privilegia, & libertates concesserint, ac jurisdictionem à se abdicaverint, & eam in Rectorem, ac Universitatem prædictos transtulerint, antedicta realiter, & cum effectu, præsentes literæ, & quæcumque inde sequuta, nullius existant roboris, vel momenti.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temenario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos 5. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno nono.

ANNO 1330.

XXI. Ex Goldast. Monarch. Tom. I. Dissertat. de Author.

Excommunicatio Michaelis Cesenatis Prioris Generalis Ordinis Minorum, Guillelmi Okami, aliorumque Consiliariorum Ludovici IV. Imperatoris: Anno 1330.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Ministro Generali Ordinis Fratrum minorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper in Consistorio publico, præsente multitudine copiosa fidelium, contrà Michaelem de Cesena, olim generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum, suis exigentibus culpis, & excessibus, officio ministeriatus privatum, ac de hæresis ac schismatis criminibus condemnatum per nos sententialiter nec non & contrà Guillelmum Ockam Anglicum, Bonagratiam de Pergamo conversum, ac Henricum de Chalem præfati Ordinis quendam processum edidimus tenoris, & continentiæ subsequentis.

JOANNES EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Dudum, sicut ad communem omnium notitiam credimus deduxisse, contrà Michaelem de Cesena, olim Ordinis Fratrum Minorum generalem Ministrum, hæreticorum fautorem, & hæreticum, immò hæresiarcham notorium; qui ad nostram vocatus curiam super dictis criminibus, cuique sub excommunicationis, ac depositionis ab officio, & inhabilitationis ad quoscunque honores, dignitates, gradus, & status Ecclesiasticos pœnis, & sententiis, quas omnes, & singulas ipsarum eum incurrere voluimus ipso facto, si contrarium attentaret, ne de Civitate Avinion. ubi cum eàdem residebamus curia, sicut & residemus ad præsens, absque nostrâ licentiâ recederet, duximus inhibendum: quique una cùm Bonagratia converso prædicti Ordinis, qui suis demeritis exigentibus in prædictâ curiâ arrestatus, ad sancta Dei Evangelia juraverat, sede prædictâ curiâ sine nostrâ licentiâ nullatenùs recessurum, ac Guilielmo de Ockam ejusdem Ordinis, contrà quem super multis opinionibus hæreticalibus, & erroneis, quas scripserat, & dogmatizaverat, inquisitio in eadem pendebat curia, sibique propterea injunctum fuerat, ne de dicta recederet curiâ sine nostra licentia speciali, furtivè recessit de ipsa cum duobus suis complicibus supra dictis, ac redire ad eam renuens, legitimè requisitus, ad præsentiam Petri de Corvario in Antipapam assumpti, & Ludovici de Bavaria sedentis in pestilentiæ Cathedra festinavit suos dirigere gressus.

Ne Michael ipse via tam reprobus gloriaretur ulteriùs suæ pravitatis opera absque condignis de meritoriis stipendiis præterire ac ne plures etiam in sui erroris devium traheret, ad quod sua tota intentio ferebatur, cum præmissa adeo essent notoria, tam per facti evidentiam, quàm per plures ipsius literas ad partes diversas directas, quarum aliquæ ad nostras, & Fratrum nostrorum manus etiam pervenerunt, quod non poterant tergiversatione aliquâ occultari, de Fratrum eorundem Consilio, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Petri, [& Pauli Apostolorum ejus,

exi-

ANNO 1330.

exigente justitiâ procedentes, Michaelem eundem ab officio prædicti ministeriatus depositum, fautoremque hæreticorum, & manifestum hæreticum, & hæresiarcham, ac schismaticum duximus condemnandum, privantes eum Officiis, dignitatibus, & honoribus quibuscunque, seù privatum potiùs declarantes, ipsumque ab omni gradu deponentes, & privilegio quocunque nudantes Ecclesiastico, ac eum inhabilem ad præmissa reddentes, & quodlibet prædictorum, pœnis omnibus, & sententiis spiritualibus, & temporalibus, quibus divino, & Ecclesiastico jure hæreticorum fautores & hæretici Hæresiarchæ ac Schismatici existunt obnoxii, plectentes eundem nihilominùs, & eum velut talem eis fore obnoxium declarantes, universis quoque Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque personis Ecclesiasticis quibuscunque in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, & suspensionis ab officio, & beneficio, quas non parentes incurrere voluimus ipso facto, nec non privationis, depositionis, inhabilitationis prælationum, dignitatum, Officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pœnis & sententiis, & insuper omnibus, & singulis Civitatibus, terris, & locis, ac universitatibus communitatibus, & personis aliis singularibus quibuscunque, cujuscumque conditionis, aut status existerent, etiamsi Imperiali, Regali, vel alia quacunque dignitate fulgerent, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in Civitates, Terras, loca, eorumque Communitates, & Universitates, quas nisi mandatis, & monitionibus nostris cum effectu parerent, incurrere voluimus ipso facto, nec non privationis privilegiorum quorumcumque Apostolicorum, & imperialium, ac feudorum, & bonorum, quæ ab eadem Romana, vel quibuscunque aliis Ecclesiis, vel imperio obtinerent pœnis, & sententiis, mandandum expresè duximus, & etiam inhibendum, nè prædictum Michaelem Hæreticorum fautorem, hæreticum & Schismaticum receptarent, defenderent, sivè adhærerent, obedirent, intenderent quomodolibet, seù faverent, aut præstarent per sè vel alium seù alios publicè, vel occultè, directè, vel indirectè auxilium, consilium, vel favorem: sed eum potiùs velut hæreticorum fautorem, ac hæreticum, & Schismaticum; & (quantùm in eo est) Sanctæ Dei Ecclesiæ, Fideique Catholicæ corruptorem abjicerent, abhorrerent, persequerentur, & si possent, caperent, ac fideliter custodirent subdendum Ecclesiasticæ disciplinæ, prout hæc in processibus per nos habitis, & publicatis hactenùs pleniùs continentur.

Sanè quia, sicut fama notoriaè publica, & facti evidentia in illis partibus manifestat, Michael, ac Guilielmus Ockam, & Bonagratia supra dicti, nec non & Henricus de Chalem dicti ordinis, cujus perfectio inter alia potest percipi, quia Ludovici de Bavaria se pro Imperatore gerentis, de diversis damnati hæresibus, Cancellarii Officium diutiùs gerere non expavit (quod quidem officium quantum professioni illorum, qui sè nihil habere asserunt in proprio, vel communi; seque Christum pauperem nudi sequi, congruat, potest promptè quilibet prudens judicare) in Alamanniæ partibus in divinæ majestatis contumeliam, Fideique Catholicæ læsionem Ecclesiæque Catholicæ præjudicium, & contemptum, non verentur hæreses publicè prædicare, ac nonnullos Fratres dicti Ordinis illarum partium à devotione Ecclesiæ, Ministrique generalis ejusdem ordinis obedientia retrahere ac illos ad dictorum Ludovici, & Michaelis hæresiarchæ obedientiam per captiones, incarcerationes personarum, & ejectiones à suis conventibus, spoliationes librorum, aliarumque rerum ad usum sibi assignatarum à suis superioribus, proscriptionem quoquè publicam, minis, & terroribus mortis, & aliis modis ausu temerario inducere, & compellere non verentur: Nos considerantes attentè, quod talium non est dissimulanda malitia, sed eorum potiùs elidenda superbia, ac eorum pertinax contumacia, per semitas Justitiæ prosternenda, omnes, & singulos, qui contrà nostros processus prædictos eidem Michaëli faverunt, aut ut ministro obediverunt, nisi ad obedientiam Ecclesiæ jam redierint, de Fratrum eorundem Consilio declaramus, personas videlicet singulares excommunicationis, conventus, & universitates interdicti sententias incurrisse: Michaeli interdicentes prædicto, nè pro ministro sè gerat ulteriùs, ac Guilielmo, & Henrico, ac Bonagratiæ prædictis, ne ei tanquàm ministro, nec aliàs nisi in casibus, in quibus licet communicare cum hæreticis, pareant communicent, vel intendant, sub pœna excommunicationis, quam incurrant ipso facto, si contumaces mandatis nostris fuerint; præcipientes tàm Michaeli, quàm prædictis aliis, ut à consortio sè dicti Bavari retrahant, & ad unitatem redire Ecclesiæ sublato cujusvis moræ dispendio non obmittant.

Et quia prædicti Guilielmus, Henricus, & Bonagratia, velut defensores diversarum Hæresum, sed illarum præcipuè, quâ asserunt, quod Christus, & Discipuli nihil habuerunt in proprio, vel communi, nisi tantùm simplicem usumfacti (*fort. usumfructum* :) & illius, quæ asserit, quod ad Imperatorem pertinet Papam deponere, & alium subrogare, vehementer de Hæresi sunt suspecti: ipsos, & eorum quemlibet citamus per edictum peremptorium publicum præsente hac Fidelium multitudine copiosâ, ut intrà festum Ascensionis Domini exclusivè proximè subsequens compareant personaliter coram nobis; facturi super præmissis velut notoriis, quod rationis fuerit, & sententiam, si ferri posset commodè, audituri. Non intendentes propter prædictæ citationis edictum nos astringere, quin contrà dictum Guilielmum Ockam, & Bonagratiam, quos aliàs per dictum peremptorium publicum citavimus, ut certo termino, diù est, elapso, compararent coram nobis personaliter sententiam audituri, ac propter eorum contumaciam fuerunt excommunicationis vinculo innodati, interim valeamus procedere proùt suadebit justitia, & viderimus expedire: eisdem expressiùs intimantes, quod sivè venerint, sivè non venerint, contrà ipsos in dicto termino, vel quotiens nobis visum fuerit, absque citatione aliâ ad præmissa procedemus, prout rationis fuerit, & viderimus expedire.

Cæterum volumus auctoritate Apostolicâ nihilominùs decernentes, quod processus noster hujusmodi, præfatos Michaelem, Guilielmum, Bonagratiam, & Henricum, ac alios, quos contingere dignoscitur adeò apprehendat, & arctet, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter publicatus, & intimatus solemniter extitisset; quacunque constitutione contraria, per Prædecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Et ut idem Processus, & contenta in eo, ad ipsorum Michaelis, Guilielmi, Bonagratiæ, ac Henrici, & aliorum, quos contingunt, notitiam deducamus, cartas, seù membranas processum continentes eundem, appendi, seù affigi ostiis, seù superliminaribus Majoris Avinionen. Ecclesiæ facie-

ANNO 1330.

ANNO 1336.

mus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ut ipsi nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Dat. Avinion. 2. Non. Januar. Pontif. nostri anno quinto decimo.

Et licèt processus iste sufficienter publicatus extiterit, ut præfertur, tamen ex abundanti volentes eum in locis, & domibus tui ordinis nihilominùs publicari, discretioni tuæ committimus & mandamus, quatenùs per te, vel alium, seù alios ejusdem ordinis, processum eundem in singulis locis, & domibus præfatis diligentiùs publicare procures, faciens de publicatione istâ instrumenta publica confici, quæ nobis studeas fideliter destinare. Datum Avenion. 4. Idus Januar. Pontificatus nostri anno XV.

XXII. Ex hist. Univers. Paris. Bulæi Tom. 4. pag. 239.

Declarat Papa suam de Visione Beatifica opinionem: anno 1336.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam.

NE super iis quæ de animabus purgatis, separatis à corporibus, an citra sumptionem Corporum Divinam essentiam illa visione quam vocat Apostolus facialem videant tam per nos, quàm per nonnullos alios in præsentia nostra recitando & allegando sacram scripturam & originalia dicta sanctorum, vel alias ratiocinando sæpius dicta sunt aliter, quàm per nos dicta & intellecta fuerunt, intelligantur & dicantur, auribus valeant fidelium inculcari.

Ecce quod ad nostram intentionem, quam cum S. Ecclesia Catholica circa hoc habemus, & habuimus serie præsentium, ut sequitur, declaramus: fatemur siquidem & credimus quod animæ purgatæ separatæ à corporibus sunt in Cœlo Cœlorum & in Paradiso cum Christo, consortio Angelorum congregatæ, & vident Dominum & divinam essentiam facie ad faciem clarè, in quantùm status & conditio patitur animæ separatæ. Si verò alia, vel alias circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata seù scripta fuerint, quoquomodo illa diximus, prædicavimus seù scripsimus, recitando & conferendo dicta sacræ scripturæ & sanctorum, nolumus esse dicta, prædicata & scripta ut de omni alio errone è dicto. Insuper si qua alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seù alias quovis modo diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, vel alia quæ fidem concernunt Catholicam, sacram scripturam aut bonos mores ea in quantùm sunt consona fidei Catholicæ determinationi Ecclesiæ, sacræ scripturæ, ac bonis moribus approbamus, alias autem illas habemus & haberi volumus pro non dictis prædicatis & scriptis, eaque revocamus expresse. Ac prædicta omnia & alia quæcunque dicta, prædicata, & scripta per nos de quacunque materia, ubicunque & inde quocunque loco, aut in quocunque statu, quem habemus vel habuimus hactenus, submittimus determinationi Ecclesiæ, ac successorum nostrorum.

Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ intentionis, declarationis, confessionis, voluntatis, approbationis, revocationis & submissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Avenioni tertio Idus Decembris Pontificatus nostri Anno 19.

ANNO 1334.

BENEDICTUS XI. DICTUS XII.

PONTIFEX CIC.

ANNO DOMINI MCCCXXXIV.

BENEDICTUS Gallus Tolosas Patre Molitore natus: Opinionem Prædecessoris sui JOANNIS de Animarum post mortem Statu dilucidè exposuit: Indignos, & Consanguineos à beneficiis arcuit dicens se nolle exornare lutum; utque Benedictus XI. Matrem in vestibus sericis, ità hic Patrem in alio quàm Molitoris habitu noluit agnoscere: nihilque aliud illi dono dedisse fertur, quàm pecuniam, quæ satis esset ad emendam molam. Post annos septem, menses quatuor obiit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *App. fol.* 208.)

I. Ex Misc. Baluzii Tom. 2. Pag. 262.

Contra Pravos Mores Clericorum Ecclesiæ Narbonensis: Anno 1334.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis, Capitulo Ecclesiæ Narbonensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm illos in Ecclesiæ corpore vitiosos audimus, qui alios in viam dirigere mandatorum domini & revocare ab erroribus tenebantur, anxietate cordis affligimur, attendentes quod humani generis inimicus eos potiùs corrumpere satagit ex quorum plures corrumpi valeant corruptela. Sanè postquàm divina miseratio ad summi Pontificatus apicem nos provexit, nulla sinistra, quæ de clero vestræ Narbonensis Ecclesiæ nobis olim relata fuerant, sæpius, cum status inferior nos haberet, nostris extiterunt auribus non sine magna displicentia inculcata; de quibus aliqua, videlicet pauca de multis, providimus serie præsentium explicanda. Nam in Ecclesia ipsa, quæ sicut caput exstitit aliarum Ecclesiarum provinciæ Narbonensis, sic præ illis exemplari vita & operibus virtuosis cultusque divini decore fulgere deberet, idem cultus, propter quem clerus ibidem principaliter constitutus est, negligitur, beneficiatis, & intitulatis ejusdem Ecclesiæ, laxatis rationis & honestatis habenis, per campum licentiæ post suas currentibus indomitas voluntates; & quod est perniciosum & detestandum plurimum, quamplures ex eis continentiæ jugo, cui se submiserant voluntariè, damnabiliter, & inverecundè in majorem suam confusionem abjecto, sicut mulus, & equus, quibus non est intellectus, potiùs suas inordinatas vo-

luntа-

ANNO 1334.

luntates sequentes quàm rationis imperio se regentes, fœroribus luxuriæ turpiter se involvunt, mulieres suspectas seù focarias concubinas tenendo, in illa quæ mater pudoris ac munditiæ conservatrix debet existere, scilicet Ecclesia Sancta Dei, quantùm in eis est, constituentes prostibulum & lupanar, ejusque nobilitatem in ignominiam convertentes, non attento quàm crudeliter famam suam negligunt & quàm graviter tam ipsi quàm illi qui hæc sic abominanda tenerentur & deberent corrigere, in conspectu Domini ex his cadunt. Verisimiliter siquidem opinamur quod ex præmissis & aliis commissis ibidem contra divinum beneplacitum & omissis ille qui Ecclesiam sui pretiosi sanguinis aspersione comparavit merito provocatus variis persecutionibus & oppressionibus permisit his præteritis temporibus vos vexari, quæ aliis temporibus, quibus talibus non irritabatur offensis minimè contigerunt. Nec aliud, ex quo Deus non parum offenditur, volumus subtricere, quod bona innumera, quæ pro ejusdem Ecclesiæ Narbonensis fabrica hactenus ex diversis eleemosinis & aliis proventibus provenerunt, non in utilitatem ejusdem fabricæ, nisi duntaxat modica, sed in suis seu potiùs abusus illos damnabiliter sunt consumpta. Cum autem præmissa, & alia multa quæ circa materiam hujusmodi, quæ ad præsens ex causa honestatis sub silentio præterimus, non intendimus ulterius, ne culpam aliorum nostram videamur facere per tepiditatem & negligentiam, tolerare, discretionem vestram attentiùs exhortamur in Domino, vobisque nihilominus per Apostolica scripta districtius injungendo mandamus, quatenùs primo quod in votis prævia diligenti mentis discussione vitiosum, vel tenebrosum repereritis, ne in vultu medentis ulcus quod opus ejus reddat contemptibile vel reprehensibile appareat, purgantes, abjicientes & clarificantes omninò circa divinum officium & utilitatem Narbonensis Ecclesiæ prout ad hæc tenemini & statuta ipsius Ecclesiæ vos astringunt, vacare & intendere omni semota negligentia studeatis, & nihilominùs per ordinationes & statuta salubria facta vel auctoritate nostra, prout opportunum exiterit, facienda taliter non solum verbis, sed effectivis operibus disponatis & ordinetis quod omnes & singuli beneficiati & intitulati in eadem Ecclesia horis canonicis diurnis pariter & nocturnis missarumque solemniis interstint continuè residentes & psallentes, & peragentes divina officia, ut tenentur, quodque illi qui non interfuerint, cessante tamen causa legitima & honesta, in eisdem singulis horis, punctentur & perdant certam partem suorum proventuum, quos per modum distributionum ordinatarum vel ordinandarum essent in horis hujusmodi percepturi, nec ab eadem residentia & divinis obsequiis propter negotia vestra, vel alia nisi causa supereresset utilis honesta, & necessaria, & hoc duntaxat pro diebus paucis aliquibus, prout vobis expedire videbitur, excusentur, abjiciant nihilominus à se penitus concubinas & quasvis mulieres suspectas, honestam de cætero, & exemplarem vitam ducentes. Aliàs verò, si fuerint incorrigibiles in hac parte à corpore cleri ejusdem Ecclesiæ, tanquam infecta membra & putrida, ne corpus ipsum inficiant, abscindantur, appellatione remota, & ab ipsa Ecclesia removeantur omninò, loco illorum aliis vitis honestis & idoneis, qui honestè Deo serviant, & suum expleant ministerium, subrogatis. Vos etiam & vestrum singulos punctari & distributiones quas tunc percepturi essetis perdere volumus, si forsan in horis Canonicis non interfueritis, prout ad id jura & statuta ejusdem Ecclesiæ vos astringunt, nisi à dicta Ecclesia pro negotiis ejusdem necessariis vel utilibus, aut lectionibus audiendis in scholis, vel prædicatione verbi Dei, dum horæ psallentur eædem, contigerit vos abesse. Sanè fabricam Ecclesiæ memoratæ sic dirigere & ordinare curetis, quod ea quæ pro ea debentur, vel jam obvenerunt, ab omnibus, & singulis qui ea debent vel perceperunt temporibus præteritis, vel heredibus aut bonorum detentoribus eorundem, auditis diligenter rationibus, & residuis ab eisdem exactis, obvenient in posterum, sublatis curiositatibus inutilibus ad honorem Dei & utilitatem ipsius Ecclesiæ dispensentur; pro certo sciturí quod si præmissa non adimpleveritis quavis cessante dilatione morosa, nosque illa non audiverimus in proximo realiter esse facta, nequaquam ulteriùs dissimulabimus, sed de alio curabimus opportuno remedio providere.

Datum Avenioni tertio nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1338.

II.

Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 5. pag. 128.

De excessibus Imperatoris, contra Confœderantes cum ipso, & contra titulum Vicarii Regi ab ipso datum, & de decimis Regi Franciæ, non contrà Regem Angliæ, sed contrà Invasores Franciæ concessis: Anno 1338.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum te, Fili carissime, clara imitari vestigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & sacrosanctam Romanam Ecclesiam, velut peculiares ejus Alumni & devoti Filii, plenitudine devotionis & fidei claruerunt, tuæque splendorem prosapiæ à quavis obfuscatione nebulosi contagii præservari, eaque in te prælucere clariùs cupientes, & ex paternæ Charitatis & dilectionis affectu, quo te statumque tuum prosequimur, nostras tuæ celsitudini litteras direxisse meminimus. Inter cætera recensentes qualiter excessus per nobilem Virum Ludovicum de Bavaria, olim ut asserebatur discorditer in Regem Romanum electum, adversus Deum & eandem Romanam Ecclesiam, ac felicis recordationis, Johannem Papam vicesimum secundum, prædecessorem nostrum, per coacervationem multiplicium & atrocium offensarum, nequiter perpetrari, tuum præteriisse nequibant auditum; quos velut toti mundo notorios, non omnes, cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitisset, sed ex eis aliquos in eisdem litteris providimus, ut sequitur, recitandos. Idem namque Ludovicus, contra processus prædecessoris ejusdem & inhibitiones ipsius, de consilio fratrum suorum, ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, factos & habitos, diversas spirituales & temporales pœnas & sententias continentes, intravit Italiam, & nonnullos Hæreticos, de Hæresi publicè & notoriè condemnatos, in consortium publicæ participationis admisit, tenens & asserens Hæreses manifestas, ac fovendo, secumque tenendo Hæreticos publicè dogmatizantes prædictarum Hæresium detestabi-

les & horrendos horrores, Hæretica quoque Dogmata scienter, immo potiùs dementer approbans, & in evidentiam approbationis hujusmodi, ea per litteras diversas, sigillo suo noto munitas, deduxit in aliorum publicam notionem. Sibi etiam nomen Imperiale post modum usurpare, & administrare Jura Imperii in eadem Italia & Alemania contra processus, & prohibitiones prædictos, detestabili temeritate præsumpsit, ex his, præter pœnas alias Excommunicationis & Anathematis sententias incurrendo, & tandem ausus ausibus, & excessus accumulando excessibus, se conferre non expavit ad Urbem ubi in illam nequitiæ prorupit insaniam, ut meditatus Urbi & Orbi universali schismatis suscitare dispendium, quendam hypocritam, diabolicæ præsumptionis virum, nomine, Petrum de Corbaria, velut abominationis horrendæ simulacrum, in Apostolica sede pro Romano Pontifice statuere moliretur, idque quantùm in eo fuit produxit in actum, & eum fuit veneratus ut Papam, consecrationemque, immò verius execrationem, ac Diadema Imperiale de facto recepit ibidem, ut de multis aliis insanis processibus, quininimo detestandis excessibus, per eosdem, Ludovicum & Petrum, præsumptione perpetratis hæretica, taceretur. Propter quæ dictus prædecessor præfatum Ludovicum fore à Domino denunciavit omni honore & dignitate privatum, & in eum, tantarum hæresium & schismatum maculis irretitum exercens gladium Apostolicæ Potestatis, Eum, cum omnibus qui adhærerent eidem, vel præstarent auxilium, consilium, vel favorem, seù pro Romano Rege aut Imperatore scienter haberent, tenerent, vel nominarent eundem, non solum excommunicationis & Anathematis, sed etiam alias pœnas & sententias, tanquam in fautores, Auxiliatores, & Valitores, hæretici & schismatici promulgavit, & ea jure declaravit prolatas; sicut in diversis processibus, per præfatum prædecessorem habitis seriosiùs continetur. Super quibus quidem pœnis, quantumcumque per ipsum Ludovicum promeritis, & in eum justo Ecclesiæ judicio promulgatis, si verè pœnitens se humiliasset, ad gratiam benignam reperisset eandem Ecclesiam, quæ ipsum, tanquam filium prodigum, de loginquo redemptione ad suum gremium apertis brachiis recepisset, immolatura pro eo, in ubertate divinæ laudis, vitulum saginatum. Rursus adjecimus in litteris supra dictis quod quamquam tam prædictorum excessuum, quàm eorumdem processuum, per dictum prædecessorem, contra dictum Ludovicum, exigente Justitia, postmodum habitorum, notitiam habuissemus, & etiam habeamus; ut tamen ipsum, à peccatorum nexibus liberatum, de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, diversos nuncios ejus, diversis vicibus & temporibus ad nos missos, receperamus benignè, ac pro reconciliatione ipsius, per fructum variæ pœnitentiæ promerenda prolocutiones varias habueramus cum eis, & tunc pendebat etiam ad proloquendum ulterius terminus assignatus, in quo procul dubio, per nos non stetit quominus ulterius fuerit super negotio Reconciliationis ejusdem processum. Quare fili dilectissime serenitatem tuam requirendam tunc duximus per easdem litteras & rogandam ut prudenter advertens, & in scrutinium internæ considerationis adducens, gravitatem pœnarum, in quas incideret, & sententiarum, quas incurreret, quantisque periculis se & discriminibus implicaret, qui præfato Ludovico, sic publicè & notoriè de pravitatibus Hæresis, & sic odiosi toti Christianitati schismatis, condemnato, antequam reconciliationis gratiam ejusdem Ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, sibique impenderent consilium, auxilium, & favorem, vel sibi, tanquam Imperatori aut Regi Romano, reverentiæ cultum seu titulum Regalis vel Imperialis nominis assignarent scienter à cujuslibet participationis fœdere contrahendo cum ipso, & exhibitione reverentiæ & honoris sibi, tanquam Regi vel Imperatori, quoque dictus Ludovicus reconciliationis ejusdem Ecclesiæ meruisset gratiam obtinere, penitus te retrahere, & totaliter abstinere curares, ut tibi famæ integritas & illibata tui generis claritas servarentur. Cùm autem rumor implacidus & admodum infectus ad nos perduxerit, his diebus, quod tu Fili requisitionibus & rogationibus nostris hujusmodi, utique salutaribus, & de fonte prodeuntibus Caritatis, non sine detrimento salutis tuæ & famæ, quod dolentes referimus, obauditis non solum cum prædicto Ludovico, nondum eidem reconciliato Ecclesiæ, nec à pœnis & sententiis, quibus propter præmissa, & alia multa & gravia commissa per ipsum implicatus esse noscitur, liberato, nec etiam processibus sæpefati prædecessoris per quos, ut præmittitur, adversus omnes & singulos, cujuscumque præminentiæ, dignitatis, Conditionis, vel status, etiam si Pontificali, Regali, vel quacumque alia Ecclesiastica, seù mundana dignitate fulgerent, præfato Ludovico adhærentes, seù præstantes directè vel indirectè, publicè vel occultè, consilium, vel auxilium, vel favorem, vel sibi, tanquam Imperatori, aut Regi Romanorum, reverentiam exhibentes, seù titulum Regalis vel Imperialis nominis assignantes seù ascribentes, graves, spirituales & temporales, pœnæ ac sententiæ infliguntur, nequaquam relaxatis, immo in sui roboris efficacia perdurantibus, participationis confœderationes inire, sibique adhærere ac præstare favorem, auxilium & consilium præsumpsisti, immo, quod pernitiosius, proh dolor, & damnabilius noscitur existere, si veritas relatibus suffragetur, Vicariatus officium per totam Alemanniam, & Germaniam, ac universas & singulas eorum provincias sive partes, ab eodem Ludovico, sub Imperialis nominis titulo, ut asseritur, suscepisti de facto, cum ipse Ludovicus nec Rex nec Imperator sit, ut præfertur. Cujus prætextu nonnullis Prælatis Ecclesiarum & Personis Ecclesiasticis, in terris Imperii constitutis, ac in nostra & Ecclesiæ memoratæ devotione & fidelitate debitis persistentibus, sub pœnis gravibus, per tuas eis litteras comminatis, mandasse diceris, & districtiùs injunxisse, ut ad te tanquam ejusdem Ludovici in Alemannia & Germania & partibus supra dictis Vicarium audituri sententiarum & Judiciorum ipsius Ludovici tuorumque mandatorum recitationem, ac præstituri eidem Ludovico, vel tibi ejus nomine recognitiones & homagia de terris, bonis, & juribus, quæ tenent ab Imperio convenirent. De te igitur, Fili, ubi sit tua tuorumque Consiliariorum prudentia, ab eo præsertim, non sufficimus admirari, quod, cum tu, sicut audivimus, pro illorum repetitione jurium, quæ ad te asseris pertinere, non sine grandium Personarum periculis, ac expensarum & sumptuum profluviis, peregrinari ad partes Alemanniæ curaveris, & multos super hoc feceris apparatus, tunc spretis ejusdem prædecessoris processibus, & deductis damnabiliter in contemptum pœnis & sententiis supra dictis, quibus te manifestè, si quæ nobis referuntur vera sint, non absque horrenda nota, quæ non parum obfuscat tui claritatem gene-

ANNO 1338.

ris, procul dubio implicasti. Et nihilominus, quamvis nos & Ecclesia ipsa te numquam offenderimus, nec contra te aliquid fecerimus, quamquam ut intelleximus, falsò & mendaciter suggestum tibi per eos, qui te salutem, & honorem tuum, minimè diligunt, fuerit quod nos, carissimo in Christo filio nostro, Philippo Regi Franciæ Illustri in auxilium guerræ suæ, ingentem pecuniæ quantitatem de nostra Camera dederamus, quodque Institutionem personarum Ecclesiasticarum concesseramus eidem in omnibus Ecclesiis Regni sui, quæ omnimoda carere veritate noscuntur; talia namque nunquam postulata fuerunt à nobis, nec ea concessissemus quomodolibet eidem, quantacumque instantia petita fuissent, nec Decimas, contra te, Regi præfato Franciæ concessimus, sed adversus Theothonicos, Ludovico adhærentes prædicto, ipsiusque Ecclesiæ Romanæ inimicos, qui ad invasionem Regni Franciæ se, ut habebat rumor publicus & notorius, disponebant, sicut in concessione decimarum ipsarum continetur expressè. Non fuit nempe intentionis nostræ adversus te fomentum ministrare discordiæ, vel eam alicujus subsidii administratione fulcire; quinimò statum Regni tui, & etiam Regni Franciæ, Pacis & concordiæ prosperitate, & unanimitate potiri summis desideriis affectantes, ad hoc serenitati tuæ & dicto Regi Franciæ per nos sæpe directis litteris, & etiam nunciis, videlicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ad partes illas de latere nostro, votis ardentibus laboramus, & laborare non cessamus, non cessavimus, ut inter te & Regem eundem, & utriusque Regna, pacis & utilitatis serenitas illucescat. Tu tamen, Fili carissime, fide, ut videtur, adhibita prædictis falsis suggestionibus & mendosis, te nomum & ejusdem Romanæ Ecclesiæ matris tuæ constituendo persecuterem & hostem, invadere, ac occupare Honores, & jura nostra, & ejusdem Ecclesiæ, ad quos Regimen & administratio Imperii Romanorum, eo vacante, sicut nunc vacare noscitur, pertinent pleno jure, moliris molestando Prælatos & personas Ecclesiasticas in nostra & ipsius Ecclesiæ devotione ac fidelitate debitis, ut præmittitur, persistentes, ipsosque ad obedientiam dicti Ludovici, de diversis, ut præmittitur, hæresibus & Schismatibus, aliisque criminibus sententialiter condemnati, ac jure Regio & Imperii, si quod ad eum forsan competierat vel etiam competebat, justo Dei & Ecclesiæ judicio, privati, ac præstationem hujusmodi Recognitionis & Homagii sibi, vel tibi, ejus nomine faciendam attrahere ac inducere coactivis impulsibus & commonitionibus satagendo. Utinam, Fili, antequam te his tam periculosis & detestandis involvas amplius, attentè consideres, & matura deliberatione prævia constituas ante oculos mentis tuæ circuitus periculosos & nodosos laqueos, quibus te, subtilibus ingeniis & fraudibus exquisitis, aliqui de suis potiùs, quàm de tuis soliciti negotiis & commodis præmissis involvere, tibique onus, quod à se quodammodo rejicere cupiunt, non minus leve, si diligenter circumstantias attenderis, imponere moliti fuerint, & non sine periculo tui præcipitii, moliuntur; nec te latere volumus quod præfatus Prædecessor olim, per quandam Constitutionem ab ipso, de dictorum fratrum suorum editam consilio, in omnes & singulos, cujuscumque status dignitatis, vel conditionis existerint, etiamsi Patriarchali vel quavis alia superiori, vel Pontificali, vel regali, dignitate fulgerent, qui absque sedis Apostolicæ licentia speciali Vicarii, seu cujusque alterius Officii, nomen in prædicti terris Imperii, eo vacante, sicut tunc vacabat, & nunc etiam vacat, ut præmissum est, assumere, vel assumptum ultra termini duorum mensium spatium præsumerent retinere, seu dimissum reassumere quoquomodo, ut inobedientes, ac non parentes & intendentes eisdem, excommunicationis & alias graves sententias promulgavit. Nos itaque, qui erga te, Fili, claudere viscera Paternæ dilectionis nequimus, & cordis dolore tangimur intrinsecus, cum talia percipimus ad tuum, tuique honoris status, salutis & famæ, dispendium machinari, tuam rogamus magnificentiam, requirimus, & in Domino attentiùs exhortamur, sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus ea, quæ præmisimus, & alia, quæ circa illa tibi possunt occurrere, deducens in rectæ deliberationis, & discussionis examen. Ac insuper tenens certius & attendens quod dictus Ludovicus, ut præmisimus, nec Rex, nec Imperator est, nec aliqua, quæ ipse fecerit, vel faciet, quamvis fuit, & erit, dictis processibus, ac pœnis & sententiis irretitus quicquam valuerunt, vel valent, nec sunt aut fuerunt, alicujus auctoritatis, roboris, vel momenti. Quodque tibi periculosum est, ac multipliciter formidandum, te beliorum subjicere di criminibus, maximè si esses supra dictis processibus, pœnis & sententiis, à quibus liberari non posses, nisi dumtaxat per sedem Apostolicam, quæ absolutionem earum sibi expresè retinuit, involutus, ac Deo & ejusdem Romanæ Ecclesiæ persecutor & Hostis effectus à quibus te misericordiarum Dominus protegat & defendat, consideransque diligenter, quòd licet humanum sit peccare, in peccatis tamen perseverare diabolica est censenda; te à præmissis & singulis, sic horrendis deviis, si ad illa forsan declineveris serpentina deceptione seductus, antequam invalescant pernitiosius, seu in conspectu Dei & hominum fœteant deteriùs, & putrescant, resilire penitus pedesque tuos ad viam rectam Deo placidam, ac tuis, statui, saluti, & honori congruam, dirigere quantociùs, non postponas; eorundem Cardinalium, qui te, statumque tuum sincerè diligunt, super reformatione pacis inter te dictumque Regem mutuæ placibili Deo, & hominibus amabili, opera acquiescens. Videtur equidem quòd, etiamsi prædicti à vero & Catholico Imperatore, si esset, alicui Vicariatus valeret Officium assignari, adhuc tamen tuum, qui tàm magnus tantusque Rex & princeps existis, tantóque nomine ac titulo Regio existere nosceris insignitus in orbe, non deceret honorem quod nominareris Vicarius alicujus Domini temporalis; quanto minus ergo tuam decuit vel decet excellentiam, illius Vicarium appellari, qui auctoritate nulla, sicut expeditum est superius, præminet, sed proh dolor tantorum existit respersus labe criminum, tamque gravibus pœnis & sententiis, cum omnibus sibi adhærentibus, implicatus; sciturus fili amantissime, quod, si monitis nostris hujusmodi salutaribus adquieveris cum effectu, tibi, sic impulso ut caderes, manum benignam porrigemus, quantum cum Deo poterimus, sublevantem; aliàs autem non poterimus desistere, cum id à nobis exigat Officium Apostolicæ severitatis, quominus, super prædictis, providere de opportunis remediis, procedendo contra te, quod molestum & grave nobis erit admodum; si necessitate, quod absit, fuerit, prout, exigente justitia, debebit & poterit fieri, procuremus. Datum Avinion. Idus Novembris Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1338.

ANNO 1339. III. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 5. pag. 128.

De Proceſſibus contra Imperatorem, ac confederantes cum ipſo, & contra Titulum Vicarii à Rege aſſumptum: anno 1339.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Magnifico Principi Eduardo Regi Angliæ illuſtri, ſpiritum conſilii ſanioris.

RECentem habemus memoriam, & etiam tuæ credimus memoriæ inhærere qualiter dudum, non longè diebus præteritis, Excellentiam tuam puram & ſinceram à quavis obfuscatione tenebris contagii præſervari, tuæque ſplendorem proſapiæ in te lucere clariùs cupientes ex intimæ dilectionis affectu, quo te ſtatumque tuum ſemper fuimus proſecuti, noſtras tibi direximus litteras; Inter cætera recenſentes, quòd Ludovicus de Bavaria, contra Proceſſus felicis recordationis Johannis Papæ XXII. Prædeceſſoris noſtri, & Inhibitiones ipſius, de Conſilio Fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium factos & habitos, diverſas, ſpirituales & Temporales, pœnas & ſententias continentes, ingreſſus Italiam, nonnullos Hæreticos, & de hæreſi publicè condemnatos, in conſortium publicæ familiaritatis & participationis admiſit, Hæretica quoque dogmata, ſcienter, immo potiùs dementer, approbans, ea per diverſas ſuas litteras, ejus noto ſigillo munitas, deduxit in aliorum publicam notionem. Ex his & pluribus aliis horrendis exceſſibus, quos, ut pote toti mundo notorios ſubticemus, ſe oſtendendo hæreticæ pravitatis labe reſperſum, ac Excommunicationis & anathematis ſententias incurrendo. Et tandem, auſus auſibus & exceſſus ſuperaddens exceſſibus, ad Urbem acceſſit, ubi in tantam prorupit inſaniam, ut meditatus Urbi & Orbi univerſalis ſchiſmatis Suſcitare diſpendium, quendam hypocritam, nomine Petrum de Corbaria, velut abominationis deteſtandæ ſimulacrum, quantum in eo fuit, pro Romano Pontifice ſtatuere & habere per ſe & alios moliretur, ipſumque fuit veneratus ut Papam, conſecrationem, immò verius execrationem, ac diadema Imperiale, de facto recepit ibidem, ut de multis aliis reprobis ejus proceſſibus & deteſtandis exceſſibus præſumptione perpetratis hæretica, taceatur. Propter quæ idem Prædeceſſor dictum Ludovicum denunciavit à Domino omni dignitate & honore ſore privatum, & ipſe in eum, tantarum hæreſum & Schiſmatum maculis irretitum, exercens gladium Apoſtolicæ poteſtatis, eum cum omnibus qui adhærerent eidem, vel ſibi præſtarent auxilium, conſilium, vel favorem, ſeu pro Romanorum Rege vel Imperatore ſcienter haberent, tenerent, vel nominarent, eundem, non ſolum excommunicationis & anathematis, ſed etiam alias pœnas & ſententias tanquam in fautores, auxiliatores, & valitores Hæretici, & Schiſmatici, promulgavit, & declaravit à jure prolatas ſicut in diverſis proceſſibus, per dictum Prædeceſſorem ſuper hoc habitis, ſerioſiùs continetur. Quibus per dictas litteras noſtras prolixiore narrationis ſerie ad notitiam tuam deductis, magnificentiam tuam per eaſdem litteras requirendam duximus & rogandam, ut tu, prudenter advertens, & in ſcrutinium internæ conſiderationis adducens, gravitatem pœnarum & ſententiarum, quas incurrerent, quantisque ſe periculis, & diſcriminibus implicarent, qui præfato Ludovico ſic publicè & notoriè de pravitatibus hæreſis ſic odioſi ſchiſmatis condemnato, priusquam reconciliationis gratiam ejuſdem Eccleſiæ meruiſſet, participare præſumerent, vel ſibi impenderent auxilium, conſilium, vel favorem, vel tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reverentiæ cultum, ſeu titulum Regalis vel Imperialis nominis, aſſignarent ſcienter, à cujuſlibet participationis fœdere contrahendo cum eo, & qualibet exhibitione reverentiæ & honoris ſibi, tanquam Regi vel Imperatori, donec ipſe reconciliationis gratiam dictæ Eccleſiæ meruiſſet, penitus te retrahere & totaliter abſtinere arctares, ut tibi famæ integritas & illibata tui generis claritas ſervarentur. Poſtque rumore impoſito & infeſto ad auras noſtras deducto, quod tu requiſitionibus & precibus noſtris hujuſmodi, de fonte prodeuntibus caritatis, non ſine detrimento tuæ ſalutis, & famæ, quod dolentes referimus, obauditis, eiſdem proceſſibus Prædeceſſoris ejuſdem, per quos adverſus omnes & ſingulos cujuſcumque præminentiæ, conditionis, vel ſtatus, etiamſi Pontificali, vel Regali, vel quacumque alia Eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitate fulgerent, præfato Ludovico adhærentes, ſeu præſtantes directè, vel indirectè, publicè vel occultè, conſilium, vel auxilium, vel favorem, vel ſibi, tanquam Imperatori vel Regi Romanorum, reverentiam exhibentes, ſeu Titulum Regalis vel Imperialis nominis aſſignantes, ſeu aſcribentes, graves ſpirituales & temporales pœnæ & ſententiæ inſliguntur in ſua perdurantibus firmitate præſumpſeras Confœderationes inire cum eo, ſibique adhærere ac præſtare conſilium, auxilium, & favorem. Et, quod eſt gravius in ſerenitatis tuæ gloria notabilem ponere maculam non formidans, per totam Alemanniam & Germaniam, ac univerſas & ſingulas earum Provincias, Vicariatus nominis Officium, ſub Imperialis nominis Titulo, ab eodem ſuſceperas de facto cum idem Ludovicus nec Rex, nec Imperator, exiſtit tali prætextu Eccleſiarum Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis in terris Imperii conſtitutis, ac in noſtra & ejuſdem Eccleſiæ devotione & fidelitate conſiſtentibus, ſub pœnis gravibus, per tuas litteras injungendo, ut ad te, tanquam ejuſdem Ludovici in partibus illis vicarium ſuper diverſis, contentis in eiſdem tuis litteris, convenirent, prout in dictis litteris, quas ſigillo tuo munitas, præſentatas nobis, oculata fide perſpeximus, plenius continetur contemnens damnabiliter pœnas & ſententias ſupra dictas, illis te manifeſtè non abſque horrenda tui ſtatus macula atque nota procul dubio implicando, nos conſiderantes quod hujuſmodi Vicariatus Officium & alia præmiſſa per te præſumpta, ad tui honoris & ſtatus, ac ſalutis, & famæ, diſpendium redundabant, te per dictas litteras noſtras requiſivimus, & hortati fuimus, Paterno tibi conſilio ſuadentes, ut præmiſſa & alia, quæ circa illa tibi poſſent occurrere, deducens in rectæ diſcuſſionis & deliberationis examen; Ac inſuper tenens certius & attendens quod idem Ludovicus, ut præfertur nec Rex, nec Imperator exiſtit nec aliqua, quæ fecerit, vel faciat ſub Imperiali vel Regali nomine, ſint alicujus roboris vel momenti. Quodque tibi periculoſum erat, ac multipliciter formidandum, bellorum ſubire diſcrimina, ſi fores dictis proceſſibus, pœnis, & ſententiis, involutus, ac per hæc Dei & ejuſdem Eccleſiæ perſecutor & hoſtis effectus, à quibus ſemper deſideravimus reddere te immunem, ab hujuſmodi præſumptionibus penitus reſilires, greſſuſque tuos in viam rectam ac Deo placitam tuiſque ſtatui, ſaluti, & honori, congruam dirigere, quantocius non differres. Sperabamus enim quod oculis tuis apertis ad bonum, & declinantibus non in erroris devium, ſed in callem rectitudinis & ſemitam veritatis ſalutiferæ, monita devote ſuſciperes & efficaciter adimpleres, nec dominum, ac nos, & eandem Eccleſiam, ul-

ANNO 1339.

teriùs per graviores excessus ac oppressiones Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, contra te ad iracundiam provocares. Sed, sicut noviter ex conquestione venerabilis fratris nostri, Guillelmi Episcopi Cameracensis, non sine admiratione & animi turbatione, percepimus, & referimus cum dolore, tu prædictis Monitis, Requisitionibus, Hortationibus, & precibus Apostolicis deductis penitùs in contemptum, adversus præfatum Episcopum & Ecclesiam Cameracensem, ad Comitatum & terras ipsorum, quosdam voluntarios & odiosos processus, non absque divinæ Majestatis & Apostolicæ sedis offensa, & derogatione Ecclesiasticæ libertatis, de facto, prætextu Vicariatus hujusmodi, habere cepisti, & graviores facere comminaris, ac contra Civitatem Cameracensem, quæ ad Episcopum & Ecclesiam prædictos pleno jure noscitur pertinere, equitum & peditum armatorum exercitum congregasti, ipsamque, in dictorum Episcopi & Ecclesiæ damnum non modicum & præjudicium, obsedisti, eamque detinere præsumis obsessam. Cum itaque processus, vel veriùs excessus, hujusmodi non possumus salva conscientia, nec etiam debeamus contuentibus oculis pertransire, quin ad tuitionem & defensionem ejusdem Cameracensis, & aliarum Ecclesiarum, in quarum oppressione Jura nostra & Romanæ Ecclesiæ opprimi dubium non existit, apponamus manum Apostolicæ potestatis. Excellentiam tuam iteratò requirimus & rogamus attentè per Apostolica scripta tibi districtiùs injungentes, quatinus attendens consultiùs & revolvens prudentius, in scrutinio mentis tuæ, quàm periculosum tibi, tuisque hæredibus imposterum reddi posset, quod adversus ejusdem prædecessoris processus notoriè habitos & per universa fore orbis climata publicatos, te procaciter erigas & publicè venias contra eos. Quantàque nota infamiæ & ignominiæ, ex præsumptione tam damnabili respergaris; considerantiùs etiam cogitans quale tibi, tuisque hæredibus, imposterum possit parturiri dispendium, si publicus fautor hæretici & schismatici, de hæresi & schismate condemnati, per solemnes processus ejusdem sedis Apostolicæ denoteris consulto & proviso consilio, per emendationem debitam, hujusmodi studeas præcavere pericula & dispendia evitare, prædictum exercitum ab obsidione prædicta quantociùs revocando, & à similibus imposterum abstinendo, dictoque Vicariatus officio, per quod fama tua læditur, & status dignitatis Regiæ non mediocriter minoratur, ulteriùs non utendo. Alioquin, cum non sit differendum homini contra Deum, nec Ecclesiarum oppressiones possumus salva conscientia æquanimiter sustinere, contra te, licet invitè, ad publicationem dictarum sententiarum & pœnarum in dictis ejusdem prædecessoris processibus, constitutarum, contentarum & etiam prolatarum, quas te propter prædicta non est dubium incurrisse, infallibiliter procedemus & procedi faciemus per illos, prout viderimus expedire.

Datum Avinion. quarto Idus Octobris Pontificatus nostri Anno quinto.

IV. Ex Archiv. Angl. Rimer. Tom. 5. pag. 146.

Franciæ & Angliæ Reges ad pacem hortatur, & litem componere se paratum exhibet: Anno 1339.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUm diligenter attendimus, & profundis cogitationibus meditamur, quanta summi & æterni Regis fuerit benignitas & misericordissimæ affluentia pietatis, quòd pridem tuis, carissime Fili, & carissimi in Christo Filii nostri Illustris Franciæ Regis, ejusque colligatorum Ordinatis aciebus, & multum ex propinquo ad confligendum terribiliter & animosè dispositis hinc & indè, secuta non extiterunt pericula, quæ tantus fragor armorum & armatorum impetus minabantur. Eidem laudum exolvimus præconia cum hæc ad donum Dei maximum & grande operatum misericorditer à Clementia divinæ providentiæ, quæ in sui dispositione non fallitur, miraculum reputetur. Ex hoc quidem colligi potest etiam apertiùs quòd altissimo, qui bella conterit, & gentibus, ea volentibus, per Prophetam, dissipationis exterminium comminatur, tanta sanguinis redemptorum pretioso cruore Dominico, quanta fuisset si conflictum sibi dedissent acies prædictæ tunc temporis, in totius Christianitatis damnum, opprobrium, ac animarum multarum periculum effusio non placebat. Regalis quoque circumspectio potest etiam advertere diligenter, quantum tu, & Rex prædictus indignationem haberetis formidare divinam, si populos Dei, quos ipse à periculis animarum & corporum eripuit sic benigne, iterum simili subjicere discrimini curaretis; timendum esset procul dubio, ut adeò accenderetur; & præsertim vehementiùs contra illum qui hujusmodi discrimini daret ampliorem operam, ira Dei, ut tanta strages tantaque confusio sequerentur, quod tota concuteretur Christianitas, & reformatio pacis & concordiæ non solum difficilis, sed impossibilis, quæ non sinat miserator & misericors Dominus contingere, redderetur. Et insuper, nec minus considerandum videtur, quantum, occasione guerrarum præsentium, multis & variis modis, ut fertur, Regii subditi non modicum sint exhausti pecuniis, & aliis bonis suis; & etiam quod, si continuatio talium onerum sequeretur quod absit amplius gravarentur; quodque bellorum eventus est dubius & multum, ubi Dei timeretur indignatio formidandus. Ideoque Regiam Magnificentiam rogamus in Domino attentius & hortamur, eam, nihilominus per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus, præmissa & alia quæ possunt occurrere circumspectioni Regiæ in hac parte, revolvens intra claustra pectoris Regii, & deducens in exactæ deliberationis examen, ad reformandam pacem cum Rege præfato, vel Treugas ineundas, ut tuis, dilectissime fili, tuorumque obvietur periculis, & Deo, qui pacem diligit, & in viris pacificis delectatur magis placeas, teque acceptiorem eidem efficias, animum habilires Regium & inclines, dilectorum filiorum nostrorum Petri tituli Praxedis, Presbyteri & Bertrandi sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconi, Cardinalium, Apostolicæ sedis nunciorum, zelatorum utique Regii honoris & commodi, quos dudum ad partes illas, propter ea, de consilio fratrum nostrorum, destinavimus, monitis & salubribus circa hoc persuasionibus effectualiter nihilominus adquiescens. Sanè, cum propter ea, quæ præmissa sunt, & quia hujusmodi & aliis innumeris periculis, ex guerris prædictis eminentibus, obviare salubriter, & ut inter te, Fili amantissime, dictumque Regem, tibi nexu propinquo sanguinis & affinitatis conjunctum, pacis plenitudo & maturæ caritatis dilectio vigeant, pacis reformationem hujusmodi ferventibus desideriis peroptamus, si forsan

per

ANNO 1339.

ANNO 1339.

per eosdem Cardinales ad pacem ipsam attingi non possit, in illis partibus, Tuque, præcarissime Fili, & Rex prædictus, vos ad mutuam habilitantes concordiam, Deo placabilem hominibus amabilem, Christianitati utilem, ac utrique vestrum multipliciter opportunam, consentire volueritis, ut nos, ad pacem ipsam reformandam, tanquam Tractator amicabilis, in persona propria intendamus, & initis aliquibus invicem Treugis vel concessis sufferentiis ab Invasionibus & Commotionibus Bellicis, usque ad tempus opportunum, infra quos tractatus pacis inchoari continuari, & si misericordiarum Dominus dederit, ad finem possit deduci felicem & votivum, nuncios vestros mandatis suffultos idoneis ad nos propterea destinando. Nos licet arduis & importabilibus negotiis agitemur continuè supra vires paratos ob desiderium pacis prædictæ nos offerimus, aliis, quantum commodè cum honestate fieri poterit, prætermissis efficaciter super reformatione hujusmodi pro quiete, utilitate & honore utriusque partis, interponere sicut præmisimus, prout ex alto nobis ministrabitur, Solicitudinis nostræ partes; super quibus, matura deliberatione prævia rescribat nobis vestra Regalis Magnificentia suæ beneplacitum voluntatis. Datum Avinion. decimo Calendas Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

V.

Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 5. pag. 173.

Ad Angliæ Regem hortatoria, ne utatur nomine, & Titulo Regis Franciæ: anno 1340.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

NUper excellentiæ Regiæ literis nostro Apostolatui præsentatis, & contentis in ipsis plenius intellectis, novus in eis descriptus Titulus, & impressio figilli Franciæ armis & Angliæ sculpti ut prima facie videbatur, stuporis & admirationis magnam nobis materiam ministrarunt. Nempè, Fili carissime, quantò te amplioris dilectionis prærogativa prosequimur, tantò gravius in interioribus anxiamur, dum perversis, & fraudulentis consiliis te trahi & induci percipimus ad ea, quæ non expediunt, neque decent; nec ea tacere vel dissimulare nos intereà finit affectio, quo minus ea ut providere tibi super illis consultiùs & salubrius valeas, ponamus ante oculos mentis tuæ. Siquidem certum & indubitatum asseritur quædam consuetudo, hactenus inconcussè servata successionem ad Regnum Franciæ, per Fœmininam lineam non admittat, tibi, qui, ut nosti, de stirpe domus Franciæ descendisti ex Fœminina linea, dicitur successio non deberi etsi etiam consuetudo non prohiberet ad coronam dicti Regni successorem ex Fœminina linea procedentem sunt profectò, claræ memoriæ, Regum Franciæ, qui gradatim, inclitæ recordationis, Philippo Regi Franciæ, avo tuo successerunt, Filiæ ac Proles earum, quæ quo ad successionem eandem proximiores, ut præfertur, existerent Regibus Patribus suis, quam existatis tu & carissima Filia nostra Isabella Regina, illustris mater tua, nata Philippi prædicti. Sed adeò, ut præmittitur, observata est præteritis temporibus, ipsa consuetudo irrefragabiliter, & etiam observatur, quod successionem ad Regnum prædictum ex Fœminina linea non admittit. Cogitare autem quod per viam potentiæ, Regnum posses occupare prædictum, nequaquam attenta Regis & Regni Franciæ magnificentia & potentia, æstimantur ad id sufficere vires tuæ; scilicet quòd, in Regno eodem nil tenens, te Regem Franciæ facias nominari, armaque illius sumpseris, ut præfertur, de malo & iniquo Consilio procul dubio creditur emanasse. Si verò qui tibi suaserunt talia nituntur asserere palliando quod in Flandria, quæ de Regis, & Regni Franciæ noscitur existere Feudo, dominaris profecto attendendum & considerandum est, & potest discutere Regia circumspectio diligenter, qui & quales, cujusque conditionis sunt illi qui te introduxerunt ibidem. In ipsis namque hactenus Virtus constantiæ & fidelitatis, nequaquam exstitit commendata; naturales enim Dominos suos, quibus erant debito fidelitatis astricti, violato Fœdere Fidei pro suarum voluntatum libito, sæpè de ipsa Flandria turpiter ejecerunt. Et si hoc fecerunt de illis, quos revereri naturaliter tenebantur, quid de te, Fili, præsumendum sit, & qualis exinde possit assumi & formari titulus, tuaque prudentia consideranter advertat. Attende prorsus etiam si de bono & recto Consilio processerit, quod cariissimo in Christo filio nostro, Philippo Rege Franciæ illustri regnante, qui per multos annos, tanquam Rex Franciæ, Regnum pacifice tenuit & possedit; & an tu, sicut, & tali, pro terris, infra dictum Regnum ad te pertinentibus fidelitatem & homagium ligium faciendo, eum in Regem Franciæ tuumque Dominum pro terris recognovisti prædictis, te Regem Franciæ facias nominari; stupent quidem qui audiunt, id non ad discretionem, sed ad simplicitatem & vanitatem potius ascribentes. Deindè perspicaciùs credimus attendendum, quòd talis denominatio re carens & commodo, quam tibi persuasisse dicuntur qui te non diligunt, sed cum tuis jacturis lucra propria venari satagunt, ad ea se posse attingere æstimantes, cum te altioribus intricationibus, & periculosioribus necessitatibus & negotiis, illaqueari procuraverunt & involvi. Radix venenosa esse timetur, germinatura verisimiliter, & nisi provideatur aliter, fructus amaritudinis & doloris. Præterea æstimamus tibi non minus diligentius advertendum, quot, quales, & quantos Reges, Principes, & magnates, qui de stirpe Domus Franciæ processerunt, aut habent affinitatem, seu confœderationem cum ipsa, qui se tibi non opponebant super tuis negotiis anteà ex nominatione seu intitulatione hujusmodi contra te provocares, & expressiùs, si eidem, quod absit, insisteres, irritares; talemque ordiri nominatio ipsa posset, quod avertat Dominus materiam, per quam pacis reformatio inter te dictumque Regem Franciæ impossibilis perpetuo quantum ad humanum spectat judicium, redderetur. Et etiam iidem Principes & alii Regnicolæ dicti Regni, qui se, ut vulgaris vox sonat, prius mortis periculis & perpetuis bonorum suorum perditionibus exponerent, quàm sustinerent prædicta, promptiores, potentiores, valentiores, & animosiores adversus te, ad defensionem dictorum, Philippi Regis & Regni, per nominationem seu Intitulationem efficerentur eandem. Nec est tibi amantissimeFili ut aliàs tibi scripsisse meminimus, multum confidendum de Teutonicis & Flamingis; nam eos affabiles & propitios tibi reperies, quamdiù facultates tuas poterunt exhaurire, aliàs autem de ipsorum assistentia non confidas. Et si gesta progenitorum tuorum revolveris, qualiter erga eos se olim gesserunt iidem Teutonici & Flamingi, quomodo de ipsis possis confidere, reperies manifestè. Itaque celsitudinem Regiam rogamus, & attentè in Domino hortamur quatinus præmissa, quæ de benevolentia

ANNO 1340.

ANNO 1340.

Paterna, & affectione sincera scribimus, benevolo suscipias animo, eaque unà cum illis, quæ tibi circa hæc possunt occurrere, adducens in rectæ considerationis & discussionis examen, omissa intitulatione prædicta, regium inclines animum ad viam pacis & concordiæ per quam, quæ tui juris erunt, assequi & retinere pacificè valeas, mutua inter se dictumque Regem concordia reformata; ut sicut nervis sanguinis & affinitatis jungimini, sic sitis perpetuo vinculo fœderis & amoris connexi.

Datum Avenion. tertio nonas Martii Pontificatus nostri anno Sexto.

ANNO 1342.

CLEMENS SEXTUS, PONTIFEX CC.

ANNO DOMINI MCCCXLII.

CLemens priùs Petrus Rogerius, literatus, memoriæque planè invictæ: jubilæum ad L. annum reduxit, liberalis Indulgentiarum promus condus; sed notatum vix decem ex millenis, qui Romam confluxerant, ob ingentem pestem, rediisse. Ludovicum Bavarum persequutus est. Galliæ Regibus varia indulsit privilegia, & eciatim sub utraque specie communicare permisit. Obiit Avenione an. 1352. sedis decimo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 254.)

I. Ex spicil. Dacherii n. edit. Tom. 3. pag. 722.

Epistolæ variæ quibus quamplurima privilegia concedit Regi & Reginæ Francorum, diversis annis scriptæ.

CLEMENTIS PAPÆ VI. EPISTOLÆ.

I. JOANNÆ *Reginæ Franciæ.*

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimæ in Christo filiæ JOANNÆ *Reginæ Franciæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Gratulabundus scribit Reginæ.

QUia scimus te, Filia carissima, de prospero statu nostro gaudere, scire benevolentiam Regiam volumus, quòd licet ex incumbentibus variis & diversis arduis negotiis ad Apostolicam sedem incessanter confluentibus, curis continuis anxiemur; assistente nobis tamen divinâ clementiâ, corporali sospitate lætamur: quod de te, Filia dilectissima, & carissimo in Christo Filio nostro Philippo Rege Franciæ Illustri viro tuo, liberisque Regiis, audire quàm plurimum nos promptos, quantum cum Deo possumus, ad tua & ipsorum commoda & honores delectat. Cæterum tuam volumus celsitudinem non latere, quòd venerabiles Fratres nostri Petrus Prænestinus, & Anibaldus Tusculanus Episcopi, de partibus Franciæ ad sedem redeuntes prædictam: ac nobis, ac Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quæ gesta circà negotia, pro quibus missi fuerant, delectabiliter & plenariè in Consistorio referentes, ad laudem & commendationem præfati Regis & tuam multa honorabilia, quæ lætificaverunt mentem nostram non modicum, relationi hujusmodi adjecerunt. Rursùs pridem relatu quorumdam percepimus, quòd dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria, nata quondam Caroli Ducis Calabriæ, absque amicorum consilio matrimonium cum dilecto filio nobili viro Carolo Duce Duracii per verba de præsenti contraxit: an tamen sit vera relatio hujusmodi adhuc certitudinaliter ignoramus. Datum Avinioni quinto Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1342.

II. Eidem.

Anno MCCCXLII. Gratias agit Reginæ, quòd ipsa effecerit, ut sententiam, in Cardinales, ac eorum & Papæ familiares, qui beneficiis potiebantur, latam Rex abrogaret. Deinde agit de lite in Regem Angliæ motâ.

CLemens Episcopus servus servorum Dei, Carissimæ in Christo filiæ JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Serenitatis tuæ, filia Carissima, literas lætâ manu recepimus, inter cætera continentes qualiter his, quæ dilectus filius Magister Firminus de Coquerello Decanus Ecclesiæ Parisiensis, Carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciæ Illustris ac tuus Consiliarius, super illis novitatibus adversùs Deum & libertatem Ecclesiasticam per literas dicti Regis, nescimus quorum minùs providis consiliis, his diebus præteritis attentatis, tuæ Regiæ magnificentiæ pro parte nostrâ exposuit, intellectis: Tu filia benedictionis & gratiæ, apud Regem eumdem super revocatione hujusmodi attentatorum, eodem præsente Decano, precibus opportunis insistens, tandem Rex ipse præmissa quoad beneficia venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac nostrorum & suorum obsequentium & familiarium duxerat, inclinatus precibus hujusmodi, revocanda; quodque pro divinâ reverentiâ, honore Ecclesiæ, ac nostri consideratione, super plenâ & integrâ revocatione apud Regem ipsum insistere intendebas. Nos igitur benignitatem tuam Regiam, quam erga Deum sincera devotione fulgentem, & ad Ecclesiam sanctam suam esse propitiam, dum status nos haberet inferior, certâ probavimus experientiâ, & postquàm ad summi Apostolatûs apicem divina miseratio nos provexit, evidentibus sensimus indiciis & sentimus, cum gratiarum actionibus mulpliciter in Domino super his commendamus. Sanè, Filia dilectissima, quia novitates prædictæ aliàs inauditæ, si de illis scintilla remaneret aliqua, sponsum ejusdem Ecclesiæ Dominum nostrum JESUM CHRISTUM graviter offenderent, & iram ipsius meritò provocarent, saluti animæ dicti Regis ac celebritati sui nominis & honoris, domûsque inclytæ Regiæ Franciæ obvia existerent, & aliis pernicioſa ministrarent exempla: Sublimitatem tuam rogamus, & in Domino attentiùs exhortamur, quatenùs illius summi, & æterni Regis, qui opus perfectum diligit, & imperfectionem abhorret, te in hac parte filiam constituens specialem, quod expediendum restat super revocatione attentatorum hujusmodi, ut ad Dei & ejusdem Ecclesiæ sanctæ suæ honorem, Regis prædicti salutem, & dilatationem famæ suæ, plenum opus perfeciſſe læteris, apud Regem ipsum procures, sicut ex tuâ oblatione benignâ spem nobis dedisti, favorabiliter expediri. In te quidem, præcarissima Filia, illa Regina Esther, quæ iniquum consilium quod ad perdendum populum Dei Israël Rex Assuerus habuerat, imitari suis precibus promeruit in salutem, præfigurata in hoc casu, non absque magnæ laudis præconiis & meritorum cumulis potetit denotari. Nos autem venerabilibus Fratribus nostris Pastori Archiepiscopo Ebredunensi, & Guillelmo Episcopo Carnotensi Apostolicæ sedis Nuntiis, quos propterea destinandos ad præfati Regis viri tui & tuam præsentiam providimus, expresè duximus injungendum, ut ad te recurrant principaliter, & juxtà tui directionem con-

ANNO 1347.

filii habeant procedere in præmissis. Scitura pro certo, filia præcarissima, quòd per eos ad præsens non scribimus nisi caritativè & hortatoriè dicto Regi. Pro certo quidem tenuimus, cum tenorem literarum novitates prædictas continentium audivimus, quòd si Rex ipse contenta in eisdem litteris deliberatè ac plenius advertisset, nullo modo eas permisisset à suâ Curiâ emanare. Nihilominùs confidentes quòd ipse cum super hoc informatus existeret, nullatenùs sustineret quominùs ad revocationem procederet earumdem; quodque talia, vel similia sic divino & humano juri contraria non permitteret quomodolibet ulteriùs adversùs Deum & ipsam Ecclesiam, & præsertim vestris temporibus attentari.

Porrò super his, quæ de faciendis processibus contrà Regem Angliæ nuper tua Excellentia nobis scripsit, breviter respondemus, quòd amore pacis quam desideravimus & desideramus ferventibus desideriis, & ne ipsius posset impediri tractatus, per Cardinales Nuntios à processibus, prout nobis scripserunt, cessatum existit usque modò. Nunc verò aliquos de novo ordinari facimus diligenter: quibus breviter ordinatis, illorum tibi mittemus copiam; & eos absque cunctatione faciemus, nihil aliud exspectando ulteriùs, expediri. Datum Avinioni Idibus Aprilis, Pontificatûs nostri anno quinto.

ANNO MCCCXLVII.

III. Venerabili fratri JOANNI *Archiepiscopo Rotomagensi.*

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri JOANNI Archiepiscopo Rotomagensi, salutem & apostolicam benedictionem. Intellecto nuper quòd carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Franciæ illustris, occasione novitatis factæ per carissimum in Christo filium nostrum Jacobum Regem Majoricarum illustrem in Comitatu Rossilionis, villam & Baroniam Montispessulani ad manum regiam poni, & nihilominùs contrà ipsum Regem Majoricarum ac subditos & servitores suos, qui ei super hoc adstiterant, procedi mandavit speciali ad hoc commissario destinato. Nos eumdem Regem Franciæ per nostras litteras deprecamur, ut præfato Regi Majoricarum piè compatiens, velit erga eum benignè agere, ac omnem pœnam, si quam pro præteritis culpis meruit, ei gratiosè remittere, ac manum regiam à Villa & Baroniâ prædictis, cùm aliunde prætatus Rex Majoricarum non habeat unde se ac filios, licèt pauperes regali tamen prosapia genitos, sustentare valeat, amovere. Quocircà Fraternitatem tuam attentè rogamus, quatinùs apud eumdem Regem Franciæ quòd nostris in hac parte precibus annuat pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia interponas efficaciter partes tuas.

Datum Avinioni undecimo Kalendas Septembris, Pontificatûs nostri anno sexto.

AN. MCCCLI.

IV. & reliquæ ad JOANNEM *Regem Franc. &* JOANNAM *Reginam. Seu Privilegia quædam Regibus Franc. impertita.*

Quòd Rex & Regina in locis interdictis possint facere celebrare.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut votis vestris, his præsertim quæ ad vestrarum animarum salutem valeant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut si forsan ad loca Ecclesiastico interdicto supposita vos contigerit declinare, liceat vobis & illis, in eis januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, etiam altâ voce Missam & alia divina Officia in vestrâ & familiarium vestrorum, ac vos sequentium personarum præsentiâ facere celebrare, dummodo vos vel illi causam non dederitis interdicto, nec id vobis, vel illis contigerit speciatim interdici. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni tertio Kal. Maii, Pontificatûs nostri anno nono.

ANNO 1351.

V. Quòd possint eligere Confessorem.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Benigno sunt illa vobis concedenda favore, per quæ, sicut piè desiderare videmini, conscientiæ pacem, & salutem animæ, Deo propitio, consequi valeatis. Hinc est quòd nos vestris devotis supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum indulgemus, ut vestrûm & eorum quilibet aliquem idoneum & discretum Presbyterum in suum possit eligere Confessorem, qui quoties vobis & successoribus vestris opportunum fuerit, confessionibus vestris, & eorum diligenter auditis, pro commissis vobis, & eis debitam absolutionem impendat, & injungat pœnitentiam salutarem, etiamsi forsan talia fuerint propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Datum duodecimo Calend. Maii, anno nono.

VI. Quòd Confessor potest mutare vota, & juramenta eorum.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Votis vestris libenter annuimus, iis præcipuè per quæ, sicut piè desideratis, pacem, & salutem animæ, Deo propitio consequi valeatis. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum indulgemus; ut Confessor Religiosus, vel sæcularis, quem vestrûm & eorum quilibet duxerit eligendum, vota per vos forsitan jam emissa, ac per vos, & successores vestros in posterum emittenda, ultramarino, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac castitatis & continentiæ votis dumtaxat exceptis; necnon juramenta per vos præstita, & per vos & eos præstanda in posterum, quæ vos & illi servare commodè non possetis, vobis & eis commutare valeat in alia opera pietatis, prout secundùm Deum, & animarum vestrarum, & eorum saluti viderit expedire. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum Avinioni XII. Calend. Maii, anno nono.

VII. Quòd Confessor in exercitu potest dare licentiam vescendi carnibus.

CLEMENS, &c. Carissimo in Christo filio JOANNI Regi Franciæ Illustri, Salutem &

Aposto-

ANNO 1351.

Apostolicam benedictionem. Provenit ex tuæ devotionis affectu, quo nos & Romanam Ecclesiam revereris, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque ex tenore tuæ petitionis nobis exhibitæ nunc accepimus, pro guerris imminentibus sæpe contingat ad loca, quæ non multum abundant piscibus, te cum tuo exercitu declinare, nos tuis supplicationibus inclinati, ut Confessor tuus, & successorum tuorum Regum Franciæ, qui pro tempore fuerint, quem tu vel illi duxeris eligendum, tibi & eis, ac tuis, & illorum familiaribus, & omnibus aliis qui tecum, & cum eis in eisdem guerris fuerint, vescendi carnibus, quamdiù in hujusmodi guerris fueritis, tu & illi, etiam diebus quibus earum esus à sacris Canonibus est communiter interdictus, sextis Feriis, ac Quadragesimâ; nec non Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, & Beatorum Joannis Baptistæ, & Apostolorum, ac Laurentii Martyris, & solemnitatibus Omnium Sanctorum, Vigiliis dumtaxat exceptis, dum modo tu vel illi juramento vel voto ad abstinentiam ejus hujusmodi diebus illis aliàs non stitis adstricti; licentiam auctoritate Apostolicâ concedere valeat, cum id Confessor hoc probabiliter expedire viderit; sui ergo ipsius conscientiam oneramus: quibuscumque statutis & consuetudinibus ac constitutionibus & privilegiis Apostolici nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica tibi, & eisdem successoribus, indulgemus. Nulli &c. Si quis, &c. Datum Avenioni, anno nono.

VIII. Quòd Confessor dispensare potest de jejuniis, &c. de consilio Medicorum, de abstinentiâ carnium.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut votis vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, ac vestrûm, & eorum cuilibet, auctoritate præsentium indulgemus, ut Confessor idoneus Religiosus, vel sæcularis, quem quilibet vestrûm habet, vel vos, & eos imposterum habere contigerit, vobiscum, & cum eis, ut diebus quibus jejunia per Ecclesiam instituta sunt, jejunare minimè teneamini: ac etiam prædictis, & aliis diebus, quibus esus carnium est prohibitus de consuetudine, vel de jure, carnibus vesci possitis, de consilio tamen Medicorum, quoties Confessor, & Medici prædicti hoc vobis, & eis videbitur expedire. Quorum videlicet Confessoris & Medicorum conscientias oneramus: Constitutionibus, Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate nostrâ valeat dispensare. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

IX. Quòd Rex ingredi potest Monasterium inclusarum.

CLEMENS, &c. Carissimo in Christo filio JOANNI Regi Franciæ Illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, promeretur, ut quæ à nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc est quod nos supplicationibus tuis inclinati, tibi, & successoribus tuis Regibus Franciæ, qui fuerint pro tempore, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut quotiescumque tu, & dicti successores, volueritis pro spirituali consolatione vestrâ cum quibuscumque personis maturis & honestis, quas ad hoc duxeritis eligendas, Monasteria Religiosorum, & Religiosarum, etiam inclusarum, quorumcumque Ordinum existant, quibuscumque Constitutionibus Apostolicis ac Statutis, Consuetudinibus Monasteriorum & Ordinum prædictorum contrariis, nequaquam obstantibus, liberè ingredi, ac inibi comedere & bibere, ac in eisdem Monasteriis Religiosorum pernoctare licitè valeatis, dummodo ad id accedat assensus eorum, vel earum, qui, vel quæ Monasteriis ipsis præsunt. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

ANNO 1351.

X. Quòd Rex possit facere celebrare super Altare portatile in præsentia sui, & gentium exercitûs sui.

CLEMENS, &c. Carissimo in Christo filio JOANNI Regi Franciæ Illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, promeretur ut petitionibus tuis illis præsertim quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est quòd nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi, & successoribus tuis Regibus Franciæ, qui pro tempore fuerint, habere Altare portatile cum debitâ reverentiâ & honore, super quo quotiescumque pro gubernatione & defensione Regni tui Franciæ te, & illos personaliter esse contigerit in expeditione guerrarum, in tentoriis vestris, in locis tamen aliàs congruentibus & honestis, possitis per proprios, vel alios Sacerdotes idoneos, Regulares, vel sæculares, Missam, ac alia divina Officia, sine juris alieni præjudicio, in tuâ & gentium tui exercitûs & eorum præsentiâ facere celebrare, tibi, & eisdem successoribus tuis in perpetuum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. *ut suprà.*

XI. Quòd Prælatus celebrans coram Rege, seu Reginâ, conferre potest unum annum & quadraginta dies Indulgentiæ.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ut erga Deum & Sedem Apostolicam eo ampliùs vestræ crescat devotionis affectus, quo sedem ipsam benigniorem in vestris opportunitatibus vos senseritis invenisse. Devotionis vestræ precibus inclinati, ut quotiescumque aliquem Prælatum in Pontificalibus solemniter in vestrâ, & successorum vestrorum Regum, & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & cujuslibet, & vestrûm, & illorum præsentiâ Missam contigerit celebrare; idem Prælatus vobis, & eis, ac omnibus ibidem astantibus Missam hanc devotè audientibus, verè pœnitentibus & confessis unum annum & quadraginta dies de injunctis, vobis & eis, pœnitentiis auctoritate Apostolicâ relaxare valeat, vobis & eisdem successoribus in perpetuum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. *ut suprà.*

XII. Quòd Confessor Regis & Reginæ, eis semel in mortis articulo, & quotiescumque pro Regni defensione imminet periculum, plenam remissionem peccatorum indulgere possit.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Fran-

ANNO 1351.

ciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas, quam ad Deum & Ecclesiam Romanam gessisse hactenùs & gerere comprobamini, meritò nos inducit, ut vestris petitionibus, illis præsertim quæ devotionis augmentum, & animarum vestrarum salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, & vestrûm & eorum cuilibet auctoritate præsentium indulgemus: ut Confessor, quem vestrûm & eorum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum & suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fueritis, plenam remissionem vobis, in sinceritate fidei & veritate Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia & devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persistentibus, semel in mortis articulo, & etiam quoties pro Regni vestri defensione imminere vobis, & eis mortis periculum verisimiliter formidabunt, auctoritate Apostolica concedere valent: sic tamen quòd idem Confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio facienda, eâm vobis, & eis per vos, vel per ipsos, si supervixeritis; vel per hæredes vestros, & eorum, si tunc vos & illi forte transieritis, faciendam injungat, quàm vos, vel illi facere teneamini, ut præfertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in posterum admittenda, volumus quòd si ex confidentiâ remissionis hujusmodi aliqua fortè commiseritis, quod ad illa prædicta remissio vobis & aliis nullatenùs suffragetur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XIII. Quòd Rex & Regina, eorumque liberi, sub patria potestate existentes non possunt excommunicari, aut interdici ab aliquo.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ob vestrorum exigentiam meritorum, quibus vos largitor bonorum omnium insignivit, libenter illa vobis concedimus, per quæ non solum vester, sed & successorum vestrorum status tranquillo pacis munimine fulciatur. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut nullus in vestras, & successorum vestrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, & vestrorum & eorum natorum, existentium sub patria tamen potestate, personas excommunicationis aut interdicti sententias promulgare, aut vobis seu ipsius ingressum Ecclesiæ interdicere valeat absque Sedis Apostolicæ speciali mandato, faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de hac indulgentia mentionem, vobis & eisdem successoribus in perpetuum auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli &c. Si quis, &c. *ut suprà.*

XIV. Quòd Rex & Regina possunt facere celebrare ante diem circà diurnam lucem, & alta voce, cum qualitas negotiorum exigit, parcè tamen utendo.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur ut votis vestris favorabiliter annuamus; illis præsertim per quæ, sicut piè desideratis, divinis Officiis intenti existatis, & spiritualis salutis vobis proveniat incrementum. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut Missam antequàm illucescat dies, circà tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, liceat vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrum & eorum cuilibet per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum in vestra, & eorum præsentia etiam alta voce facere celebrari, ita quod id nec vobis, nec illis, aut Sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari; vobis, & eisdem successoribus vestris in perpetuum auctoritate Apostolica, tenore præsentium, speciali gratia indulgemus: proviso quòd parcè hujusmodi concessione utamini, quia cum in Altaris Officio immoletur Dominus noster Dei Filius JESUS CHRISTUS, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XV. Quòd Clerici Jurati, & familiares Regis & Reginæ non possunt propter participationem cum excommunicatis excommunicari majori excommunicatione, nisi communicent in crimine criminosis.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Progenitorum vestrorum, qui fide præclari & devotione sinceri fuerunt orthodoxæ fidei & libertatis Ecclesiasticæ præcipui defensores, memoriam recolentes; & intuentes quod in his vestigia imitamini eorumdem, libenter vestris votis annuimus, & vos in desideriis quantùm cum Deo possumus, prævenimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra nostris est auribus intimatum, nonnulli Prælati Regni Franciæ, & eorum Officiales, & Judices à Sede Apostolica, & à legatis ipsius delegati, & exequutores hujusmodi personarum, cum aliquos sibi obedire nolentes vinculo excommunicationis astringunt, in participantes excommunicationis hujusmodi non solùm in crimine, sed alio modo, excommunicationis & interdicti præsumunt sententias promulgare: vestris precibus inclinati, auctoritate Apostolica vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, tenore præsentium indulgemus, ut si quando vestros, & dictorum Regum & Reginarum Capellanos, & Clericos juratos ad vestram & eorum familiam, hujusmodi excommunicatis communicare contingat, propter hoc majoris excommunicationis laqueo, vel etiam interdicto nequaquam ligari possint, dummodò non communicent in crimine criminosis. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum *ut suprà.*

XVI. Quod Rectores Ecclesiarum, ad quos Rex & Regina declinant, possunt Sacramenta eorum familiaribus ministrare.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur ut in his quæ personarum vobis obsequentium animarum salutem respiciunt, votis vestris quantùm cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, ut Parochialium Ecclesiarum, ad quarum Parochias vos, & successores vestros Reges & Reginas Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrum, & eorum quemlibet, cum gentibus & familiaribus vestris, & suis contigerit declinare Rectores, vel eorum locum tenentes, gentibus & familiaribus ipsis, quoties expedierit, ministrare valeant Ecclesiastica Sacramenta, quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & Statutis Synodalibus, aut aliis contrariis nequaquam obstantibus, jure Ecclesiæ cujuslibet alterius semper salvo: Vobis, & eisdem

ANNO 1351.

successoribus, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum *ut suprà*.

XVII. Quod orantibus pro Rege & Regina centum dies de injunctis pœnitentiis qualibet die relaxantur.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sinceritatis vestræ vota si præclaris posse effectibus adjuvari promerentur devotis & piis Christicolarum intercessionibus apud omnium bonorum largitorem; ut igitur eorum adjuti suffragiis, hujusmodi intercessionum effectum multiplicatis intercessionibus faciliùs consequi valeatis: Nos considerantes vestræ devotionis affectum, quem ad nos & ad Romanam geritis Ecclesiam, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui devotis orationibus pro singulis vestrum, & successorum vestrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, quamdiù vos & illi vixeritis, pro incolumitate vestra, & post vestrum & illorum decessum, pro vestrarum & illorum animarum salute divinam misericordiam implorabunt, singulis diebus, quibus apud Deum hujusmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum *ut suprà*.

XVIII. Quod eligere possint Confessorem, qui eos absolvat si excommunicationis sententiam incurrerint propter manuum injectionem in Clericos.

CLEMENS, &c. carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Vestræ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam Ecclesiam geritis, promeretur, ut desideriis vestris, in his potissimè quæ animarum vestrarum salutem respiciunt, opportunis favoribus annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui fuerint pro tempore, ac vestrum & eorum cuilibet, aliquem discretum & idoneum Presbyterum, Religiosum vel secularem, in vestrum & eorum possitis eligere Confessorem, qui vos & eos à sententia excommunicationis, si quam vos & ipsos contigerit incurrere propter manuum injectionem in Clericos & personas Ecclesiasticas, etiam usque ad effusionem sanguinis inclusivè, citra tamen mortem vel membri mutilationem, auctoritate nostra juxta formam Ecclesiæ absolvere valeat; injunctis vobis & eis super his pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum *ut suprà*.

XIX. Quod nemo potest in terram Regis & Reginæ interdicti sententiam promulgare absque auctoritate Apostolica.

CLEMENS, &c. carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Illo caritatis affectu Regalem excellentiam amplexamur, & sic vos tamquam speciales & devotos Ecclesiæ Romanæ filios sincero corde diligimus, ut votis vestris favorabiliter annuentes, petitiones Regias (quantùm cum Deo possumus) ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quòd nos vestris devotis supplicationibus benignum impertientes assensum, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui pro tempore fuerint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut nullus possit in terram vestram, & eorum interdicti sententiam promulgare absque mandato vel licentia Sedis Apostolicæ speciali: volumus tamen concessionem nostram hujusmodi ad terras Baronum, & aliorum, quæ à Rege Franciæ, qui est & qui erit pro tempore, tenentur aut tenebuntur in feudum, & ad terras quas Reginæ Franciæ pro tempore existentes habent, & habituræ sunt de patrimonio proprio, aut alias, nisi forsan pervenerint ad easdem aut causa donationis propter nuptias, aut dotalitii ratione, aliquatenus non extendi: districtiùs inhibentes, ne si aliqui forsan contrà concessionem hujusmodi venientes in hujusmodi vestras, aut eorumdem successorum terras interdicti sententiam promulgarent, occasione promulgationis hujusmodi quovis pallio seu colore quæsito, per Curiam Regiam trahantur in causam, aut emenda propter ea ab eis aliqua exigatur. Nulli &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà*.

XX. Quod non teneantur ad restitutionem bonorum, nisi his qui ad notitiam eorum venerint, sed eleemosinis compensanda.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum in vobis salutem hominis utriusque sexûs totis desideriis affectemus, nos volentes conscientiæ vestræ super restitutione bonorum (si quæ ad vos ex progenitorum vestrorum successione, vel aliàs forte pervenerint) facienda his quorum sunt, licet, sicut asseritis, nesciatis ad restitutionem aliquam bonorum hujusmodi aliquibus vos teneri) paterna diligentia providere: vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui pro tempore fuerint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut eleemosinæ, quas vos & illi facitis, & facietis in futurum, cedant loco restitutionis dictorum bonorum. Verum tamen scire vos volumus, quòd si vobis constiterit vos teneri ad restitutionem bonorum talium, & personas, quibus restitutio fieri debeat, ad vestram notitiam pervenire contingat, vos ipsis bona eadem restituere nihilominus oportebit. Nulli, &c. Datum, *ut suprà*.

XXI. Quod possint eligere Confessarium, qui illis, & Militibus, indulgentiam, auditis Confessionibus, valeat impertire.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Benigno sunt vobis illa concedenda favore, per quæ, sicut piè desideratis, vobis obsequentes animarum suarum salutem Deo propitio consequentur. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum indulgemus; ut quotiescumque in guerris unà cum vestro & eorum exercitu, vos & illos contigerit interesse, Confessor secularis vel regularis, quem quilibet vestrûm & eorum duxerit eligendum; vel ejus socius; aut vestræ aut illorum Capellæ principalior Capellanus; seu ille vel illi Sacerdotes idonei, quos ipsi vel eorum alter ad hoc duxerint deputandos: quoties fuerit oportunum omnium de exercitu, & in servitiis vestris existentium, confessiones diligenter audire, eisque de commissis absolutionem impendere, & injungere pœnitentias salutares: (nisi forsan talia fuerint, propter quæ sit Sedes Apostolica meritò consulenda) eisque ministrare valeat Ecclesiastica Sacramenta; felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri, & quibuslibet aliis Consuetudinibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus: Jure Parochialium Ecclesiarum, & cujuslibet

ANNO 1351.

bet alterius, in omnibus semper salvo. Nulli, &c. Si quis, Datum, *ut suprà.*

XXII. Nulli liceat Capellas Regias interdicto supponere.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Illa filialis devotio, & dilectio singularis, quam claræ memoriæ progenitores vestri circà prædecessores nostros Romanos Pontifices & Romanam Ecclesiam habuerunt, & in qua vos illis velut heredes legitimi hereditario jure succeditis, nos in eo constituit proposito voluntatis, ut in his quæ à nobis vestrâ Celsitudo Regia duxerit postulanda, favorem velimus vobis Apostolicam impertiri. Ea propter vestris devotis precibus benignum impertientes assensum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium firmiter inhibemus, ut nulli liceat Capellas vestras & successorum vestrorum Regum, & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & cujuslibet vestrum, & eorum in perpetuum, Ecclesiastico supponere interdicto, nisi de licentia Sedis Apostolicæ speciali. Volumus autem quòd inhibitio nostra hujusmodi ad illas duntaxat Capellas Reginarum Franciæ, quæ sunt & erunt pro tempore, extendatur, quæ consistunt & consistent in terris quas dictæ Reginæ habent & habituræ sunt tantummodo, aut causa donationis factæ, vel ipsis faciendæ propter nuptias, aut dotalitii ratione. Districtius inhibentes ne si aliqui forsan contra concessionem hujusmodi venientes, in hujusmodi vestras & eorumdem successorum Capellas interdicti sententiam promulgarent, occasione promulgationis hujusmodi, quovis pallio seu colore quæsito, per Curiam Regiam trahantur in causa, aut emenda propterea ab eis aliqua exigatur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXIII. Indulgentia conceditur unius anni & 40. dierum quando dedicationi vel consecrationi Ecclesiæ interesse contigerit.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ caritatis zelus, quam ad vos & vestram Domum inclytam gerimus, nostrum instanter sollicitat animum, ut vos & illam prælucidis meritorum titulis insignitos, prærogativa favoris & gratiæ prosequentes, circa ea nos faciles & benevolos impendamus, per quæ vobis & eis, Domini favente clementia, honoris & exaltationis grande proveniat incrementum. Vestris itaque supplicationibus inclinati, quotiescumque vos & successores vestros Reges & Reginas Franciæ, qui pro tempore fuerint, & quilibet vestrum & eorum, ad alicujus Ecclesiæ vel Capellæ dedicationem vel consecrationem ire vel interesse ibidem contigerit, vobis & eis, ac obtentu vestro & eorum, omnibus aliis verè pœnitentibus confessis, & qui ad eamdem Ecclesiam vel Capellam causa devotionis accesserint, illo die de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies de injunctis vobis & eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXIV. Prædicator qui coram Rege & Regina verbum Dei proponit, potest audientibus unum annum & 40. dies de pœnitentiis injunctis relaxare.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Considerationem salutaris vestræ affectionis inducimur, ut in his, quæ tam vobis, quàm aliis ad salutem prosequimini, admitti de benignitate Sedis Apostolicæ debeatis. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut quotiescumque diebus & festis præcipuis, in quibus secundum usum Regum Franciæ consuetum est coram ipsis prædicare, & proponere Verbum Dei, coram ipsis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, & quolibet eorum infrà Missarum solemnia prædicari, & ipsum proponi contigerit; tam vobis, quàm omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui vobiscum ibidem interfuerint, ipsumque verbum audierint reverenter, unum annum & quadraginta dies de injunctis vobis & eis pœnitentiis, idem proponens misericorditer relaxare valeat, auctoritate Apostolica vobis & eisdem successoribus in perpetuum tenore præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXV. Esus carnium permittitur Religiosa Regis ac Reginæ Confessario, diebus ab Ecclesia non prohibitis.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Vota vestra perpetuo paternâ prosequentes in Domino caritate, eis libenter annuimus, in illis præsertim quæ ex affectu vestræ devotionis procedere dignoscimus. Hinc est quòd vos vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrum & eorum cuilibet, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut Confessor Religiosus quem nunc habetis, ac vos & illi habebitis in posterum, ejusque socii, vestris aut obsequiis eorum insistendo, quibus esset esus carnium secundum statuta sui Ordinis interdictus, licitè possint in vestra comitivâ vesci carnibus, illis diebus quibus à sacris Canonibus esus hujusmodi minimè prohibetur; ac idem Confessor Fratribus & Religiosis ad hospitium vestrum declinantibus, quibus similiter est esus hujusmodi interdictus, vescendi carnibus in dicto hospitio diebus prædictis duntaxat, ac loquendi in mensa, auctoritate nostrâ licentiam valeat elargiri. Constitutionibus, prohibitionibus, ordinationibus, observantiis, & statutis quorumcumque ordinum contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXVI. Sequentes Curiam Regiam censentur esse in sua Ecclesia Parochiali quoad Sacramentorum administrationem.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi quælibet vota vestra Regia libenter favore Apostolico prosequamur, promptius tamen eis annuimus quæ vestrorum & vestrarum etiam salutem respiciunt animarum. Cum itaque, sicut petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, vobiscum vestra Curia ad diversa loca & diœceses multoties declinante, super confessionibus, & Sacramentorum Ecclesiasticorum ministratione pericula, & dubia, & tædia multa inter Curiam ipsam sequentes, & Rectores Ecclesiarum, ad quos sic eos declinare contingit, insurgant; nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis & eidem Curiæ super hoc paterna diligentiâ curaremus. Nos igitur periculis & dubiis ac tædiis hujusmodi paternâ sollicitudine obviantes, vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut eamdem

ANNO 1351.

vestram

ANNO 1344.

vestram ac successorum vestrorum Curiam sequentes quoad Ecclesiastica Sacramenta, in causâ necessitatis duntaxat, perinde sint & censeantur Diœcesano loci, & Rectori Parochialis Ecclesiæ, ad quem seu quam eos, vos & illos ac eamdem Curiam sequendo, declinare continget, quamdiù ibi manebunt (in omnibus salvo aliarum Parochialium Ecclesiarum jure) subjecti, quacumque Constitutione contrariâ non obstante, ac si de locis ipsis existerent oriundi. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXVII. Omnibus Curiæ Regiæ licentiam eligendi sibi quem voluerint Confessarium dat facultatem.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quâ Deum & Romanam Ecclesiam reveremini, promeretur, ut in his, quæ personarum vobis obsequentium animarum salutem contingunt, petitionibus vestris favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate præsentium indulgemus, ut vestrûm & successorum ipsorum cujuslibet Confessor; aut ejus socius sæcularis vel regularis; vel vestræ, vel eorum Capellæ principalis Capellanus, omnium & singulorum vestrorum & suorum familiarium domesticorum confessiones audire, ac illos à peccatis omnibus, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, (præterquàm in casibus Sedi Apostolicæ reservatis) juxtà Ecclesiæ formam absolvere, injunctâ sibi pro illis pœnitentiâ salutari, nec non Eucharistiæ ac alia Sacramenta Ecclesiastica ministrare valeat; felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, & quâlibet aliâ, Constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, jure Ecclesiæ Parochialis in omnibus semper salvo. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXVIII. Clerici Regis & Reginæ possunt à quocumque Episcopo Ordines suscipere.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ut erga Sedem Apostolicam eo ampliùs vestræ crescat devotionis affectus, quo eam vobis senseritis magis propitiam & benignam, vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, ac vestrûm & eorum cuilibet, tenore præsentium indulgemus, ut Clerici & Capellani vestræ & eorum propriæ Capellæ, ac alii vestri & eorum familiares & domestici Clerici, præsentes & posteri, vestris & eorum obsequiis insistentes, omnes minores & sacros Ordines à quibuscumque Archiepiscopis vel Episcopis Catholicis gratiam & communionem dictæ sedis habentibus, temporibus à jure statutis, licitè recipere: quodque hi Archiepiscopi vel Episcopi eis & eorum cuilibet, dictos Ordines auctoritate nostrâ conferre liberè valeant, dummodo sint ad hoc idonei, & aliud Canonicum non obsistat, Constitutionibus, vel statutis in contrarium editis, non obstantibus quibuscumque. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXIX. Clericis, Capellanis etiam Religiosis, commensalibus Regis ac Reginæ, permittitur recitare divinum officium ad usum Ecclesiæ Parisiensis.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur ut petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, ut vestri, & successorum vestrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, Capellani ac Clerici commensales, etiam Religiosi cujuscumque Ordinis sint, quamdiù vestris & eorum insistent obsequiis, & non ultrà, possint divina Officia dicere & celebrare secundùm morem & usum Ecclesiæ Parisiensis, vel coram Regibus Franciæ qui fuerint pro tempore, aut eorum liberis, hactenùs observatos: nec interim ad alia dicenda seu celebranda Officia secundùm aliquarum aliarum Ecclesiarum consuetudinem, in quibus etiam obtinent beneficia, teneantur; neque ad id à quocumque compelli possint inviti (nisi forsan essent per plures dies in aliquâ Ecclesiarum ipsarum, in quibus beneficia, ut præmittitur, obtinent, residentes) Constitutionibus ac statutis Ecclesiarum ipsarum contrariis non obstantibus quibuscumque: Vobis, & eisdem successoribus vestris in perpetuum auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus: proviso quòd dicti Capellani & Clerici consuetudinem earumdem Ecclesiarum in quibus, ut præmittitur, beneficia obtinent, in dicendis Horis hujusmodi observare studeant, quotiescumque ipsos in eisdem Ecclesiis hujusmodi Horis Canonicis contigerit, ut præmittitur, interesse. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXX. Indulgentiam centum dierum concedit omnibus Regni Franciæ incolis, qui pro Pace oraverint. Anno MCCCXLIV.

CLEMENS, &c. Universis Christi Fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cupientes ut Regnum Franciæ, à quo originem traximus, & ipsius Regnicolæ in verâ pacis tranquillitate lætentur; ac sperantes in Domino, qui est vera pax, quòd sublatis dissidiorum incommodis, assiduis pulsatus Fidelium deprecationibus, pacem dabit. Ut Fideles ipsi eo devotiùs pro pace hujusmodi intercedant, quo ex hoc dono cælestis gratiæ conspexerint se refertos: omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui devotis orationibus pro bonâ pace dicti Regni divinam misericordiam implorabunt, singulis diebus quibus apud Deum hujusmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinioni Nonis Junii, Pontificatûs nostri anno tertio.

XXXI. Quòd Beneficiarii addicti obsequiis Regis ac Reginæ, ad residentiam non teneantur, beneficiorum tamen proventus percipiant.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, sublimisque statûs vestri eminentia promerentur, ut illâ vos gratiâ favorabiliter prosequamur, quæ personis vobis obsequentibus existere valeat fructuosa. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui fuerint pro tempore, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate præsentium in perpetuum indulgemus, ut vestri & successorum ipsorum

ANNO 1344.

rum omnes Capellani & Clerici præsentes & posteri, vestris & eorum obsequiis insistentes, fructus, redditus & proventus omnium beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, etiamsi dignitates, personatus, vel officia fuerint, & curam habeant animarum; (etiamsi dignitates hujusmodi in Cathedralibus post Pontificales, majores, & in Collegiatis Ecclesiis principales existant) quæ nunc in quibusvis Ecclesiis sive locis obtinent & in posterum obtinebunt, cum eâ integritate quamdiù hujusmodi obsequiis insteterint liberè percipere valeant (quotidianis distributionibus duntaxat exceptis) cum quâ illos percipere, si in ejusmodi Ecclesiis sive locis personaliter residerent; ac interim ad residendum in eis minimè teneantur, neque ad id à quoquam inviti valeant coarctari: non obstante si idem Capellani & Clerici primam in eisdem Ecclesiis non fecerint personalem residentiam consuetam, quam facere teneantur ab hujusmodi obsequiis recedentes: & quibuscumque Apostolicis, ac Provincialibus & Synodalibus, Constitutionibus, ac Statutis, & Consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum contrariis, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcumque aliâ firmitate vallatis: etiam & de illis servandis & non impetrandis Literis Apostolicis contrà ea, & ipsis Literis non utendo, etiam à dictis Capellanis & Clericis, aut alio, vel aliis impetratis, seu quovis alio modo concessis; & idem Capellani & Clerici per se vel Procuratores suos præstiterint hactenùs, vel eos in posterum præstare contigerit forsitan juramentum: seu si locorum Ordinariis à Sede Apostolicâ sit concessum, vel in posterum concedi contingat, quòd Canonicos & personas Ecclesiarum suarum civitatum & Diœcesium, etiam in dignitatibus & personatibus aut officiis constitutos, per subtractionem proventuum suorum Ecclesiasticorum, vel aliàs compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si eisdem Ordinariis, ac dilectis filiis Capitulis earumdem Ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, vel medio tempore contigerit indulgeri, quòd Canonicis & personis earumdem Ecclesiarum, etiam in dignitatibus vel personatibus aut officiis constitutis, non residentibus in eisdem; vel qui primam in illis hujusmodi residentiam non fecissent, fructus, redditus, & proventus beneficiorum suorum Ecclesiasticorum ministrare minimè teneantur, & ad id compelli non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam & de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; ac quibusdam privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis: proviso quòd beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, & animarum Cura in eis, quibus illa imminet, nullatenùs negligatur; sed per bonos & sufficientes Vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congruè ministrentur, diligenter exerceatur, & deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni duodecimo Kalend. Maii Pontificatûs nostri anno nono.

XXXII. Deputat Commissarios qui curent ut beneficiorum suorum proventus percipiant Capellani Regii.

CLEMENS, &c. Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, & dilectis filiis sanctæ Genovefæ Parisiensis, ac sancti Dionysii in Franciâ, Monasteriorum Abbatibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, &c. Quocircà discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos, vel duo aut unus vestrûm, per vos vel alium seu alios eisdem Capellanis & Clericis vel Procuratoribus suis eorum nomine faciatis auctoritate nostrâ hujusmodi fructus, redditus & proventus juxtà hujusmodi nostræ concessionis tenorem integrè ministrari, non obstantibus omnibus supra dictis: seu si eisdem Ordinariis & Capitulis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim ab eâdem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: contradictores auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo. Datum, *ut suprà*.

ANNO 1346.

CLEMENTIS *Papæ VI. contrà monetarum adulteratores.* Anno MCCCXLVI.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam. Prodiens quasi ex adipe iniquitatis multorum sceleratorum funesta cupiditas, eos in perniciem præcipitare conatur, dum sequi miserabilem ejus ingluviem satietatis nescientem moderamina non verentur. Ipsi etenim turpium lucrorum se fecibus immergentes, ambitiosis nexibus involvuntur. Dei timorem damnabili cæcitate postponunt, & quasi ambulantes in tenebris, non vitant excidia personarum. Nuper siquidem ad nostri Apostolatûs auditum multorum relatio fide digna perduxit, quòd nonnulli nullam habentes auctoritatem, jure vel consuetudine seu privilegio faciendi monetam, falsam monetam cudunt & fabricant in regno Franciæ, & locis circumvicinis. Alii verò monetam fabricatam sub vero signo carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris studiosè depravant, & ex hoc cadit à suo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure aut consuetudine sine privilegio jus competit fabricandi monetam, signum proprium monetæ regiæ, monetæ suæ quam fabricant imprimere seu insculpere moliuntur, ejusdem quantitatis & rotunditatis & litterarum figuræ quam habet moneta regia, monetæ suæ quam fabricant quantum possunt similius speciem & formam insculpunt, constituunt & imponunt. Et quamvis moneta prædicta eorum ad usurpatam similitûdinem perducta, deficiat à justo pondere argenti & solito in regiâ monetâ, & more & consuetudine observato, simplices tamen & populares personæ non habentes inter monetas tantæ similitudinis peritiam discernendi, falluntur quotidie eâ occasione, in usu monetarum recipientes monetas falsò assimilatas pro veris.

Sunt & alii qui scienter falsas monetas extrà regnum prædictum emunt, & postea infrà regnum ipsum eas portant, vendunt & expendunt.

Nos igitur attendentes quòd iidem falsarii & fabricatores monetarum talium, & emptores prædicti, per hoc se dignos maledictione constituunt, eos qui, ut præmittitur, præmissa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum scienter præsumserint, excommunicationis sententiâ innodamus, absolutione prædictorum nobis & successoribus nostris præterquàm in mortis articulo reservatâ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innodationis & reservationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tolosæ secundo Kalendas Januarii, Pontificatûs nostri anno quarto.

Dudum

ANNO 1345.

II. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 5. pag. 439.

Ad Regem Angliæ, quod inclinet animum ad pacem: adjiciens nova tangentia Turcas: anno 1345.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum afflictionibus variis & diris oppressionibus, quibus illi hostes ferocissimi, Turcæ vid. Persecutores & Blasphemi nominis Christiani persecuti fuerant immaniter, & persequi continuò non cessabant Fideles Christi, ejus pretioso redemptos sanguine in Romania, ac partibus aliis Transmarinis circumadjacentium Regionum degentes, anxii relatibus sæpius repetitis, non sine vehementi dolore cordis auditis, paternæ pietatis & compassionis viscera nequivimus continere, quominus eisdem Christicolis, qui ab eisdem Turcis tam per terram, quam per mare hostiliter lacessabantur, quasi continuè spoliabantur, vulnerabantur, interficiebantur, & nonnulli utriusque sexus sub captivitate Turcharum ipsorum miserabili vendebantur ut pecudes, & ad abnegationem Fidei Catholicæ, pro dolor cogebantur, providè de succursu aliquo & defensione contra tam abominabilem & ignominiosam toti Christianitati sævitiam curaremus. Quamobrem manus sub divinæ miserationis auxilio ponentes ad fortia auxilia, tam per vos, quam per carissimum in Christo Filium nostrum, Regem Cypri illustrem, ac dilectos Filios, Magistrum & Fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani, Ducem & Commune Venetiarum, & quosdam Fideles alios præstita, certum Galearum Stolium hominibus armigeris & aliis rebus necessariis sufficienter munitarum, ad partes illas pro succursu & defensione prædictorum Fidelium, & repressione hostium, sub Principali Gubernatione ac Regimine Venerabilis Fratris nostri Henrici Patriarchæ Constantinopolitani, Apostolicæ Sedis in partibus illis Legati, ordinavimus destinandum. Et licet armata Stolii potentia hujusmodi, cum nonnullis Fidelibus, in auxilium Christianorum & conculcationem dictorum infidelium, illuc fervore devotionis accedentibus, multum repressérit crudelitatem & sævitiam hostium eorundem; tamen his diebus præteritis, divinâ clementiâ, quæ nunquam cessat in suis Fidelibus, & spem suam in ea figentibus, à benedictionibus gratiarum, suæ dexteræ potentiam uberiùs extendente, præfatus Patriarcha cum eodem Stolio, & multis viris fidelibus strenuis, ejusdem zelo Fidei Orthodoxæ accensis, ad civitatem Smirnæ, locum utique fortissimum, & portum maris habentem optimum, in quibus prædictorum Turcarum gens, nationis fœtidæ, specialiter, sicut intelleximus, spem suæ feritatis ponebat, & inde majora damna intulerant, & inferre poterant Fidelibus antedictis, accessit; Et quanquam civitas ipsa, intra & extra, cum portu prædicto, munita esset innumera multitudine Paganorum, inter quos erat Marbaxanus, Dux & Rector magnus ipsorum, felix tamen Christianorum exercitus, in quo pauci erant respectu multitudinis infidelium prædictorum, in virtute illius, à quo est omnis virtus & victoria, intrepidè contra Paganorum Exercitum ac fortiter & strenuè irruens, post conflictus aliquos, eisdem devictis gloriose Fidei hostibus, civitatem eandem, cum portu, & fortalitiis suis, posuit divina providentia, quæ in sua dispositione non fallitur, in manibus populi Christiani, dictusque Patriarcha, eliminatâ exinde Paganici erroris spurcitiâ, fecit ibidem ad laudem & gloriam divini Nominis, exaltationem Catholicæ Fidei, & consolationem ejusdem populi Christiani, divina officia celebrari, ac fortificari & muniri civitatem eandem, ut Fideles, qui ad acquirendas terras Paganorum partium earundem, & sub cultum Orthodoxæ Fidei reducendas laborare pro suarum animarum salute voluerint, ad ipsam civitatem & portum ipsius applicandi solidum & optimum valeant reclinatorium reperire. Nos autem, tam per litteras ejusdem Patriarchæ, quam aliorum Fidedignorum, nec non & quorundam exinde venientium relatibus, hujusmodi victoria triumphali, quam de sede suæ magnitudinis dedit Altissimus, cum ingenti lætitia plenius intellectâ, tantorum collatori donorum in humilitate spiritus exsolvere curavimus vitulum labiorum, & tam per processiones, quam sermones ad Clerum, & populum, laudes fecimus solemniter Domino decantari. Porro de hujusmndi victoria, dilectus Filius, nobilis Vir, Johannes Bonde Domicellus, de partibus illius veniens, & ad tuæ Regalis Excellentiæ præsentiam se conferens, qui præsens in ea extitit, & super gestis per eum inibi laudabilibus multipliciter commendatur, eandem Excellentiam facere, viva voce, poterit plenius certiorem. Rogamus itaque Serenitatem Regiam, & attentiùs in Domino exhortamur, quatenns quæ, quanta, & qualia Principes Catholici, ad ejusdem dilatationem Fidei, ac suæ salutis & honoris augmentum, possent agere his temporibus, si guerris & dissensionibus suis cessantibus, intendere circa talia procurarent, consideranter attendens, tu Fili carissime, quem ad talia & similia inter cæteros Principes Catholicos Orbis terræ aptum, convenientem, & idoneum reputamus, ad vias pacificas, super guerris tuis, animum Regium dirigas, habilites, effectualiter & inclines; ut in his, quæ Dei sunt, tuisque honori & saluti congruunt, intendere, sicut desideranter affectamus, sicque vires tuæ fortitudinis valeas exercere, ut post cursum vitæ præsentis de Regno temporali, quod obtines, coronam Regni merearis accipere sempiterni.

Datum Avinion. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

G. de Aula.

ANNO 1345.

III. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 5. pag. 465.

Bulla ad litteras, & Nuncios Regis responsoria de Treugis, & de attemptatis contra Treugas, ac super variis hinc inde tractatis, pacem bellumque tangentibus: anno 1345.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PRæsentatas pridem Apostolatui nostro Celsitudinis tuæ litteras recepimus, quarum serie per nos intellectâ ipsæ nobis litteræ admirationis, ne dicamus turbationis materiam præbuerunt. Quæ quidem litteræ effectualiter continebant quod: Licèt super dissensionibus

ANNO 1345.

& guerris inter Te, Fili cariſſime, ac cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Philippum Regem Franciæ illuſtrem, ſuſcitatis, tu, pro vitandis damnis & periculis procedentibus ex eisdem, plures vias pacis obtuleris Regi prædicto, ut poſſes, ſicut affectabas, in paſſagio Transmarino noſtro obſequiis intendere Redemptoris. Ipſe tamen, te per verba protrahens, nihil facere voluit in effectu, ſed pendentibus ſimulatis tractatibus tibi procuraverat multa damna. Propter quod Tu, volens jus tuum proſequi, ad partes Britanniæ te conferre cum armata potentia, ut aſſeris, curaviſti, ubi, Te guerram contra Regem faciente prædictum, ſupervenerunt Venerabiles Fratres noſtri, Petrus Prænestinenſis, & Amaldus Tuſculanenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Nuncii per nos miſſi. Quibus tractantibus & mediantibus inter Te ac Regem eundem initæ fuerunt invicem Treugæ ac firmatæ, duraturæ usque ad certum tempus, infra quod, coram nobis, de Pacis concordia mutua cum Nunciis hinc indè deſtinandis interim tractaretur. Ita quod Treugæ ipſæ ubique infra poteſtatem partium, & ſpecialiter in Ducatu Britanniæ, inter Te ac Regem ipſum, & utriusque veſtrûm adhærentes, etiamſi Jus in eodem Ducatu Britanniæ ſe habere prætenderent, ſervarentur. Quidque omnes Coadjutores & alligati utriusque partis in tali poſſeſſione rerum & bonorum ſuorum, quâ erant tempore quo initæ fuerunt Treugæ, ipſis durantibus remanerent; certis aliis modis & conditionibus appoſitis in eisdem Treugis pleniùs & expreſſis. Et ſubjungitur præterea in eisdem, quod, cum Te ſub ſpe Treugarum hujusmodi, pacis arridente fiducia, Tu, dimiſſis paucis aliquibus in Britannia, in Angliam rediiſſes, tuosque, ſuper Tractatu pacis prædictæ, Nuncios ad noſtram præſentiam deſtinaſſes, Supervenerunt tibi nova, non parum pungentia mentem tuam, de morte, videlicet, quorumdam nobilium captorum in Britannia de mandato ſpeciali dicti Regis, & ultimo ſupplicio Pariſiis traditorum: nec non de ſtrage ac depopulatione magna fidelium & ſubditorum tuorum in Britannia, Vaſconia, & locis aliis, tractatibusque ſubdolis & occultis cum alligatis & ſubditis tuis habitis, quos tibi auferre, ſibique nitebatur atrahere Rex prædictus, & aliis injuriis & novitatibus, per terram & mare contra dictas Treugas attemptatis, per quæ Treugas ipſas per partem Regis ejusdem reputabas penitus diſſolutas. Et quamvis, ſic ipſis Treugis diſſolutis, guerram potuiſſes per culpam partis alterius reſumſiſſe, ad vitanda tamen guerrarum ipſarum diſcrimina, ſi poſſes reformationem obtinere attemptatorum hujusmodi cupiens experiri, diverſis vicibus diverſos tuos Nuncios, tam ad tractandum ſuper pace prædicta, quam ad petendum reformationem attemptatorum prædictorum ad noſtram deſtinaſti præſentiam, & ſtatutos ſuper hoc terminos prorogaſti, reſumendi guerram poteſtate tibi nihilominus reſervatâ. Et quia jam ſtatuti elapſi ſunt termini ad tractandum, & nulla via pacis rationabilis Tibi vel eisdem Nunciis fuit aperta, nec Rex prædictus attemptata hujuſmodi, licèt per noſtras litteras requiſitus pluries, revocare, ſed multiplicare curavit contra te injurias & offenſas; ut taceres de multis exceſſibus, per Nuncium noſtrum, ad dictas partes Britanniæ pro faciendis obſervari prædictis Treugis deſtinatum, partem contra Te ac tuos aſſumendo, commiſſis; ſuper quibus, ut dicebas, Nos, licèt requiſiti, Remedium minimè curavimus adhibere. Apud Deum, & ſanctam Eccleſiam ac Populum debes excuſatus haberi, ſi hujusmodi vim & injuriam, cum aliud, ut proponebas, non reperias Remedium, præſertim ut cauſam juſtam te habere aſſeras, propulſare procuras. Quamobrem ut reputans Treugas prædictas ex cauſis præmiſſis, quas ſcis, & loco ac tempore probare intendis, ſi oportuerit, eſſe veras, per præfatum Regem, & adhærentes ſuos, eſſe, maximè in dicto Ducatu Brittanniæ, diſſolutas, dicendo, ut cum pace ac reverentia noſtra loquaris, Regem eundem, tanquam Vialatorem Treugarum ipſarum, ac inimicum & perſecutorem tuum capitalem, & tuorum invaſorem Jurium, diffidabas; proteſtando nihilominus te nolle in offenſam noſtram vel Sedis Apoſtolicæ, quos revereri cupis ut debes, nec in alicujus injuriam aliquid attemptare, ſed ſolum cum ordinato moderamine Jura tua proſequi & defendere Te ac tua.

Ideoque Apoſtolicæ Rectitudini quæ metitur ſingulis æquâ librâ, devotius & humilius, quo poteras, ſupplicabas, ut præmiſſis in examen debitæ conſiderationis adductis, de te benignè ſentire, teque dignaremur habere ſuper his excuſatum. Nam præmiſſa te facere aſſeris propter defectum Remedii & invitus, ad pacem te offerens, cùm eam habere poteris bono modo. Sanè, Fili dilectiſſime, novit Altiſſimus qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum, quod poſtquam ad ſummi Apoſtolatus apicem divina miſeratio nos provexit, ad concordiam inter te & eundem Regem procurandam fideliter laboravimus, omni ſingulari affectione poſtpoſita, & adhuc offerimus, non parcendo laboribus aliisque negotiis prætermiſſis, prout tuæ Celſitudini per noſtras tibi miſſas litteras credimus eſſe notum. Poſtquam autem initæ fuerunt dictæ Treugæ inter Te dictumque Regem, quæ nobis gaudium non modicum attulerunt, ſperantes ex iplis pacis reformationem perpetuam poſtmodum provenire, noſtro fruſtrati ſumus deſiderio usque quaque; confidimus tamen in Domino, quod illud, quod nondum factum extitit, donante ejus gratia, poterit impoſterum proſperari. Porrò quia illi, qui dictas tuas nobis miſſas litteras dictitarunt, rei veritatem forſitan ignorabant, multa poſuerunt in eis, & aliqua tacuerunt, in quibus erraverunt notabiliter, factum taliter recitando. Novit enim tua Sublimitas, quod licèt tractatum & ordinatum in eisdem Treugis extitiſſet, ut pro pace tractanda ſolennes Nuncii, quorum eſſent aliqui de Proſapia regalis generis ad noſtram præſentiam mitterentur hinc indè, prælibatusque Rex Franciæ ſuos Nuncios ſolennes, inter quos erant, dilecti Filii nobiles Viri, Petrus Dux Borboneſii, & Humbertus Delphinus Viennenſis, de genere Regio, & multi alii Prælati, & magnæ auctoritatis Viri, prout ordinatum extiterat, cum mandatis ſufficientibus deſtinavit, qui ſe ad procedendum in Tractatu pacis hujusmodi multùm voluntarios exhibebant. Tu tamen Fili amantiſſime, quamvis aliquos, inter quos non erat aliquis de Proſapia regali, niſi dilectus Filius nobilis Vir, duntaxat Johannes de Griliaco, miſeris; idem tamen Nobilis, ſine aliis Nunciis majoribus, tàm de genere tuo regio, quam aliis, quos ad noſtram præſentiam venturos dicebat, nec procedere nec expectare voluit, ſed potius de Curia Romana receſſit, qui nec rediit, nec alii de genere tuo prædicto, tui poſtmodum Nuncii advenerunt. Conſideret igitur tua regalis Prudentia, ſi per nos, aut partem dicti Regis, vel tuam ſteterit, quo minus ad tractatum proceſſum fuerit dictæ Pacis. Rurſus, ſuper eo,

ANNO 1345.

quod,

ANNO 1345.

quod, propter captionem & punitionem illorum nobilium, in eisdem litteris asserunt prædictæ Treugæ violatæ, aliàs tuæ Magnificentiæ scripsisse, & tuis Nunciis dixisse, meminimus, quòd præfatus Rex ad invectivas litteras nostras, missas sibi super hoc, sic respondit, quòd illi Nobiles, violando ipsas Treugas manifestè in partibus Britanniæ, ac homicidia, depopulationes, incendia, & alia horrenda maleficia committendo ibidem, flagrantibus hujusmodi & aliis criminibus capti, propter præmissa & alia sua facinorosa scelera, & deinde puniti, exigente justitia, extiterunt; quodque dicti Nobiles asserebant, se non tecum, sed cum dilecto Filio, Nobili Viro, Johanne de Brittannia, Comite Montisfortis, confœderationes habere. Qui quidem Comes, tunc existens Parisiis, se etiam tecum colligatum nullis confœderationibus asserebat; nec tuam etiam Excellentiam latere credimus, quod, sicut pars tua conquerebatur de attemptatis per partem dicti Regis, tam in prædictis Britanniæ, quam Vasconiæ, & aliis partibus, contra prædictas Treugas, ita etiam, ex adverso, pars Regis prædicti asserebat, quamplurima per tuos & partem tuam attemptata fuisse in eisdem, & aliis partibus, & in mari, etiam contra formam & tenorem Treugarum ipsarum, super attemptatis hujusmodi diversis articulis exhibitis hinc & inde. Directis autem per nos litteris nostris Regi præfato, super reparatione attemptatorum ipsorum pro parte tua prædictorum, Rex idem, super hoc respondendo, nobis per suas litteras intimavit, se velle inviolabiliter observare dictas Treugas, & facere attemptata quæcumque per partem suam, si qua essent, dum tamen tu idem de attemptatis per partem tuam fieri faceres, penitùs revocari. Et nihilominus litteris nostris super eo Regi præfato directis, quòd ipse dilectum Filium, nobilem Virum Carolum de Blesis, se asserentem Ducem Britanniæ, juvare super his, quæ per eum audiebamus in Britannia fieri, dicebatur, per suas alias litteras nobis sæpe respondit, quod ipsi Carolo, nec in gente, nec in pecunia, nec in aliis quibuscumque, aliquale auxilium præbuerat, aut juramentum, & hoc idem, dilectus Filius, nobilis Vir Johannes ejusdem Regis Primogenitus, Dux Normanniæ, verbotenus constanter & frequenter asseruit in nostra præsentia constitutus. Cumque nos etiam eidem Carolo super observatione Treugarum efficaciter scripsissemus, ipse ad nostram præsentiam se conferens subsequenter, præsentibus præfatis Prænestinensi & Tusculanensi Episcopis, asseruit, se nunquam Treugas prædictas aliqualiter iniviſſe, nec fuerat super hoc requisitus; asserens, quod secundùm verba in accipiendis Treugis appositа, non debebat nec poterat in eis modo aliquo comprehendi, prout etiam tuis Nunciis in Curia existentibus, ante recessum ejusdem Caroli, duximus seriosiùs explicandum. Demum cum super reformatione attemptatorum contra ipsas Treugas, de quibus conquerebantur utriusque partis Nuncii, exhibitis diversis Articulis, ut præmittitur, hinc & inde, qualiter valeret utilius fieri, ageretur; quamquam Nos id auctoritate Apostolica, ex nostri officii debito, maximè cum Religione juramenti firmatæ inter cætera fuerint ipsæ Treugæ, facere valeremus; tamen propter multa vitanda scandala, & certas causas alias, expedientius visum fuit, quod de voluntate ac consensu partium procederemus ad ea. Et licèt per nos dictis Nunciis dictum fuerit, quod, attentis Articulorum super attemptatis eisdem diversitatibus, & involutionibus ex illis procedentibus, quæ longam & diffusam indaginem exigebant, sic faciliter & utiliter ad Tractatum pacis & Reformationem attemptatorum ipsorum simul procedi poterat, sicut solum ad reformationem attemptatorum prædictam; nota tamen dictata fuerit per ipsos tuos Nuncios super litteris opportunis, per Te, ac Regem prædictum concedendis, nobisque mittendis, super revocatione attemptatorum hujusmodi per nos, ut præmittitur, facienda; quam notam eidem Regi Franciæ misimus, qui litteras, secundum eam confectas, & suo sigillo sigillatas, promptè ac liberè absque præfinitione termini nobis misit. Tu verò, Fili præcarissime, tuas ad nostras destinasti super hoc litteras, sed adeò brevem terminum continentes, quòd à tempore præsentationis earum computando, infra illum vix potuisset benè ac commodè hujusmodi Reformationis negotium inchoari. Cæterùm ad ea, quæ de Nuncio nostro, misso in Britanniam, arguendo facta sua, prædictæ tuæ litteræ subjungebant, breviter respondemus, quod nos displicenter audito, nonnulla contra prædictas Treugas in dictis partibus Britanniæ attemptari, prædictum Nuncium, pro eis observari tenaciùs faciendis, ad partes ipsas providimus destinandum; qui sicut nobis sæpe relatum extitit, se quantum poterat cum justitia, & reperiebat favorabiliter parti tuæ, gessit, de quo dictus Carolus per litteras & Nuncios nobis graviter est conquestus. Si verò aliqua injusta vel injuriosa fecit idem Nuncius, ignoramus; sed statim, auditâ de ipso querelâ tuarum gentium, ipsum revocavimus, quamvis se per suas litteras multum super hoc excusaverit; & deinde rediens ad Sedem Apostolicam verbo tenùs se excusset; & si nobis innotuissent aliqua de prædictis, ipsum correxissemus, & adhuc, si nobis de illis constaret, corrigeremus, justitia exigente. Sed de civitate Venetenensi, quæ secundum tenorem Treugarum ipsarum, in manibus Nunciorum nostrorum prædictorum, nomine nostro, & Ecclesiæ Romanæ, remansit, & toto tempore Treugarum eodem nomine teneri debuit & etiam gubernari, & de qua in fine Treugarum suam poterant iidem Nuncii facere voluntatem. Quam, illi de parte tua, expulsis de ipsa illis, qui eam nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine tenebant & regebant violenter & turpiter, in nostrum & ejusdem Ecclesiæ contemptum & opprobrium, veniendo contra Treugas, notoriè occuparunt, mentionem eædem tuæ litteræ non fecerunt prædictæ; Attendat autem tua Regalis Circumspectio, si hæc debeamus & possimus sub dissimulatione conniventibus oculis pertransire. Denique, cum dilecto Filio, nobili Viro, Henrico Comite Derbeyæ causâ devotionis suisque aliis opportunitatibus, ad Sedem veniente Apostolicam, ac à nobis lætanter & benignè recepto, super modis & viis quibus meliùs, utiliùs, & faciliùs posset attingi ad pacis reformationis prædictæ scopum, tractatus habuimus familiariter & secretè; & attendentes diligentiùs, quod tu, Fili dilectissime, quem distributor gratiarum omnium multis virtutibus decoravit, ad prosequendum Dei negotium adversus hostes Fidei Christianæ, inter cæteros Principes Catholicos Orbis terræ, valdè idoneus existebas, perpendimus, & in tractatibus familiaribus & secretis hujusmodi revolvimus, Nos & Comes prædictus, quod per viam Passagii, ad liberandam de manibus infidelium

ANNO 1345.

ANNO 1345.

Terram Sanctam, defendendamque & dilatandam in partibus Transmarinis fidem Catholicam ad pacis reformationem prædictæ, via facilior, & honorabilior videbatur; quodque contemplatione ipsius negotii Transmarini, ob honorem Divini Nominis, multa, quæ aliàs essent difficilia, facilia, largiente Domino, redderentur. His autem & aliis multis utilibus, inter Nos & Comitem supradictum, sub familiari & secreto Tractatu hujusmodi, collocutis, idem Comes, de Romana Curia cum gratia nostræ benedictionis recedens, & ad partes Angliæ tuamque præsentiam se conferens, præmissa, per nos & ipsum tractata, & collocuta, ut præmittitur, tuæ Celsitudini exposuit seriosè, sicut nobis per suas litteras, & dilectum Filium Johannem de Ripis, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Pœnitentiarium nostrum, tunc Confessorem suum & Nuncium, studuit intimare. Verùm quia idem Nuncius se habere asseruit in mandatis, ut dilecto Filio, Johanni Offorde, Decano Ecclesiæ Lincolniensis, tunc in Romana Curia existenti, aperiret præmissa, & super hoc, tam tuas Regias, quam ipsius Comitis litteras directas Decano præsentasset prædicto. Nos eisdem, Decano & Nuncio ad nostram præsentiam evocatis, & aliquali super prædictis habita collatione cum eis, nobis & ipsis concorditer visum fuit, quòd, antequam appropinquaremus ad locum, de quo nobis scripserat dictus Comes, propter multas utilitates, quas tibi per eundem Nuncium explicare voluimus viva voce, honori nostro & commodo negotiorum hujusmodi expediens admodum videbatur, nos de intentione partium, ne labor noster esset delusorius vel inanis, aliqua magis specificè præsentare; Quamobrem præfato Comiti inscripsimus, ut de intentione tua super prædictis nos sub secreto certiores efficere procuraret, quia parati eramus, sicut condixeramus cum ipso, efficaciter laborare. Postmodum autem, dilecti Filii, Johannes de Thoresby, Canonicus Lincolniensis, & nobilis Vir Radulphus Pigornel, miles, tuæ Celsitudinis Nuncii ad nostram præsentiam cum litteris tuis Regiis de credentia venientes, & quæ inter nos & dictum Comitem prolocuta & tractata, sicut præmissum est, & tibi per eum plenius expositа fuerant, pro parte Regia, sub commissa sibi credentia, recensentes apud nos institerunt, ut ad locum, de quo nobis præfatus Comes scripserat, appropinquare vellemus; Quibus nos respondimus, & tibi Fili carissime duximus per nostras litteras respondendum, quod in his, quæ inter nos & memoratum Comitem collocuta & tractata fuerant, ut præfertur, persistebamus, & persistere intendebamus veraciter & constanter, ac circa Reformationem dictæ pacis, & promotionem negotii dicti Passagii, ad quæ afficiebamur, & afficimur plenis affectibus, inter cætera ferventia vota nostra, eramus laborare parati, etiam ad locum accedendo prædictum, non parcendo maximis exinde secuturis laboribus & expensis. Sed, sicut cum præfatis Decano & Johanne de Ripis condixeramus, & Comiti rescripseramus prædicto, hujusmodi appropinquatio nequaquam expediens videbatur, quousque de tua & Regis prædicti essemus intentionibus super his magis specificè informati. Quapropter tuam Excellentiam rogandam duximus & hortandam, ut attentis bonis ejusdem pacis inenarrabilibus, & negotii dicti Passagii commodis & honoribus, te nobis velles sub secreto aperire prædicto; quia nos procurare intendebamus, quantum bono modo possemus, quod Rex prædictus se nobis, super sua intentione, similiter aperiret; ut si videremus materiam ad viam pacis prædictæ dispositam, tam ad appropinquationem prædictam, quam ad alia, quæ per nos fieri possent, in hac parte, commodiùs, libenter, & placidè nos disponere valeremus. Post recessum autem Nunciorum tuorum prædictorum de Curia, intellecto & nobis intimato, quod, facta tibi relatione de his, quæ respondimus ipsis Nunciis, & perceptis per te, quæ nostræ inde tibi & dicto Comiti directæ litteræ continebant, salubri & sano ductus consilio, eundem Comitem & dilectum Filium, nobilem Virum, Bartholomæum de Burgash, Nuncios tuos idoneo mandato suffultos, ac de intentione tua hujusmodi pleniùs informatos, ad nostram pro præmissis ordinaveras præsentiam destinare. Nos volentes veritatem & æquitatem in omnibus observare, præfato Regi, cui antea nihil de præmissis per nos detectum fuerat, scripsimus super his, sicut vidimus expedire; & nihilominus, ut secretiùs sibi aperirentur prædicta, venerabilem Fratrem nostrum, Guidonem Episcopum Eduensem propterea providimus specialiter ad ejus præsentiam destinandum. A quo quidem Rege responsum recepimus nobis gratum, videlicet, quod mox, dum ipse audiret tuos prædictos Nuncios, mare veniendo ad eandem nostram præsentiam transmisisse, suos solennes Nuncios, sufficienti potestate munitos, & de sua intentione plenè instructos ad eandem nostram præsentiam mittere non tardaret.

Cumque, concessis per nos & Regem præfatum litteris de conductu securo pro tuis prædictis Nunciis eorumque familiis & rebus juxta formam, quam alii tui Nuncii, qui tunc erant in Curia, dictaverunt, Nunciorum tuorum prædictorum cum gaudio & ingenti desiderio præstolaremur adventum, supervenerunt rumores displicibiles, Citharam exultationis in luctum tristitiæ, proh dolor! convertentes, scilicet, quod prædicti non venirent Nuncii, nec illos vel alios mittere intendebas, & nihilominus alii tui Nuncii, qui tunc erant, ut præmittitur, in Curia, recesserunt abinde. Ponderet igitur Circumspectio Regia, cogitet & recogitet diligenter, cui, si ad præmissa, utique sancta, salubria, honorabilia, & valde utilia, processum non extitit, culpa meritò debeat imputari.

Et si, attentis his quæ superiùs narrata sunt, veritate utique fultis & subsistentibus, sicut tua Prudentia Regia planè novit, Treugæ prædictæ per partem Regis ejusdem dici possint, prout in prædictis tuis litteris scribitur, violatæ, nobisque impingi valeat, quod negligentes vel remissi fuerimus super remediis apponendis: Et si etiam tui Consiliarii sano tibi consilio suaserint, quod contra easdem Treugas, per te juratas, sic inconsultè venires, teque Judicem faceres, per Regem præfatum ruptas ipsas Treugas in eisdem tuis litteris asserendo; præsertim cùm, sicut præmissum est, utraque pars conquereretur, & exhiberet Articulos, super attemptatis & reformatione ipsorum. Et si nobis, qui, licet insufficientibus meritis, locum tenentes in terris Regis pacifici & excelsi, prædicare, procurare, fovere, ac nutrire pacem debemus inter cunctos Christicolas, ac guerras, dissensiones, & odia tenemur quantum possumus extinguere, ac de medio fidelium removere, quique pro pace tua, & dicti Regis, sicut præmissum est, cordialiter & fideliter laboravimus & laborare intendimus, scribi debuit diffidatio supradicta. Et nihilominus, si attendebant

ANNO 1345.

ANNO 1345.

debant litterarum compositores prædictarum, ponendo dictam diffidationem in eis, quod nos, qui pacem evangelizare cupimus & debemus, & specialiter ad pacem prædictam cordialiter afficimur, ut præfertur, guerrarum & dissensionum existeremus Nuncii & Præcones, quorum in hac parte cogitatus, si talis forsan fuerit, temerarius extitit, procul dubio præsumptuosus, damnabilis & inanis. O Fili prædilectissime! utinam intrà præcordia Regia revolves diligenter, quanta tuæ salutis merita, quantæque laudis præconium, & honoris cumulum acquireres, & celebris memoriæ gloriam in tuo nomine poneres, si reformata cum eodem Rege pace rationabili, ad quam purâ, justâ, & rectâ intentione dirigebamus, & dirigimus solicitudinis nostræ studia, ut præfertur, ad prosequendum Dei negotium, ad quod te Creator omnium aptum fecit, & nos attentis universis circumstantiis, ut sæpe diximus, non indignè, reputamus valdè idoneum, te, inclitæ memoriæ, Progenitorum tuorum Regum Angliæ clara sequendo vestigia, disponeres cum effectu, ut exerceres adversus hostes Fidei Catholicæ vires tuas. Porrò acerbitate mentis & dolore cordis affligimur, quod aliqui, qui forsan sua magis quærunt venari lucra propria, quam intendere tuis honoribus & saluti, te deviasse videntur ab hujusmodi proposito, & ad illa, quæ Deo displicent, tuisque commodis, honoribus, & saluti non conveniunt, proh dolor! induxisse. Quantum autem acceptum sit Deo negotium defensionis & dilatationis Fidei Orthodoxæ, ceptum in Transmarinis partibus contra Turchos, claret ex stupendis miraculis, quæ Divinæ pietatis clementia, in diversis partibus, pro dicto negotio, sicut ad nos fide digna tam verbalis quam litteralis relatio pertulit, operatur. Habet, nempe, ipsa relatio, quod Cruces fulgentes in plerisque apparuerunt partibus, ad quas concurrentes Fideles multa sanitatis beneficia, illi videlicet, qui gravabantur infirmitatibus, reportarunt. Ex quibus intelligentes multi Nobiles & Potentes, se per hoc ad vindicandas crucifixi Redemptoris injurias invitari, multitudo eorum innumerabilis, & specialiter de partibus Italiæ, nonnullis ex eis, videlicet, commissa patricidia, fratricidia, & alia delicta gravia, pro reverentia Redemptoris, in diversis locis, sibi adinvicem remittentibus, pacemque reformantibus, ad partes Ultramarinas contra Turcos prædictos cum armorum potentia se accinxerunt hactenus & accingunt. Nec, quod ulterius eadem relatio ad nos lætanter perduxit, prætermittendum credimus vel silendum, quod post felicem transitum, bonæ memoriæ Henrici Patriarchæ Constantinopolitani, Apostolicæ Sedis Legati, occisi ab infidelibus, supra turrem civitatis Smirnensis, quam, dum viveret, inhabitabat Patriarcha prædictus, & quæ turris Patriarchæ vulgariter dicitur, lux magna visa est pluries, ad prosecutionem operis Dei strenuam corda fidelium excitans & inflammans. Agere namque bella talia decet Principes Catholicos & devotos, non ad effundendum Redemtorum pretioso cruore Dominico sanguinem inhiare. Rogamus itaque Celsitudinem tuam Regiam, & in Domino attentiùs exhortamur, tibi nihilominus, sub virtute juramenti præstiti super eisdem Treugis, injungentes, quatenus civitatem prædictam Venetensem in manibus Nunciorum nostrorum prædictorum nomine nostro regendam, in statu quo erat tempore occupationis & dejectionis illorum, qui eam nomine, ut præfertur, regebant, eandem reduci facias tenendam pro toto tempore Treugarum ipsarum, & regendam modo & forma expressis in Treugis supradictis. Et nihilominus ad observationem Treugarum earundem, omissis hostilibus & bellicis aggressionibus & insultibus, redeas, easque pro toto tempore ipsarum, videlicet, usque ad instans festum Beati Michaelis & abinde usque ad annum continuum, pro parte tua observes inviolabiliter, & facias observari; cum per eundem Regem idem velimus fieri, & indè sibi scribamus per litteras opportunas. Pro certo sciturus, Fili præcarissime, quod negligere nequibimus, quò minus, attentis Treugarum ipsarum utilitatibus, & tam juramenti, quam aliis firmitatibus, quibus roboratæ fore noscuntur, contra fractores & violatores earum, prout rationis fuerit, & ad nostrum pertinebit officium, procedamus. Postremo precibus & exhortationibus eisdem affectu paterno addicimus tuam Excellentiam, per Dei misericordiam obsecrantes, ut ad dictæ pacis Tractatum redeas, & pia mentis affectione intendas, tuos idoneos Nuncios, plena potestate suffultos, pacisque prædictæ voluntarios, ac ipsius zelatores fideles & fervidos, ad nostram præsentiam propterea destinando; quia pro certo, sicut sæpe diximus, Nos cum recta intentione solum Deum habendo pro oculis, modos & vias, ad laudem Dei, commodum negotii Fidei, ac utriusque partis honorem & utilitatem, non dirigendo, quoad hoc, affectum nostrum ad unam partem plus quam ad aliam, sed librando dumtaxat stateram veritatis & justitiæ, perquirere, tractare, ac prosequi studebimus, quantum cum Deo expedire videbimus, aliis postpositis negotiis & laboribus non vitatis; & super his dicto Regi scribere intendimus, ipsumque, pacis faciente auctore, reperire cupimus super his benevolum & benignum. Sic te, Fili carissime, super præmissis & eorum singulis, quæsumus, persuasus quod Deum tibi constituas propitium, & affecuta pacis dulcedine Redemptoris ejusdem obsequiis intendere valeas, sicut te votivè appetere audivimus, & nos etiam affectamus; exinde coronam regni perpetui, præter laudis humanæ præconium, feliciter percepturus. Rursus, Fili amantissime, quia tuæ voluntatis propositum, utinam favorabile & benignum, scire super his affectamus, quæsumus, ut de illo nos certiores efficere quantociùs non postponas.

Datum Avinioni duodecimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

A. de Lauac.

IV. Ex Martene Anecd. Tom. I. col. 1392.

Fratres Hospitalis B. Mariæ de Caritate in Diœcesi Catalaunensi sub ordine & regula Sancti Augustini constituit: anno 1347.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Catalaunensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

DEsiderantes statum Hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet regi

ANNO 1347.

salubriter & augeri, ad illa libenter intendimus, per quæ eorundem Hospitalium & locorum Ministri pauperum, & infirmorum, Hospitalium, & locorum eorundem curam liberiùs gerere valeant, & aliàs loca ipsa spiritualiter, & temporaliter, auctore Domino, suscipiant incrementa.

Sane dilectorum filiorum Magistri, & Fratrum Hospitalis super Fluvium *De Roignon*, quod Caritas Beatæ Mariæ vulgariter nuncupatur, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, tuæ Catalaunensis Diœcesis, ac de vico Jardinorum Parisiensium, & Beati Ludovici Silvanectensis, ceterorum Hospitalium & Hospitalis ejusdem dicti *Caritas* membrorum petitio nobis exhibita continebat, quod quondam Guido de Janvilla miles, Dominus de Domno Georgio dictæ Diœcesis prædictum Hospitale dictum *Caritas* ad opus infirmorum & pauperum in fundo proprio ejus sumptibus construxit, etiam & dotavit, quodque felicis recordationis BONIFACIUS Papa VIII. Prædecessor noster prædictum Hospitale dictum *Caritas*, cum omnibus membris, bonis, juribus, possessionibus, pertinentiis, & personis eorum, tam tunc præsentibus, quam futuris ab omni potestate, lege, jurisdictione ordinaria ex tunc perpetuis futuris temporibus auctoritate Apostolica prorsus exemit, & totaliter liberavit, ac liberum omninò esse voluit & exemtum: ita quod Romanæ dumtaxat Ecclesiæ subjectum existeret, quodque Sacerdos in eodem Hospitali poneretur, & constitueretur in ipso, qui animarum curam personarum in illo degentium & spiritualium sollicitudinem & potestatem in eodem haberet, quodque Hospitale præfatum, & quodlibet membrum ejus oratorium obtinens, cœmiterium habere valeret, ad sepeliendum personas eorum, & familiarium ipsorum, ac etiam advenarum inibi decedentium; nec non prædictum Guidonem & heredes suos, & alios quoslibet, qui sepulturam in illis ducerent eligendam. Voluit autem idem Prædecessor, quòd in recognitionis subjectionis hujusmodi signum præfatum Hospitale duas libras ceræ teneretur Cameræ Sedis Apostolicæ annis singulis exhibere; & quòd deinde prædictus Miles dictum Hospitale cum omnibus membris & pertinentiis suis eisdem Magistro & Fratribus viventibus sub regula tertii Ordinis Beati Francisci tradidit ad regendum, ac etiam donavit: qui Fratres regentes prædictum Hospitale & ejus membra tunc ordinarunt inter se, ad requisitionem Fundatarii prædicti, quinquaginta annis jam elapsis, quod ipsi & eorum successores in prædicto Hospitali dicto *Caritas* & membris universis ejusdem existentes, votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ facerent, & scapularia portarent, Magistrum Generalem & Visitatorem eligerent, & in communi vita, prout alii Religiosi non mendicantes viverent, Capitulum generale facerent: correctiones, punitiones, & amendas taxarent per consilium proborum Religiosorum, scilicet Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum, qui semel in anno ad sua Capitula generalia consueverunt convocari. Et sic talem vivendi ritum tenuerunt auctoritate propria, & absque Sedis Apostolicæ licentia, non intendentes novam Sectam inducere, aut novitatem præsumere, sed solùm ut decentiùs & firmiùs possent Deo debitè famulari, & obligabiliùs & diligentiùs pauperibus deservire. Quare prædicti Magister & Fratres nobis humiliter supplicaverunt, ut cùm ipsi invenerint secundum opinionem quorumdam, pluribus tamen contrarium asserentibus, eis per constitutionem felicis recordationis Johannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Sancta Romana & universalis Ecclesia; non licere talem vivendi ritum tenere, eorum Statui providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eisdem Magistro & Fratribus de illo remedio providere, per quod Deo in infirmis & pauperibus Hospitalis dicti Caritas & membrorum prædictorum possent gratum Domino reddere famulatum, eorum supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta committimus, & mandamus, quatenus præfatis Magistro & Fratribus, præmisso vivendi ritu ab eis omninò dimisso, regulam Beati Augustini, secundum quam eos & successores eorum perpetuò vivere volumus, & quam ipsi profiteri tenentur, nec non honestum habitum quem gestent, auctoritate nostra exhibeas & assignes. Volumus insuper, quòd loca quæ obtinent cum Ecclesiis, oratoriis, & cœmeteriis eorumdem, retineant sicut prius, exemtionibus hujusmodi, aliisque privilegiis eidem Magistro & Fratribus à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessis in sua firmitate manentibus, & præmissis, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque.

Datum Avenioni VI. Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno V.

Confirmatio Privilegii Urbani IV. Universitati Patavinæ de Cancellariatu Academiæ Episcopo concessi: annno 1347.

V. Ex Hist. Universit. Parisiens. Bulæi Tom 4. p. 297.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ATtendentes providè, quod ex litterarum scientia, veluti ex dono cælesti spiritualiter & temporaliter bona publica proveniunt, & privata quoque ab ipsius Professoribus præsertim in studiis Generalibus fidelis instruitur populus, & reducitur exorbitans ad semitam veritatis, libenter ea concedimus, quæ Doctorum & Magistrorum ac Scholarium in studiis Generalibus insistentium commoditatem respiciunt, & per quæ scientiarum fructus valeat adaugeri. Sane petitio Venerabilis Fratris nostri Ildobrandini Episcopi Paduani nobis exhibita nuper continebat, quod in civitate Paduæ de consuetudine ibidem inviolabiliter observata tanto abhinc tempore, ut de ejus contrario memoria non extet, viguit & adhuc viget in Jure Canonico & Civili absque Facultatibus præter Sacram Theologiam studium Generale, sicuti per totam Italiam & in aliis mundi partibus est apertè manifestum. Et quod authoritas faciendi Doctores & Magistros in eodem Studio residentes in Jure ac Facultatibus supradictis, examinandi Scholares ad Doctoratum seu Magisterium promovendos in studio supradicto, & examinatos approbandi, seu etiam reprobandi similiter, & de antiqua consuetudine obtenta in eodem Studio ad Episcopum Paduanum, qui est pro tempore, pertinet, & pertinere etiam consuevit: & quod præfatus Ildobrandinus Episcopus nonnul-

los

ANNO 1347.

ANNO 1347.

los Scholares in Jure Civili & Canonico, ac Medicina coram se examinari fecit per Doctores ipsius Studii, ipsisque postea licentiam dedit, & quibusdam ex eis in examinatione prædicta licentiam & authoritatem legendi, & docendi tribuit, sicuti est in supradicta, & aliis etiam Studiis fieri generaliter consuetum. Quodque dudum Rectores Universitatis Magistrorum & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius Universitatis, qui deberent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano qui esset pro tempore, examinari deberent diligenter præsentibus Doctoribus Universitatis ejusdem; & ut eisdem Scholaribus, si reperirentur idonei, deberet licentiam concedere Episcopus memoratus. Quodque deinceps statutum ejusmodi est inviolabiliter observatum; ipsumque statutum, sicut erat providè factum, felicis recordationis Urbanus Papa IV. Prædecessor noster authoritate Apostolica confirmavit, decernendo, ut qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumeret, pro Magistro nullatenus haberetur; prout Confirmatio & Decretum hujusmodi in litteris ipsius Urbani Prædecessoris nostri decretalibus confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur spectantes, quod ad civitatem prædictam Scholares eò promptius studendi causâ se conferrent, quò Studium ipsum in eadem civitate majori fuerit auctoritate munitum; ac volentes propterea præfatum Studium, & Doctores & Magistros & Scholares prosequi favorabiliter, in parte ipsius Ildobrandini supplicationibus inclinati, consuetudinem prædictam, & ea quæ, ut superiùs narratur, in prædictis ipsius Urbani Prædecessoris nostri litteris continentur, rata & grata habentes, authoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; indulgentes nihilominus authoritate prædicta omnibus & singulis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, ut ipsi dum in prædicto Studio docendo vel audiendo institerint scholasticis Disciplinis, omnibus libertatibus, & immunitatibus ac privilegiis de Jure communi seu approbata consuetudine concessis authoritate Apostolica Doctoribus, Magistris ac Scholaribus in Studiis Generalibus commorantibus gaudeant & utantur. Statuentes etiam ad hoc, ut examinatio, approbatio & reprobatio Scholarium promovendorum ad Magisterium in Studio memorato semper, sicut fieri debet, cum puritate & sine fraude procedat, ut Doctores in eodem Studio præsentes ab eodem Episcopo requisiti ad examinandum Scholares promovendos ad Magisterium, justo impedimento cessante, venire, & illi qui in examinatione prædictorum Scholarium ibidem præsentes fuerint, de procedendo sine dolo & fraude in omnibus & singulis actibus in hujusmodi examinationibus opportunis & fieri consuetis præstare teneantur in ejusdem Episcopi manibus corporaliter juramentum, ac eidem Episcopo seu ejus vicem gerenti duntaxat votum ipsorum super idoneitate ac sufficientia Scholaris examinati, utrum scilicet approbandus sit an reprobandus, secretè ac sigillatim, & in scriptis exponere ac manifestare similiter teneantur. Injungimus etiam Episcopo Paduano, qui erit pro tempore, sub virtute obedientiæ, authoritate prædicta, ut ipse in examinandis, approbandis, seu reprobandis personis examinatis, & erga Doctorum approbantium Scholares examinatos votis secretè ferendis sine dolo & fraude procedat. Nos insuper irritum decernimus & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate contingeret alterari. Nulli ergo omninò hominum liceat &c.

Datum apud Villam Novam Avenionensis Diœcesis 17. Calendas Junii, Pontificatus nostri anno quinto.

Absolutio Willielmi Okami ab Anathemate: anno - - - -

VI. Ex Hist. Univers. Parisiens. Bulæi Tom. 4. p. 317.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitio pro parte tua & dilectorum Filiorum Capituli Generalis tui Ordinis nobis exhibita continebat, quod aliqui Fratres vestri Ordinis quamvis pauciſſimi, qui quondam Michaeli de Cæsena & Ludovico de Bavaria obediverunt, & specialiter Guilhelmus de Anglia dicti Ordinis Professor in Monachio remansisse noscuntur, idemque Guilhelmus sigillum antiquum dicti Ordinis, quod diu habuit, tibi remisit, & tam ipse, quam alii dicti Fratres residui, ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, atque pœnis in tales per processus Apostolicos promulgatos, quas idem Wilhelmus & alii Fratres adhærendo seu obediendo Michaeli & Ludovico prædictis incurrerunt, desiderant se absolvi, suntque parati nostris & ejusdem Ecclesiæ mandatis obedire. Quocirca pro parte tua & ipsorum Capituli nobis extitit humiliter supplicatum, & ut eisdem Fratribus, qui ad Romanam Curiam, sicut asserunt, commodè venire non possunt, ipsorumque statui super hoc providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque votis eorum volentes annuere in hac parte, vestris supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, Wilhelmum & alios fratres prædictos eidem Ecclesiæ reconciliandi, eosque à dictis sententiis atque pœnis, juxta formam per nos super hoc ordinatam, ac de verbo ad verbum præsentibus annotatam, infra annum à data præsentium, si hoc humiliter petierint, absolvendi plenam & liberam concedimus authoritate Apostolica tenore præsentium facultatem. Forma autem absolutionis talis est. Ego N. Ordinis Fratrum Minorum Professor, confiteor me tenuisse & tenere fidem Catholicam, credere & tenere, quod credit & tenet, & docet sancta mater Ecclesia Romana, ac credidisse & adhuc credere, quod non spectat ad Imperatorem, Papam seu Summum Pontificem deponere & alium eligere vel creare; sed hoc hæreticum reputo & hæresim damnatam per Ecclesiam supradictam. Insuper ad Sancta Dei Evangelia juro, quod stabo & parebo mandatis Ecclesiæ & Domini nostri Papæ super illatis injuriis & contumaciis fautoriis & aliis implicitè vel explicitè per me confessatis, & non confessatis, ac cæteris pœnis & sententiis, quas incurri ab homine vel à jure propter præmissa & ea tangentia. Et quod D. Papæ qui nunc est, & ejus successoribus canonicè intrantibus fidelis ero de cætero, eisque debitam obedientiam

& reve-

ANNO 1358.

& reverentiam exhibebo, nec hæresibus, erroribus, opinionibus seu rebellionibus contra dictam Ecclesiam Ludovici quondam de Bavaria & Michaelis de Cæsena vel fautoribus suis sive ei adhærentibus aut ejus sequacibus in rebellione dictæ Ecclesiæ seu aliis hæreticis ac schismaticis adhærebo, aut cum eorum sequacibus per dictam Ecclesiam denotatis deinceps ero, nec eis seu aliis quibuscunque dabo contra Romanam Ecclesiam, consilium, auxilium, vel favorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè, nec cum quocunque in præfata Ecclesiæ rebellione existente faciam alligationem, conspirationem, sive ligam.

Datum Avenion. 6. Id. Junii. Anno 8. &c.

ANNO 1352.

INNOCENTIUS SEXTUS,

PONTIFEX CCI.

ANNO DOMINI MCCCLII.

INnocentius Lemovicensis, anteà Stephanus Albertus, successit Clementi VI. anno 1352. cum Sedes Avenioni adhuc esset; Romam reformatione opus habere agnovit; Bello inter Gallum & Anglum ferventi finem imponere annisus frustra fuit. Joannem de Rupescissa Franciscanum, quod Apocalypsim contra Romanam Sedem exponeret, comburi jussit. Obiit anno 1362. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 258. *App.*)

I. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 103.

Bulla super discordia inter Regem Navarræ & Normanniæ Ducem suborta: anno 1358.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper sinistris relatibus intellecto, quod pacis æmulo, humani generis inimico, subortam inter carissimum in Christo Filium nostrum, Carolum Navarræ Regem illustrem, & dilectum Filium, nobilem Virum Carolum Ducem Normanniæ, carissimi in Christo Filii nostri Johannis Regis Francorum illustris Primogenitum, dissensionem damnabilem suis incentivis calliditatibus inflammante, utraque partium ad periculosa guerrarum discrimina, congregatis undique viribus, se parabat. Nos cupientes hujusmodi periculis, quantum cum Deo possumus, obviare, venerabilem Fratrem Taylarandum, Episcopum Albanensem, & dilectum Filium nostrum Nicolaum, Tituli Sancti Vitalis Presbyterum, Cardinales, Apostolicæ Sedis Nuncios, ad sedandum discordiam ipsam, & pacem inter dictas partes, auctore Domino, reformandum, de Fratrum nostrorum consilio providimus destinandos. Ideoque Serenitatem tuam attentis precibus exhortamus, quatenus ad bonum pacis, per quam animarum periculis obviatur, populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur, ubicumque possis, salubriter propagandum tuum semper animum dirigens & disponens, præfatis Nunciis, ut ad partes illas securè accedere valeant, nostrûm obtentu precaminum, de securo conductu velis liberaliter providere, & aliàs eis in prosecutione dicti negotii tuum exhibere consilium & favorem. Ita quòd inde Regi pacifico placeas, nosque & Apostolica Sedes tuam exinde Celsitudinem dignis possimus laudibus commendare.

Datum Avinioni tertio Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

ANNO 1360.

II. Ibidem pag. 172.

Bulla de Ecclesiasticis in Regno Franciæ non molestandis: anno 1360.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

DIlectum Filium, nobilem Virum Guillielmum de Berton, Militem, Nuncium, & Ambassatorem tuum, ad nostram se nuper præsentiam conferentem, consideratione mittentis, & suæ insuper multæ discretionis intuitu, benignè suscepimus, ac petitiones tuas, per eum nobis, tam providè, quam sapienter expositas, intelleximus diligenter, & deinde petitionibus ipsis, in illis, in quibus cum Deo potuimus, prout ab eodem Nuncio informationem recipere valebit tua Serenitas pleniorem, de benignitate Apostolica duximus annuendum. Nos enim, erga tuam Excellentiam gerentes præcipuæ caritatis affectum, & benevolentiam singularem, in eis, quæ grata, & accepta tibi fore noverimus, prout secundum Deum poterimus, libenter intendimus votis tuis annuere, & desideriis complacere. Postremò, cum sæpiùs ad nostram audientiam plurimorum relatio fide digna perduxerit, quòd per tuas gentes armigeras nonnullis Ecclesiis ac Ecclesiasticis Personis in Regno Franciæ constitutis, quod præter, immo contra tuæ Serenitatis conscientiam fieri non ambigimus, plurima damna & molestiæ multipliciter inferuntur; Serenitatem eandem attentè rogamus, & paternis in Domino affectibns obsecramus, quatenus pro honore Dei & nostræ ac Apostolicæ Sedis reverentia Ecclesias, & Ecclesiasticas personas easdem regentes ipsas turbari vel molestari aliqualiter non permittas, sed eas potius suscipias de manstuetudine Regia commendatas.

Datum Avinioni VI. Calendas Maji, Pontificatus nostri anno octavo.

ANNO 1360.

III. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 303.

Excluſio petitionum Regis Angliæ ſuper Promotione Androyni Abbatis in Cardinalem: anno 1360.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio Eduardo, Regi Angliæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper quanto deſiderares affectu dilectum Filium Androynum, Abbatem Monaſterii Cluniacenſis, ad Cardinalatus dignitatem per Sedem Apoſtolicam promoveri, diligenter nobis expoſuit dilectus Filius, nobilis Vir Guillielmus de Barton Miles, Nuncius tuus, qui ad noſtram præſentiam pro parte tuæ Serenitatis accedens unà cum dilecto Filio, nobili Viro Roberto de Loriaco Milite, quem ad nos cum devotæ ſupplicationis inſtantia cariſſimus in Chriſto Filius noſter Johannes, Rex Francorum illuſtris, pro hujuſmodi negotio ſpecialiter deſtinavit. Negotium ipſum multâ fuit diligentiâ ac prudentiâ proſecutus. Verùm, cariſſime Fili, licèt in hoc & aliis Tibi placitis tuis annuere votis, & complacere deſideriis, quantum cum Deo poſſumus, cupiamus, ad præſens tamen tuis in hac parte ſupplicationibus annuendum fore non vidimus, certis nos moventibus cauſis, quas Excellentiæ Regiæ præfatus Nuncius, Lator præſentium, per nos ſuper eisdem pleniùs informatus, vivæ vocis oraculo poterit apertiùs reſerare. Rogamus itaque Magnitudinem tuam, & hortamur attentè, quatenus præmiſſis cauſis debita conſideratione penſatis, moleſtè non feras, ſi petitiones tuas ſuper promotione hujuſmodi de præſenti non duximus admittendas. Cæterùm ſuper nonnullis aliis, pro parte tua per Nuncium ipſum nobis expoſitis, de intentione noſtra informationem ſimiliter ab eodem recipere valebit præfata tua Serenitas pleniorem.

Datum Avinion. Septimo Calendas Januarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

IV. Ibid. pag. 317.

Bulla ſuper Concordia inter Ducem Brittanniæ & Carolum de Bloys: anno 1361.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio Eduardo, Regi Angliæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PErvenit nuper ad Audientiam noſtram, qualiter tàm Tu, quàm cariſſimus in Chriſto Filius noſter Johannes, Rex Franciæ illuſtris, pro tractanda concordia inter dictos Filios, nobiles Viros Carolum Ducem Britanniæ, & Johannem Comitem Montis-Fortis, certos diem & locum, in quibus ipſi coram Vobis ſeu Commiſſariis veſtris convenire debebant, ſtatuiſſe. Nos itaque hujuſmodi Regiæ deliberationis, pro tam ſalubri materia conſilium plurimùm in Domino commendantes, ac incepta per Vos laudabiliter fine terminari debito cupientes, dilectum Filium Androynum, Abbatem Monaſterii Cluniacenſis, Matiſconenſis Diœceſis, cujus provida ſolertia & ſolers prudentia in magnis & arduis ſe nobis & Sedi Apoſtolicæ claram fecit, ad interponendum circa concordiam hujuſmodi Apoſtolicæ auctoritatis partes debitas, tanquam pacis Angelum ad præfatum locum duximus deſtinandum. Quocirca Serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia eidem Abbati tuis aſſiſtendo favoribus & Conſiliis inhærendo pro ſedanda diſcordia inter dictos Ducem & Comitem, & pace ſtabili ratione communis commodi reformandâ dare velit Magnitudo Regia, prout expedire viderit, opem & operam efficacem.

Datum Avinion. quarto Id. Martii, Pontificatus noſtri anno nono.

ANNO 1362.

V. Ibid. pag. 357.

Ad Regem Angliæ ſuper deductione 100. millium Florenorum de ſumma per Regem Franciæ ſolvenda, & de recipiendo tantundem de ſubſidio Cleri: anno 1362.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei cariſſimo in Chriſto Filio Eduardo, Regi Angliæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

REcepimus nuper Regiæ Celſitudinis litteras noſtro Apoſtolatui deſtinatas, Reſponſa ſuper pluribus, quæ à Celſitudine præfata petivimus, noſtris votis & petitioni conformia continentes. Equidem Fili cariſſime tuum de ſervanda Pace, quam Tu & cariſſimus in Chriſto Filius noſter Johannes, Rex Franciæ illuſtris, aſpirante Domino firmaviſtis, laudandum propoſitum multipliciter in Domino commendamus. Super eo autem, quod pro deductione de certa pecuniæ ſumma, quam præfatus Rex in Feſto Reſurrectionis Domini proximè futuro Tibi ſolvere certis ex cauſis tenetur pecuniam ſubſidii centum millium Florenorum boni auri & ponderis Florentini, quod Prælati & Clerus tui Regni nobis pro noſtris & Eccleſiæ Romanæ urgentibus neceſſitatibus liberaliter obtulerunt. Quamvis Termini ſolutionis dicti ſubſidii per Prælatos tui Regni jam præfixi longiores ſint, quam terminus dicti Feſti. Recipere in eisdem Terminis obtuliſti tuam liberalitatem, habuimus valde gratam, notificamusque Tibi, quod gentes dicti Regis hujuſmodi oblatione percepta ſimilem ſummam centum millium Florenorum boni auri & ponderis Florentini nuper noſtræ Cameræ realiter aſſignarunt. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Elienſi, quos ad hoc tua Serenitas nominavit, per alias noſtras damus litteras in mandatis, quod prædicta centum millia Florenorum dicti ſubſidii, in terminis ad hoc, ut prædicitur, ordinatis, ſtudeant exigere & levare. Contradictores auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Et ipſa centum millia Florenorum Tibi ſeu tuæ Cameræ aſſignare, exinde ab eadem Serenitate opportunas recognitionis litteras recepturi. Quare placeat Magnificentiæ tuæ, ſecundum quod, ut præfertur, liberaliter obtuliſti, præfata centum millia Florenorum deducere de hujuſmodi ſumma majori, quam Tibi dictus Rex ſolvere in præfato Feſto tenetur, & ſu-

ANNO 1362.

per hoc Nunciis ejusdem Regis concedere recognitionis & Quitantiæ litteras opportunas.

Datum Avinion. Calend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno X.

Super Deductione & Receptione antedictis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Elienſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum æquitatis expoſcit, ſæpeque neceſſitatis articulus exigit, ut ea, quæ pro cauſis urgentibus ordinantur, quamvis prius ſpontanea fuerint, ad obviandum tamen litigioſis & diſcolis, ad opportunæ certionis vinculum reducantur; Dudum ſiquidem, prout Fraternitas veſtra novit, Vos & alii Prælati, & Eccleſiaſticæ Perſonæ Regni Angliæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Matri veſtræ, multarum tribulationum & neceſſitatum anguſtias patienti, Filialis compaſſionis exhibentes affectum, eique volentes in eisdem neceſſitatibus ſubvenire, nobis liberaliter obtuliſtis gratuitum ſubſidium centum millium Florenorum. Nosque conſiderantes viarum pericula & diverſa incommoda, quæ veriſimiliter poſſent contingere in pecuniæ hujusmodi ad Romanam Curiam miſſione, & ab eisdem periculis & incommodis per providentiam utilem præcavere, ipſamque pecuniam, dictis neceſſitatibus nimis urgentibus, quam citò poſſet fieri, noſtræ aſſignari Cameræ cupientes, ſubſcriptum modum in hac parte providimus adhibendum; videlicet, quòd, cum cariſſimus in Chriſto Filius noſter Johannes, Rex Franciæ illuſtris, quandam pecuniæ ſummam certis de cauſis cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Eduardo, Regi Angliæ illuſtri, in Feſto Reſurrectionis Dominicæ proximè ſecuturo ſolvere teneatur. Et idem Rex Angliæ, prout nuper nobis per ſuas litteras intimavit, ad preces noſtras conceſſerit deducere dictam ſummam centum millium Florenorum de majori ſumma, quam in dicto Feſto ei debet ſolvere Rex Franciæ prælibatus. Et deinde recipere dicta centum millia *Florenorum*, nobis debita pro ſubſidio ſupradicto, quamvis termini *ſolutionis* faciendæ de ipſo ſubſidio poſt Feſtum hujusmodi ſint futuri. Pecunia ipſa ejusdem ſubſidii per Vos ab eisdem Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni in Terminis, ad hoc per eosdem Prælatos, ut dicitur, jam præfixis, levetur, & etiam exigatur, & exacta præfato Regi Angliæ, in deductionem dictæ ſummæ, ſibi per præfatum Regem Franciæ debitæ noſtro nomine aſſignetur. Quare, ut hujusmodi modus, per nos tam providè quam utiliter adhibitus, in præmiſſis effectum debitum conſequatur, & non contingat intervenire defectum in aſſignatione prædicta, præfato Regi Angliæ facienda, Fraternitatem veſtram monemus & hortamur attentè, ac per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatus ſubſidium ejusdem ſummæ centum millium Florenorum, boni auri & ponderis Florentini, ſeu verum valorem ipſorum in alia moneta æquivalentem pecuniam, prout ſecundum æquam diviſionem ejusdem ſubſidii, pro veſtris, ſeu Eccleſiarum veſtrarum redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, quos obtinetis in Regno prædicto, rationabiliter vos continget, in Terminis, per vos & alios dicti Regni Prælatos, ad hoc, ut dicitur, ordinatis, integraliter ſolvere. Ac vos alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, ab aliis Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni ſecularibus & regularibus quibuscunque, exemptis, & non exemptis, cujuscunque Præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, quibus, aut eorum alicui, nulla privilegia, vel indulgentias, ſub quacunque verborum forma, vel expreſſione conceſſa, volumus ſuffragari, pro ipſorum Prælatorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, Eccleſiaſticis redditibus & proventibus, quos in præfato Regno obtinent, exigere & colligere ſtudeatis. Præfatos dicti Regni Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas ad ſolvendum dictum ſubſidium, in eis terminis, ad hoc, ut prædicitur, ordinatis, auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, ac per ſequeſtrationem eorundem redituum & proventuum ſuorum Eccleſiaſticorum, in præfato Regno conſiſtentium, ſi expediens fuerit, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Quod ſi fortè vos, vel alter veſtrum in hujusmodi ſolutione ſubſidii defeceritis, ſeu defecerit, taliter deficientes ſeu deficiens ſimiles ſententias, quas per vos, vel alterum veſtrorum, aut alios ſubdelegatos veſtros, in non ſolventes dictum ſubſidium, in eisdem terminis, proferri contigerit, incurrere volumus ipſo facto. Non obſtantibus, ſi vobis, aliisque Prælatis, & Perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis, communiter, vel diviſim, à prædicta Sede indultum exiſtat, quod ad ſolutionem alicujus ſubſidii minimè teneamini, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſitis per literas Apoſtolicas quæ de indulto hujusmodi non fecerint mentionem. Et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & litteris Apoſtolicis, quibuscunque Ordinibus, & ſpecialiter Sanctorum Benedicti & Auguſtini, Cluniacenſi, Ciſtercienſi, Præmonſtratenſi, Cartuſienſi, Grandimontenſi, & ipſorum Univerſitatibus generaliter, vel ſpecialiter, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, à memorata Sede conceſſis. Ad hæc volumus, vobisque eadem auctoritate concedimus, quod vos, & alter veſtrum, quos ex defectu non *factæ ſolutionis hujusmodi incurriſſe* præfatas ſententias contigerit, ab eisdem ſententiis, poſt ſatisfactionem debitam, per aliquem ex vicinioribus Epiſcoporum excommunicationis ſententiâ ligatum, & aliàs gratiam & communionem prædictæ Sedis habentem, facta ſibi fide de ſatisfactione hujusmodi abſolutionis beneficium & ſuper irregularitate, ſi quam forſan ſic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel immiſcendo vos illis, contraxeritis, diſpenſationis gratiam obtinere, aliisque etiam, quos easdem ſententias, ex defectu ſolutionis hujusmodi incurriſſe contigerit, poſt ſatisfactionem debitam, facta vobis ſimiliter fide de illa, ſimiliter ab eisdem ſententiis abſolutis beneficium ſuper irregularitate contracta diſpenſationis gratiam impendere. Et demum, poſtquam eadem centum millia florenorum integrè receperitis de ipſis, eosdem Prælatos, & totum Clerum dicti Regni Angliæ abſolvere ac quietare plenariè valeatis.

Datum Avinioni Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno decimo.

ANNO 1362.

URBANUS

ANNO 1367.

ANNO 1362.

URBANUS QUINTUS,

PONTIFEX CCII.

ANNO DOMINI MCCCLXII.

URbanus Lemovicenſis, Guiliemus anteà vocatus, Pontifex factus, Tiaram Pontificiam triplici coronâ circumdedit, à S. Sylveſtro I. ſimpliciter, (quod vulgò fertur) à Bonifacio VIII. dupliciter coronatam. Inſtituit benedictionem Roſæ Aureæ, Dominicâ *Lætare* in Quadrageſimâ, quam ipſe primùm miſit Joannæ Siciliæ Reginæ. Pontificatum tenuit annos octo, menſes tres. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 261. *App.*)

I. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 569.

Bulla pro Regina Siciliæ ſuper rumore de Provincia invadenda: anno 1367.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo &c. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

INſonuit, Fili cariſſime, his diebus rumor implacidus in Comitatu Provinciæ, ad cariſſimam in Chriſto Filiam noſtram, Johannam Reginam Siciliæ illuſtrem, pro Regno Siciliæ noſtram & Eccleſiæ Romanæ Vaſallam ſpectans, & jam uſque ad noſtram audientiam eſt perlatus, quod dilectus Filius, nobilis Vir, Johannes Dux Lancaſtriæ, natus tuus, intendit, comminatur, & parat ſe prædictum Comitatum invadere. De quo neſcientes quo Jure vel Titulo hoc agere valeat, miramur plurimùm & dolemus, maximè quia, cum olim de hoc aliqua ſuſpicio præceſſiſſet, quidam Nuncius tuus ex parte tua litteras portans Credentiæ, nobis retulit, quod hoc nequaquam permitteret fieri Regia Celſitudo, niſi prius præcedente requiſitione legitima, & in juſtitiæ defectu, quod nondum noſcitur eſſe factum. Cum itaque memorata Regina parata ſit ſuper omnibus, quæ idem Dux ab ea vellet petere, ſtare Juri, quod etiam nos offerimus, pro eadem Serenitatem tuam affectuosè rogamus, & obſecramus in Domino, quatenus hujusmodi invaſionem, quæ omnes illas partes, Deo juvante, pacificas conturbaret, multaque pericula animarum & corporum, ac rerum diſpendia generaret, indubiè fieri non permittas, maximè quia præfatus Dux, tenendo viam iſtam rationabiliter, juſtitiam ſuam, ſi quam habeat, faciliùs & honorabiliùs conſequetur. Super quibus, eidem Serenitati pleniùs exponendis, dilectum Filium, Magiſtrum Johannem de Cabreſpino Canonicum Narbonenſem, Decretorum Doctorem, Apoſtolicæ Sedis Nuncium, Latorem præſentium, ad tuam præſentiam deſtinamus; cui ſuper his, quæ Tibi de præmiſſis ex parte noſtra narraverit, fidem velis credulam adhibere.

Datum Viterbii VII. Calendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.

ANNO 1367.

II. Ex Hiſt. Univerſ. Pariſienſ. Bulæi Tom 4. p. 414.

In favorem Caroli Galliarum Regis contra Seditioſos, qui Pariſiis & alibi Societatem compoſuerant, nuncupatam: *La grand Compagnie*, ad turbandum Regni Statum: anno - - - -

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUam ſit plena periculis ac cunctis Chriſti Fidelibus abhorrenda ſæva illorum immanitas, qui avaritiæ fervore ſuccenſi arma moventes ſe magnas Societates ſeu Compagnias appellant, in quibus nulla pietas, nulla fides extitit, effuſus Chriſtianorum ſanguis, mortes, ſtragesque multarum Eccleſiarum & Monaſteriorum incendia, Virginum raptus & ſtupra, Civitatum, Caſtrorum, aliorumque Locorum & bonorum quorumlibet direptiones, ſpoliationes, prædæ, aliæque afflictiones innumeræ in diverſis mundi partibus, & præſertim in Regno Franciæ ex multo jam tempore perpetratæ, proh dolor atteſtantur!

Contra quos licèt per nos & nonnullos Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices plurimi proceſſus tam ſpeciales quam generales ſint habiti, diverſas pœnas & ſententias continentes, quas in ſuo robore volumus & decernimus permanere, & haberi etiam præſentibus pro expreſſis. Nihilominus tamen ex paſtoralis ſollicitudinis cura, quam erga gregem Dominicum habere diligentiùs perurgemur, anxiè timeſcentes, quod mundi invaleſcente malitia hujusmodi nefandis ſceleribus aſſueti ab illis, & præſertim in ipſo Regno Franciæ, ubi majus Chriſtianitati periculum imminet, & in quo furor tempoſtatis hujusmodi magis invaluit, non deſiſtant, & alios ad ſimilia non inducant, ac diligentiùs recenſentes, quot & quanta bona ex ipſo Regno Catholicæ Fidei totique Chriſtiano populo in longum continuata per ævum multimodè provenerint, & quantum & qualiter Chriſtianiſſimi Francorum Reges, qui fuerunt pro tempore, eandem fidem Catholicam & Romanam Eccleſiam, cujus ſemper præcipui pugiles extiterunt, longè latèque per orbem, ſicut exacti temporis Antiquitas fidelis inſinuat, & probat evidentia veritatis, multipliciter extulerunt, ferventer pro ipſa fide pugnando, ac Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas ſui Regni favorabiliter protegendo, dignum ducimus & expediens reputamus, ut adverſus hujusmodi pravorum nequitiam, quantum cum Deo poſſumus, opportunis remediis occurramus. Conſideratione igitur præmiſſorum ſuper his cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita diligenti & de ipſorum Fratrum Conſilio, ut bonis & fidelibus tranquillitatem præſervemus & pacem, ac pravorum iniquitatibus, animarum periculis, perſonarum excidiis, Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum alio-

ANNO 1367.

rumque bonorum dispendiis & jacturis, aliisque malis hujusmodi, quantum cum Deo possumus, salubriter obviemus, authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, districtiùs inhibentes, ne aliqua persona Ecclesiastica, vel mundana, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existat, Societatem, vel Societates hujusmodi de cætero congregare, facere, tractare, seu ordinare, aut congregatas in ipsum Regnum inducere, mittere, vel in eo tenere, seu aliqualiter fovere, aut in eis vel earum aliqua Capitaneatum, seu Constabulariam, sive aliud quodcunque Officium seu Ministerium assumere, aut ex antiquo vel novo tempore assumptum quomodolibet retinere aut exercere, Banderiam seu Vexillum erigere seu deferre, vel se in hujusmodi Societatibus infra seu contra dictum Regnum jam factis vel in posterum faciendis quovis modo recipere seu immiscere, aut in eis tractandis, contrahendis seu firmandis, aut jam factis seu faciendis, manutenendis & conservandis dare operam, consilium, auxilium, vel favorem, aut cum ipsis Societatibus jam factis, vel in posterum faciendis præfatum Regnum, aut Civitates, Terras, Castra, Villas, & alia quævis loca, seu partes aut personas & bona dicti Regni invadere, occupare, vel detinere aut depopulari, vel eorum ope seu auxilio uti in præmissis Regno & partibus incursus hostiles seu prædatorios agere, deprædationes vel rapinas vel spolia inde asportata, aut talia perpetrantes seu committentes, aut Societates ipsas vel aliquas ex eis cum præda, vel sine præda, scienter, voluntariè, & dolosè receptare, vel cum eis publicè vel occultè participare, aut eorum Subditis & aliis, quod præmissa faciant vel committant, concedere, seu permittere, aut sustinere, si hoc sciverint & potuerint prohibere, aut eis bladum, panem, vinum, carnes, equos, arma, currus, navigia, aut quæcunque victualia, pecunias, merces, vel res aliquas, quæ in eorum commodum cedere valeant, deferre, portare, dare, vel concedere, aut ab eisdem prædas & hujusmodi bona rapta emere, vel alias qualitercunque recipere, aut aliàs in præmissis faciendis vel committendis dare consilium, auxilium, vel favorem quoquo modo præsumat. Alioquin omnes & singulos cujuscunque, ut præmittitur, præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, qui contra Constitutionem & prohibitionem nostram hujusmodi facere vel venire aut aliqualiter attentare præsumpserit, nec non alios, qui Subditos suos ad hujusmodi scelera committenda in dictum Regnum duxerint, seu transmiserint, tanquam fautores hujusmodi damnatorum Excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, & eorum terras & loca quælibet interdicto Ecclesiastico subjacere, ita videlicet, quod nullus præterquam in mortis articulo ab Excommunicationis absolvi sententia, nec interdicto hujusmodi relaxari per alium quam Romanum Pontificem valeat quovis modo. Et nihilominus eos omnes & singulos pœnas & sententias contra talia præsumentes per Sacros Canones inflictas & latas incurrisse, & eis ligatos fore authoritate Apostolica supradicta tenore præsentium declaramus: ipsosque, nec non Civitates, Oppida, Castra, Villas, Loca, & Communitates, Universitates & populos in iis culpabiles seu culpabilia omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus realibus & personalibus sub quacunque verborum forma à dicta Sede, aut Imperatoriâ vel Regiâ Majestate, aut aliis inferioribus concessis eisdem, nec non feudis, bonis, honoribus, officiis, Juribus & Jurisdictionibus, quæ à Romana vel aliis Ecclesiis, aut Imperatoriâ aut Regiâ Majestate hujusmodi aut aliis inferioribus quibuscunque tenore profecta fuisse noscuntur, ex nunc ut ex tunc sententialiter privamus, eorundem Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis, etiamsi Episcopali vel majori præfulgeant dignitate, districtiùs injungendo, quod feuda & bona ipsa recipiant, & pro suis Ecclesiis & Monasteriis teneant, aut aliis concedant, & de ipsis disponant, prout aliàs eis licet & pro Ecclesiarum & Monasteriorum suorum utilitate viderint expedire, singularesque personas in his culpabiles ad illa & similia, & quælibet alia ipsorumque descendentes usque ad tertiam generationem exclusivè ad Dignitates, Personatus & Officia, & alia quælibet Beneficia Ecclesiastica cum cura vel sine cura quovis nomine censeantur, authoritate quâlibet obtinenda inhabilitamus & inhabiles reddimus eo ipso, Vasallos quoque & homines eorundem delinquentium contra Constitutionem & nostras prædictas à juramento & fidelitate, à quacunque obligatione quilibet tenebantur, eisdem totaliter absolvimus. Et insuper volumus & statuimus, quod ex tunc ipsi Sociales, Receptatores & Defensores eorum & alii, ut præmittitur, delinquentes, sint & habeantur infames; ita quod nec ad testimonium, nec alios actus legitimos admittantur. Fiant etiam intestabiles, sic quod non possint condere testamentum, nec ad cujusquam successionem ex testamento, vel ab intestato aliquatenus admittantur. Et si Tabelliones fuerint, instrumenta confecta per eos non valeant, sed cum actore damnato damnentur, filii quoque & nepotes ipsorum usque ad tertiam generationem exclusivè ad nullos honores mundanos seu Ecclesiasticos admittantur, fiant domus eorum desertæ, & ut non sint qui habitent in eis, dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur, sit eis postulandi negata facultas, sit Tabellionatus, Judicatus & quodlibet aliud Officium seu Ministerium publicum interdictum. Quod si secus super his actum fuerit, id carere volumus omni robore firmitatum. Omnes quoque præfatos Capitaneos, Adjutores, Connestabiles, Caporales Societatum ipsarum & alios quoscunque de Societatibus & delinquentibus supradictis, omnibus dignitatibus & honoribus secularibus ac officiis publicis, in quibus forsan essent constituti, ex nunc ut ex tunc deponimus, ac per sententiam removemus, ac Cingulo militari, si forsan essent eo decorati, privamus, eosque ad eadem officia, dignitates, honores, & Cingulum militare reddimus inhabiles & indignos. Quod si inter eos sint aliqui Clerici sive Ecclesiasticæ personæ, Dignitates, Personatus vel Officia, Canonicatus & Præbendas, & alia quævis Beneficia cum cura vel sine cura, seu administrationes quascunque obtinentes, qui sortem Domini, in quam erant assumpti, temerariè relinquentes, & Ministros Belial ac iniquitatis satellites se constituentes, ipsos ultra prædictas pœnas & sententias, quibus etiam volumus eos subjacere, eisdem Dignitatibus, Personatibus, Offi-

ANNO 1367.

ciis,

ANNO 1367.

ciis, Canonicatibus & Præbendis, Beneficiis & administrationibus ipso actu decernimus esse privatos. Concedentes illis, ad quos earundem Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum & Præbendarum, Beneficiorum & Administrationum collatio, seu provisio pertinet, ea conferendi & providendi de illis personis idoneis, prout expedire viderint, plenam & liberam facultatem, ac eis in virtute Sanctæ obedientiæ districtè mandantes, quod ad collationem & provisionem hujusmodi, quam citò eis de prædictorum delinquentium hujusmodi culpis constiterit, procedere non postponant. Quod si iidem Prælati, vel alii, ad quos hujusmodi feudorum & bonorum receptio, concessio, dispositio, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Beneficiorum & Administrationum collatio & provisio, ut præmittitur, pertinent, infra unius mensis spatium, postquam eis de præmissis excessibus & culpis constiterit, ad receptionem, concessionem, dispositionem, collationem & provisionem easdem non processerint faciendas, Nos ipsas receptionem, concessionem, dispositionem, collationem, & provisionem dispositioni nostræ ac Sedis ejusdem specialiter reservamns, districtiùs illis inhibentes, ad quos eædem receptio, concessio, dispositio, collatio, & provisio aliàs pertinent, vel possent quomodolibet pertinere, ne de feudis, bonis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, ac Beneficiis & administrationibus ipsis vel ipsorum aliquo contra nostram reservationem hujusmodi disponere vel ordinare præsumant. Nos enim decernimus irritum & inane, si secus fuerit attentatum, & cum pœnæ condignæ non possint tam gravibus & multiplicibus sceleribus adhiberi, & ne ipsorum temeritas transeat præsumptoribus in exemplum, de dictorum Fratrum Consilio bona ipsorum protervorum Socialium mobilia concedimus Fidelibus occupanda, immobilia verò eorum Dominis confiscamus, & personas eorundem Socialium exponimus Fidelibus capiendas, ut capientium fiant servi. Non obstantibus, si aliquibus communiter, vel divisim à Sede prædicta foret indultum, quod suspendi vel excommunicari, aut ipsi & Civitates, Terræ, Oppida, Castra, Villæ, & Communitates, vel Universitates eorum interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indultu hujusmodi mentionem, & quibusvis personis, locis, vel Ordinibus sub quacunque verborum forma vel expressione concessis. Etiamsi de illis esset specialis & expressa, ac de verbo ad verbum in eisdem de Indultu hujusmodi mentio, & quibusvis Privilegiis, Indulgentiis, vel Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quibusvis personis, locis, vel Ordinibus, sub quacunque verborum forma, vel expressione concessis. Etiamsi de illis esset specialis & expressa, ac de verbo ad verbum in eisdem nostris Processibus, & Litteris Apostolicis inde confectis mentio facienda, per quæ nullum contra præmissa, vel eorum aliquod volumus afferri suffragium vel obstaculum interponi. Ut autem hujusmodi noster Processus ad dictorum Socialium perversorum & aliorum, quorum interest, notitiam deducatur, chartas seu membranas processum continentes eundem majoris Ecclesiæ Avenionensis affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum eundem suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt, ut iidem Sociales, & alii, quorum interest, ut præmittitur, quod ad eos non pervenerit, vel ignoraverint eundem, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quod ad eos maneat incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, inhibitionis, declarationis, privationis, inhabilitationis, mandati, voluntatis, ordinationis, dispositionis, remotionis, redditionis, concessionis, reservationis, & confiscationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Massiliæ VI. Idus Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

Archiepiscopo Narbonensi Conciliorum Provincialium celebrationem mandat: anno - - - - -

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1492.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Narbonensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

SAcrorum Canonum testatur auctoritas, quod olim Sancti Patres, tam Romani Pontifices, quam alii Ecclesiarum Prælati curam solertem super Gregem Dominicum exercentes, de celebrandis Conciliis, in quibus de exstirpandis vitiis, & plantandis virtutibus, tam in Clero, quam Populo, & de conservanda libertate Ecclesiastica, de Statu quoque Ecclesiarum & piorum locorum dirigendo salubriter agebatur, fuerunt plurimùm studiosi, ex iisque Status Ecclesiasticus in spiritualibus & temporalibus multum crevit; Sed, proh dolor! succrescente paulatim Prælatorum desidiâ, omissâque continuatione Conciliorum, hujusmodi pullulant vitia, crescit indevotio Populi, præfata libertas minuitur, cultus Divinus negligitur, irrogantur à Laicis Clero gravamina, & in temporalibus bonis ad divinum deputatis obsequium sentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur, quod tantis malis in tua Provincia per salubrem tuam, & tuorum Fratrum providentiam occurratur, Fraternitatem tuam Apostolicæ sollicitudinis Studio excitamus ac requirimus, & hortamur attentiùs, per Apostolica Tibi scripta mandantes, quatenùs Concilium tuæ Provinciæ, in quo de his, quæ pro laude Dei, & utilitate Ecclesiarum, & piorum locorum, nec non Cleri, & populi fuerint utilia & opportuna, providâ examinatione tractetur, & provideatur, quàm citò commodè poteris, studeas convocare: Nobis de convocatione hujusmodi, cum eam feceris, & demùm de gestis in eodem Concilio

ANNO 1367.

cilio reſcripturus, ac tu, & Suffraganei tui favorem Apoſtolicum, in his, in quibus illum reputabitis utilem, fiducialiter poſtuletis.

Datum Avenioni VII. Calendas Decembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

IV. Ex Diario Ital. Montfaucon pag. 331.

Quod Caſinenſes Pſalterio Gallicano utantur: anno - - - -

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbati & Conventui Monaſterii Caſinenſis, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœceſis, Romanæ Eccleſiæ ſubjecti, nec non univerſis Conventibus, & Monachis Membrorum ejusdem, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm uſus Pſalterii Gallici tàm in Romanâ Curiâ, quàm in majori parte Eccleſiarum, & Monaſteriorum habeatur frequentior quàm Romani, cujus uſus ſervatur in veſtro Monaſterio Caſinenſi; Nos nolentes, quod in hoc à dictis Curia, & aliis pluribus Eccleſiis diſcrepetis, diſcretioni veſtræ in virrute ſanctæ obedientiæ, & per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs de cetero utamini Pſalterio Gallico prælibato. Tuque, Fili Abbas, contradictores per regularem diſciplinam, & etiam Cenſuram Eccleſiaſticam, ſi opportunum fuerit, poſtpoſitâ appellatione, compeſcas.

Datum Romæ apud S. Petrum IV. Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno VIII.

Nic. G. de Mandato Domini noſtri Papæ.

Bartholomæus

Locus ✠ Sigilli plumbei pendentis.

ANNO 1370.

GREGORIUS UNDECIMUS, PONTIFEX CCIII.

ANNO DOMINI MCCCLXX.

GRegorius, priùs Petrus Rogerius, anno 1370. Urbanum V. excepit. Pacem inter Chriſtianos conciliare anniſus eſt. Motus turbis Florentinis, quorum ope Romani nixi, Legatos Apoſtolicæ Sedis pepulerunt, Sedem Avenione Romam poſt 72. annos transtulit: Mox obiit anno 1378. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Tom. I. Luxemb.* 1727. *fol.* 262. *App.*)

ANNO 1371.

I. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 702.

Deputat duos Cardinales pro ſedandâ diſcordiâ inter Reges Angliæ & Franciæ obortâ: anno 1371.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carisſimo in Chriſto Filio Eduardo, Regi Angliæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

AD procurandum Statum pacificum & tranquillum inter Te, & cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum, Regem Francorum illuſtrem, dum minori fungebamur officio, mentem ſemper habuimus vigilem. Et dum, Divinâ diſponente Clementiâ, ad apicem Summi Apoſtolatus fuimus aſſumpti, tanto ad id eò ferventiùs & inſtantiùs noſter fuit excitatus affectus, quò veſtra toti Populo Chriſtiano periculoſior erat & adhuc eſt diſcordia.

Eapropter duos è dictis Filiis noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, videlicet, Simonem Tituli Sancti Sixti, & Joannem Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteros Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Nuncios, tanquam pacis Angelos ad utramque Partem pro hujusmodi ſedanda diſcordia Te ſuper hoc gratioſè exhortando, duximus deſtinandos. Verùm nuper lætanter audivimus, quod Tu, tanquam Princeps Chriſtianiſſimus, ea, quæ idem Simon Cardinalis Serenitati tuæ ſuper præmiſſis expoſuit, benignè audiviſti, ſuper quo Sinceritatem tuam multarum proſequimur actionibus gratiarum. Et, cum ſummè nobis cordi ſit, ut inter Te & dictum Regem Francorum, ſummotis hujusmodi diſcordiis, perpetua Pax reformetur, per quam deſolationi Catholici occurratur Populi, Chriſtianæ Gentis Excidia tollantur, & obvietur periculis animarum, Excellentiam tuam rogamus & exhortamur, in Filio Dei Patris & per ipſius miſericordiam obſecramus, quatenus eisdem Cardinalibus, & eorum cuilibet, in his, quæ ſuper hoc Tibi ex parte noſtra retulerint, credens indubiè, & ſolerter attendens, quam ſit onuſta periculis, quantaque diſcrimina ſecum trahat hujusmodi damnoſa diſſenſio, quantaque ex hoc bonis Chriſti Fidelibus contriſtationis, & Infidelibus exultationis & gaudii materia præparetur, tuum in manſuetudine animum præparans, pro Divina & Apoſtolicæ Sedis ac noſtra reverentia, ad Pacem reformandam, per quam Regna creſcunt, & Populi ſub tranquillitate proficiunt, cum præfato Rege Francorum Te convertas; ac Nuncios induſtrioſos & ſolennes, & plenè inſtructos, Deum & Bonum pacis zelantes, ac plenum ad hoc mandatum

habentes,

ANNO 1375.

habentes, ad aliquem locum idoneum, communiter eligendum, ubi tui & memorati Regis Francorum Nuncii possint commodè convenire, sine cujuslibet moræ dispendio, destinare procures, Tractatum pacis hujusmodi ad finem laudabilem, auxiliante Domino, perducturos; In hoc preces nostras taliter impleturus, quod ipse Rex Regum, qui extollit pacificos, & deprimit inquietos, tuæ Celsitudinis exaltet Solium, prosperitatem adaugeat, ac Regnum tuum in tranquillitate custodiat, Tibique salutis æternæ præmia largiatur, Nosque, qui Te sincerè diligimus, eandem Celsitudinem tuam dignis in Domino laudibus attollamus, ac universis Christi Fidelibus publicæ lætitiæ consolationem exultantibus animis præbere in Domino valeamus. Præfato siquidem Regi Francorum dirigimus similiter scripta nostra, ut idem non differat adimplere; quem nobis in hoc obtemperaturum verisimiliter opinamur.

Datum Avinion. Id. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

II. Rymer Tom. ---

Bulla de Compositione inter Regem & Papam per Nuncios ex utraque parte concordata: anno 1375.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EXimiæ devotionis sinceritas, quam carissimus in Christo Filius noster Eduardus, Rex Angliæ illustris, ad Nos & Romanam Ecclesiam gerere comprobatur, sublimis quoque ejus Status eminentia, nec non etiam specialis benevolentiæ plenitudo, quam ad dilectos Filios, Clerum Angliæ, infra nostra recumbentes præcordia, gerimus, nos inducunt, ut ipsos, Regem atque Clerum, & illos præsertim ex hujusmodi Clero, qui eidem Regi specialis Studio devotionis & fidelitatis adhærent, favoribus & gratiis, illis maximè, quæ conscientiæ pacem & animarum salutem respiciunt, muniamus. Cùm itaque, sicut accepimus, in Regno Angliæ sint quamplures Clerici, qui ex præsentatione seu collatione dicti Regis, prout ad se pertinere dicebat, Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus, & Præbendas, & alia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, infra Regnum dictum pacificè possident de præsenti, Nos ne dicti Clerici, super hujusmodi Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis ipsis, possint imposterum molestari, providere volentes; Prædicta omnia, Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus & Præbendas, & alia Beneficia, præmissis Clericis, sic ea, ut præfertur, obtinentibus, dum tamen tempore, quo illa fuerint assecuti, idonei & habiles essent ad ea obtinenda, etiamsi sint dispositioni Apostolicæ quomodolibet reservata, & etiamsi inter aliquos ex hujusmodi pacificè possidentibus, & eorum Adversarios jam defunctos, fuerit aliàs in Palatio Apostolico litigatum, Auctoritate Apostolicâ confirmamus, eos si propter illicitam detentionem eorumdem inhabilitatem incurrerant, habilitando. Et eos dictorum Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, & Præbendarum, & aliorum Beneficiorum possessione pacifica, quam nunc obtinent, gaudere volumus & etiam ordinamus. Intendentes eorum singulis, si à Nobis petierint, super illis speciales confirmationes seu provisiones novas concedere, prout eis utilius fuerit, & magis videbitur expedire, non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, nec non Statutis & Consuetudinibus Ecclesiarum & Locorum, in quibus hujusmodi Beneficia, seu aliqua ex eis consistunt, contrariis, Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quacumque alia firmitate vallatis, etiamsi de illis, & totis eorum tenoribus, esset præsentibus specialis, & expressa mentio facienda. Nulli ergo omninò homini liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Habilitationis, Voluntatis, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data apud Villam Novam, Avinionensis Diœcesis, Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1376.

Contra Florentinos: anno 1376.

III. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 7. pag. 103.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio &c. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXcessus gravissimos, quos iniquitatis Alumni, Cives & Populus Civitatis Florentinæ, tanquam in reprobum sensum dati, à septem mensibus citra, contra Deum, & Romanam, & nonnullas alias Ecclesias, & libertatem Ecclesiasticam commiserunt, prout non destiterunt committere diebus præteritis, pro certa parte, cùm eos omnes nimis longum ac tædiosum foret scribere & audire, Nobilitati tuæ, ut de illis præfatæ compareretur Ecclesiæ, ac præstaret auxilium & favorem, per alias nostras litteras duximus referandos. Postmodùm autem, cum ipsos excessus nequiremus, absque debiti appositione Remedii præterire, certos graves processus exigente justitia contra eosdem Cives & Populum, eisque quomodolibet dantes auxilium, consilium, vel favorem, fecimus, licèt, eorum promerente malitia, dignè potuissemus facere graviores, quos in Romana Curia, communi omnium Patria, & in diversis Regnis & Terris fidelium publicari mandavimus, prout assiduè publicantur. Cumque Processus ipsos ad Regnum Angliæ, in quo quamplures ex eisdem Civibus immorari dicuntur, pro hujusmodi publicatione ibidem facienda mittamus ad præsens, eandem Nobilitatem rogamus obnixè, quatenus ob reverentiam Dei, & dictæ Ecclesiæ, & nostram, in publicatione & executione dictorum processuum, tuum favorem velis efficaciter impertire.

Datum Avinion. decimo quinto Calendas Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

De

ANNO 1376.

IV. Ex Hist. Universit. Parisiens. Bulæi Tom. 4. p. 444.

De Inquisitione Fidei in Francia: an. - - - -

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Carolo, Regi Franciæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ZElus Catholicæ Fidei, præsertim in tuis honoris & meriti laudibus Nos inducit, ut pro defensione dictæ Fidei, præsertim in tuis partibus, devotionem Excellentiæ Regiæ fiducialiter requiramus.

Quippe ex dilecti Filii Inquisitoris Hæreticæ pravitatis Partium Delfinatus Viennensis expositione didicimus, quod in dictis partibus Hæreticorum multitudo copiosa consistit, quos nonnulli Nobiles partium earundem postposito Dei timore faventes non permittunt eundem Inquisitorem procedere contra illos, & quod dilectus Filius nobilis Vir Gubernator Delfinatus ejusdem contra tales de favore sui Officii requisitus, illum impendere negligenter omittit, propter quæ multiplicantur execrabiles hæreses & Hæreticorum inficientium illas & vicinas Patrias numerus, proh dolor! continuè adaugetur. Unde si super iis cum tuæ devotæ Celsitudinis auxilio, sine quo non potest justitia ministrari, celer & efficax remedium non opponatur, in omnibus dictis partibus & etiam Regno vepres & spinæ hæreticalium errorum possent citò succrescere, non de facili evellendæ, in periculum animarum gravissimum & obnubilationem Claritatis Catholicæ, sinceritatis Fidei Orthodoxæ, quam tui Christianissimi & inclyti Progenitores non solùm defenderunt viriliter, sed magnificè extulerunt. Eapropter Regiam Majestatem requirimus instantiùsque rogamus, quatenus super præmissis tam devotè quam ferventer & efficaciter atque celeriter non solùm litteralibus mandatis, sed Nunciis & Executoribus ferventibus, audacibus & devotis ad dictas partes per Te mittendis, prout tanta materia exigit, providere festines, quod exinde tua multiplicentur merita apud Deum, & præconium in hoc Dei negotio, quod cuncta præcellit, glorioſiùs extollatur, & Nos contra Nobiles & alios tuos Subditos defendentes & foventes eosdem Hæreticos exigente justitia, quam nullo modo possemus omittere, procedere non cogamur. Cæterum ut contra hujusmodi Hæreticos & fautores eorum efficaciùs procedatur, Venerabilem Fratrem nostrum Antonium, Episcopum Massanensem, Apostolicæ Sedis Nuntium, harum Latorem, ad dictas partes dirigimus, cum tu velis tuam assistentiam adhibere in consilio ac auxilio & favore, ac indubiè credere ea, quæ de præfatis ex parte nostra Tibi duxerit referenda.

Datum Avenioni Nonas Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1376.

V. Ex Saracini Notitie Istoriche d'Ancona pag. - - -

Anconitanos excitat contra Ausculanos & Firmanos Romanæ Ecclesiæ: anno 1376.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Populo & communi nostræ Civitatis Anconitanæ Salutem.

NOn sine dolore referimus, quòd licèt iniquitatis Filii, Populi & Communis Civitatum nostrarum Firmanæ & Ausculanæ, ac Universitatis quarundam aliarum Terrarum, licèt de jure sint & esse debeant Nobis & Ecclesiæ Romanæ subjectæ, tamen ipsi Spiritu elationis permoti contra Nos & dictam Ecclesiam inconsultis motibus rebellarunt, qui per Nos diu requisiti benignè, ut ad gremium Ecclesiæ præfatæ redirent, requisitionem paternam, obstinatâ contumaciâ contempserunt; Quare Fidelitati vestræ, quæ amicos dictæ Ecclesiæ pro amicis, & inimicos pro inimicis habere debeant, præsentium tenore mandamus, quatenus dictos rebelles, sicut eorum merita exigant terrestribus, & maritimis insultibus prosequi studeatis, ut qui dulcibus monitis quiescere non curant, saltem verborum stimulis resipiscant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum 14. Calendas Februarii anno septimo.

VI. Ex Hist. Universs. Parisiens. Bulæi Tom. 4. P. 450.

Admonitus Gregorius quid rerum in Anglia moliretur Wicleffus, quæve pernicioſa dogmata spargeret, hâc Bullâ præcipit capi, & tradi in manus Archiepiscopi Cantuariensis, aut Episcopi Londinensis: anno - - - -

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Cancellario & Universitati Studii Oxoniensis, Lincolnienſis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

MIrari cogimur & dolere, quòd vos qui propter gratias & privilegia vestra Studio Oxoniensi ab Apostolica Sede concessa, & propter scientiam Scripturarum, in quarum pelago felici remigio, dante Domino, navigatis, tanquam pugiles & propugnatores Orthodoxæ Fidei, sine qua salus animarum non provenit, esse deberetis, lolium inter purum triticum Campi glorioſi Studii vestri

prædicti

ANNO 1378.

prædicti per quandam desidiam & ignaviam permittitis pullulare, & quod perniciosius est etiam adolere, nec circa extirpationem hujus lolii, sicut nuper apud nos insonuit, curam aliquam adhibetis non sine clari nominis obfuscatione & animarum vestrarum periculo & contemptu Ecclesiæ Romanæ & memoratæ fidei detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius de incremento lolii prædicti sentitur in Roma quàm in Anglia, ubi tamen extirpationis remedium apponeretur. Multorum siquidem fide dignorum insinuatione admodum dolentium nostris est auribus intimatum, Joannem Vicleff Rectorem Ecclesiæ de Luttevorth Lincolniens. Diœcesis sacræ paginæ Professorem, utinam non magistrum errorum, in illam ac detestabilem erupisse vecordiam, nonnullas propositiones & conclusiones erroneas & falsas, ac pravitatem hæreseos sapientes, quæ statum totius Ecclesiæ & etiam secularem politiam subvertere & enervare nituntur, quarumque aliquæ licet quibusdam mutatis terminis sentire videntur perversas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marsilii de Padua & Joannis de Guandavo (Janduno) quorum uterque per felicis recordationis Joannem Papam XXII. Prædecessorem nostrum reprobatus extitit, & damnatus in Regno Angliæ nempe gloriosa potentia & copia facultatum, sed gloriosiore pietate fidei rutilante, sacræ paginæ claritate consueto viros producere, Divinarum scripturarum recta scientia illustratos, morum gravitate maturos, devotione conspicuos, & Catholicæ fidei defensores, dogmatizare & publicè prædicare, seu potius de virulento Claustri seu pectore evomere non veretur, nonnullos Christi fideles earum respersione commaculans & à fidei præfatæ recta semita in præcipitium perditionis abducens. Quare cum tam letiferam pestem, cui, si ejus non obstetur principiis, & ipsa radicitus evellatur, serò posset medicina parari, cum per contagionem plurimos infecisset noluimus prout nec velle debemus sub conniventia pertransire. Universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis omnium gratiarum, indulgentiarum & Privilegiorum vobis ac studio vestro à dicta sede concessorum districtè præcipiendo mandamus, quatenus conclusiones & propositiones in bonis operibus & fide malè sentientes, licet eas proponentes sub quadam verborum sive terminorum curiosa implicatione nitantur defendere, de cætero non permittatis asseri vel proponi, dictumque auctoritate nostra capiatis seu capi faciatis, & ipsum venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Cantuarien si & Episcopo Londonien si, aut eorum alteri sub fida custodia transmittatis. Contradictores quoque de dicto studio vestro jurisdictioni subjectos, si qui forsan, quod Deus avertat, essent ejusmodi erroribus maculati, si in illis pertinaciter perstiterint, ad similem captionem & missionem aliasque prout ad vos spectat, firmiter & solliciter procedatis, perinde vestram suppleturi diligentiam, hactenus in præmissis remissam, nostram quæ & dictæ sedis præter Divinæ retributionis præmium & meritum, gratiam & benevolentiam adepturi.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem 11. Calendas Junii Pontificatus nostri Anno 7.

ANNO 1378.

URBANUS SEXTUS.

PONTIFEX CCIV.

ANNO DOMINI MCCCLXXVIII.

URbanus Neapolitanus, prius Bartholomæus Prignanus dictus, anno 1378. Pontifex fuit renunciatus. Ab acerrimo Schismate inter hunc Urbanum & Clementem VII. anteà Cardinalem Genevensem nuncupatum tunc temporis agitata Ecclesia Romana. Carolum Hungariæ Regem in Regnum Neapolis movet. Obiit anno 1389. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 270. *App.*)

URBANO VI. *Pontifice electo, acerrimum schisma Ecclesiam dilaceravit, quippe Cardinalis Genevensis ab altera ex partibus Anti-Papa electus sub nomine Clementis VII. inter alia Bullas sequentem, quam damus, edidit celebrem admodum quamobrem ne series Pontificum confunderetur, Vulgatique Bullarii idem esset ordo, haud incongruum censetur inter alias, easque Urbani, Bullas inserere, & sub nomine Clementis, ut relata est à Dacherio, Leibnitio &c. eam referri.*

Litteræ Bullatæ, quibus CLEMENS Papa VII. Regnum Adriæ instituit, comprehendens partem terrarum Ecclesiæ Romanæ in Italia; ac Ludovico Duci Andegavensi tribuit 15. Kal. Maji 1382.

Bullam hanc quam ex Leibniziana collectione diplomatica desumpsimus, Dacherius etiam in suo spicilegio refert, sed qui eam signat anno 1379. quum Leibnizius diversimodè signet scilicet anno 1382.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Adriæ, Duci Andegavensi & Turonensi, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris germano, salutem & Apostolicam benedictionem.

COnstituti in suprema militantis Ecclesiæ statione ab eo, per quem Reges regnant, & Principes imperant, & qui solus habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, necesse habemus, interdum de Regnis & terris ipsis & specialiter, quæ Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis existunt cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere, terras ipsas dignitate decorare Regia, & in earum solio ad regimen gentium subjectarum quos dignos credimus sublimare; ut evulsis spinosis vepribus plantas inseramus proficuas fructus uberes suo tempore in domo Domini allaturas instructi cœlestis Regis exemplo, qui terrenis Regibus potestatem tribuit, ut assumpto officio dominandi in æquitate judicent populos, & dirigant in tetris sibi subditis gentium nationes,

ANNO 1378.

sitque eorum voluntas in executione justitiæ, & meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis.

Ea propter terras nostras & Ecclesiæ Romanæ, quas habemus in Italia respicientes oculo pietatis, & conspicientes eas seu habitatores earum retrò jam lapsis temporibus adeo esse lacessitas, & dominantium in eis jure & auctoritate sedis Apostolicæ crebra mutatione effecta, multitudine Tyrannorum tàm circa, quàm infra eas ipsas occupare conantium sic esse afflictas, quod penè ad exinanitionem clerus & populus est deductus in eis; nosque utpote orbis regimine occupati ad debitam earum reformationem intendere nequeamus.

Aliis & aliis justis considerationibus moti, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, terras ipsas videlicet Provincias Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Ducatus Spoletani, Massæ, Trabari, nec non Civitates Bononiam, Ferrariam, Ravennam, Perusiam, Tudertum cum earum omnibus Comitatibus territoriis, & districtibus, & omnes alias, & singulas terras, quas ad præsens nos & Ecclesia Romana in Italia extra Regnum Siciliæ habemus & habere debeamus per quoscumque & quacumque auctoritate possideantur seu detineantur ad præsens exceptis duntaxat urbe Romana cum ejus districtu, & provinciis Patrimonii S. Petri in Tuscia Campaniæ & Maritima ac Sabina seu Rectoratibus dictarum Provinciarum regi solitis, quæ terræ specialium commissionum vocantur nostrisque Successoribus, & Romanæ Ecclesiæ expresse & specialiter retinemus in unum Regnum erigimus ipsas Provincias & Civitates cum earum Comitatibus, districtibus, seu territoriis, dignitate Regia decoramus ac Regnum Adriæ ordinamus, statuimus, & decernimus perpetuò nuncupari.

Et considerantes quod personam tuam qui de illa præclarissima domo Franciæ, quam benedixit Dominus traxisti originem strenuitate magnanimitate ac prudentia aliarumque virtutum donis multiplicibus Dominus dignatus est adornare, prout judex veritatis, experientia ac præclaræ famæ præconium luce clarius manifestant: & propterea ipsam personam tuam honorare & sublimare volentes ad honorem Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, beatæ, & gloriosæ semper Virginis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ nec non ad utilitatem Regni seu Terrarum ipsarum pacificumque ac tranquillum statum incolarum seu habitantium in Regno seu Terris prædictis Regnum Adriæ prædictum, & omnes terras, quas exta Regnum Siciliæ nos & Romana Ecclesia in Italia habemus, seu habere debemus, per quoscumque, & quacumque, ac cujuscumque auctoritate possideantur, seu detineantur ad præsens; exceptis urbe Romana cum suo territorio & districtu, ac provincia patrimonii beati Petri in Tuscia Sabina, Campaniæ & maritima, cum earum Rectoratibus & terris specialium commissionum per Rectores dictarum Provinciarum gubernari hactenus solitis; cum dignitate, honore, prærogativis, præeminentiis, privilegiis, immunitatibus & libertatibus quibuscunque Regiis, & sub Regni titulo in feudum perpetuum, seu perpetuò habendum, tenendum & possidendum tibi tuisque hæredibus ex te legitime, sicut infra dicitur, descendentibus, sub infra scriptis modis & conditionibus auctoritate Apostolica plenitudine potestatis, de Fratrum nostrorum consilio & consensu conferimus, concedimus & donamus, teque Regem Regni prædicti constituimus & creamus. Conditiones autem sunt hæ: si in tuo vel hæredum tuorum obitu legitimum hæredem, prout infra scribitur te aut ipsos quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertatur. Descendentes autem ex te & tuis hæredibus, scilicet Regibus, mares & fœminæ in eodem Regno succedant, sic tamen quod de liberis pluribus maribus in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur. Quod si nepotem ex filio primogenito præmortuo cum filio, vel neptem ex filia primogenita præmortua cum filia, ad successionem hujusmodi concurrere fortè contingat, nepotem patruo, & neptem amitæ volumus anteferri. Si verò Nepos cum amita vel neptis cum Patruo forsan ad hujusmodi successionem concurrerint, marem fœminæ volumus anteferri. Si verò te, quod absit, sine liberis ex te legitimè descendentibus mori contigerit; possit tibi in Regno prædicto succedere unus de descendentibus ex Regia stirpe Regum Franciæ masculus dumtaxat, quem tu quandocunque ad successionem hujusmodi qualitercunque duxeris nominandum, & si te quod absit, absque liberis ex te legitimè procreatis & nullo per te de stirpe præfata Regum Franciæ ad successionem hujusmodi nominato, ut dictum est, vel etiam nominato, si ipsum per te nominandum sine liberis mori contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertatur. Sed si aliquem de aliis successoribus tuis Regem, vel Reginam Adriæ sine prole legitima sui corporis mori contigerit, in futurum succedent sibi servatis gradibus, si superstites fuerint hæ personæ videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima sui corporis decedentis, frater, vel soror ac collaterales superiores, mares & fœminæ utpote patrui, & avunculi, amitæ & materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat. Collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & fœminæ utpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore & inferius usque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ & collateralium superius expressum intelligimus tam de nuptis quàm etiam innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus, & Ecclesiæ Romanæ devotis: & sicut inter has personas collateralium linearum ad successionem hujusmodi venientes gradus servari volumus ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; Sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu & marem fœminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem ipsarum nulla superstite, Regnum ipsum, sicut prædicitur ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem liberè revertatur. Quod si fortè deficientibus masculis contingat fœminam innuptam in Regno ipso succedere, illa maritabitur personæ quæ ad ipsius Regni regimen, & defensionem existat idonea, Romani Pontificis tamen super hoc consilio requisito; nec nubet nisi viro Catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto; & si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad privationem sine figura judicii & absque omni juris solemnitate, in quacunque ætate fœmina ipsa consistat, procedere, si hoc ei videbitur expedire. In Regnum verò prædictum nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Ad hæc tam tu, quàm tui in Regno hujusmodi hæredes regnum prædictum nullatenus dividetis, sed semper illud unus tantum sub ipsis modis & conditionibus immediate, & in capite ab Ecclesia Romana tenebit. Tu autem

ANNO 1378.

Romanæ

ANNO 1378.

Romanæ Ecclesiæ & nobis recipientibus curas ad præsens ac modo simili tàm tu quàm tui in Regno hujusmodi Successores cuilibet Romano Pontifici qui pro tempore fuerit, juramentum fidelitatis præstabitis, & homagium ligium facietis, & prædicta juramentum & homagium faciendo mentionem de præsentibus litteris facietis in hunc modum.

Ego Ludovicus Dei gratia Adriæ Rex plenum & ligium vassallagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Adriæ præfato, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & Domino meo Domino Clementi Papæ suisque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios suos, vel per litteras ad eorum damnum illud pro posse impediam, & si impedire non possum, illud eis significare curabo. Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri tam in Regno Adriæ prædicto, quam alibi existentia, adjutor eis ero ad defendendum & retinendum, ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas conditiones contentas in præsentibus litteris plenariè adimplebo & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Hujusmodi autem homagium facere & juramentum fidelitatis præstare tu & dicti tui hæredes secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit infra sex menses, si verò extra Italiam ipsum esse contigerit infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini; & singulis ipsis successoribus nostris & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium quàm hujusmodi juramentum. In opinione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, te & hæredes tuos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & homagium ligium Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ prædictæ, dummodo ad hoc vobis locum tutum statuant & assignent: vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ Romanæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat destinare. Tu quoque nobis & Ecclesiæ Romanæ in nostris manibus juras ad præsens, te ad hoc specialiter obligando: & tam tu singulis nostris successoribus, ac prædictæ Ecclesiæ, quàm tui in dicto Regno hæredes, nobis & singulis nostris successoribus, & prædictæ Ecclesiæ, quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis jurabitis, vos ad hoc specialiter obligantes. Quod si contigerit pro tempore vos, seu vestrum aliquem in Regnum Romanum, seu Alamanniæ, vel Teutoniæ, seu in Regem vel Dominum Lombardiæ, aut majoris partis ipsius Lombardiæ eligi, seu qualitercumque nominari vel assumi, vobis seu aliquo vestrum per vos, vel aliàs quovis modo pro vobis, vel aliquo vestrum quocumque studio vel aliàs procurantibus, seu sine vestra vel vestrum alicujus procuratione ad procurationem alterius cujuscunque, seu sine procuratione alicujus, motu proprio Principum, vel aliorum seu alterius cujuscumque ad quos seu quem electio hujusmodi, nominatio seu assumptio noscitur pertinere, seu alias quomodocunque vel qualitercunque: vos electioni seu nominationi aut assumptioni hujusmodi nullatenus consentietis, nec de Regno hujusmodi Romaniæ Alemanniæ, seu Teutoniæ aut de Regno seu dominio Lombardiæ, seu majoris partis ipsius, de ipsorum regnorum vel eorum alterius regimine vel administratione in toto vel in parte aliqualiter vos intromittetis, nisi priùs is vestrum qui fit electus, nominatus fuerit vel assumptus in manibus Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem Romanus Pontifex duxerit deputandum, filium suum successurum in Regno, vel filiam, si fortè filium non haberet cujuscunque fuerit ætatis emancipet & Regno renuntiet nihil juris in eo retinens clam vel palàm nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium seu filiam ad aliquod servitium, seu subsidium faciendum, juramento vel voto, stipulatione, vel pacto sibi vel suis successoribus adstringat, sicque factus filius, vel filia sui juris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato ab ipso protinus investiatur de Regno, ad cujus successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat Imperator vel Rex alicujus prædictorum Regnorum. Sed si imperio vel Regno & omnibus quæ ad ipsum Imperium seu Regnum pertinent idem Pater renuntiare voluerit, & Regno Adriæ præfato tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem liberè admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio deputato investituram recipiat regni præfati.

Quæ vero de filio dicuntur vel filia, ut videlicet eis possit sub observatione præmissa à Patre ad Imperium vel Regnum Romanum vel Alamanniæ, seu Regnum vel dominium Lombardiæ transeunte regnum dimitti, si Rex liberos non habeat, in aliis personis, quas supra diximus, liberis non extantibus in regno ipso Adriæ posse succedere si aliqua personarum prædictarum superstes fuerit, observetur, excepto duntaxat emancipationis articulo, quæ in solis personis procedere potest, quæ capaces emancipationis existunt ratione paternæ potestatis; nec nisi de Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, licentia speciali; nec etiam post obtentam licentiam, nisi formam conditionum, & modos in concessione licentiæ expressatos plenariæ adimplendo; & si contrarium, quod absit, feceritis, vel vestrum aliquis faceret, nos electionem, nominationem, & assumptionem hujusmodi, ac præstationem consensus tamquam contra tenorem præsentis contractus, te ad hoc pro te & singulis tuis in Regno ipso successoribus specialiter, & expressè consentiente decernimus irritas & inanes: decernentes ut occasione talis electionis, nominationis seu assumptionis, de regimine vel administratione Imperii vel Regnorum hujusmodi Romani, Alemanniæ seu Teutoniæ vel Regni seu Dominii Lombardiæ vel ipsius majoris partis vos vel vestrum aliquis intromittere non valeatis; & si contra feceritis vel aliquis vestrum fecerit electioni, nominationi, vel assumptioni hujusmodi, nisi prius regno per modum præmissum dimisso, vel nisi de licentia Romani Pontificis consentiendo, & administrationi Imperii vel Regni Romani Alemanniæ seu Teutoniæ, sive Regni seu Dominii Lombardiæ vel ipsius partis majoris pro parte vel pro toto vos immiscendo; eo ipso cadatis à jure Regni Adriæ præfati, & ad Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit & Ecclesiæ Romanæ dispositionem liberè revertatur. Cæterum si contigerit aliquem de vestris hæredibus, qui deberent in Regno succedere memoratæ in Imperatorem vel Regem Romaniæ, aut Alemanniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ vel ipsius majoris partis eligi, nominari, vel assumi, antequam regni hujusmodi sibi successio deferretur, dum casus successionis ipsius Regni Adriæ obveniet, nullatenus successionem

ANNO 1378.

ANNO 1379. ipsius Regni acceptet, nec possessionem nanciscatur ejusdem, nec de ipsius dominio, cum administratione, vel regimine per se vel alios aliqualiter se intromittat, nisi prius Imperio vel Regno Romaniæ Alemaniæ seu Teutoniæ, vel Regno seu dominio Lombardiæ vel majoris partis ipsius ad quodcunque eorum electus, nominatus fuerit vel assumptus & omni juri sibi competenti in ipso vel eis, verbo & facto omnino renuntiet, & nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens omnino dimittat ipsum nullo unquam tempore resumpturus, nisi de Romani Pontificis licentia speciali: alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in Regno præfato sibi competeret ipso facto; ita quod ipsum Regnum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur. Si verò aliquem de vestris hæredibus, qui in Regno deberent succedere memorato in Imperatorem vel Regem Romaniæ aut Alemaniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ, vel majoris partis ipsius contigerit eligi, nominari vel assumi antequam sibi regni successio deferretur, & ipse Imperio, Regno Romaniæ Alemanniæ seu Teutoniæ vel Lombardiæ voluerit esse contentus; sic quod in Regno Adriæ prædicto nullum velit sibi jus quomodolibet vendicare; tunc quando casus successionis obveniet ad illum proximè sequens in successionis gradu secundum formam superius annotatam, dummodo superstes sit aliqua de personis, quas supra diximus posse succedere in Regno præfato Adriæ, succedat, alias ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plenè & liberè revertatur.

Quod si non extantibus masculis fœmina in eodem Regno successerit, quæ maritata non esset illa Imperatori vel Regi Romaniæ, seu in Imperatorem vel Regem Romanum electo, aut Regi seu electo in Regem Alemanniæ seu Regi vel Domino Lombardiæ aut in ejus Dominum aut Regem electo aut majoris partis ipsius, numquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit, eo ipso cadat à Regno Adriæ, mancatque ipsius jure prorsus privata, ipso Regno ad eamdem Ecclesiam devoluto. Si verò non extantibus masculis fœmina in regno hujusmodi successura antequam hujusmodi successio deferretur eidem fuerit matrimonialiter copulata Imperatori, vel Regi Romaniæ, aut Regi Alemanniæ, seu in Regem aut Dominum Lombardiæ electo vel assumpto, non succedat in Regno Adriæ prædicto, sed ad illas personas servatis gradibus regnum perveniat, quas prænotavimus in regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non superstint: cum nostræ intentionis existat, ut præfatum regnum Adriæ Imperio aut Regno Romaniæ vel Alemanniæ, aut Regno vel Dominio Lombardiæ, aut ei majoris partis nullo unquam tempore subjiciatur, vel quod ipsum Regnum Adriæ cum Imperio, vel Regno Romano aut Alemanniæ, vel cum Regno seu Dominio Lombardiæ prædicto quomodolibet in unam personam uniantur, ut scilicet unus & eidem simul sit Imperator & Rex Adriæ vel Rex Romaniæ, aut Alemanniæ, seu Lombardiæ, & Rex Adriæ. Et super hoc articulo cavebitur tam per pœnas spirituales, quàm alias idoneas cautiones; quomodocumque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum. Ad hæc volentes ut ipsum Regnum Adriæ nullo tempore careat legitimo defensore; volumus & Apostolica auctoritate ordinamus, ut si in Regno hujusmodi succedens ætatis decem octo annorum fuerit liberè administret; sed quamdiu minor fuerit, tam ipse quàm Regnum in baillio, & custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse compleverit prædictam ætatem; fructibus & emolumentis ipsius Regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro statu Regis & ipsius Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem, & lucri alterius ratione hujusmodi custodiæ non cessuris.

Tu autem & tui Regno præfato Adriæ hæredes in urbe Romana, aut ejus territorio vel districtu, aut in Provinciis Patrimonii Beati Petri in Tuscia, Sabina, Campania, vel maritima, aut in terris specialium commissionum, quæ per rectores dictarum provinciarum solitæ sunt gubernari, aut aliis domaniis seu feudis ipsius Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex cessione vel Legato aut quocumque alio jure, titulo vel contractu, nihil umquam vobis acquiretis, vel vindicabitis, recipietis, habebitis vel retinebitis, seu poteritis acquirere, vindicare, habere recipere, vel retinere: nullam Potestariam, capitaneam, Rectoriam, vel alium honorem, nullamque dignitatem seu potestatem senatoriam, vel quamcumque aliam administrationem, Commendam, vel quodcumque aliud officium recipietis, habebitis vel retinebitis; seu recipere habere, vel retinere poteritis in eisdem.

Præfatam etiam urbem aut Provinciam Patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabinam, Campaniam, vel maritimam, nec terras specialium commissionum prædictas, aut earum vel ipsarum alicujus partem non occupabitis, nec occupari facietis nec in eis offendetis, vel quomodolibet molestabitis Romanam Ecclesiam, aut molestari facietis: quod si contrarium feceritis, & moniti vel requisiti per Romanum Pontificem; vel si commodè requiri vel moneri nequiveritis, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam ipse publicè & solemniter de hoc vos monuerit, infra sex menses habita, acquisita, vindicata vel capta hujusmodi realiter & de facto non dimiseritis, ea postmodum nullatenus repetituri; vel si à præfatis molestationibus, inquietationibus, & impedimentis omnino non destiteritis, seu si per vos vel alios pro vobis occupata, seu invasa non restitueritis integrè & perfectè; eo ipso ab ejusdem Regni jure cadatis totaliter, ipsumque Regnum prorsus amittatis, & ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Quod si restitueritis occupata nihilominus de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum Romani Pontificis ad plenum satisfacere debeatis.

Alii verò hæredes vestri, qui non sunt successuri in Regno, si in Urbe, & aliis terris prædictis aliquid acquirere vel vendicare, recipere, vel retinere ex quocumque titulo, vel Capitaneam vel potestariam, aut quodcumque aliud officium, præeminentiam vel honorem in eisdem acceptare, recipere, vel retinere præsumpserint; aut si aliquas de prædictis Provinciis sive terris, aut earum aliquam vel per se, vel per alios occupaverint, vefecerint occupari, aut si Romanam Ecclesiam molestaverint in eisdem moniti vel requisiti aut si secundum dictum vel assertionem Romani Pontificis moneri vel requiri non possint commodè postquam ipse Romanus Pontifex eos publicè & solemniter monuerit infra sex menses, habita, ac quisita vendicata quocumque titulo, vel causa non dimiserint, vel si à præfatis molestationibus vel inquietationibus quibuscunq; non destiterint, seu si occupata vel invasa plenè non restituerint; eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & nihilominus ipsi vel eorum posteri in perpetuum non possint in Regno ipso succedere, si ip-

ANNO 1379.

sis in

ANNO 1379.

sis in casu aliquo eadem successio deferretur, sed ab illo tanquam indigni prorsus & totaliter excludantur: & nihilominus ille, qui tunc ejusdem Regni Adriæ gubernaculis præsideret Romano Pontifici patenter & cum effectu assistere teneatur.

Rursus cum non expediat Romanæ Ecclesiæ ejusdem feuda in unam personam uniri, volumus & te pro te & tuis successoribus universis expresse consentiente, disponimus & irrefragabiliter ordinamus, ut tu vel tui in posterum successores in Regno hujusmodi, Regi seu Reginæ Siciliæ, qui pro tempore fuerit in Regno Siciliæ & terris, quod & quas ab Ecclesia Romana tenet in feudum, ex quacumque causa, jure sive titulo non possitis succedere, vel alias ad dicti Regni Siciliæ, & dictarum terrarum dominium vel successionem venire, nec è converso scilicet Rex Siciliæ qui pro tempore fuerit, tibi vel alicui tuorum in Regno Adriæ prædicto heredum ex quacumque causa, jure sive titulo nnn possit succedere, vel alias ad dicti Regni Dominium vel successionem venire. Quod si contingeret, ut propter propinquitatem generis, vel alias Rex vel Regina Siciliæ, Regi, vel Reginæ Adriæ deberet in Regno succedere, vel è converso, successio hujusmodi ad sequentem in gradu, illum videlicet qui deficiente Rege vel Regina Siciliæ esset successurus Regi Adriæ, vel è converso, qui scilicet deficiente Rege vel Regina Adriæ; esset successurus Regi Siciliæ, successio hujusmodi transferatur pacta infeudationum possint succedere in eisdem Regnis: alias ad Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem ipsum Regnum, de cujus successione agitur liberè devolvatur non movebitis.

Præterea tu nec aliquis tuorum in Regno successorum pro te, vel alio quocumque, ex quacumque causa, titulo, vel occasione guerram vel aliam per viam facti quamlibet novitatem contra Regem Siciliæ, qui pro tempore fuerit vassallos, subditos vel valitores ipsius, qui de ipso Siciliæ Regno existant, facietis: nec facienti alteri dabitis auxilium, consilium, vel favorem; nec ipse Rex Siciliæ contra te seu aliquem tuorum in ipso Regno heredum vasallos subditos, vel valitores tuos, & ipsorum uorum heredum, qui de ipso Regno existunt: sed si quid dissensionis, quæstionis vel querelæ inter vos Reges scilicet Adriæ & Siciliæ contingeret exoriri, Regum Dominus adeatur, qui Romanus Pontifex vobis Regibus per concordiæ vel litigii viam, seu aliàs, ut sibi videbitur justitiam administret. Si autem contra aliquem vestrorum Vasallorum seu subditorum ex quacumque causa qualiscumque per alterum Regum prædictorum querimonia proponatur; is Regum pro ministranda justitia adeatur contra cujus subditum, vel Vasallum fuerit querimonia deferenda; qui si distulerit justitiam ministrare Romanus Pontifex ejusdem Regis suppleat negligentiam seu defectum. Si autem tu vel aliquis tuorum in Regno Adriæ præfato hæredum, contrarium, quod absit, attentaveritis contra Regem Siciliæ ejus subditos vel Vasallos, guerram movendo, vel novitatem facti aliam faciendo, seu facienti, aut moventi dando auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, aut si Rex Siciliæ, qui pro tempore fuerit, contrarium attentaverit contra te vel aliquem tuorum in ipso Regno Adriæ hæredum, seu contra vestros subditos, vel vasallos guerram movendo, vel faciendo per viam facti novitatem aliam, seu facienti vel moventi dando auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, ipse guerram movens vel novitatem attentans, aut moventi vel facienti dans auxilium, consilium vel favorem, ad emendationem damnorum dictorum in guerra hujusmodi plenariè teneatur, & nihilominus eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, quam si animo indurato per tres menses sustinuerit non cessando totaliter & effectualiter à guerra, auxilio, consilio, vel favore prædictis, vel si de damnis vel injuriis in guerra seu novitate hujusmodi irrogatis infra sex menses postea immediatè sequentes ad plenum non satisfecerit Ecclesiastico subjaceat interdicto. Nullam etiam confœderationem vel pactionem seu societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, Principe, vel Barone, Saraceno, Christiano vel cum Græco, aut cum aliqua Provincia, Civitate, & Communitate, vel aliquo loco, scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Romanæ Ecclesiæ facietis, & si eam feceritis ignorantes, ad mandatum Romani Pontificis revocare teneamini, & si scienter tale quid feceritis, & ad mandatum Romani Pontificis nolueritis revocare: eo ipso sententiam excommunicationis incurratis, quam si animo indurato per mensem sustinueritis, ex tunc totum Regnum Ecclesiastico subjaceat interdicto, donec ipsam effectualiter duxeritis revocandam. Si quis præterea Imperator, Rex vel alius Princeps quicumque universitas, communitas, Tyrannus vel quævis persona Ecclesiastica vel secularis provincias Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Sabina, Campania, Maritima, aut ipsarum aliquam, seu partes alicujus ipsarum vel aliquam de terris specialium commissionum, quæ per rectores dictarum Provinciarum sunt solitæ gubernari & quas non nobis, Ecclesiæ Romanæ, & nostris successoribus expresse & specialiter retinemus, occupaverint, aut fecerint occupari, seu in eis aliquo modo Romanam Ecclesiam aut nos vel nostros successores molestaverint vel fecerint molestari: seu si Urbs aut provinciæ ipsæ seu Terræ vel earum aliqua contra Romanam forsan rebellarent Ecclesiam, vos ipsam Ecclesiam Romanam ejusque honores & jura in eisdem Urbe, Provinciis atque Terris & aliis semper bona fide teneamini custodire, & nihilominus, quandocumque Romana Ecclesia indigebit, super qua indigentia stabitur Romani Pontificis simplici assertioni, vel dicto, tunc tu, aut tui in dicto Regno heredes requisiti ab eo, ad Urbem Campaniam, Maritimam, aut Provinciam Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, seu alias terras, quas nobis, Romanæ Ecclesiæ & nostris successoribus specialiter retinemus, trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos, & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas bonas vel tres ad minus, in ipsius Ecclesiæ Romanæ auxilium transmittetis, per tres menses integros & continuos, postquam illam ex provinciis vel terris, in qua ipsis indigebit Romana Ecclesia ingressi fuerint, in tuis vel tuorum in dicto Regno heredum sumtibus & expensis semel in quolibet anno benè & fideliter servituros: quorum si aliquos interim pendente servitio mori, vel aliàs quomodocunque deficere contigerit, tu & tui in Regno heredes tenebimini numerum trecentorum militum modo consimili statim supplere, vel post lapsum dictorum trium mensium, cum tot quot defuerint, & pro tanto tempore, quanto defuerint, Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ teneamini benè & fideliter facere deservire. Sanè omnibus Ecclesiis Cathedralibus, quam

ANNO 1379.

ANNO 1379.

aliis seculariBus, & regularibus, nec non omnibus Prælatis & Clericis ac universis personis Ecclesiasticis secularibus, & Religiosis in d. Regno Adriæ injuriam passis plenariè dimitterentur & restituentur integre eorum bona immobilia, à quibuscumque ablata vel occupata sint & per quoscumque detineantur. Hæc autem restitutio fiet sine contradictione, & difficultate qualibet sicut nactus fueris ipsius Regni possessionem, hoc modo, scilicet quod statim in illa parte Regni, quæ tibi obediet restitutio ipsa fiat, & postmodum successivè consummabitur, sicut habebis testituendi facultatem. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à nobis seu Romano Pontifice, qui tunc fuerit aliqui discreti viri, ad quorum mandatum & arbitrium restitutio ipsa fiat, ita quod ea de quorum Dominio vel proprietate aut possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis verò per ipsos de plano & absque judicii figura strepitu diligentius inquiratur: sufficiet autem vocari rectorem seu thesaurarium vel procuratorem, in cujus jurisdictione vel administratione seu territorio bona de quibus agetur consisterent ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent; hujusmodi quoque temporalia & mobilia bona quæcumque, etiamsi Civitates, Castra jurisdictiones existant quæcumque, & quocumque nomine censeantur Rectores Ecclesiarum tam Cathedralium quàm aliarum, regularium, & sæcularium, & universæ aliæ personæ Ecclesiasticæ, tenebunt liberè absque eo, quod ab eis possit ratione ipsorum temporalium per te, vel aliquem tuorum heredum peti seu exigi homagium, juramentum fidelitatis vel recognitio aliqualis: nec dissaisentur Ecclesiæ Cathedrales, vel aliæ regulares, & sæculares, nec earum Prælati seu ceteræ personæ Ecclesiasticæ per te vel aliquem tuorum heredum vel Officiales vestros quocumque nomine nuncupentur eorum temporalitate vel parte ipsius nec poterunt dissaisiri, nec in eorum domibus, vel eorum bonis mobilibus, vel immobilibus vastatores seu custodes ponentur, nec poni debeant seu poterunt quoquomodo; sed omnes Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ omnino erunt liberæ, & in nullo Regi vel Principi subjacebunt. Nullas insuper taillias vel collectas imponetis Ecclesiæ, Monasteriis, Clericis & viris Ecclesiasticis, seu bonis vel rebus ipsorum, & in Ecclesiis vacantibus tu vel tui de Regno Adriæ hæredes nullam habebitis regaliam, nullosque fructus, redditus & proventus, nullas etiam obventiones, nullaque alia percipietis ex eisdem, custodia earum Ecclesiarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones. Omnes insuper Ecclesiæ tam Cathedrales, quàm aliæ regulares & seculares, nec non & omnes Prælati & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ, seculares & religiosæ, ac quæcumque loca Ecclesiastica cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem sive in electione, vel post, Regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem tu & tui in Regno hæredes semper manutenebitis & conservabitis, ac manuteneri, & conservari facietis ab omnibus subditis vestris plenariè sine fraude; salvis semper circa Ecclesias Cathredales & alias tam sæculares quàm regulares, ac alias personas & loca Ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quàm in omnibus & quibuscumque aliis Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ jurisdictione & auctoritate plenaria & libera potestate. Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes liberè & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur, coram ordinariis & delegatis judicibus Ecclesiasticis & terminabuntur per eos: etsi ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quàm appellati ad eamdem venire sedem pro appellationum suarum prosecutionibus liberè & absque inhibitione aliqua permittentur. Et si qui sint Prælati vel aliæ personæ Ecclesiasticæ, qui bona aliqua teneant à te Rege prædicto, & successoribus tuis, vel ab aliis Dominis temporalibus tibi subditis, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt nobis nostrisque prædecessoribus & ipsis Dominis temporalibus aliqua servitia pecuniaria, vel alia exhibere hujusmodi antiqua & honesta servitia tibi tuisque successoribus, & eisdem Dominis secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, & sicut statuta patiuntur canonica, impendantur. Poterunt insuper omnes habitatores & Incolæ Regni Adriæ præfati liberè, & absque omni impedimento ad curiam Romanam ubicumque eam esse contigerit pro suorum negotiorum commoditatibus venire, stare & redire ad propria, nec non ad ipsam curiam Romanam blada, vina, carces, pisces, & alia victualia quæcumque pro ipsius Romani Pontificis, Cardinalium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & aliarum Ecclesiasticarum curiam Romanam sequentium, & in ea & in loco ubi curia residebit commorantium provisionibus portare, & portari facere liberè & sine impedimento, per terram, vel per mare, prout duxerint eligendum sine solutione tractæ, pedagii, laudæ, gabellæ impositionis, vel quocumque alio costagio, vel onere vel redhibentia aliquali. Et de provisionibus Romani Pontificis & suorum familiarium & aliarum personarum Ecclesiasticarum, litteris Camerarii nostri Ecclesiæ Romanæ; de provisionibus verò Cardinalium & familiarium suorum, cujuslibet ipsorum Camerarii litteris stabitur & credetur plenariè & absque omni difficultate. Promittis insuper pro te & tuis successoribus in Regno hujusmodi universis, quod nullus Clericus, vel persona Ecclesiastica ejusdem Regni in civili, vel criminali causa convenietur coram Judice seculari, nisi de feudo, & petitorio civiliter forsan ageretur. Non facietis quoque seu edetis, seu fieri aut edi facietis aut permittetis in Regno hujusmodi statuta, constitutiones vel leges contra Ecclesiasticam libertatem, seu per quæ juri aut libertati Ecclesiasticæ in aliquo derogetur. Comites verò Barones, milites & universi homines totius regni prædicti, vivent in ea libertate, & habebunt, illas immutates illaque privilegia, ipsisque gaudebunt quales & quæ antiquis temporibus habuerunt. Præterea exules & exititii regni prædicti seu provinciarum, civitatum, Comitatuum ac omnium locorum ipsius, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducentur in regnum, ac etiam in suis civitatibus, castris, seu locis aliis quibuscumque restituentur eis possessiones & quæcumque immobilia bona, & jura ipsorum, quæ non essent legitimè confiscata. In hujusmodi autem restitutione secundum formam in capitulo de bonis Ecclesiarum restituendis præscriptam tam in notariis quàm in dubiis procedetur. Habebis autem tu & tui Regno successores ipsum regnum, sicut ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere; ea videlicet quæ de Domanio sunt Romanæ Ecclesiæ, in domanium; & alia illo jure modo & forma quibus ad nos & Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; cum nostræ intentionis

existat,

ANNO 1379.

ANNO 1378.

existat, ut per præsentem concessionem alicui in suis possessionibus vel proprietatibus nullum præjudicium generetur, Regio in iis jure semper salvo. Pro toto verò generali censu ipsius Regni quadraginta millia florenorum boni auri ad pondus Cameræ Apostolicæ in festo Beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si verò tu vel tui in dicto Regno heredes quocunque termino non solveritis integrè censum ipsum, & expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de illo ad plenum non satisfeceritis eo ipso eritis excommunicationis sententia innodati; quod si in secundo termino & infra duos subsequentes menses eumdem censum sine diminutione aliqua non persolveritis, totum Regnum Adriæ Ecclesiastico erit suppositum interdicto. Si verò non in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem ejusdem census nobis duxeritis consulendum, ita quod transacto eodem tertio termino infra duos menses ipsum tertium terminum sequentes ipsi Romanæ Ecclesiæ integrè non fuerit satisfactum, ab eodem Regno ipsiusque jure cadatis ex toto, & Regnum ipsum integrè & plenariè ad Romanam Ecclesiam revertatur. Si autem de censu quadraginta millium florenorum prædicto hujusmodi primi termini infra dictos tertium terminum, & duos subsequentes menses plenariè satisfeceritis, nihilominus semper pro singulis quadraginta millibus singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaveritis, vel illa non solveritis, similes pœnas incurretis, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vél fieri poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu. In quolibet etiam triennio dabitis tu & tui in Regno hujusmodi hæredes Romano Pontifici unum palofredum album, pulchrum & bonum, in recognitionem dicti Dominii ejusdem Regni. Ad hæc postquam tu prædictum Regnum acquisiveris, vel tantum de ipso quod etiam si aliquæ civitates vel munitiones, aut alia aliqua Loca ipsius Regni adhuc tibi rebellia fuerint, reputeris & possis ipsius Regni Rex & Dominus reputari, ad dicta quadraginta millia florenorum & palafredum terminis supra dictis, & sub pœnis annotatis superius tenearis, & tui subsequenter hæredes in Regno hujusmodi perpetuo teneantur. Ad hæc si Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit vellet cum sua curia in aliqua civitatum, vel aliarum terrarum seu locorum ipsius Regni Adriæ morari, hoc possit liberè, & absque impedimento quocunque, & cum eisdem libertatibus, privilegiis & immunitatibus, quas Ecclesia Romana tàm de jure quàm de antiquis observantiis habere debet, & usa est temporibus retroactis; & tam circa libratas ordinandas cancellos, rationes domorum, jurisdictione Marescalli libera, & aliorum Officialium Romanæ curiæ, quam aliàs in quibuscunque consistant & qualitercunque retro temporibus fuerit observatum. Tu etiam ad præsens & singuli tui in Regno hæredes, quando facient homagium & juramentum fidelitatis præstabunt, dabitis privilegium vestrum aurea bulla bullatum Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ in quo proprio juramento fatebimini & recognoscetis expresse Regnum Adriæ prædictum ex sola gratia, & mera liberalitate sedis Apostolicæ, vobis de novo fore concessum, vosque recepisse & tenere Regnum hujusmodi à Romana Ecclesia sub pactis, & conditionibus supra dictis. Habebis autem tu militum, balliſtrariorum & aliorum belligerorum hominum comitivam talem, & tantam, quod ad prosecutionem & perfectionem negotii acquisitionis ipsius Regni sufficiens reputetur, & cum arripiendo, & prosequendo iter versus Italiam pro prosecutione negotii quam citius commodè poteris, & ad longius infra duos annos, à data præsentium computandos, debeas Regnum Franciæ exivisse legitimo impedimento cessante; quod si in tua persona esses forsitan impeditus, ut infra dictum terminum personaliter non posses præfato negotio acquisitionis vacare, loco tui talem substitutum seu locum tenentem debeas ordinare, qui judicio Romani Pontificis ad tale & tantum negotium idoneus & sufficiens reputetur. Et si tu personaliter, vel ubi esses in persona propria impeditus, per substitutum vel locum tenentem, ut est dictum, idoneum intra dictum terminum per modum præscriptum, vel saltem infra duos menses finem termini immediate sequentes non inceperis, & prosecutus fueris acquisitionis negotium ante dictum; vel si quod Deus avertat, te interim mori contingeret, ex tunc præsens concessio, infeudatio & omnia quæ in præsentibus litteris continentur, sint nulla, cassa & irrita ipso jure, liceatque Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ de Regno & terris ipsis disponere & ordinare, prout placuerit, & eis videbitur rationabiliter faciendum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, decreti, concessionis, donationis, constitutionis, creationis, voluntatis, dispositionis, collationis, & retentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Spelunga Cajetanæ Diœcesis, XV. Kal. Maji Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1379.

I. Ex Archiv. Angliæ Tom. 7. p. 215.

Bulla pro specialibus honoribus & Favoribus Regis Angliæ: anno 1379.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Lincolniensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

CLara devotionis sinceritas, quam carissimus in Christo filius noster Ricardus Rex Angliæ illustris ad nos & Romanam gerit Ecclesiam, sublimis quoque ejus Magnificentia promerentur, ut non solum ipsum, sed etiam illos, qui ei studio devotionis adhærent, specialibus favoribus & condignis gratiarum provisionibus honoremus. Volentes itaque, præmissorum intuitu, ejusdem Regis honorare Personam, & per honorem, sibi exhibitum, etiam aliis provideri; Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus, vos vel alter vestrum auctoritate nostra, hac vice dumtaxat in singulis, tam Cathedralibus, & Metropolitanis, quàm Collegiatis Ecclesiis secularibus Regni sui Angliæ, Hiberniæ, & Principatus Valliæ, duabus personis idoneis, quas idem Rex duxerit nominandas, singulis, videlicet, ex personis eisdem singulos Cano-

nicatus

ANNO 1379.

nicatus Ecclesiarum ipsarum cum plenitudine Juris Canonici, conferatis & provideatis, etiam de eisdem; facientes singulas personas hujusmodi, in dictis Ecclesiis, auctoritate prædicta, in canonicos recipi & in Fratres: Stallo eis in Choro & loco in Capitulo, ipsarum Ecclesiarum, cum dicti Juris plenitudine assignatis. Ac nihilominus duas Præbendas, & duas Dignitates, seu duos Personatus, vel duo Officia, cum cura, vel sine cura, etiamsi hujusmodi Dignitates in eisdem Cathedralibus majores, post Pontificales, & in Collegiatis Ecclesiis Principales, existant, & ad eas consueverint per electionem assumi, in eisdem singulis Ecclesiis, si quæ, si qui, vel si qua vacant ad præsens, vel cum vacaverint, quas, quos, seu quæ præfatæ Personæ per se, vel Procuratores suos, ad hoc legitimè constitutos, infra unius mensis spatium, postquam eis, vel Procuratoribus supra dictis, de ipsarum Præbendarum, ac dignitatum, Personatuum vel Officiorum, vacatione constiterit, duxerit acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda, videlicet singulas, singulos, vel singula eisdem singulis Personis per acceptationem prædictam, cum omnibus Juribus & pertinentiis suis, donationi vestræ reservetis. Districtius inhibendo locorum ordinariis, & dilectis Filiis capitulis ipsarum Ecclesiarum, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos in dictis Ecclesiis Præbendarum, ac dignitatum, Personatuum, vel Officiorum Collatio, Provisio, Præsentatio, Electio, seu quævis alia dispositio pertinet, communiter vel divisim, ne de præbendis, ac dignitatibus, Personatibus, vel Officiis hujusmodi interim, etiam ante acceptationem prædictam, nisi postquam eis constiterit, quod Personæ, aut Procuratores prædicti, illas, vel illos, seu illa noluerint acceptare, disponere quoquo modo præsumant. Ac hujusmodi Præbendas ac dignitates, Personatus, seu Officia post acceptationem prædictam, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis eorundem, singulas, videlicet, singulos, vel singula, singulis Personis ipsis conferatis, & etiam assignatis. Inducentes per vos, vel alium, seu alios Personas ipsas, vel ipsarum Procuratores, in Præbendarum, ac Dignitatum, seu Personatuum, vel Officiorum, ac Jurium, & pertinentiarum ipsorum, corporalem possessionem. Et defendentes inductas, ac facientes ipsas, vel dictos Procuratores, pro eis, ad hujusmodi dignitates, personatus, seu officia, ut est moris, admitti eisque, de ipsorum canonicatuum, & Præbendarum, ac dignitatum, personatuum, vel officiorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis, integrè responderi; Contradictores per censuram Ecclesiasticam, Appellatione postposita compescendo non obstantibus de certo Canonicorum numero, & aliis quibuscunque statutis & consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum contrariis, Juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui, Apostolica, vel alia quavis auctoritate, in eisdem Ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus, sibi faciendis, de Canonicatibus & Præbendis, ac dignitatibus, seu personatibus, vel Officiis in dictis Ecclesiis speciales, vel de beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales, dictæ sedis, vel Legatorum ejus, litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quibus omnibus, præterquam auctoritate nostra in Ecclesiis ipsius receptis, vel Præbendas, ac Dignitates, Personatus, vel Officia expectantibus in eisdem, dictas personas in assecutione Præbendarum, ac dignitatum, vel Personatuum, seu Officiorum hujusmodi, volumus anteferri; sed Nullum, per hoc, eis quoad assecutione Præbendarum, ac Dignitatum, vel Personatuum seu Officiorum, & Beneficiorum aliorum, præjudicium generari. Aut si eisdem Ordinariis, & Capitulis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, à præfata sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneantur & ad id compelli. Aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quodque de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, Personatibus, vel Officiis ipsarum Ecclesiarum, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, ad eorum Collationem, provisionem, præsentationem, Electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim, vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo, ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Et qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia, generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam Præsentibus, non expressam, vel totaliter non insertam, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuscunque toto tenore, habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si dictæ Personæ præsentes non fuerint ad præstandum, de observandis statutis & consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum, solitum Juramentum, dummodo ipsæ, in earum absentia, per Procuratores idoneos, &, cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud præstent. Seu si quælibet dictarum Personarum unum, duo, aut tria, beneficium, seu beneficia Ecclesiasticum, vel Ecclesiastica, etiam si ipsum unum, aut ipsorum duorum, vel trium, aliquod Curatum, aut Dignitas, vel Personatus, seu Officium fuerit, obtinere noscatur. Volumus autem quod præfatæ Personæ, quæ hujusmodi Curata, beneficia, aut Dignitates, vel Personatus obtinebant, quam primùm, vigore præsentium, Dignitates, vel Personatus, seu Curata, Officia, fuerint pacificè assecutæ, alia Curata, beneficia, aut Dignitates, vel Personatus, quæ tunc obtinebunt, quæ ut præfertur, quæque ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur. Nostræ autem intentionis existit, quod, si hodiè alii, vel aliis, de canonicatibus ipsarum Ecclesiarum, cum reservationibus Præbendarum, ac Dignitatum, Personatuum, seu Officiorum, providimus aut mandavimus provideri, præfatæ Personæ, ut præmittitur nominandæ illis, quibus hodiè providimus seu provideri mandavimus, ut præfertur, in assecutione Præbendarum, ac Dignitatum, Personatuum, vel Officiorum hujusmodi præferantur. Et insuper ex nunc perinde irritum decernimus & inane si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, ac si personæ prædictæ, die datæ præsentium, per ipsum Regem nominatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum V. Id. Maji Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1379.

Con-

ANNO 1382.

II.
Ex. Arch. Angl. Rimer Tom. VII. pag. 352.

Confœderationes cum Hæreticis quacunque firmitate roboratas esse nullas decernit: anno 1382.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

INter sollicitudines varias quibus assiduè premimur illa potissimè pulsat, & excitat mentem nostram, ut circa salutem animarum Christi fidelium solicitis studiis intendamus, & ne fideles ipsi, ex consortio & participatione schismaticorum seu Hæreticorum labefactari valeant, adhibeamus remedia opportuna. Sanè ad nostrum nuper pervenit auditum, quòd tàm cariſſimus in Christo filius noster Venceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex illustris, quàm etiam claræ memoriæ, Carolus Romanorum Imperator, & ipsius Regis genitor, simul, vel successivè, non nullas Confœderationes vel Colligationes, seu ligas, & conventiones cum diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus ac Magnatibus, Nobilibus, & certis aliis, inierunt seu fecerunt, & quod aliqui ex hujusmodi Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, seu Nobilibus, aut aliis tunc erant seu postea sunt effecti schismatici seu Hæretici manifesti, Colligationes, & ab unitate Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non sint: Nos igitur, attendentes quod hujusmodi Confœderationes, & Ligæ, seu Conventiones, factæ cum hujusmodi Hæreticis aut Schismaticis, postquam tales effecti erant, sunt temeratiæ, illicitæ, & ipso jure nullæ & si fortè ante ipsorum lapsum in schisma, seu Hæresim, initæ seu factæ fuissent, etiamsi forent Juramento, vel fide data firmatæ, aut confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratæ, postquam tales, ut præmittitur sunt effecti eo ipso tam idem Rex, quàm alii, qui forsan una cum eo hujusmodi Confœderationes, Colligationes, & Ligas, seu conventiones, cum talibus inierunt seu fecerunt, & ad quos hujusmodi Confœderationes, Colligationes, Ligæ, seu conventiones quomodolibet extendi possunt, & quorum interest vel interesse poterit ab earum observatione absoluti existunt, illasque ipsis servare non debent. Quinimo ipse Rex hujusmodi Schismaticos & Hæreticos, ratione Imperii, ad quod Electus & per nos approbatus existit, in favorem Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ, cujus est Advocatus, pro posse persequi tenetur, quodque omnis communio cum talibus Hæreticis seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial. Et cupientes, super his, animarum saluti, & honori, ac statui ejusdem Regis, & aliorum quorum interest, ut præfertur salubriter providere, ac periculis & scandalis, quæ ipsis exinde provenire possent, utiliter præcavere; eundem Regem & omnes illos quorum interest, vel interesse poterit, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus fuisse, & esse ab earumdem Confœderationum, Colligationum, Ligarum, & conventionum observatione penitùs absolutas, & ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus, & nullius esse decernimus firmitatis. Et insuper, cupientes animarum periculis obviare, tam eidem Regi, quàm etiam omnibus hujusmodi aliis, quorum interest, seu interesse potest, tenore præsentium, districtiùs inhibemus, ne Confœderationes, Colligationes, Ligas, aut conventiones hujusmodi aliquatenus observent, seu ab illis servari quomodolibet permittant. Decernentes ex nunc irritum & inane quicquid in contrarium, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Declarationis, cassationis, irritationis, inhibitionis, vel Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum III. Calendas Aprilis Poniificatus nostri anno quarto.

ANNO 1382.

III.
Ex histor. Universit. Parisiens. Bulæi Tom. IV. pag. 604.

Adversus Mendicantes qui sacramentorum Administrationem & sacras Conciones habere, multa item Ecclesiastica munia obire contendebant: anno . . . .

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Religiosis cujuscunque Professionis vel Ordinis præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ET si animarum affectantes salutem &c. Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus officio, & infra. Universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute S. Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus Parochianos diebus Dominicis & festivis non recipiatis de cætero in Ecclesiis, seu Oratoriis vestris temerè ad divina, nec ipsos sine licentia Sacerdotis, ad Pœnitentiam aliqualiter admittatis, cum si quis alieno Sacerdoti justa de causa sua voluit confiteri peccata sua, secundum statuta Concilii generalis licentiam prius postulare ac etiam obtinere debet à proprio Sacerdote, vel aliàs sibi primo confiteri, & recipere absolutionis Beneficium ab eodem. Aliter namque ipse absolvi non poterit, cum duplex in judicando funiculus pietatis & scientiæ requiratur, quorum alterum in alieno constat deficere Sacerdote. Et ne Parochialibus Ecclesiis, devotio debita subtrahatur ante missarum solemnia ad quæ audienda Parochiani prima diei parte in suis consueverunt, & debent Ecclesiis convenire. Nequaquam enim Ecclesiis vestris supra dictis nec hora ipsa solemnes eis faciatis sermones, ne propter hoc audiendos ad vos populus confluens Parochiales Ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum solemniter ad alias Parochias accedatis nisi à Sacerdotibus earum Parochiarum fueritis invitati, vel saltem ab illis humiliter petieritis & obtinueritis vos admitti. Et ut debitus honor Episcopis deferatur, eadem die, qua Diœcesanus Episcopus, vel alius loco ejus solenniter prædicat maximè in Ecclesia

ANNO 1383.

clesia Cathedrali, nullus vestrum in ea Civitate, vel loco prædicare præsumat, ne salubris prædicationis Doctrina ex frequenti inculcatione quasi tædium generet & contemnatur, si verò in casu licito Parochianos alterius ad sepulturam, quam nemo sine justa, & rationabili causa temerè debet eligere, antiquis Parentum suorum dimissis sepulturis, in vestris Ecclesiis vos recipere contingat, omnium quæ obtentu hujusmodi sepulturæ fuistis consecuti, medietatem, vel tertiam partem, vel quartam juxta felicis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri Decretum, & secundum consuetudinem regionis, etiam non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum, Episcopo vel Sacerdoti de cujus Parochia mortuus est assumptus exhiberi curetis. Et infra. Si quis verò vestrum hujusmodi præcepti transgressor provisionis nostræ extiterit, vel contra prædicta, vel aliquid prædictorum venire præsumpserit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam de facto ipsum incurrere volumus, gravi suo periculo subjaceat, & nihilominus à loci Diæcesano ad præmissa omnia & singula observanda censura Ecclesiastica omni appellatione remota districtius compellatur, nullis ei contra hoc Indulgentiis, vel Privilegiis Apostolicis valituris. Datum Neapoli XI. Calendas Decembris Pontificatus Nostri anno septimo.

Ad Imperatorem contrà Confœderationes cum Hæreticis: anno 1383.

IV. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 7. p. 392.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo filio Venceslao Romanorum & Bohemiæ Regi illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

NUper cum ad nostram perveniisset notitiam, quod olim tam tua seneritas, quàm etiam claræ memoriæ Carolus Romanorum Imperator, & Genitor tuus, simul vel successivè nonnullas confœderationes, vel colligationes seu Ligas, aut Conventiones, cum diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, Nobilibus, & aliis Magnatibus qui tunc erant, seu postea sunt effecti schismatici seu Hæretici manifesti, & ab unitate Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non essent. Nos attendentes quod hujusmodi Confœderationes, Colligationes, & Ligæ seu conventiones, factæ cum hujusmodi Hæreticis aut Schismaticis, postquam tales effecti fuerant, erant temerariæ, illicitæ, & ipso jure nullæ, & si forsan ante ipsorum lapsum in schisma seu Hæresim initæ, seu factæ fuissent, etiam si forent juramento, vel fide data firmatæ, aut confirmatione Apostolica, vel quacumque alia firmitate roboratæ, postquam tales, ut præmittitur fuerant effecti, eo ipso, tam Tu, quàm illi, qui forsan, una tecum hujusmodi confœderationes, Colligationes, ligas, seu Conventiones cum talibus inierant, seu fecerant, & ad quos hujusmodi Confœderationes, Colligationes Ligæ, seu Conventiones quomodolibet extendi poterant, & quorum interest, vel interesse poterat, ab eorum observatione absoluti eratis, illasque ipsis servare non debebatis, quinimò tu hujusmodi schismaticos & Hæreticos, ratione Imperii, ad quod Electus, & per nos approbatus existebas prout existit in favorem Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ, cujus es Advocatus, pro posse prosequi tenebaris, ac teneris, quodque omnis communio cum talibus Hereticis seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial. Et cupientes super his tuæ & aliorum animarum saluti & honori, ac statui tuo & aliorum, quorum interest, ut præfertur, salubriter providere, ac periculis & scandalis, quæ tibi & ipsis exinde provenire poterant, utiliter præcavere. Et te, & alios omnes, quorum interest & interesse poterat, auctoritate Apostolica, per nostras litteras, declaravimus fuisse, & esse ab earumdem Confœderationum, Colligationum, Ligarum, & conventionum, observatione penitùs absolutos, & ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerant, cassamus, irritamus, & nullius esse decrevimus firmitatis: Et insuper cupientes animarum periculis obviare, tam tibi quàm omnibus, etiam hujusmodi aliis, quorum interest, seu interesse poterat, districtius inhibuimus, ne Confœderationes, Colligationes, ligas, aut Conventiones hujusmodi aliquatenus observaretis, seu ab illis servare quomodolibet permitteretis.

Decernentes ex tunc irritum, & inane quicquid, in contrarium, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ideoque magnificentiæ tuæ paterno suademus affectu, ut præmissa prudenter consideres & hujusmodi declarationem & inhibitionem nostras diligenter studeas observare, & facere ab illis observare.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XV. Calendas Maii Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1388.

Institutio Universitatis studii generalis ad Normam Academiæ Parisiensis in Urbe Colonienſi: an. 1388.

V. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1253.

URBANUS EPISCOPUS;

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula superni dispensatione consilii, licet immeriti, constituti, ad universas fidelium regiones nostræ vigilantiæ creditas, earumque profectus, & commoda tamquam Universalis gregis Dominici Pastor, commissæ nobis speculationis apicem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quærendum litteratum studia, & scientiæ margaritam, cujus, dum invenitur, glorioſa est possessio, & fructus suavissimi, per quam pelluntur ignorantiæ nubila, ac erroris eliminatâ caligine mortalium curiosa solertia suos actus, & opera disponit, & ordinat in lumine veritatis, per quam etiam divini nominis, fideique Catholicæ cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quàm privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur.

Ob hoc igitur magno, nec mirum, desiderio ducimur, ut litterarum studia, in quibus pretiosa ipsius scientiæ margarita reperitur, laudanda suscipiant incrementa, frequentiùs invalescant præsertim in locis illis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina

salu-

ANNO 1388.

salubria producenda, apta, & idonea dignoscuntur.

Nos præmissa attendentes, & etiam fidei puritatem, & devotionem eximiam, quam dilecti Filii ..... Consules ..... Scabini, Cives, & commune civitatis Colonienſis devoti noſtri & Eccleſiæ Romanæ filii ab olim ad ipſam Eccleſiam, & nos habuiſſe dignoſcuntur, illamque ſucceſſione temporum de bono in melius ſtuduerunt augmentare, dignum ducimus, & æquitati conſonum exiſtimamus, ut civitas ipſa, quam divina gratia multarum prærogativa bonitatum, & fœcunditate virtutum gratioſè dotavit, ſcientiarum etiam ornetur muneribus, & etiam amplietur, ita ut viros producat conſilii maturitate conſpicuos, virtutum redimitos honoribus, & diverſarum facultatum dogmatibus eruditos, ſitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant univerſi litterarum cupientes imbui documentis.

Præmiſſis igitur diligenti examinatione penſatis non ſolùm ad ipſius civitatis, ſed etiam regionum circumjacentium incolarum commodum, & profectum, paternis affectionibus anhelantes, dictorum etiam Conſulum, Scabinorum, civium, & communis gratiam noſtram ſuppliciter implorantium, in hac parte devotis ſupplicationibus favorabiliter annuentes, ad laudem divini nominis, & fidei propagationem Orthodoxæ, auctoritate apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta civitate Colonienſi ſit de cætero ſtudium Generale ad inſtar ſtudii Pariſienſis, illudque perpetuis futuris temporibus vigeat tam in Theologiæ, & Juris Canonici, quam alia qualibet licita facultate, quodque legentes, & ſtudentes ibidem omnibus libertatibus, & immunitatibus conceſſis Magiſtris in Theologia ac Doctoribus Legentibus, & Studentibus commorantibus in dicto Pariſienſi ſtudio generali gaudeat.

Inſuper civitatem, & ſtudium præfata ob profectus publicos, quos exinde provenire ſperamus, amplioribus honoribus proſequi intendentes auctoritate ordinamus eadem, ut ſi qui in eodem ſtudio Colonienſi fuerint, qui proceſſu temporis Bravium meruerint in illa facultate, in qua ſtuduerunt, obtinere, ſibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac Magiſterij, ſeu Doctoratus honorem petierint elargiri per Magiſterii, ſeu Magiſtros, Doctorem, vel Doctores illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Præpoſito Eccleſiæ Colonienſis, qui pro tempore fuerit, vel ejus ſufficiente idoneo, quem ad hoc idem Præpoſitus duxerit deputandum, Vicario, Præpoſituráve verò ipſius Eccleſiæ vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios Capitulum ipſius Eccleſiæ deputatus extiterit, præſententur, idemque Præpoſitus, vel Vicarius, aut Deputatus, ut præfertur, Magiſtris, & Doctoribus in eadem facultate actu inibi regentibus convocatis, illos ſic præſentatos in his, quæ circa promovendos ad Magiſterii, ſeu Doctoratus honorem requiruntur juxta modum, & conſuetudinem, quæ ſuper talibus in generalibus ſtudiis obſervantur, obſervatis, examinare ſtudeat diligenter, eisque, ſi ad hoc ſufficientes, & idonei reperti fuerint, hujuſmodi licentiam tribuat, & Magiſterii, ſeu Doctoratus honorem conferat, & etiam largiatur.

Illi verò, qui in eodem ſtudio dictæ civitatis examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem hujuſmodi obtinuerint, ut eſt dictum, ex tunc absque examine, & approbatione alia, legendi, & docendi tam in civitate prædicta, quàm in ſingulis aliis generalibus ſtudiis, in quibus voluerint legere, & docere, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam habeant facultatem.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, & ordinationis infringere vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Peruſii XII. Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno undecimo.

ANNO 1392.

BONIFACIUS NONUS, PONTIFEX CCV.

ANNO DOMINI MCCCLXXXIX.

BOnifacius priùs Petrus Thomacellus Urbano VI. ſucceſſit eo tempore, quo Cardinales qui Avenione degebant Clementem VII. & Benedictum IX. elegerunt. Homo imperitus, Annatarum Auctor, nimium in Conſanguineos indulgens. Obiit anno 1404. ſedis anno 15. fermè. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1527. *fol.* 272. *App.*)

Ex op. Diplom. Miræi Tom. 2. p. 1254.

Libertates, immunitates & Privilegia oppidi Lovanienſi à Prædeceſſoribus ſuis, à Regibus, aliisque Principibus conceſſa confirmat: anno 1392.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Abbati Monaſterii Parchenſis, Leodienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

MAgnæ devotionis, & ſinceritatis effectus, quem dilecti filii Scabini, & communitas villæ Lovanienſis Leodienſis Diœceſis, ad Nos, & Romanam Eccleſiam non ſine magnæ laudis præconio, gerere dignoſcuntur, digne meretur, ut votis eorum, illis præſertim, per quæ ipſorum ſtatus augeri ſperatur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

Sanè petitio pro parte prædictorum Scabinorum, & Univerſitatis nobis nuper exhibita continebat, quod olim felicis recordationis Urbanus Quartus, & ſucceſſivè Gregorius XI. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri litteras eorum ipſis Scabinis, & Univerſitati duxerunt concedendas, quas etiam noſtræ petierunt confirmationis munimine roborari, quarum quidem litterarum tenores ſunt tales.

GREGORIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scabinis, & communitati Villæ Lovanienſis Leodienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Devotionis veſtræ ſinceritas, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam geritis, promeretur, ut paterno profequentes affectu petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus.

Tenores ſiquidem quarumdam litterarum felicis recordationis Urbani Papæ Quarti Prædeceſſoris

ANNO 1392.

cessoris nostri, quæ incipiunt *Vetustate consumi*, & quas inspici, & examinari fecimus diligenter de verbo ad verbum, ad vestræ petitionis instantiam, præsentibus annotari fecimus, qui tales sunt.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scabinis, & communitati villæ Lovanienſis Leodienſis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ sedis benignitas sincerè obsequentium vota fidelium favore benevolo prosequi consuevit, & illorum personas, quas in sua devotione promptas invenerit, & ferventes, quibusdam titulis decentiùs decorare.

Ut igitur ex devotione, quam ad nos, & Romanam Ecclesiam habere noscimini, sentiatis vobis favorem Apostolicum accrevisse, vestris precibus inclinati, quod auctoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus, quæ de hac indulgentia plenam, & expressam de verbo ad verbum mentionem non fecerint, trahi extra villam Lovanienſem ad Judicium nequeatis inviti, quandiù parati fueritis coram vestro ordinario infra terminos ejusdem villæ de vobis conquerentibus stare juri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, eadem auctoritate nihilominùs decernentes, ut si aliquid contra hujusmodi nostræ concessionis tenorem à quoquam extiterit propria temeritate præsumptum sit irritum, & inane, et si fortè aliquæ sententiæ in vos hac occasione prolatæ fuerint nullum robur obtineant firmitatis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii 16. Nonas Julii Pontificatus nostri anno primo. Item

URBANUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii Affligemensis Ordinis sancti Benedicti Cameracensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Cum dilectis Filiis Scabinis, & Communitati villæ Lovanienſis Leodienſis Diœcesis ex speciali gratia duxerimus concedendum, quod auctoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus extra villam Lovanienſem ad judicium nequeant evocari quandiù parati fuerint coram suo Ordinario infra terminos ejusdem villæ de ipsis conquerentibus stare juri, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs non permittas ipsos super his contra concessionis nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo.

Datum Viterbii 6. Nonas Julii Pontificatus nostri anno primo. Item

URBANUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scabinis, & communitati villæ Lovanienſis Leodienſis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Ea propter, dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, ac immunitates sive privilegia, seu alias indulgentias, à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & Regibus, Principibus, & Comitibus, vel aliis Christi fidelibus, sub quacumque forma, vel expressione verborum rationabiliter vobis concessas, nec non bonas consuetudines, quas hactenus observastis, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii 3. Nonas Julii Pontificatus nostri anno primo.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati supra dictas litteras, & contenta in eis auctoritate Apostolica innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; per hoc autem nullum Jus nobis de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodò observari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud villam novam Ammonensis Diœcesis 6. Idus Augusti Pontif. nostri an. primo.

Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi Scabinorum, & Universitatis, ut etiam devotio hujusmodi eorum ad nos, & prædictam Ecclesiam ferventius augeatur, in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua in his, & aliis fiduciam in Domino gerimus singularem, per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi litteris per te diligenter visis, & examinatis, si eas veras, & omni suspicione carentes, & per ipsos Prædecessores concessas fore inveneris, super quibus tuam conscientiam oneramus, eam auctoritate nostra approbes, & confirmes, non permittens eosdem Scabinos, & communitatem contra ipsorum Prædecessorum, prædictarum, & nostrarum litterarum hujusmodi tenorem per aliquem seu aliquos communiter, vel divisim molestari indebitè vel vexari. Nihilominus processus quos super his per te forsan haberi contigerit, quoties expedierit, & prout justum fuerit, aggravare procures, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio Brachii sæcularis; Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus communiter, vel divisim à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Perusii II. Kalendas Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1409.

ALEXANDER QUINTUS, PONTIFEX CCVIII.

ANNO DOMINI MCDIX.

VIde Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 287.

Mendicantibus permittit ubique Evangelia prædicare, sacramenta administrare, cæteraque munia, quæ Parochi obire solent: anno 1409.

Ex histor. Parisiens. Universit. Bulæi Tom. V. pag. 196.

ALEXAN-

ANNO 1409.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Electis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

REgnans in excelsis triumphans Ecclesia, cui Pastor est Pater æternus, cuique sanctorum ministrant agmina & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris sibi Vicarium constituit, Ecclesiam militantem unigenito filio Dei vivi Domino nostro Jesu Christi ineffabili commercio copulatam: in hac quidem ipse Christus à Patre progrediens per illustrationem Paracleti qui ab utroque procedit, statuit fidei sacramentum ut ab ea velut à primitivo fonte ad singulas Orthodoxas Nationes ejusdem fidei rivuli deriventur, ad hujusmodi autem Ecclesiæ regimen voluit Christi Clementia Rom. Pontificem deputare ministrum, cujus institutionem, ac doctrinam eloquio veritatis Evangelicæ traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant & observent. Qui enim sub hac doctrina cursus vitæ non peregerint, aut errores contra illam tenuerint, damnationis sententia ferientur. Sanè dudum felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster in constitutione sua quæ incipit, super Cathedram, quam piæ memoriæ Clemens V. etiam Prædecessor noster postea Viennensi Concilio innovavit super prædicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum Confessionibus, pœnitentiis injungendis eisdem & tumulandis defunctorum corporibus qui apud prædicatorum & minorum ordinum fratrum Ecclesias seu loca suam eligerent sepulturam. Quæ quidem constitutio etiam successivè ad Eremitarum S. Augustini & B. Mariæ de monte Carmelo Ordinum fratres per sedem Apostolicam extensa fuit, authoritate Apostolica statuit & etiam ordinavit ut dictorum ordinum fratres in Ecclesiis & locis eorum, & in plateis communibus liberè valeant Clero & populo prædicare & proponere verbum Dei, horâ illâ duntaxat excepta in quâ vellent Prælati Ecclesiarum coràm se facere solemniter prædicare, in qua fratres ipsi prædicare cessarent, præterquam si aliud de ipsorum prælatorum consensu procederet ex licentia speciali. In studiis autem generalibus, ubi sermones ex more fieri solent diebus illis quibus prædicari solemniter consuevit, ad funera etiam mortuorum & in festis specialibus, seu etiam peculiaribus eorundem fratrum possent iidem fratres & liceret eis prædicare liberè, nisi forsan in illâ horâ quâ solet ad Clerum in prædictis locis, seu studiis proponi verbum Dei, Episcopus, vel Prælatus superior Clerum ad se generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel causa urgente Clerum ipsum duceret congregandum.

In Ecclesiis autem parochialibus fratres illi nullatenùs auderent, nec deberent prædicare, vel proponere verbum Dei, nisi fratres ipsi à Parochialibus Sacerdotibus invitati, vel vocati fortassis existerent, vel de ipsorum placito, vel assensu petita licentia; vel obtenta foret, nisi Episcopus, vel Prælatus per eosdem fratres prædicari mandaret. Statuit etiam & ordinavit idem Bonifacius Prædecessor authoritate prædictâ ut in singulis Civitatibus & Diœcesibus in quibus loca fratrum ipsorum consistere noscerentur, ac in Civitatibus & Diœcesibus & locis ipsis vicinis; in quibus locis hujusmodi non habentur Magistri, Priores Provinciales Prædicatorum & eorum Vicarii, ac Generales, ac Provinciales Ministri, ac Custodes minorum & Prædicatorum ordinum præfatorum ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferrent per se, vel fratres quos ad hoc idoneos fore putarent, ut fratres qui ad hoc electi forent, in eorum Civitatibus & Diœcesibus *Confessiones subditorum sibi confiteri volentium audire valerent*; & hujusmodi confitentibus, prout secundum Deum cognoscerent, imponerent pœnitentias salutares & eisdem beneficium absolutionis impenderent, gratia & beneplacito eorundem, ac deinde prædicti Magistri, Priores Provinciales & Ministri ordinum prædictorum eligere studerent personas sufficientes idoneas, vita probatas, discretas atque peritas ad tam salubre Ministerium, & Officium exequendum, quas sic ab ipsis electas præsentarent, vel facerent præsentari prælatis antedictis, ut de eorum licentia & beneplacito in Civitatibus & Diœcesibus eorumdem hujusmodi personæ sic electæ confessiones sibi confiteri volentium audirent & eis imponerent pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent, prout superiùs est expressum. Et alia rationabilia & utilia dictus Bonifacius Prædecessor ordinavit & statuit, prout in eadem constitutione pleniùs exprimitur. Postea verò ad piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris notitiam deducto quod quondam Joannes de Poliaco in Sacra Theologia Magister in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ Sacramentum, non sobriè, sed perperam sapiebat, infra scriptos articulos periculosos continentes errores doceret publicè in suis prædicationibus & in scholis. Primum siquidem astruens quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones teneantur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. 2. Quod stante statuto: *omnis utriusque sexus*, in concilio generali Rom. Pontifex non potest facere quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat esse Parochialem curatum; nec Deus posset hoc facere; quoniam ut dicit, implicat contradictionem. 3. Quod Papa non posset dare tum generalem potestatem audiendi confessiones, imò nec Deus, quin confessus habens generalem licentiam, teneatur eadem iterum confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, Parochialem curatum. Prædictus Joannes prædecessor volens scire si suggesta sibi in ea parte veritatem haberent, præfatum Joannem de Poliaco de Fratrum suorum Consilio evocari, atque vinculorum suorum copiam eidem Magistro Joanni tradi fecit, & ad defensionem suam audientiam plenam sibi præbuit, tam in suâ dictorumque fratrum præsentiâ & in Consistorio, quàm alibi coram aliquibus fratribus ipsis per eum ad hoc deputatis, si præfatus magister dictos articulos & contenta in ipsis defendere niteretur. Qui quidem Magister Joannes asserebat se paratum credere & tenere in præmissis & aliis quæ credenda & tenenda fides Apostolica definiret, præfatusque Joannes prædecessor attendens quod dictorum articulorum assertio, prædicatio & doctrina redundare poterat in multarum perniciem animarum, ipsos per plures Magistros in Theologia examinari fecit diligenter, & ipse etiam cum dictis fratribus suis collationem solemnem habuit super præmissis, per quas

ANNO 1409.

ANNO 1409.

quidem collationem & examinationem ſuper hoc præhabitas comperit prædictos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multum & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & ſingulos idem M. Joannes veris ſibi rationibus opinioni ſuæ dudum habitæ contrariis in eodem Conſiſtorio revocavit aſſerens eos non veros; ſed contrarium verum eſſe, cum diceret ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere. Ideòque ne per aſſertionem, prædicationem & doctrinam hujusmodi in errorem, quod abſit, animæ ſimplicium prolaberentur, omnes prædictos articulos & quemlibet eorum tanquam falſos & erroneos & à doctrina ſana devios idem Joannes prædeceſſor authoritate Apoſtolica damnavit & reprobavit, de fratrum ſuorum conſilio prædictorum doctrinam ipſis contrariam veram eſſe & Catholicam aſſerens, quòd illi qui prædictis fratribus confiterentur, non magis tenerentur eadem peccata iterum confiteri quàm ſi aliàs illa confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, juxta dictum Concilium Generale optans veritatis vias notas etiam fidelibus & cunctis erroribus aditum præcludere felicis recordationis, Alexandri Papæ IV. & Clement. IV. Rom. Pontificum Prædeceſſorum veſtigia imitando univerſis & ſingulis diſtrictiùs inhibuit ne quisquam dictos articulos per eundem Joan. Prædeceſſorem damnatos & reprobatos & contenta in eis, vel aliquo ipſorum ut pote à Catholicis mentibus reſpuenda tenere auderet, ac defenſaret; ac univerſis & ſingulis Patriarchis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Electis per Apoſtolica ſcripta præcipiendo, mandavit ut in Civitatibus & Diœceſibus eorum, convocato Clero communiter præmiſſa omnia & ſingula per ſe vel alios publicaret ſolemniter: nec non eidem Joanni mandavit ut ipſe in ſcholis, vel ſermone Pariſius prædictos articulos & contenta in eisdem tanquam veritati contraria propriæ vocis oraculo & aſſertione conſtanti publicè deberet revocare: Et etiam ſe facturum illud dictus Joannes de Poliaco efficaciter repromiſit. Cum autem ſicut nuper fratrum prædicatorum & Minorum prædictorum, ac etiam Eremitarum Sancti Auguſtini & B. Mariæ de monte Carmelo Ordinum lamentabilis querela ad noſtrum perduxit auditum, nonnulli Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ ac utriusque ſexus homines, nedum prædictos damnatos articulos prorſus erroneos & ſacris Canonibus contrarios etiam publicè non verentur aſtruere, & per illos proprias & multorum ſimplicium animas inficere, illosque à devotione eorundem fratrum ordinum prædictorum avertere, & ne Chriſti fideles ſua peccata fratribus ipſis confiteantur, damnabiliter detrahere ſatagant, etiam contra eandem Conſtitutionem Bonifacii Prædeceſſoris ſuper hoc editam, ut præfertur: qui quidem adjecti erronei articuli ſequuntur per ordinem, in hæc verba. Primus ut videtur articulus talis eſt. *Confeſſus fratri admiſſo in forma, Dudum, tenetur, eadem peccata in numero iterum Curato confiteri?* Damnatur per Joannem Papam XXII. in ſtatuto quod incipit, vas Electionis. 2. Concluſiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joan. 22. Sunt ſatis veræ, & à quocunque litterato ſufficienter poſſunt teneri. Statutum Joannis XXII. editum, Vas Electionis, eſt irritum & inane, quia cum illud fecit, erat hæreticus, & per conſequens quidquid fecit prædictus Joannes ſive mendicantibus, ſive aliis ante revocationem, inane fuit. Stante ſtatuto *omnis utriusque ſexus*, nec Deus, nec Papa de potentia ſua poteſt facere quin confeſſus fratri mendicanti admiſſo, iterum teneatur confiteri ſuo Curato. *Confeſſio fratribus admiſſis facta eſt dubitabilis & incerta*; quapropter omnes tenentur dimittere incertum; & ſic ſolum confiteri ſuis ſacerdotibus curam animarum habentibus ſub pœna peccati mortalis. *Quamvis fratres admiſſi habeant authoritatem abſolvendi & audiendi Confeſſiones*, tamen Populus ſubjectus non habet poteſtatem accedendi ad mendicantes admiſſos ſine licentia proprii Sacerdotis; & fratres petentes privilegia pro confeſſionibus audiendis & ſepulturis habendis, ſunt in peccato mortali & excommunicati: & Romani Pontifices talia privilegia concedentes Mendicantibus, aut eisdem confirmantes, ſunt in peccato mortali & excommunicati. *Fratres non ſunt, aut fuerunt Paſtores, ſed fures, latrones & lupi.* Sacerdos curatus dans licentiam mendicantibus audiendi confeſſiones, magis diſpenſat cum ſtatuto, *omnis utriusque ſexus*, quàm Papa fratribus dans licentiam juxta formam decretalis *Dudum*. Nos verò attendentes quod minus pernicioſum eſſet antiquos, dudum ut præmittitur, per eundem Joannem prædeceſſorem cum tanta ſolemnitate & maturitate damnatos & reprobatos & etiam hujusmodi novos articulos per nos veluti erroneos & etiam eisdem Canonibus contrarios ſeverè adſtruere, vel docere, nec non in hac parte ſalubriter providere volentes, eosdem novos articulos, & quos Nos etiam una cum fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus maturè, prout tanti negotii qualitas exigit, vidimus & examinavimus, nec non etiam per plerosque in ſacra Theol. Magiſtros, ac quosdam Doctores in Jure Canonico recenſeri fecimus diligenter, per quam quidem examinationem reperimus etiam ipſos novos fuiſſe & eſſe falſos, confictos & erroneos, ac eisdem Canonibus contrarios, & propterea ipſos, ut tales de eorundem fratrum conſilio damnamus & reprobamus. Volentes quod ſi quis deinceps prædictos articulos aſſerere, aut in Scholis vel alibi gloſſare, defendere ſeu tenere, aut prædicare præſumpſerit, tanquam hæreticus ſit cenſendus, & excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, à qua niſi per ſummum Pontificem, præterquam in mortis articulo, non poſſit abſolvi. Quo circa Univerſitati veſtræ mandamus, quatenus univerſi & ſinguli veſtrum convocato Clero Civitatum & Diœceſeon veſtrarum, eis præmiſſa omnia & ſingula per vos, vel alios ubi & quando ſuper hoc per eosdem fratres, ſeu eorum aliquem, aut alios requiſiti fuerint, authoritate noſtra ſolemniter publicetis, ac etiam per Rectores ipſarum Parochialium Eccleſiarum, Civitatum & Diœceſeon præfatarum in hujusmodi Parochialibus Eccleſiis publicari faciatis. Et ſi quos forſan hujusmodi damnatos articulos novos & veteres, aut eorum aliquem, ſeu aliquos aſtruere, vel tenere, ſive prædicare repereritis, contra illos communiter, vel diviſim tanquam hæreticos, ſeu de Catholica fide ſuſpectos procedere, nec non ipſos & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſuum qualitatem per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris opportuna remedia, authoritate prædicta compeſcere, nec non ad obſervandam dictam conſtitutionem præfati Bonifacii prædeceſſoris juxta ejus tenorem compellere ratione prævia ſtudeatis. Contradictores, &c. Non obſtantibus prædictis quæ incipit, *omnis utrius-*

ANNO 1409.

que

ANNO 1410.

que Sexus, ac aliis Constitutionibus contrariis quibuscunque. Datum Pisis 4. Id. Octob. Pontif. anno primo.

JOANNES XXII. DICTUS XXIII.

PONTIFEX CCIX.

ANNO DOMINI MCDX.

IOannes qui ultimus hujus nominis temere Pontificatum iniit, nempè quum legatus à latere à Prædecessore suo Bononiam mitteretur, conducto milite eam cum magnâ Flaminiæ parte in potestatem Ecclesiæ redegit, tùm Alexandro defuncto Cardinalibus convocatis ipse militibus stipatus vi Petri Clamydem sibi imponens *Papa*, ait, *sum ego*. Demùm à Concilio Constantiensi cum aliis Schismaticis Pontificibus Pontificatui suo renunciare coactus fuit; sedit annos quinque. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1527. *Tom. I. fol.* 287. *App.*)

I. Ex histor. universi. Parisiens. Bulæi Tom. 5. pag. 204.

Revocatoria Bullæ Alexandri V. Prædecessoris de Privilegiis Mendicantium propter turbas in Clero Gallicano obortas: ann. 1410.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

IN Apostolicæ sedis specula licet immeriti disponente Domino constituti ad procurandum cunctis Christi fidelibus pacis commoda libenter intendimus, eorumque scandalis quantum possumus, obviamus. Dudum siquidem cum querela dilectorum filiorum Fratrum ordinum Prædicatorum & Minorum, nec non Eremitarum S. Augustini, ac B. Mariæ de Monte Carmelo ad felicis recordationis Alexandri Papæ V. Prædecessoris nostri perveniſſet auditum, quod nonnulli Clerici & Ecclesiasticæ personæ ac utriusque Sexus homines certos articulos quos iidem fratres dicebant erroneos tangentes materiam Clementinæ *Dudum* in præjudicium ipsorum fratrum astruere publicè præsumebant, præfatus Alexander Prædecessor 4. Id. Oct. Pontificatus sui An. I. per suas certi tenoris litteras quæ incipiunt, *Regnans in excelsis* certo modo super hoc providit, ac disposuit prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem prout nuper nobis qui dicto Alexandro Prædecessore sicut Domino placuit sublato de medio, fuimus divinâ favente Clementia, ad apicem summi Apostolatus assumpti, non sine gravi mentis turbatione innotuit in diversis mundi partibus inter alios Christi fideles, ac Episcopos fratres occasione publicationis dictarum litterarum magna scandala sint exorta, & nisi super his de opportuno remedio celeriter provideatur, majora verisimiliter timeantur in posterum exoriri. Nos super his prout ex debito nobis injuncti pastoralis tenemur officii salubriter providere & scandalis hujusmodi obviare cupientes, volumus, & Authoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio, tenore præsentium decernimus pro partibus ipsis, nec non rebus, juribus & causis, de quibus in eisdem litteris fit mentio, in eodem statu per omnia remanentibus prout erant ante confectionem dictarum litterarum, prædictæ litteræ ac processus habiti per easdem, & quæcumque inde secuta ex nunc in antea, perinde habeantur ac si litteræ, ac processus hujusmodi nullatenus emanassent. Districtius inhibentes ne quis in posterum dictis Prædecessoris nostri litteris uti, aut earum authoritati, vel vigori inniti præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c.

Datum Bononiæ 5. Kal. Julii Pontificatus nostri anno I.

ANNO 1412.

II. ibid. Tom. 5. pag. 226. 227.

Parisiensi Universitati indulget, ut Cancellarius Parisiensis possit absolvere Magistros, & Scholares ab omnibus Censuris; & causæ universitatis quæ in Romanâ Curiâ disceptari solebant, in Curiâ Episcopali Parisiorum disceptentur: anno 1412.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Joanni de Gerſono Cancellario Parisiensi, salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm juxta officii nostri debitum conversionem diligamus ab intimis peccatorum, libenter se convertentibus manum porrigimus adjutricem, ac modis quibus possumus, allicimus convertendo, scientes nihil Deo esse acceptius quàm lucrum perquirere animarum. Sanè cum nonnullas personas tam Ecclesiasticas quàm Laïcales dilectæ filiæ nostræ Universitatis Parisiensis studii, ac suppositorum ejus diversis peccatis, nec non excommunicationum, suspensionum & interdicti sententijs ac votorum emissorum observantiis innodari contigerit hactenus, sicut accepimus & possit contingere verisimiliter in futurum, & pro absolutionibus, dispensationibus ac votorum commutationibus & aliis in præmissis impetrandis ex multis ingentibus causis personis illis ad Rom. Curiam proficisci reddatur discriminosum quamplurimum, Nos animarum personarum hujusmodi saluti providere salubriter, illasque ad gremium S. Matris Ecclesiæ reducere ac earumdem parcere laboribus, periculis & expensis paternaliter cupientes, discretioni tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate nostra in foro conscientiæ absolvendi in forma Ecclesiæ consueta quascumque personas Scholasticas actu Parisius pro tempore studentes de Universitate dicti studii, seu suppositorum ejus usque ad triennium proximè secuturum, si hoc humiliter petierint, à quibuscumque peccatis, excommunicationum, suspensionum & interdicti sententiis in eas à jure, vel ab homine latis, inflictis seu promulgatis etiamsi illorum absolutio foret sedi Apostolicæ generaliter, vel specialiter reservata, ac pœnis aliis in quas quomodolibet incurrissent, seu incurrere poterunt in futurum, dummodo personæ ipsæ injuriam pacis satisfaciant competenter, ac cum eisdem personis, si Ecclesiasticæ fuerint

super

ANNO 1410.

super irregularitate quacunque, quâ sic ligatæ celebrando divina, vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum Clavium contraxerint, eis priùs ad tempus de quo tibi videbitur à suorum ordinum executione suspensis. Et quod ad omnes sacros Ordines promoveri, ac in illis & in quibuscumque susceptis Ordinibus aliàs tamen ministrare valeant, dispensandi, injunctis eis pro modo culpæ pœnitentia salutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per easdem Scholasticas personas præmissorum occasione contractam abolendi, & eas ad quæcumque bona, dignitates tam spirituales quàm temporales, honores, statum, famam, privilegia, exemptiones, beneficia, officia Ecclesiastica, seculatia & regularia quæcumque & qualiacunque fuerint, quæ hujusmodi personæ tempore dictarum sententiarum obtinebant, seu ad eas quomodolibet pertinebant, dum tamen Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, seu Abbatiales dignitates non existant; nec non quod tempore absolutionum, dispensationum, abolitionum & restitutionum hujusmodi non fuerit in eis alicui specialiter jus quæsitum & alias in integrum, ac statum pristinum restituendi, reducendi & reponendi, ac etiam authoritate præfata personis hujusmodi vota peregrinationis & continentiæ, ac alia quæcunque, si qua personæ ipsæ, aut earum aliqua hactenus emisissent, aut emittere contigerit, dicto durante triennio, quomodolibet in futurum quæ omnimodo servare non possent, non obstante quod illorum commutatio, aut dispensatio esset præfatæ sedi specialiter reservata, in alia pietatis opera commutandi, prout secundum Deum ac saluti animarum personarum hujusmodi videris expedire; proviso quod de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, personis ipsis faciendam injungas quam personis hujusmodi facere quantocius teneantur, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem; præsentibus post dictum triennium à data præsentium minimè valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. April. Pontificatus nostri Anno 3. Sic Sig. F. de monte Peliciano, de Curia, Ja. de Hugolinis.

Altera Bulla dirigitur Gerardo Episcopo Parisiensi, ut ad triennium causas Universitatis quæ solebant in Curia Romana disceptari, judicet Parisius.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Geraldo Episcopo Parisiensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

AD incrementa dilectorum filiorum Universitatis studii Parisiensis & ejus suppositorum qui in orbe terrarum splendore scientiæ rutilantis emicant, paternis & sollicitis studiis intendentes, & cupientes ut eo perfectius & diligentius studiorum gymnasiis lucubratis vigiliis intendere valeant, quo majori privilegio ne distrahantur à loco studiorum ratione causarum, seu litigiorum quæ illis possent quoquomodo contingere, si extra Parisiensem civitatem ad causas, vel judicia quomodolibet traherentur, fuerint communiti. Et sicut pro parte dictæ universitatis nuper accepimus occasione Beneficiorum Ecclesiasticorum quæ nonnulli Magistri & alii studentes in dicto Parisiensi studio vigore gratiarum per nos factarum illis assecuti fuerint extra Civitatem Parisiensem etiam ad Romanam curiam trahuntur in causam, & propterea gravibus tam realibus quàm personalibus prægraventur & affligantur incommodis & à studiosis vigiliis plurimum distrahantur, Nos ipsorum Magistrorum ac Doctorum in dicto Paris. Studio indemnitatibus & quieti volentes paterna diligentia providere, Magistris & Doctoribus universitatis Parisiensis studii ante dicti in Rotulo ipsius universitatis inscriptis, super expectativis gratiis per nos signato & per universitatem ipsam pro præsentibus reputatis, ut pro causis Beneficialibus super gratiis expectativis, eisdem in dicto Rotulo per nos concessis extra muros Paris. trahi non possint, nec debeant quoquomodo; sed quod causæ hujusmodi ibi tractari, terminari atque decidi debeant usque ad totalem & finalem terminum hujusmodi causarum tam motarum quàm quæ movebuntur in posterum usque ad triennium à data præsentium computandum: causis venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium motis & movendis agendo, vel defendendo & ipsos Cardinales, vel eorum aliquem quoquomodo tangentibus, duntaxat exceptis, authoritate Apostolica concedimus per præsentes. Et ad hoc quod causæ hujusmodi possint & valeant, authore Domino, tractari, decidi & omnino ut præmittitur etiam terminari & justitia ministrari, Fraternitati tuæ de qua in his & aliis plenam in Altissimo fiduciam obtinemus, omnes & singulas causas Beneficiales occasione Dignitatum, Personarum, Administrationum, Officiorum & Priorauuum & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium & Regularium vigore dictarum gratiarum in præfato Rotulo per Nos factarum quæ dicti Magistri, seu alii in dicto Rotulo denotati fuissent hactenus assecuti, sive assequentur in posterum movendas infra dictum triennium per quascunque personas, loca, Collegia, seu Universitates præfatis Cardinalibus duntaxat exceptis contra dictos Magistros & alios in dicto Rotulo inscriptos, & pro præsentibus, ut præmittitur, reputatos cognoscendas, decidendas & fine debito terminandas per te vel per alium intra muros dictæ Civitatis Parisiensis etiam usque ad ultimam & tertiam definitivam sententiam inclusivè, & etiam quotiens ante definitivam sententiam contigerit appellari cum omnibus suis incidentibus, dependentibus & connexis harum serie delegamus, faciens quod decreveris per te vel per alios & præsertim per Censuram Ecclesiasticam appellatione cessante firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore substraxerint, per Censuram eandem, appellatione cessante compellas per te vel alios, ut præmittitur, veritati testimonium perhibere.

Datum Romæ Apud S. Petrum Kal. April. Pontificatus nostri anno 3. Sic Sign. F. de Montepoliciano. De Curia. Joan. de Bortzolle.

ANNO 1412.

III. Ex Mem. du Clergé de France Tom. I. pag. 484.

Archiepiscopis quibuscumque edicit Conciliorum Provincialium celebrationem singulis triennis an. 1412.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

IN cassum Sacrorum decreta, Canonum leges, ac pletistica antiquis fuissent ordinata temporibus, si illorum executio cum se casus ingesserit, negligatur; hinc est quod nos statutum felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædecessoris nostri in generali Concilio, de celebrandis per Metropolitanos Provincialibus Conciliis, multis tamen neglectum temporibus in generali Pisano Concilio innovatum, diligenter cupientes observari: statuimus, ut singuli Metropolitani qui hujusmodi statutum negligentes, per triennium Provinciale miserunt celebrare, à Pontificali Officio, nec non omni exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ per se vel alium, sint ipso jure suspensi, eorumque Jurisdictio Ecclesiastica, & illius liberum exercitium ad capitulum illius Metropolitanæ Ecclesiæ devolvatur, ac devoluta persistat, omniaque & singula emolumenta jurisdictionis ad ipsum capitulum pertineant, in publicum illius Ecclesiæ, non singularum personarum vel officiorum utilitatem convertenda, donec Metropolitanus ipse realiter hujusmodi congregaverit Provinciale Concilium. Si verò dicto tempore durante Metropolitanus ipse exercitio dictæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ, per se vel alium se immiscuerit, aut capitulum impediverit in præmissis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum quinto Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1417.

MARTINUS III. DICTUS V.

PONTIFEX CCX.

ANNO DOMINI MCCCCXVII.

MArtinus Romanus prius Otto Columna dictus à Concilio Constantiensi Papa Electus est post Schisma annorum 40. anno scilicet 1417. Ludovicum Andegavensem Neapolitanum Regem creavit, hinc ab Alfonso Arragonio Benedicti Antipapæ defensore infestatus. Dein *Papiæ* Concilium indictum Senas transtulit, ubi conclusum, ut ossa Wiclefi jàm 40. an. sepulta, exhumata cremarentur. Tùm Basileæ Concilium pro Reformatione status Ecclesiæ habitum. Obiit anno 1431. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 288. *App.*)

ANNO 1419.

I. Ex Archiv. Angliæ, Rimer. Tom. 9. p. 766.

Ad Henricum Angliæ Regem super gestu, & summissione Johannis XXIII. Pseudo-Pontificis notificatio: anno 1419.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo Filio, Henrico, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

DIvina Providentia, humanas actiones in melius, ac in Veritatis & Justitiæ iter, ineffabili sua bonitate, disponens, tanto majoris dilectionis ardore suæ Clementiæ oculos, in Ecclesiam suam dirigit, quanto, juxta successus rerum & temporum, magis suæ ædificationi viderit expedire, quod & vetera exempla nos edocent, & diebus nostris in facto Unionis Ecclesiæ possit manifestius apparere.

Nuper enim cum Baldassar Cossa, olim JOHANNES XXIII. in sua tunc obedientia nuncupatus quem assignari nobis debere Concilium Constantiæ decrevit, per quosdam à nobis deputatos, ad nos humanissimè duceretur applicans ad Castrum Felini Parmensis Diœcesis timore concepto ad carceres duceretur, quod tamen veritate carebat noctis tempore fugiens divertit ad Sarzanam, oppidum, amicissimo sibi Duci Januæ subjectum.

Ubi benignè susceptus, & de veritate certificatus, receptis etiam à nobis, & à communitate Florentinorum salvis conductibus, sponte, & sine mora iter arripuit, & hodie, Florentiam intrans priusque alio diverteret, ad nos, in generali Consistorio astantibus Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sedentes, ac Prælatorum, aliorum spectabilium, & insignium virorum multitudine circumfusa, suppliciter venit, ac cum omni humilitate & laudabili devotione prostratus ante pedes nostros, cessionem, ac renunciationem, quas diù ante nostram assumptionem fecerat, sponte & liberè ratificans atque approbans.

Nos verbo factoque in Romanum Pontificem, ac in universalis Ecclesiæ sponsum indubitatum & unicum recognovit, propter quæ est meritò commendandus.

Hæc itaque contigisse, non hominum Consilio, sed inexhaustæ incomprehensibilisque, divinæ providentiæ ordini, cuncta suis locis & temporibus disponentis ascribendum esse censemus.

Quæ tuæ serenitati significare decrevimus ut hujus rei sentias veritatem, qui pro unione in Ecclesia Dei feliciter consummata, multos labores, multaque expensarum onera subivisti.

Datum Florenc. XVIII. Calendas Julii Pontificatus nostri anno secundo.

II. Ex Archivis Capituli Genevensis.

Confirmatio altera fundationis Capellæ, quam juxta Ecclesiam Genevensem erexerat Joannes de Brogniaco Cardinalis Episcopus Hostiensis; quam etiam prius confirmarat Benedictus XIII. ex bulla mox sequenti.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

TUnc injunctum nobis desuper Apostolatus officium peragere dignè non ambigimus, dum Apostolicis prosequimur ea favoribus, quæ

ANNO 1419.

Divini noſcuntur reſpicere cultus incrementum. Cum itaque ſicut Venerabilis frater noſter Joannes Epiſcopus Hoſtienſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, nobis exponere curavit ipſe qui pro hujusmodi augmento cultus, nec non ſua & progenitorum ſuorum animarum ſalute, de bonis ſibi deſuper creditis capellam Beatæ Mariæ contiguam Eccleſiæ Gebenenſi de novo fundavit conſtruique, & ædificare fecit, nec non pro Archipresbytero tamquam Capite qui Archipresbyteratum, ac duodecim Capellanis quorum ſinguli Capellanias ſingulas inibi pro tempore obtinerent notabiliter dotavit deſiderio, & intentione geſſit, ac hujusmodi fundationi & dotationi adjecit quod quotiescumque ex dictis Archipresbytero, & Capellanis ſedere, vel decedere contingeret illius loco reliqui eorum alium idoneum eligere haberent per Epiſcopum prædictum quoad viveret & eo ſublato de medio per dictos filios Capitulum Gebenenſe ibidem inſtituendum dubitetque dictus Epiſcopus occaſione præſertim expectativarum perſonis aliquibus à ſede Apoſtolica vel legatis ejus inibi conceſſarum pro tempore gratiarum per quas perſonæ ipſæ dictos Archipresbyteratum & Capellanias ſibi vendicare contenderent deſiderium intentionem nec non adjectionem intercipi & adimi ac propter cultum hujuſmodi divinum poſſe quomodolibet in futurum pro parte dicti Epiſcopi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro hujusmodi deſiderii, & intentionis complemento ſuper his opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur qui prædicti augmentum cultus ſtudiis exquirimus indefeſſis hujusmodi ſupplicationi inclinati volumus, & auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, ac ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus nullus vigore ſive prætextu quarumcunque litterarum ſedis vel legatorum hujuſmodi ſub quavis verborum forma, vel expreſſione ſuper expectativis gratiis conceſſarum hactenus vel in poſterum concedendarum ſive deſuper pro tempore habitorum proceſſuum eundem Archipresbyteratum vel aliquem ex dictis Capellanis quotiescumque, & qualitercunque in antea vacaverit acceptare, ſeu de eo vel illa ſibi provideri facere valeant quoquomodo, ſed juxta deſiderium intentionem, & adjectionem hujusmodi quotiescumque, dictos Archipresbyteratum & Capellanias ſimul vel ſucceſſivè per ſeſſum aut deceſſum eas obtinentium pro tempore vacare contigerit illi ex dictis Archipresbytero & Capellanis qui inibi tunc fuerint ad vacantem tunc Archipresbyteratum in Archipresbyterum, & quemlibet Capellanorum in Capellanum Capellæ hujusmodi perſonam idoneam eligere & *Epiſcopus quoad vixerit ipſoque rebus humanis exempto Capitulum præfati poſtquam electio hujusmodi perſonæ præſentata eis fuerit perſonam præfatam in Archipresbyteratu* vel ea ex Capellaniis prædictis, ad quem vel quam, ipſa perſona ut præmittitur electa fuerit inſtituere liberè liciteque poſſint, per inde in omnibus, & per omnia, ac ſi gratiæ prædictæ vel Apoſtolicæ de ſuper reſervationes minimè forent decernentes, omnes, & ſingulos proceſſus quos fieri, vel haberi, nec non excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliasque ſententias, cenſuras & pœnas quas promulgari, nec non totum id & quidquid attentari contigerit à quoquam ſcienter vel ignoranter quavis authoritate, contra voluntatem ſtatutum, & ordinationem hujusmodi nullius exiſtere firmitatis, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiæ prædictæ juramento confirmatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate roboratis cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, ſtatuti ordinationis, & conſtitutionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos octavo Kalendas Aprilis, Pontificat. noſtri anno octavo.

ANNO 1419.

III. Ex Archiv. Cap. Genev.

BENEDICTUS XIII.

Dictus PETRUS de LUNA Anti-Papa.

Confirmatio fundationis, &, dotationis Capellæ Collegiatæ juxta Eccleſiam Genevenſ. à Cardinali Joanne Alarmet de Brogniaco Epiſc. Hoſtienſi erectæ, quam etiam confirmavit MARTINUS V. ut ex Bulla ſuperiori.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Viennenſi & Epiſcopo Avenionenſi ac dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ ſancti Andreæ Gracionopolitani, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

HIs ex commiſſo nobis officio, quæ pro ſtatu proſpero Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum, & divini cultus augmento providè facta ſunt, ut illibata conſiſtant libenter adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem; expoſuit ſiquidem nobis Venerabilis frater noſter Johannes Epiſcopus Oſtienſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, quod nuper ipſe zelo devotionis accenſus ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare de bonis à Deo ſibi collatis, quandam capellam in civitate Gebenenſi juxta Eccleſiam Cathedralem fundari fecit, & in ea tredecim Presbyteros perpetuos, quorum unus Archipresbyter exiſteret & per quos tres miſſæ qualibet die una videlicet cum nota & aliæ duæ ſine nota celebrarentur, nec non tredecim anniverſaria generalia annuatim, & alia divina officia in dictâ Capellâ fierent & nonnulla alia ſtatuta circa regimen & ſervitium dictæ Capellæ ordinavit & pro dote dictæ Capellæ quinque millia florenorum auri dedit, pro quibus omnia bona ſua obligavit, & nihilominùs in augmentum dotis ipſius omnia bona ſua præſentia & futura donatione cauſâ mortis eidem Capellæ reliquit & donavit prout in inſtrumento publico indè confecto, cujus tenor inferius eſt inſertus & plenius continetur. Quare prædictus Epiſc. nobis humiliter ſupplicavit ut fundationi, donationi, dotationi ordinationibus & aliis in dicto inſtrumento contentis robur confirmationis adjiceremus, ac defectus ſi qui forſan intervenerint in eisdem ſupplere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos itaque hujusmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, dotationem, donationem, & ordinationes prædictas, & alia omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta rata habentes & grata illa ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica confirmavimus, & ſcripti noſtri patrocinio communivimus ſupplentes omnes defectus ſi qui forſan interveniſſent in eisdem; tenor verò dicti inſtrumenti talis eſt.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti, gloriosiſſimæque Virginis Mariæ matris ejus ac totius curiæ civium ſuperiorum, Amen.

Noverint univerſi & ſinguli præſentes pariter & futuri hoc præſens publicum inſtrumentum viſuri, lecturi, & etiam audituri, quod anno à Nativitate Domini milleſimo quadrageſimo ſexto indictione quartâ decimâ, die verò vigeſimâ tertiâ menſis Martii Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Benedicti Divinâ Providentiâ Papæ decimi tertii, Anno duodecimo in præſentia ac teſtimonio noſtrorum notariorum & teſtium infrà ſcriptorum exiſtens & perſonaliter conſtitutus Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Johannes miſeratione divinâ Epiſco-

pus

ANNO 1379.

pus Hostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vicecancellarius olim Vivarensis vulgariter nuncupatus scienter sponte gratis & ex ejus certâ scientiâ fundavit instituit & dotavit in Capellâ novâ quam à fundamentis construi & ædificari nuper fecit juxta Ecclesiam Gebenensem contiguâ, secùs introitum & frontem ipsius Ecclesiæ Gebenensis ex parte dextra Capellam suam Collegiatam in modum & formam subsequentem. In nomine Domini. Amen.

Quoniam quæ sine Ordine aguntur solent neglectum & confusionem inducere & diutiùs non subsistunt, personas quoque Ecclesiasticas in illius obsequiis qui cuncta quæ creavit sub ordine consistere voluit decet tam devotissimè quàm ordinatissimè permanere. Ea propter nos Johannes de Broniaco Gebenensis Diœcesis miseratione divinâ Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vicecancellarius olim Vivarensis vulgariter nuncupatus, attendentes quod nos nuper construi & ædificare fecimus in civitate Gebenensi, juxta venerabilem Ecclesiam Gebenensem contiguè secus introitum ipsius Ecclesiæ ad latus dextrum quandam Capellam pro divino servitio in eadem perpetuis temporibus celebrando ad honorem Dei & gloriosissimæ Virginis Mariæ totiusque curiæ civium supernorum & sub nomine seu vocabulo prædictæ Beatæ Mariæ Virginis Matris Dei & Domini Jesu Christi, & quod parum esset ædificia construxisse nisi congruè dotarentur & in ea divina officia perpetuò celebrarentur.

Volentes igitur animabus nostræ parentumque & benefactorum nostrorum prospicere & pro eo dictæ Capellæ fundator, & donator esse, divinorumque officiorum in ipsa fiendorum particeps & consors effici dictam Capellam ut præmittitur ad honorem & sub vocabulo Beatæ Mariæ Virginis Collegiatam & pro Collegio habentem tredecim Presbyteros in memoriam & honorem Domini nostri Jesu Christi & duodecim Apostolorum ejus, pro divino officio in eadem perpetuis temporibus celebrando fundavimus, instituimus & dotavimus ipsamque fundando instituendo & dotando & pro ejus fundatione & dotatione de præsenti damus & concedimus per præsentes quinque millia florenorum auri de Camera in memoriam & reverentiam quinque plagarum & passionis Redemptoris & Salvatoris humani generis atque nostri pro acquirendis censibus redditibus, possessionibus, & aliis proventibus de quibus divinum servitium valeat in eadem quandiu vitam duxerimus in humanis, fieri & etiam post & perpetuo Deo annuente continuari & augeri per modum & formam inferius annotatos, pro quibus quinque millibus florenorum dictæ Capellæ solvendis obligamus & hypothecamus per præsentes ac obligata & hypotecata esse volumus omnia bona nostra mobilia & immobilia præsentia & futura dictæ Capellæ & Archipresbytero ac Servitoribus ejusdem de quibus mentio infra latius habetur & ut futuris non sit modus Regiminis dictæ Capellæ incognitus quem volumus & desideramus inviolabiliter observari, in eadem ipsum hîc duximus describendum, ut nullus prætextu ignorantiæ contra facere præsumens valeat se excusare; volumus siquidem & ordinamus quod perpetuis temporibus dictæ Capellæ sit Rector unus de Collegio seu gremio & incorporatus dictæ Ecclesiæ Gebenensi, tum tamen Canonicus præbendatus non existat qui dictæ Capellæ intituletur & nominetur Archipresbyter, eo quod duodecim aliis Presbyteris dictæ Capellæ conservitoribus præsidebit, qui quidem Archipresbyter vivens vel moriens teneatur alium Rectorem seu Archipresbyterum unum videlicet de dictis duodecim conservitoribus & consortibus suis post se nominare & ipsum Rectorem seu Archipresbyterum ibi successorem post se eligere & ordinare in Consilio & consensu dictorum duodecim conservitorum, vel ad minus sex antiquorum ex ipsis absque alicujus alterius requisitione vel mandato, & casu quo dictus Archipresbyter decederet, vel aliàs dictam Rectoriam relinqueret non electo aut non nominato ut præmittitur sibi successore in dicto Archipresbyteratu, eo tunc major & senior pars dictorum servitorum potestatem habeat sibi eligendi Archipresbyterum de dicto Collegio vel de extra quod infra decem dies fiat, alioquin potestas eligendi dictum Archipresbyterum devolvatur ad venerabiles viros Præpositum & Capitulum dictæ Ecclesiæ Gebenensis, qui in primis Calendis post dictos decem dies proximè futuros in eorum Capitulo Generali ipsum eligere debeant, alioquin ad Reverendum in Christo Patrem pro tempore existentem Dominum Episcopum Gebenensem hujusmodi potestas devolvatur, qui in dicta Capella Archipresbyterum nominet successorem, qui successor Capellæ regimen propriâ potestate & auctoritate possit & sibi liceat recipere requisitione cujusquam vel licentia super hoc minimè expectata interveniente vel requirenda, ita tamen intelligendo in prædictis electionibus quando fieret per devolutionem vel Episcopum, quod dictus successor sit de numero servitorum dictæ Capellæ de quibus statim post mentio habetur.

Si verò Rector dictæ Capellæ quod absit, esset dissipator bonorum dictæ Capellæ, aut furiosus vel non sanæ mentis vel aliàs inutilis, eo casu duo electi Consiliarii seu coadjutores infra scripti bona dicta Capellæ regant & administrent absque eo quod dicto Rectori rationem reddere teneantur, sed dumtaxat in communi sicut ipse Rector teneretur si administraret ut infra dicetur: erunt etenim servitores dictæ Capellæ de præsenti duodecim numero ultra Archipresbyterum & duo Clericuli ad nutum seu arbitrium Archipresbyteri & sex antiquorum de dictis duodecim ponendi & mutandi, eruntque omnes prædicti servitores boni & idonei bonæ famæ, laudabilis conversationis & sufficientiores & idoneiores qui per dictum Archipresbyterum in dicta Ecclesia reperiri poterunt & continuò in ipsa Ecclesia residentes; volumus tamen quod Capellani instituti & instituendi, fundati & fundandi per quoscumque in altaribus in dicta nostra Capella consistentibus præferantur omnibus aliis; dùm tamen per dictum Archipresbyterum & sex antiquiores servitores dictæ Capellæ nostræ sufficientes & idonei approbentur, ita tamen quod illi qui erunt fundati per illos de genere nostro vel familiares nostros primo admittantur, electio quoque, provisio & receptio dictorum duodecim servitorum & Clericorum ad dictum Archipresbyterum pertinebit; vocatis tamen & consentientibus ad minus sex de antiquioribus servitoribus dictæ Capellæ videlicet post decessum nostrum & non ante; quoniam electionem ac provisionem hujusmodi tam Archipresbyteri quàm præfatorum duodecim servitorum ad vitam nostram nobis duximus reservanda & per præsentes reservamus ac ex nunc eligimus instituimus, ponimus & nominamus dictæ Capellæ primum Archipresbyterum dilectum familiarem nostrum Dominum Jacobum Bochardi Curatum Parochialis Ecclesiæ sancti Leodegarii prope muros Gebenenses, nec non Dominos sanctæ crucis Gebenensis qui nunc est & pro tempore fuerit, Hugonem Collogniex de Bardonnex, Hugonem Cholopon sancti Victoris Gebenensis, Thomam Fabri de Filiaco de Bernex Richardum de Arthas sancti Ciriaci Humbertum de Ponte de Asia, Petrum de Talluteriis, Joh.

ANNO 1379.

Genonis de Vallerier, Nicodum de Bolo de Onay, Franciscum Davidis Seyssselli, Johannem Michaëlis montis sancti Martini & Jacobum de Arcina de Villa in fallacio Presbyteros Curatos Gebenenfis Diœcesis eligimus, nominamus & ponimus primos duodecim Servitores exhortando eos, & eorum Successores sicut in his & majoribus de ipsis confidimus & ad hoc eos eligimus ut velint diligenter & devotè in dicta Capella & servitio ejusdem juxta ordinationem & intentionem nostram hujusmodi Domino famulari eruntque dicti servitores perpetui & continue residentes bonæ vitæ & laudabilis conversationis, & uno cedente vel decedente aut quod absit amoto suis exigentibus demeritis alius de novo subrogabitur & eligetur per nos vita comitè & post decessum nostrum per dictum Archipresbyterum ut supra, casu vero quo non residerent nec dictæ Capellæ deservirent ut ordinavimus aut non essent vitæ & conversationis honestæ vel aliter forent criminosi, sic quod merito venirent removendi nisi per dictum Archipresbyterum verbo vel in scriptis & absque alia juris solemnitate, sed solum charitativè, & alias sufficienter prout sibi de consilio duorum antiquorum Servitorum de prædictis tunc præsentium omni odio vel favore prætermissis videbitur faciendum moniti non resipuerunt infra duos menses residendo serviendo, honestè vivendo alii loco illorum subrogentur per dictum Archipresbyterum secundum modum & formam supra de dictorum Servitorum electione traditos, illique qui sic moniti se corrigere noluerint infra dictum tempus ipso sacro sint à consortio & collegio dictæ Capellæ privati penitus & amoti, erit autem quoad præsens servitium dictæ Capellæ & onus dictorum servitorum in tribus missis qualibet die perpetuò celebrandis per eosdem una videlicet alta & cum nota seu cantu & aliæ duæ missæ bassæ in dicta Capella una cum tredecim Anniversariis singulis annis fiendis & aliis missis & suffragiis de quibus infra dicetur, deservietur enim in ipsa Capella dictum servitium missarum faciendo quanto ad præsens per dictos Servitores per septimanas, ita quod unus post alium in ordine suæ creationis in dicta Capella incipiendo ab Archipresbytero faciat suam septimanam in ordine suo per se vel per alium idoneum de dictis Servitoribus, ita quod quâlibet hebdomadà erunt tres hebdomadarii, videlicet hebdomadarius magnæ missæ quæ erit alta & cum cantu, primus hebdomadarius secundæ missæ quæ prima erit inter duas bassas, secundus & hebdomadarius tertiæ quæ secunda erit inter missas bassas tertius in quibus quidem hebdomadis iste servabitur ordo. Archipresbyter in prima hebdomada celebrabit magnam missam & in diebus solemnibus cum solemnitate ista videlicet quod Antiquior dictorum Servitorum qui tenebit primum locum post Archipresbyterum Evangelium pronunciabit in dicta Missa & antiquior post illum qui tenebit secundum locum post Archipresbyterum leget Epistolam & alius antiquior post illum qui tertium locum post Archipresbyterum tenebit incipiet officium dictæ missæ, & faciet officium Cantoris, in aliis verò diebus non solemnibus cantetur dicta magna missa juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, Missas verò bassas dicta prima hebdomada celebrabunt dicti duo primi seu Antiquiores post dictum Archypresbyterum; secundam verò hebdomadam missæ altæ faciet primus post Archipresbyterum, & tertiam secundus, & sic deinceps usque ad ultimum dictorum Servitorum qui faciet hebdomadam tertiam decimam, quâ finitâ reincipiet Archipresbyter, & simili ordine finietur: Sed secundam hebdomadam primæ missæ bassæ faciet Archipresbyter, & secundæ missæ secundus servitor post eum, & tertiam hebdomadam primæ missæ bassæ tertius, & secundæ quartus, & sic consequenter donec quilibet in ordine suo fecerit dictas hebdomadas, & incipiet quâlibet hebdomada in die Dominico & finiet in die Sabbati.

ANNO 1379.

Celebrabit autem quilibet Hebdomadarius in ordine suo dictam missam altam per modum qui sequitur, videlicet, quâlibet die quâ solemnitatis festivitas, vel alicujus sancti festum, vel etiam feria habens officium proprium evenerit, celebrabit de illa vel de illo, si vero proprium non habuerit officium die lunæ celebrabit de mortuis, die Martis de Angelis, die Mercurii de Trinitate, die Jovis de sancto spiritu, die Veneris de sancta Cruce, die Sabbati de Beata Maria Virgine, nisi ex justa causa & rationabili Archipresbytero consulto aliud videretur faciendum. Si autem eâdem die tria propria officia concurrerint, majus dicetur in missa alta, secundum in prima bassa, & tertium in secunda bassa; Si verò duo majus in missa alta & aliud in prima bassa, & si unum dumtaxat dicetur in missa alta, & officia missarum votivarum de quibus supra dictum est dicentur in prima bassa, & eo casu secunda bassa dicetur de mortuis vel ad arbitrium celebrantis, & si fuerit feria habens officium proprium & festum alicujus sancti non habens proprium quia proprium officium dicetur in missa alta, prima missa bassa celebrabitur de festo illius sancti, & alia ad arbitrium ut supra, ita tamen faciendo quod omnia officia qualibet die compleantur in dictis missis juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ Gebenensis, fient quippe in dictis missis Collectæ juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, & nisi aliud impediat secunda Collecta fiet pro fundatore & ad ejus intentionem vita comite, illa videlicet; *Deus qui justificas* &c. & post ejus decessum illa *Deus qui inter Apostolicos* &c. & post illam, alia pro anima illius de dicto consortio seu numero qui illo anno decessit; *Quæsumus, Domine, famulo tuo* &c. & si duo vel plures eodem anno obierint eodem modo fiat singulari numero mutato in plurali exceptis tamen diebus in quibus non debet dici nisi una collecta vel duæ, præterea in missis prædictis celebrans specialem & expressam memoriam faciet in memento suo quod de vivis primo de fundatore Patre sorore & propinquis ejus quandiù Deo concedente supervixerint consequenter de familiaribus & servitoribus nostris qui in dicta Capella, & fundatione seu augmentatione dotis divini servitii ejusdem devotionem habebunt & participes esse voluerint cum effectu; deinde de Archipresbytero qui pro tempore erit & omnibus fratribus Conservitoribus tunc viventibus sigillatim, generaliter verò de cæteris Benefactoribus parentibus & amicis in memento de mortuis similem ordinem observabunt videlicet primo de felicis recordationis Domino CLEMENTE Papa septimo & de fundatore quando Deo placuerit ipsum ab hac luce distrahi, & sic de aliis sigillatim juxta Ordinem dictum de vivis quando de medio sublati fuerint & generaliter omnium Rectorum servitorum & benefactorum qui fuerint hactenus dictæ Capellæ; in fine verò dictæ Missæ faciet quilibet Hebdomadarius stationem cum aqua benedicta ut est moris ante altare dictæ Capellæ & dicetur *De profundis*, cum uno Re-

sponsorio

ANNO 1379.

sponsorio defunctorum & tribus Collectis quarum una principalis erit videlicet: *Deus qui inter Apostolicos* &c. & proferetur in singulari pro remedio animæ fratris illius qui illo anno decesserit, & si plures decesserint proferatur in plurali, alia generalis pro tota congregatione fratrum & benefactorum dictæ Capellæ, videlicet, *Deus veniæ largitor* &c. tertia generaliter pro cunctis fidelibus defunctis videlicet; *Fidelium Deus omnium* &c. ista differentia servata in dictis missis quia post missam aliam prædicta dicentur alta voce cantando, & post duas missas bassas voce submissa; celebrabitur quoque dicta missa alia in solis ortu, nisi in festivitatibus Beatæ Mariæ & aliis solemnitatibus in quibus eligatur congruentior hora ad augmentationem Divini servitii, & erit supra dictam Capellam una Campana quæ pulsabitur, ad cujus pulsationem convenient dicti servitores ad dictam missam celebrandam, & tenebuntur omnes dicti servitores interesse in dicta missa & juvare ad ipsam celebrandam & intrare dum cantabitur introitus dictæ missæ vel saltem ante finitum ultimum *Kyrie-eleison*, alias deficiens careat distributione sibi competenti in illa missa, & qui intraverint teneantur permanere donec sint finita etiam suffragia & stationes mortuorum quas fieri ordinavimus in fine dictæ magnæ missæ altæ, aliàs nihil percipient de distributionibus in dicta missa liberandis ac distribuendis de quibus infra dicetur; duæ verò missæ bassæ celebrabuntur in dicto magno altari videlicet prima ipsarum . . . dictam missam altam & secunda post vel immediatè post missam altam una post aliam arbitrio celebrantium tali scilicet hora quod propter hoc non diminuatur servitium in *Choro majoris Ecclesiæ* & quantum fieri poterit prima circa vel prope auroram & missa auroræ nuncupetur; secunda circa horam tertiam inter primam & tertiam, & missa tertia seu tertiarum vocari poterit & cum prædicta campana signum fiet modicum pulsando ut illi qui dictas missas audire voluerint possint in eis interesse & liberabitur cuilibet ex tredecim dictis Capellarii servitoribus dictæ Capellæ interessentibus in dictis missis altis & juvantibus ad ipsas celebrandas videlicet in qualibet ipsarum per Archipresbyterum ipsius Capellæ qui est & qui pro tempore fuerit summas infra scriptas & primo hebdomadarius qui missam altam celebrabit qualibet die hebdomadæ suæ habebit duodecim denarios Archipresbyter sex qualibet die, & ille qui Evangelium pronunciabit & ille qui Epistolam leget, & ille qui officium Cantoris faciet quatuor denarios quando celebrabitur cum Diacono & solemnitate supra dicta, aliis autem diebus sicut alii servitores habebunt; cæteri vero dictorum servitorum qui ut præmittitur interfuerint tres denarios monetæ ponibilis in Gebenensi civitate quorum viginti solidi valeant unam libram Gebenensem, alii autem duo hebdomadarii Missarum bassarum quilibet eorum ultra prædicta habebit novem denarios dictæ monetæ qualibet die durante hebdomada sua. Præterea volumus ultra præmissa ac fieri ordinamus ex nunc in perpetuum in dicta Gebenensi Ecclesia, & infra dictam capellam nostram tredecim Anniversaria seu remembrata singulis annis videlicet duodecim pro singulis mensibus anni & tertium decimum fiet post decessum nostrum die consimili obitus nostri pro remedio animæ nostræ parentumque & felicis recordationis Domini Clementis Papæ septimi benefactorum & amicorum nostrorum atque alias ad nostram intentionem. Fiet autem quodlibet dictorum anniversariorum duodecim in principio cujuslibet mensis ita quod incipiet prima die mensis in vespere ipsius diei & complebitur secunda die mensis in mane si commodè fieri poterit, alioquin fiat in crastinum vel aliâ die sequenti immediatè in qua non sit impedimentum, sed de tertio decimo anniversario intelligendum scilicet quod die præcedenti diem dicti obitus incipiat & die ipsius obitus terminetur nisi foret impedimentum quo casu die immediate sequenti, in quo non esset impedimentum; quæ quidem anniversaria seu remembrantia cum missis processionibus & aliis fiant quemadmodum fiunt & fieri consueverunt anniversaria & remembrantia Dominorum summorum Pontificum, Cardinalium Episcoporum dictæ Ecclesiæ & aliorum Prælatorum seu principum in dicta Ecclesia fieri solita tam in classis pulsatione campanarum, quàm aliis ceremonialibus & cæteris ibi observari consuetis; incipiet quoque officium cujuslibet ipsorum anniversariorum ut prædictum est vespere primæ diei mensis, nisi impedimentum fuerit statim & incontinenter post vesperas & prout est fieri consuetum, & convenient in choro dictæ Ecclesiæ omnes Domini Canonici, Presbyteri, Altarienses & alii de choro & gremio dictæ Ecclesiæ Gebenensis qui voluerint interesse, & cantabunt solemniter vigilias & totum officium mortuorum cum Cantoribus & aliis ceremonialibus quæ fieri consueverunt in choro dictæ Ecclesiæ Gebenensis & remembrantiis Dominorum summorum Pontificum, Cardinalium Episcoporum & aliorum Prælatorum, & Principum hoc addito quod prima die mensis cujuslibet antequam inceptum fuerit officium mortuorum in medio chori dictæ Capellæ ante majus Altare ponetur unum feretrum seu Arca de postibus sacra & desuper pannus aureus cum armis nostris ut est moris in talibus & unum aliud ante majus Altare dictæ Ecclesiæ ad memoriam videntium ut videntes moveantur ad rogandum Deum pro nobis, quos qui fecerint bonorum spiritualium dictæ capellæ volumus esse participes & remanebunt ibidem dicti panni cum feretris usque in crastinum post vesperas & in crastinum videlicet secunda die mensis incontinenter post finitas matutinas in dicta Ecclesia Gebenensi si fieri possit, alioquin hora magis propinqua & congrua pulsabuntur campanæ juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ & ordinationem dicti Capituli, & iterum convenient omnes de Collegio dictæ Ecclesiæ videlicet illi qui voluerint ad dictam capellam & ibi celebrabunt unam missam de mortuis cum Diacono & Subdiacono & Cantoribus & duobus candelabris solemniter, in qua missa dicentur Orationes *Deus qui inter Apostolicos. Deus veniæ largitor, & fidelium*; missa autem finita fiet ibidem processio seu statio mortuorum juxta consuetudinem ipsius Ecclesiæ, & secundum quod fieri solet in Anniversariis seu remembrantiis in dicta Ecclesia Gebenensi fieri solitis & dicet missam ipse Presbyter qui fuerit per dictum Archipresbyterum ad hoc electus; finita autem dicta missa liberabitur in dicta capella cuilibet qui in dictis officiis seu vigiliis & missæ mortuorum interfuerit distributiones seu librationes per modum qui sequitur videlicet cuilibet Canonico duodecim denarios, cuilibet Presbytero, sex denarios, cuilibet Clerico tres denarios, & cuilibet Clericulo duos denarios. Archipresbyter verò, & Presbyter qui celebrabit missam habebunt duodecim denarios ultra sex denarios. Diaconus verò & Subdiaconus

ANNO 1379.

ANNO 1379.

Cantores & Intonantes & alii qui facient in dictis officiis seu in vigiliis & missa mortuorum officia secundum consuetudinem dictæ Ecclesiæ Gebenensis habeant duplum, & hoc in duodecim Anniversariis in capite cujuslibet mensis fiendis; in Anniversario verò tertio decimo quod quando fiet consimili die obitus nostri volumus distributiones duplicari prædictas, & faciet dictus Archipresbyter librationes prædictas statim, post dictam missam mortuorum durante adhuc dicto officio, ita tamen quod qui intererit in missa & non fuerit in officio seu in vigiliis quæ præcedenti vespere dictæ fuerint, non habeat nisi medietatem dictæ portionis seu distributionis quæ librabitur illis qui interfuerint in vigiliis & missis. Volumus tamen & ordinamus quod illi qui non venient ad dictum officium mortuorum antè inchoationem secundi Psalmi, & in Missa infra Epistolam libra illius horæ privetur & per hoc nihil innovamus quin fiat officium in dicta Capella in illa die. In aliis omnibus per nos ordinatis per servitores ipsius Capellæ cum emolumento consueto ut supra dictum est, & per præsentes supplicamus Dominis Præposito & capitulo dictæ Ecclesiæ Gebenensis ut prædictæ ordinationi velint consentire & eam ratificare. Et quia nolumus cum alterius jactura servitium divinum procurare fieri per eundem Archipresbyterum dabuntur & solventur matricolario dictæ Ecclesiæ vel illi ad quem onera super & infra tacta spectare consueverunt tam pro labore tactus campanarum quàm aliis ad ejus officium pertinentibus pro quolibet Anniversario seu remembrantia hujusmodi quatuor solidos dictæ monetæ, & rectori seu operario fabricæ dictæ Ecclesiæ totidem pro luminaribus in dictis Anniversariis & officiis faciendis manutenendis, quæ tredecim Anniversaria per dictum Archipresbyterûm qui pro tempore fuerit solventur de bonis dictæ capellæ; Verum quia fiduciam gerentes in Domino speramus dotem & fundationem dictæ capellæ in futurum augeri saltem post decessum nostrum de bonis per nos eisdem capellæ in testamento nostro in quo eamdem instituimus hæredem universalem donatis, volumus & ordinamus quod juxta facultates fructuum & bonorum dictæ Capellæ quæ in futurum Deo annuente habebit & habere legitimè poterit, & eorum augmentum augeatur divinum servitium in eadem, etiam usque ad augmentationem numeri si & quando ipsæ facultates ad hoc sufficient & supperent isto ordine servato, quod primo augeatur cultus divinus usque ad hoc quod horæ Beatæ Mariæ completæ omni tempore dicantur; & post modum quod vigiliæ seu officium mortuorum videlicet matutinæ vesperæ &c. primo diebus quibus in Ecclesia majori non cantabuntur & demum completæ omni tempore; tandem verò quando placuerit altissimo quod omnes horæ Canonicæ ibidem perfectè cantentur sicut in majori Ecclesia voce tamen tubali, & postremo si largiente Domino in tantum augeantur facultates hujusmodi numerus servitorum etiam augeri valeat in duplum vel plus vel minus secundum ipsarum possibilitatem facultatum, volumus & ordinamus quod illi servitores qui ultra tredenarium numerum prætaxatum pro tempore ad servitium dictæ Capellæ eligentur assumantur, tales quod ipsa quæ est matrix Ecclesia occasione dictæ capellæ debitis non fraudetur obsequiis & magis idonei qui reperiri poterint in se de Civitate & Diœcesi Gebenensi, inter quos illi de mandato & loco & Decanatu Annissiaci atque etiam Comitatus Gebenensis cæteris paribus aliis præferantur, exceptis supra dictis, & quo ad alia omnia quantum fieri poterit casu quo ampliabitur dictum Collegium ut dictum est in dicta Capella conformetur, Collegio nuper facto in Ecclesia Beatæ Mariæ læræ Annissiaci & fiant quemadmodum in dicta Ecclesia Beatæ Mariæ lætæ factum est & est fieri consuetum, & insuper Nos Joannes Episcopus Cardinalis & fundator præfatus, desiderantes divinum officium in ea perpetuo indeficienter continuari & Deo favente semper augeri, damus ex nunc & concedimus magis per præsentes donatione pura, mera, & irrevocabili quæ dicitur inter vivos pro fundatione & dotatione dictæ Capellæ seu fundationis & dotis prædictorum augmentatione specialiter & expressè omnia & singula bona nostra mobilia & immobilia ubicumque existentia & nobis pertinentia retento nobis dumtaxat in bonorum ad vitam nostram usufructu, quæ donatio suum sortiatur effectum post mortem nostram & non antea; & quia dicta Capella bono indiget dispensatore bonoque regimine, volumus & ordinamus quod Archipresbyter qui pro tempore fuerit computet & computare ac reddere computum & rationem teneatur anno quolibet infra unum mensem, anno elapso sine defectu præsentibus sex Antiquioribus dictæ Capellæ habitu respectu in hoc & in omnibus aliis præmissis ad tempus quo dictæ Capellæ servierunt, non autem ad eorum ætates, & poterunt si voluerint alii servitores interesse; & ipsa die eligentur duo coadjutores de quibus pòst dicetur, & casu quo dictus Archipresbyter non computaret & rationem non redderet legitimam de bonis gestis & administratis dictæ capellæ in dictis diebus assignatis, perdat pro prima die unum grossum, pro secunda die duos grossos, pro tertia tres grossos, pro quarta quatuor grossos & sic multiplicando usque ad omnia emolumenta quæ in dicta capella habere posset & deberet & ultra si post ea per dimidium annum sustinuerit sit ipso facto à dicto regimine & fraternitate & omni emolumento Capellæ prædictæ omnino privatus, & dicti servitores aut major aut sanior pars eorumdem in hoc casu de Archipresbytero sibi providere possint & valeant auctoritate sua propria, & quia qui sentit onus commodum sentire debet, nullusque suis propriis militare teneatur stipendiis, & ut attentius & melius circa negotia & regimen dictæ Capellæ intendat Archipresbyter sæpe dictus decem florenos communis ponderis de fructibus dictæ Capellæ ultra alia emolumenta supra dicta quæ ut alii recipiet cum suam septimanam faciet & aliis librationibus & obventionibus communibus supra dictis & aliis quæ Deo concedente augebuntur habebit, & quia ea quæ cum consilio fiunt majori innituntur firmitati & sanius disponuntur, nec esset facilè omnes servitores pro singulis negotiis consultare, volumus quod anno quolibet post computum redditum supra dictum incontinenter concluso computo eligantur per Archipresbyterum & alios servitores vel majorem & saniorem partem eorum duo ex dictis Servitoribus aptiores qui teneantur dictum Rectorem juvare & consulere ac regimen dictæ Capellæ & ejus prosecutionem negotiorum ipsius Capellæ sumptibus & expensis qui electi jurent prædicta facere bene & fideliter & legitimè, excusatione quacumque non legitima cessante. Verum quia ubi charitas non est, cætera bona non sufficiunt, rogamus & volumus quod verus amor & fraterna dilectio sit inter dictos fratres & socios, &

ANNO 1379.

si quod

ANNO 1379. si quod abſit totius boni æmulus inter ipſos Zizaniam ſeminaret, dictus Archipresbyter una cum dictis duobus electis ipſos ad concordiam poſſit & valeat redigere & quod eis videbitur ſuper ipſa diſcordia ordinare, quorum ordinationi teneantur obtemperare ſub fide & juramento infra præſtandis, & quoniam vera fraternitas Charitasque fratrem non debet relinquere in adverſitate deſolatum, volumus & ordinamus quod caſu quo aliquis dictorum Servitorum quod abſit ad inopiam aut infirmitatem aliamque quamcumque miſeriam deveniret, dictus Rector cum electis prædictis teneatur ipſum viſitare & conſolari, & pro poſſe juvare & curam de perſona & bonis ſuis habere tanquam fratris hujusmodique infirmitate durante, ſi talis ſit quod præſens eſſe non poſſit in emolumentis dictæ Capellæ percipiat tanquam præſens; quoniam verò dicta Capella veſtimentis indiget & aliis ornamentis ad divinum cultum laudabiliter peragendum ibidem damus & concedimus per prælentes dictæ Capellæ atque realiter tradimus incontinenter Archipresbytero prælibato crucem & calices duos argenteos miſſale & tres caſulas unam albam & viridem & nigram cum tunicellis, dalmaticis, albis & veniet amictibus paratis juxta colorem dictarum caſularum & alia neceſſaria pro ſervitio magni altaris & duos pannos aureos ad ponendum ſuper feretris de quibus ſupra mentio habetur pro incipiendo ibidem Divinum ſervitium Deo annuente ampliandum, & quando eis tradetur realiter fiat inventarium ut infra dicetur & tam de prædictis quàm de aliis emolumentis dictæ Capellæ providebit Archipresbyter prædictus ipſi Capellæ in veſtimentis luminaribus & aliis omnibus neceſſariis juxta ipſius Capellæ facultates & quod ſuperfuerit in utilitatem & augmentum ipſius Capellæ converter fideliter & diſcretè de Conſilio ſanioris partis dictorum ſervitorum vel ſaltem duorum ſibi coadjutorum electorum de quibus ſupra dictum eſt quippe atteſtante Poeta non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri, volumus & ordinamus quod in dicta Capella in armarijs ſeu Archiviis muro factis in aſcenſu ſuperiori prout Archipresbytero & Servitoribus videbitur faciendum omnes litteræ inſtrumenta terreria & cætera documenta pro dicta Capella facientia reponantur conſervanda, in quarum qualibet erunt tres claves quarum Archipresbyter unam, & coadjutores electi aliam, & Antiquior prædictorum Servitorum tertiam habebunt, & quod quando aliquod inſtrumentum ſeu documentum ab eadem Archa extrahetur, jurabunt quod illud in eadem reportabunt infra tempus quod in recipiendo rationabiliter ordinabunt, ſimili modo de pecuniis dictæ Capellæ volumus quod in aliquo dictorum Archivorum ſub tribus clavibus cuſtodiantur, exceptis illis quæ pro librationibus communibus fiendis expendenda fuerint, ut ſupra ordinatum eſt, quas Archipresbyter penes ſe cuſtodire poterit in uno armariolo in dicta Capella, cujus ſolus clavem habebit, erunt & alia armaria pro veſtimentis & ornamentis ſervandis quorum etiam regimen habebit Archipresbyter ſæpefatus. Poſtremo tam Archipresbyter quàm Servitores qui pro tempore fuerint in dicto numero & ſervitio eligendi & ponendi, in ſua nova electione ſeu creatione jurare teneantur; & jurabunt per juramenta ſua ad ſancta Dei Evangelia propriis manibus tacta, omnia & ſingula præmiſſa cum effectu adimplere ipſa inviolabiliter obſervare, nec quovis modo contraïre vel venire, aut contraïre volenti aliqualiter conſentire. Antequam Archipresbyter ipſe ad regimen & cæteri Servitores ad ſervitium dictæ Capellæ & conſortium aliorum admittantur; reſervantes nobis & executoribus noſtris & per nos ſuper hoc eligendi poteſtatem & facultatem liberam de & ſuper præmiſſis omnibus augendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi prout melius videbitur faciendum, ſalva tamen ſemper dote & augmento ipſius quæ nullis unquam volumus diminui temporibus, ſed Domino propitio augeri continuè peroptamus; de quibus omnibus & ſingulis ſupra dictis volumus nobis fieri publicum inſtrumentum & publica inſtrumenta per nos Notarios publicos infra ſcriptos conficienda, reficienda, ſemel & pluries ad dictamen & conſilium cujuslibet in jure periti, facti tamen ſubſtantia in aliquo non mutata acta & publicata fuerunt. Hæc Saone in Domo habitationis noſtræ, anno, indictione, die menſe & Pontificatu quibus ſupra, Præſentibus Venerabilibus & diſcretis viris Dominis Archambaldo de valle Canonico Pictavienſi Camerario, Johanne Juliani de Avignione Elecmoſinario Presbyteris: Guillelmo Patriſcari ſcutifero Aymoneto de Gerdili, & Johanne de Ponte alias Vacherii cubiculariis noſtris Gebenenſis Diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. ANNO 1379.

Et me Petro Fabri de Filiaco Clerico Gebenenſis Diœceſis, publico Apoſtolicâ & Imperiali auctoritatibus notario, qui præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic ut præmittitur per dictum Dominum Epiſcopum Cardinalem fierent & agerentur una cum diſcreto viro Magiſtro Vualthero de Villa Clerico Gebenenſis Diœceſis etiam publico Apoſtolicâ & Imperiali auctoritatibus notario, infra ſcripta & teſtibus ſupra ſcriptis præſens in teſtimonium fui eaque ſic fieri vidi & audivi ac in notam recepi, ideoque huic præſenti publico inſtrumento per alium fideliter ſcripto me hic ſcribendo ſignum meum appoſui conſuetum in teſtimonium præmiſſorum.

Et me Vualthero de villa Clerico Gebenenſis Diœceſis publico Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus notario, qui præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur per prædictum Dominum Epiſcopum Cardinalem & Vicecancellarium unà cum venerabili viro Magiſtro Petro Fabri Clerico Gebenenſis Diœceſis eiſdem auctoritatibus publico notario, ſupra ſcripto & teſtibus prænominatis præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi ac in notam recepi. Ideoque huic præſenti publico inſtrumento per alium fideliter ſcripto, ſignum meum appoſui conſuetum, in teſtimonium præmiſſorum requiſitus & rogatus.

Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios faciatis, auctoritate noſtrâ, ordinationes & alia contenta in dicto inſtrumento ut præfertur inviolabiliter obſervari, contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, non obſtante ſi venerabili fratri noſtro Epiſcopo & dilectis filiis Capitulo Gebenenſi, & Archipresbytero, & Presbyteris aliis præfatis vel quibusvis aliis communiter vel diviſim à ſede Apoſtolicâ ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Maſſiliæ apud Sanctum Victorem Nonis Decembris Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

MARTINUS

ANNO 1426.

IV.

Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 1. pag 223.

MARTINUS V.

Erectio Universitatis in oppido Lovanienſi ad preces Joannis IV. Brabantiæ Ducis, anno 1426.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SApientiæ immarceſcibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus eſt theſaurus, omnem habens vigorem, & virtutis Altiſſimi diſpenſator, omniumque Chriſmatum elargitor, ipſe Dominus ad hoc ſuæ miſerationis dignatu, nobis licet immeritis ſponſæ ſuæ univerſalis Eccleſiæ regimen piâ diſpenſatione commiſit, & noſtræ debilitatis oculo jugum impoſuit Apoſtolicæ ſervitutis, ut in Petri ſpecula poſiti tamquam de ſupremo vertice ad infima mundi, protoplaſtique poſteris, qui non nativitatis depoſcunt fructus, ſed intelligentiæ ſpiritu, eandem, unius initium veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia, perſtringendi ſapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indiſciplinatis errantium curandum mentibus pro hujuſmodi illuſtranda Eccleſia ad fidei propagationem conferat orthodoxæ, quid ſtatui conveniat fidelium quorumlibet, proſpiciamus attentiùs, & qualiter à fidelibus ipſis profugatis ignorantiæ tenebris, illi poſt ſupereminentiſſimam ſummi Opificis notionem, per ejuſdem ſapientiæ donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, ſolertius intendentes eò ad quærendum ipſius ſapientiæ alimenta litterarum ſtudia, per quæ divini nominis, & ejuſdem fidei cultus protenditur, militantis Eccleſiæ Reſpublica, in ſpiritualibus, & temporalibus cum animarum ſalute geritur, pax & tranquillitas ubilibet ſolidantur, omnisque conditionis humanæ dilatatur proſperitas, noſtræ proviſionis, ſolicitudinis ope, Apoſtolicisque favoribus propenſius excitemur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum, nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiæ, ac Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, & Capituli Eccleſiæ S. Petri, nec non Burgi-Magiſtrorum, Scabinorum, & Communitatis Oppidi Lovanienſis, Leodienſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat.

Quod licèt in Ducatu Brabantiæ & in aliis Dominiis ipſius Ducis, nec non etiam in Leodienſi, Cameracenſi, Trajectenſi, Morinenſi, & Tornacenſi Diœceſibus, cæteriſque ibidem circumvicinis partibus, & Dominiis, multa famoſa, & inſignia loca populo Chriſtiano, & rerum copiâ admodum opulenta exiſtant, nullus tamen in illis locus eſſe noſcitur, in quo ſaltem Generale vigeat ſtudium literarum. Undè partium illarum plerique commodo, & uſu ſtudii carentes, vel hujuſmodi literarum imperitiæ ſubjacent, vel in remotis partibus degere habent, ſcientiæ hujuſmodi in eis ſectantes incrementum.

Verùm oppidum præfatum, quod de temporali Dominio ipſius Ducis exiſtit, adeò rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, & aliarum rerum neceſſariarum commoditate per Dei gratiam eſt refertum, quod ad hujuſmodi receptandum, confovendumque ſtudium, aptum plurimum, & idoneum exiſtere perhibetur.

Quapropter ipſi, Dux, Præpoſitus, Decanus, Scholaſticus, Capitulum, Burgi-Magiſtri, Scabini, & Communitas C. conſiderantes attentius, quòd inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta Summo rerum auctori ſacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa divinæ Majeſtati grata plurimùm nullatenùs ambiguntur, per quæ ad ſuſcipiendum ſingulare virtutum diadema illis, qui ſcientiarum earumdem ſitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, & auxiliaribus commodis ſubventionis præſidium efficaciter impertitur, Generale literarum ſtudium in eodem Oppido ordinari deſiderant, ut inibi diſciplinæ, atque ſapientiæ ſe ſtudiis exercentes, ſibi & aliis meliores effici valeant, & partium illarum proſperitatis auctore Domino facilius incrementum ſequatur.

Et nihilominus Dux ipſe, unà cum Burgimagiſtris, Scabinis, & Communitate hujuſmodi domos aptas, & loca convenientia illic cum ſcamnis, & aliis neceſſariis Officiis pro Magiſtris, Doctoribus, & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, diſputantibus, & audientibus deputare, nec non eiſdem Magiſtris, & Doctoribus legentibus de ſalario competenti annis ſingulis, vel aliàs de beneficiis Eccleſiaſticis providere.

Nec non quòd Rector Univerſitatis ſtudiis hujuſmodi pro tempore exiſtens ſuper omnia membra Univerſitatis ejuſdem, & illorum ſervientes tam in Civilibus, quàm in criminalibus, & aliis quibuſlibet cauſis, negociis, & exceſſibus, ſine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coërcitionem, & emendationem dictis Duci, Præpoſito, Decano, Scholaſtico, Capitulo, Burgi-Magiſtris, Scabinis, & Communitati, communiter, vel diverſim in eodem oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coërcitionem, & correctionem hujuſmodi à ſe penitùs abdicare, & in Rectorem ipſum plenariè transferre.

Singulis quoque Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus, causâ ſtudii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus pro tempore quæcumque ſua, res, & bona ſecum aſportandi, & ea pro ſuæ voluntatis libito deportandi, ſivè ibidem vendendi libertatem tribuere intendunt pariter, & proponunt.

Quare pro parte dictorum Ducis, Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Capituli, Burgi-Magiſtrorum, Scabinorum, & Communitatis deſiderantium etiam, quòd Magiſtri, Doctores, & Scholares ſupra dicti pro potiori dicti ſtudii incremento condignis privilegiis ſe communitos ſentiant, quibuſlibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus aliorum generalium ſtudiorum quantum in ipſis, Duce, Præpoſito, Decano, Scholaſtico, Capitulo, Burgi-Magiſtris, Scabinis & Communitate, & aliis ipſius Ducis ſubditis fuerit, gaudeant, & utantur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto oppido Generale litterarum ſtudium in qualibet licita facultate erigere, & ordinare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

ANNO 1426.

Nos

ANNO 1431.

Nos igitur, qui relatione fida, post informationem diligentem super habilitate loci, & aliis circumstantiis præmissis de mandato nostro receptam, oppidum ipsum aëris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariarum ubertate refertum, & aliàs pro hujusmodi Studio locum aptum didicimus, pium, meritoriumque eorundem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem, & gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum, & dogmatum ornatibus redimiti, succedat, plurimùm commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica præsentium serie statuimus, & etiam ordinamus: Quod à modo in dicto oppido generale in Facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit Studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, & observetur: Quodque omnes, & singuli Doctores, Magistri & Scholares inibi omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibusvis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, Coloniæ, Viennæ, ac Lipsiensis, Patavienſis, & Merseburgensis Diœcesium Oppidis studii causâ commorantibus per Sedem Apostolicam, vel aliàs qualitercumque concessis, gaudeant pariter, & utantur.

Singuli verò, qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, quâ hujusmodi inhæsere studio, bravium obtinere meruerint, sibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus, sive Magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores, sive Magistros Præposito, (quem Cancellarium Studii in oppido hujusmodi esse perpetuò volumus) si illic præsens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine, & modis, super talibus indictis Studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam, & honorem sortiantur; eò reportent antedictos, & quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, & approbatione in ipsa facultate, quam licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere, & docere liberè & licitè ubique possint, & valeant.

Rursus quoque omnium, & singulorum causarum, & negotiorum cognitio, atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholariorum, membrorum, atque servitorum eorumdem, sive Clerici, sive Laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus, & excessibus, correctis & punitis, atque omnimoda super illis jurisdictio ad Rectorem Studii in eodem oppido C. quem dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, & ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem Studiorum hujusmodi eligi volumus, & non ad Ducem, seu ejus Successores, Duces Brabantiæ, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgimagistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimodè dignoscantur, Præfatoque Duci, Successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, Communitati, & Officialibus, & aliis quibuscumque de causis, & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra, & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, & excessibus eisdem quomodo libet corrigendi, vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem, vel jurisdictionem exercendi, facultate, & autoritate penitùs interdictis; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod nisi infra annum à data præsentium computandum, Dux, & Præpositus, Decanus, Scholasticus, & Capitulum, ac Burgimagistri, Scabini, & Communitas supra dicti, prout eos communiter vel divisim contingere censetur, privilegia, & libertates concesserint, ac jurisdictionem à se abdicaverint, & eam in Rectorem, ac Universitatem prædictos transtulerint, antedicta realiter, & cum effectu, præsentes literæ, & quæcumque indè sequuta, nullius existant roboris vel momenti.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos 5. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno nono.

ANNO 1431.

EUGENIUS QUARTUS,

PONTIFEX CCXI.

ANNO DOMINI MCDXXXI.

EUgenius Venetus, nomine Gabriel Gondolmerius anno 1431. Quo tempore Basileæ Concilium indictum erat. Hinc variæ turbæ exortæ; Quare Pontifex Eugenius à Concilio condemnatus, & depositus est, Surrogato Felice V. unde Schisma acerrimum. Tandem Eugenius obiit anno 1447. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. 1. Fol. 319. App.*)

Ad Archiepiscopum Cantuarienſem, quâ eum ad Concilium Bononiæ habendum invitat: anno 1431.

I. Ex Arch. Reipubl. Genev.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantuarienſi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam ex multorum relatione sentimus murmurare nonnullos audita dissolutione Concilii, si quod esse congregatum videbatur in civitate Basilienſi, opinantes forsitan nos subterfugere velle Concilium, quod semper fieri optavimus & optamus, Nos Fraternitatem tuam avisatam facimus per præsentes, quod illam fecimus cum maturo Consilio & deliberatione justis ex causis in litteris nostris expressis, quæ non fuerunt conflictæ, ut aliqui garriunt, sed verè efficaces; Fuerunt etiam, & sunt aliæ causæ, quas noluimus specificè exprimere, quia manifestari non poterant sine quorumdam Principum nota. Sed si omnes aliæ causæ defuissent, una potissimum fuit per se omnibus nota, infirma scilicet nostri corporis valetudo.

Nos enim, qui in minoribus constituti in Constantienſi Consilio reformari Ecclesiam cupiebamus, jam in Pontificatu nostro desiderium illud nostrum perficere, & in tam pio opere laborare personaliter plurimùm affectamus. Ideo Concilium indiximus in civitate Bononienſi. Neque enim cum

ANNO 1431.

agendum sit de reformatione universalis Ecclesiæ, cujus directio & cura principaliter ad nos pertinet, & de nonnullis aliis gravissimis rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ, nobis inconveniens visum est, tantam rem fieri debere per Legatum sine nostra præsentia & venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Sed sicut ei placuit, cujus inscrutabilia Consilia sunt, gravissima Personæ nostræ supervenit infirmitas, à qua licèt paulatim convalescere incipiamus, tamen non omninò liberati sumus, ita ut possemus sine certissimo mortis periculo ad remotiores partes accedere.

Igitur in loco magis vicino Concilium celebrare, & in eo præsidere decrevimus. Quare nemo justè succensere nobis potest, si ex omni voluntate Dei, quam ostendit in nobis, illud dicimus, quod ei gratum & utile Ecclesiæ suæ fore non dubitamus.

Miramur itaque, venerabilis Frater, de quibusdam qui magis quærentes evertere & deformare quam stabilire & reformare Ecclesiam, hereses fovere, & bella suscitare, prout hactenus notoriè fecerunt, quam præmissa extirpare & in dulcedine pacis reducere, obloquuntur, & studeant contra voluntatem & decretum nostrum Episcopos & Prælatos in Basilea sub nomine Concilii congregare, non ut ibi per eos reformetur, sed ut penitùs obruatur Status Ecclesiæ & Fides Catholica confundatur. Licèt enim Archiepiscopi & Episcopi, quoad reformationem in vita & moribus, definitivas voces habeant in Concilio generali, tamen ex juramento per eos præstito parere & obedire mandatis Apostolicis sunt astricti, nec remanere Basileæ, qui erant, nec de novo accedere, sed potius ad veniendum Bononiam se præparare debuissent, postquam decreti nostri notitiam habuerunt. Verùm plerique stare & accedere sunt coacti, in quibus nec jus nec auctoritas Concilii generalis consistit, quorum voces & deliberationes minimè liberæ, cum ab eorum, qui compulerunt voluntate dependeant. Itaque digni non sunt neque habiles, qui dent legem Ecclesiæ, nec aliis nationibus, neque Religioni Christianæ. Nos enim in Concilio proximo celebrando Bononiæ in tempore constituto vel citiùs quam primùm sufficiens numerus Prælatorum aderit, videbimus & judicabimus cum Consilio in talibus oportuno, super causa eorum qui Basileæ remanserunt, vel illuc noviter accesserunt, & inspirante nos Domino, qui inspirat justa & Sancta Consilia, in his ad quæ Concilium Basilienſe fuit principaliter ordinatum, salubriter providere conabimur.

Quare Venerabilis Frater cum tibi etiam, qui in Ecclesia Dei notabile membrum existis, solers immineat cura præmissorum, qui de veritate rerum & statu Personæ nostræ es plenius informatus, qui vides in hoc turbine fluctuantium voluntatum sub hac informitate asserti Concilii rem Ecclesiæ periculosè committi, quæ majoribus Consiliis indigeret, quibus utinam omnes debito in tempore sufficere possemus, & sentire potes non per universalem Christianorum voluntatem, sed per aliquos conspiratores ad pernitiem Ecclesiæ Prælatos fictis rationibus coloratisque argumentis induci, & nonnullos exquisitis modis & comminationibus impelli, ut ad id assertum Concilium vadant, quod & lapsu temporis & nostra est autoritate dissolutum, Fraternitatem tuam in Domino exhortamur, quatenus per Nuntios & Litteras tuas, quomodocunque noveris aptiùs convenire, retrahere procures Prælatos circumstantes, & temporales Dominos exhortari, ut ipsos retrahant à dicto asserto Concilio Basilienſi, & si qui jam ivissent hos penitus revocare, in quam majori numero fieri potest, ipsos inducendo & ad indictum per nos Bononiense Concilium supradictum, ut tenentur, debito tempore aut quantocyus poterunt venire procurent, & temporales Domini suos Oratores ad dictum Bononiense Concilium mittant, qui suis honoribus adsint, negotia dirigant, & justis deliberationibus faveant, sicuti de Christiana eorum devotione speramus, quo in tempore Tu etiam ad ipsum Bononiense Concilium debeas advenire. Qua in re omnem tuæ virtutis consuetum vigorem excitamus in hac justa causa Ecclesiæ Dei, ut omnis mundus intelligat, sancto operi sanctas te atque ferventes operas posuisse, & nos ad meritos tuos honores ferventiùs animemur. Nobis de tempore in tempus notificando, quantum, ut speramus, virtus tua profecerit, & prosecuta fuerit in prædictis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo III. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Jac. de Arimino.

Ad Ducem Bedfordiensem, quâ invitat ejus Deputatos ad Concilium Bononiæ indictum: Anno 1431. II. Ex Ibid.

EUGENIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Joanni Duci Bedfordiæ, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

QUoniam ex multorum relatione sentimus, murmurare nonnullos, audita dissolutione Concilii, si quod esse congregatum videbatur in civitate Basilienſi, opinantes forsitan nos subterfugere velle Concilium, quod semper fieri optavimus & optamus, Nos tuam Nobilitatem advisatam facimus per præsentes, quod illam fecimus cum maturo consilio & deliberatione, justis ex causis in Litteris nostris expressis, quæ non fuerunt confictæ, ut aliqui garriunt, sed vere efficaces, fuerunt etiam & sunt aliæ causæ, quas nolumus specificè exprimere, quia manifestari non poterant sine quorumdam Principum nota; Sed si omnes aliæ causæ defuissent, una potissimum fuit per se omnibus nota, infirma scilicet nostri Corporis Valetudo, Nos enim, qui in minoribus constituti in Constantiensi Concilio reformari Ecclesiam cupiebamus, jam in Pontificatu nostro desiderium illud nostrum perficere, & in tam pio opere laborare personaliter plurimùm affectamus. Ideo Concilium indiximus in civitate Bononiensi, neque enim, cum agendum sit de Reformatione Universalis Ecclesiæ, cujus directio & cura principaliter ad nos pertinet, & de nonnullis aliis gravissimis rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ, nobis conveniens visum est, tantam rem fieri debere per Legatum sine nostra præsentia & Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sed sicut ei placuit, cujus inscrutabilia sunt Consilia, gravissima Personæ nostræ supervenit infirmitas, à qua licèt paulatim convalescere incipiamus, tamen non omninò liberati sumus, ita ut possemus sine certissimo mortis periculo ad remotiores partes accedere, Igitur in loco magis vicino Concilium celebrare & in eo præsidere decrevimus; Quare nemo justè succensere nobis potest, si ex omni voluntate Dei, quam ostendit in nobis, illud dicimus quod ei gratum & utile Ecclesiæ sue fore non dubitamus. Miramur itaque dilecte Fili de quibusdam, qui magis quærentes evertere & deformare quam stabilire & reformare Ecclesiam, hereses fovere & bella suscitare, prout hactenus notoriè fecerunt, quam præmissa extirpare, & in dulcedine pacis reducere, obloquuntur & studeant contra Voluntatem & Decretum nostrum Episcopos & Prælatos in Basilea sub

nomine

ANNO 1431.

nomine Concilii congregare, non ut ibi per eos reformetur, sed ut penitus obruatur Status Ecclesiæ & fides Catholica confundatur, licèt enim Archiepiscopi & Episcopi quoad reformationem in vita & moribus distinctivas voces habeant in Concilio generali, tamen ex juramento per eos præstito, parere & obedire mandatis Apostolicis sunt astricti, nec remanere Basileæ qui erant, nec de novo accedere, sed potiùs ad veniendum Bononiam se præparare debuissent, postquam decreti nostri notitiam habuerunt, verùm plerique stare & accedere sunt coacti, in quibus nec jus nec autoritas Concilii generalis consistit, quorum voces & deliberationes minimè liberæ, cum ab eorum qui compulerunt voluntate dependeant, itaque digni non sunt neque habiles, qui dent legem Ecclesiæ nec aliis nationibus, neque Religioni Christianæ: Nos enim in Concilio proximo celebrando Bononiæ in tempore constituto, vel citiùs, quam primum sufficiens numerus Prælatorum aderit, videbimus & judicabimus cum consilio in talibus opportuno, super causa eorum, qui Basileæ remanserunt, vel illuc noviter accesserunt, & inspirante nos Domino, qui inspirat justa & sancta consilia, in his ad quæ Concilium Basileæ fuit principaliter ordinatum, salubriter providere conabimur; Quare, Fili dilecte, Nobilitatem tuam rogamus, quatenus tuos solemnes Oratores ad præfatum Concilium Bononiense transmittas, ac Prælatos Basileæ existentes ad recedendum inde, illosque & alios quam plurimos poteris ad Bononiam veniendi inducas, qui ibidem pro honore tuo adsint, in casibus occurrentibus negotia tua dirigant, justis deliberationibus faveant, & pro veteri consuetudine Christianissimæ Domus tuæ studeant Ecclesiam Dei à leonibus & draconibus eam impugnantibus defensare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo, III. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

R. de Valentia.

III. Ex ibidem.

Bulla Eugenii, quâ damnatur hæresis Bohemicorum, Concilium Basilienſe dissolvitur, & Bononiam transfertur: anno 1431.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUoniam alto & incompensibili Deo constituimus reddere vota nostra in conspectu omnis populi & in atriis sanctis ejus. Postquam claves Domini susсepimus, & Beati Petri naviculam gubernamus, suppressi magno pondere inter procellosos mundi motus esse videmur constituti, contuemur enim subortam istâ tempestate profanam hæresin Bohemicorum quasi venenum inficere præcordia fidelium, inque dies mortali contagio serpere, captareque animos titubantium populorum; & Græcorum errores, ad quorum extirpationem salutaribus experimentis providebatur, propter emergentia incommoda perdurare: Hostes adorandæ Crucis ab Asia & Africa imo intra Europam vasta cæde atque calamitate invalescere contra populum Christianum, & ipsos Principes populosque fidelium inter se concertantes desævire, universumque Clerum, paucis admodum exceptis, incedere per tramitem peccatorum.

His igitur malis afflictati clamare cogimur ad Dominum: Excita potentiam tuam, & veni ut salvos facias nos, Deus converte nos, ostende faciem tuam, & salvi erimus Domine Deus virtutum. His & aliis cogitationibus laniantibus mentem nostram, alta nos cura sollicitat, quonam modo tot malis obstare & Christianæ saluti providere possimus, & dum affectionem nostram flagrantissimam attendimus, vehementissimè concitamur, dum verò gerendarum rerum magnitudinem, loca & tempora mensuramus, necessitate conditionis humanæ retardamur. Quoniam res tam arduas tamque difficiles Catholicæ fidei necessarias lustrare brevi spatio non valemus; Attento maximè, quod cum felicis recordationis Martinus Papa V. Prædecessor dilectum Filium Julianum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem pro celebratione Basilienſis Concilii ad ipsam Civitatem Basileam Legatum destinavisset, dum nulla ibi Prælatorum congregatio adhuc facta foret, intervenerunt magnæ & necessariæ causæ, quibus obstandum fuit Bohemicæ cladi & saluti fidelium providendum, unde ipse Cardinalis, sicut notorium est, pro conservatione fidei in partibus illis magnis fuit exercitiis occupatus; secuta demum occulta Dei judicio Catholicorum fuga præmissis ad ipsam Civitatem Basileæ dilectis Filiis Johanne Polomar Palatii Apostolici causarum Auditore ac Johanne de Ragusio in Theologia Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum Procuratore, is Cardinalis profectus ad ipsam Civitatem requisitis Prælatis quam plurimis, parvaque ibidem Cleri congregatione secuta, de consensu eorum, qui in dicta Civitate existunt, dilectum Filium Johannem Pulcri patris in Theologia Magistrum, Canonicum Bisantinum, ad nos & dictos Fratres nostros transmisit, qui nobis inter cætera facundè atque prudenter explicata significavit deformationem Cleri in partibus illis, & nefandam ipsius hæresis pestem pullulare in dies, & jam usque ad partes Basileæ proximas advenisse, secutis inde scandalis & cladibus abominandis; nam hæresis prædictæ imitatores Clerum insequentes aliquos expulerunt, & nonnullos inhumaniter trucidarunt, addidit etiam discrimina initi belli inter dilectos Filios Nobiles Viros Burgundiæ & Austriæ Duces aliasque difficultates.

Ex quibus tamen novam Prælatorum vocationem ad Basileam affectare videbatur. Nos quidem examinantes conditionem mundi, temporum & locorum, quod instat tempus hiemis, quodque loca circumstantia Basileæ potissimè versus Austriam & Burgundiam minus esse transitu secura referantur, unde verisimile est, Prælatos in Basilea diutiùs expectatos non venisse, qui etiam consideratis difficultatibus, temporis ineptitudine, periculisque bellorum allegare possent non veniendi dignas rationes. Et si qui pauci venissent, tractandis rebus multis & magnis sufficere non potuissent, quodque præteriit tempus Septemnii, in quo debuissent secundùm Statuta Constantiensis Concilii sine alia vocatione congregari. Hæc omnia versantes animo nostro, etiam quia proximis diebus carissimus in Christo illustris Filius Johannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator, & Venerabilis Frater noster apud Græcos Constantinopolitanus Patriarcha, suum Oratorem ad nos & venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales transmiserunt, qui nos requisivit juxta tractata per Prædecessorem nostrum cum Concilio ipsorum Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, pro unione Græcæ Orientalis Ecclesiæ cum Romana & universali Ecclesia in loco eis dicto celebrari, unde nos secundum dictas conventiones & propter executionem tanti boni obtulimus pro adventuris Græcorum Prælatis & Oratoribus pro transitu ad Italiam & reditu ad Græciam, pro galeis & aliis necessariis impensas opportunas, cum quibus Græcis de unione tractari potuisset; Dum nominatæ fuissent, Romæ, Ancona, & Bononia & alia Italiæ loca; Demum licèt Roma, Nobis & Fratribus nostris commodior extitisset, in Civitate Bononiæ putavimus aptiùs convenire, quæ propter habilita-

ANNO 1431.

ANNO 1431.

tem navigationis eorum & propter viciniorem aditum Ultra montanorum ad Italiam, capacitatem loci & alias conditiones idonea reputatur.

Promiserunt itaque præfati Imperator & Patriarcha solemnes suos Oratores transmittere, sicuti ante notitiam obitus præfati nostri Prædecessoris transmittebant. Hæc omnia cum dictis Fratribus nostris considerantes, quòd ex tota Republica Christianorum nihil sanctius, nihil optabilius esse potest, quam Græcam Ecclesiam, olim tot sanctis & viris clarissimis illustrem, dimisso errore unam fieri cum Ecclesia Romana, comprehendimus necessarium esse ad conveniens spacium temporis in Bononia generale Concilium convocari; Quapropter si Prælati de novo ad Basileam vocarentur, quod convenire non posset sine temporis intervallo, utrumque Concilium fere uno tempore concurreret, & sic utrumque minus auctoritatis haberet, nec Prælati possent in utroque interesse, unde pro commoditate Prælatorum, ne bis habeant convenire, ex causis superius declaratis & aliis magnis & urgentibus suo loco & tempore declarandis, majus bonum minori præponentes, præter Concilium, quod secundum Statuta Synodi Constantiensis in decemnio venit celebrandum, quodque in ipso decemnio in civitate nostra Avinionensi volumus celebrari, ex abundanti in civitate Bononiæ pro ipsorum Græcorum reductione, reformationeque Cleri ac populi Christiani aliud generale Concilium decrevimus convocare, & in eo intendimus personaliter præsidere Apostolica autoritate & subscriptorum Fratrum nostrorum Jordani Sabinensis, Antonii Hostiensis, Hugonis Prænestrini, Episcoporum: Johannis tituli Sancti Laurentii in Lucina, Antonii tituli Sancti Marcelli, Johannis tituli Sancti Sixti, Francisci tituli Sancti Clementis, Angelotti tituli Sancti Marci Presbiterorum; Lucidi Sanctæ Mariæ in Cosmedin & Ardecini Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, unanimi Consilio & assensu indicimus & convocamus, ac præfatam Synodum Basiliensem, si qua ibi congregata videatur, dissolvimus & totaliter liberamus, Insuper in nomine Christi Dei, ad cujus populi salutem totis affectibus aspiramus, Universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis & Clericis, ad quos interest, ubicunque constitutis, indictis & dissolutis prædictis, declaramus & notificamus, ipsosque requirimus & monemus in Domino Jesu Christo, & in vim præstiti juramenti in Consecrationibus eorundem, in virtute Sanctæ obedientiæ ac etiam Apostolica autoritate nostra præcipimus & mandamus, sub pœna excommunicationis & aliis pœnis juris, quatenus in anno uno cum dimidio à publicatione præsentium computando ad præfatam civitatem Bononiæ pro hoc Sacro-Sancto Concilio celebrando, & subsequenter in decemnio in civitate Avinionensi debeant convenire, quos omnes præsenti scripto intendimus esse monitos peremptoriéque citatos, ac si eorum singulis directæ fuissent monitoriæ litteræ speciales.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dissolutionis, liberationis, declarationis & præceptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno in carnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo primo, secundo Idus Novembris, Pontificatus nostri anno primo.



Ego Jordan Episcopus Sabin. Domino nostro Eugenio aliqualiter impedito, & de ipsius mandato, præsentibus præscriptis Dominis Card. subscripsi
Ego Jordan Episcopus Sabin. nomine proprio subscripsi.
Ego Antonius Episcopus Hostien. subscripsi.
Ego H. Episcopus Prænestrinus subscripsi.
Ego Jo. tit. Sti. Laurentii subscripsi.
Ego Antonius tit. Sti. Marcelli subscripsi.
Ego Johannis tit. Sti. Sixti me subscripsi.
Ego F. tit. St. Clemen. me subscripsi.
Ego A. tit. Sti. Marci Pbr. Card. subscripsi.
Ego Lucidus Stæ. Mariæ in Cosmedin. Diacon. Card.
Ego Ardec. Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Card. subscripsi.

Ja. de Languſto.
De Curia,
M. de Guadagnie.

IV. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 2 pag. 895.

Per Breve Apostolicum mittit Philippo Bono Burgundiæ ac Brabantiæ Duci Hostiam miraculosam, quæ modo asservatur Divione in Burgundiâ: anno 1433.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

SIngularis devotionis zelus, quem ad fidem Catholicam, & Sacramentum Passionis Domini nostri Jesu Christi gerere Te videmus, meritò nos inducit, ut ea Tibi concedamus, quæ devotionem tuam, & aliorum Christifidelium augere valeant. Tuis igitur in hâc parte devotis supplicationibus annuentes, Tibi Hostiam quandam sub imagine Salvatoris in Throno sedentis, mirabile Sacramentum Dominici Corporis multis in locis à vesana cujusdam feritate gladii ictibus perforatam, & ex eo sanguine respersam in locis præfatis, quæ in sacrario nostro erat recondita, tuæ piæ devotioni concedimus, & donamus, volentes, & mandantes Tibi, ut eam in aliqua Ecclesiarum, quas possides, aut in alio loco celebri cum eo honore, & reverentia recondas futuris temporibus venerandam, prout tanti Sacramenti majestas & magnitudo requirit.

Datum Romæ apud Sanctum Laurentium in Damaso sub annulo nostro secreto die 17. mensis Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Bulla

ANNO 1435. V. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 10. pag. 620.

Bulla quâ Pontifex negat se Ducem Burgundiæ à juramentis Regi Angliæ, & Regis Patri præstitis absolvisse: anno 1435.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Henrico Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

REddidit nobis litteras tuas dilectus Filius Adam Moleyns, Nuncius, & orator tuus, Quem comissa sibi per Celsitudinem tuam prudenter exponentem, assistentibus sibi fidelibus tuis, venerabili Fratre & dilecto Filio Episcopo Ambianensi, & Andrea Holeys Referendario & Cubiculario nostris, libenter audivimus, illique ad singula benignè respondimus. Cæterum quia à nobis certiorari desiderasti super absolutionibus à juramentis, per aliquos ex Principibus & Nobilibus Regni Franciæ, claræ memoriæ Progenitori tuo, & Tibi præstitis; an scilicet eas petierint, & petitas per ipsos, aut ipsorum nomine concesserimus; tuam Celsitudinem certam reddimus, nos nullum ex ipsis ab hujusmodi juramentis absolvisse, nec etiam per eos, aut eorum nomine, de hujusmodi absolutionibus nobis supplicatum fuisse. In futurum autem credere debes, Nos in ea parte & reliquis, honorem & desiderium tuum concernentibus, ita disposituros, quod de nobis meritò contentus debebis remanere; Tuam itaque Excellentiam, quam ad bonum pacis benè dispositam esse cognoscimus, qua majori possumus affectione hortamur & stringimus, quod Te indies meliùs disponas, ut aliquando temporibus nostris, & tuis, tanta calamitas finem habeat, & anima tua spiritusque tui, omissis belli cogitationibus studiisque, quæ Deo displicent, ad pia Salutis consilia convertatur, cum magno apud Deum, bonorum hujusmodi operum Retributorem, merito, & maxima apud nos benevolentiæ gratia, immensaque apud seculi homines apud universum orbem perpetuæ famæ gloria.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo, trigesimo quinto: decimo septimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

VI. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Ad Concilium Basileense, respectu negociationum, cum Græcis initarum ob eorum adventum ad dictum Consilium: anno 1434.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in sacro Basilienſi Concilio congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXistimantes, olim etiam dum eramus in minoribus constituti, quantum esset grata & accepta Deo nostro reductio omnium, qui sub nomine Christiano censentur, ad unum ovile & unicum pastorem, ut vera fides in omnibus eluceret semper, & verbo & opere juxta possibilitatem nostræ infirmitatis egimus, ut Græci ad unitatem Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ reducerentur. Itaque ante annos plurimos rem hanc multa cum diligentia promovere curavimus, inter cætera quantum in nobis fuit apud felicis recordationis Martinum Papam V. Prædecessorem nostrum operam dedimus, ut Oratores suos ad charissimum in Christo Filium nostrum Romanorum Imperatorem & ipsorum Græcorum Patriarcham Constantinopolim præterea destinaret, qui cum suos diversos Oratores ad ipsum Prædecessorem misissent, continuatâ cura solliciti fuimus, ut res ipsa optatum finem sortiretur. Denuò post assumptionem nostram ad summi Apostolatus apicem eadem renovantes, ut alia prætereamus, anno præterito cum Oratoribus Præfatorum Imperatoris & Patriarchæ, qui Romam ad nos venerunt una cum venerabilibus Fratribus nostris, assistente etiam charissimo in Christo Filio nostro Sigismundo Romanorum Imperatore semper Augusto, multa practicavimus, cumque hi Oratores in hoc viderentur persistere, ut in Civitate Anconæ Prælati & alii in numero copioso ex utraque Ecclesia convenirent, inter quos & Præfatus Romanorum Imperator adesset, & Nos cognosceremus, rem hanc, prout petebatur, expensas maximas & difficultates inextricabiles parere, & forsitan sine fructu aliquo pro tunc cum eis nihil concludimus, sed ad præfatos Imperatorem & Patriarcham aliquem mittere deliberavimus, qui negotium hujusmodi cum ipsis plenè tractaret, & super eo finale responsum ipsorum Imperatoris & Patriarchæ ac aliorum suorum intelligeret; Misimus itaque mense Julio anni præteriti dilectum Filium Magistrum Christoforum Garatonum Secretarium nostrum Græcæ Linguæ peritum, qui post multos sermones cum præfatis Imperatore & Patriarcha ac multis aliis ex Græcorum majoribus habitos, tandem comperit ipsos omnes id eligere, ut Legatus Sedis Apostolicæ cum Prælatis, & aliis ex nostris doctissimis viris ad Urbem Constantinopolim transmittatur, ubi & Prælati & alii majores ex ipsis Græcis una cum præfatis Imperatore & Patriarcha pari modo conveniant, ibique per viam disputationis, sicuti & aliàs in sexta Synodo factum fuit, veritate patefacta, utraque Ecclesia optatum unionis & pacis consequatur effectum, sic tam ex ipso Christoforo quam ex litteris Imperatoris & Patriarchæ prædictorum id continentibus planè percepimus, quodque magis est, charissimus in Christo Filius Imperator Trapezuntis & plurimi ei adhærentes in hoc etiam pari voto conveniunt, quæ cum per præfatum Christoforum ad nos revertentem delata essent, parato animo acceptavimus, nam & id nos plurimùm optabamus, quoniam per hunc modum de ipsa unione & concordia bona spes redditur, & multo minori impensa & quæ tolerabilis sit opus erit, accedit ad hoc, quod Patriarcha Armeniorum, veluti per litteras certas nobis constitit, eo tempore etiam Constantinopolim venturus sit, & in hanc rem pariter consensurus, sicut in Domino benè speramus. Propterea mense Julii præterito ipsum Christoforum Constantinopolim iterum destinavimus cum nonnullis Capitulis, quæ menti utriusque partis planè satisfacere videntur, ipsique injunximus, ut secundum ipsorum tenorem cum Imperatore & Patriarcha ac aliis supradictis omninò concludat, super quo sibi plenum mandatum dedimus, quod pro Dei miseratione modo factum esse existimamus, horum siquidem capitulorum copiam dudum per nostros Præsidentes ad vos deferri jussimus; Post hæc verò dilectus Filius Simon Freym Nuntius vester cum vestris litteris concluſa quædam inter vos & Oratores ipsorum Imperatoris & Patriarchæ continentibus ad nos venit, quæ legimus diligenter, vestramque affectionem circa tàm pium opus in Domino commendavimus, verùm hoc paulum admirari cogimur, quod in re tanta & tam gravi, tamque diu desiderata & à nobis tractata, aliquid per vos concluſum sit, non solùm nobis inconsultis, verum etiam irrequisitis & insciis, præsertim cum ea sint concluſa & promissa, quæ ex pluribus causis non tantùm difficilia sed etiam impossibilia multis esse videantur, & quæ non spem rei conficiendæ sed desperationem potiùs afferant menti nostræ, affectionem tamen vestram, ut præmisimus, meritis

ANNO 1434.

ANNO 1435.

laudibus commendamus. Ex quibus fit, ut ad eam rem diligentiùs animadvertendum esse videatur; A vobis namque uno modo concluſum est, Orator noſter forſan & veriſimiliter alio modo concluſit, quid ſi uno tempore de eadem re duæ variæ & diverſæ fiant concluſiones, profectò ridiculum erit, & quod magis est fortè ex hac diſſenſione ſcandalum pariturum, ſaltem non parum dedecoris nobis omnibus allaturum, quid præterea ſi juxta modum concluſionis veſtræ ad eam unionem pertingere, veluti expertiſſimi viri autumant, impoſſibile esse contingat, nonne ad pudorem & confuſionem cedet totius Catholicæ militantis Eccleſiæ? Quæ ne accidant ſumopere cavendum est; Illa igitur media nobis & venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus eligenda videntur, quæ breviora atque expeditiora ſunt, & ad ejus ſanctiſſimæ unionis finem conſequendum magis veriſimilia; Hæc non ad obviandum rebus per vos geſtis ſcribimus, cum & ad eundem finem, quæ vos optatis, noſtra tendat intentio, & idcirco noſtra parum referat, quâ viâ aut quo medio is finis ſequatur, ſed ad pleniorem informationem veſtram, verum tamen ut noſtram ſinceram & puram voluntatem planè perſpiciatis, ſi omiſſis, quæ ſupra diximus, per eum modum, quo cum præfatis Oratoribus concluſiſtis, rem ipſam tandem proſequi intenditis, ex nunc purè & liberè noſtrum, prout petitis, præbemus aſſenſum.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo quarto, decimo ſeptimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Jo. de Steccatis.

VII. Ex Ibid.

Ad Concilium Baſilienſe quâ ſuis Legatis fiducia à Concilio præſtanda eſt: anno 1435.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in ſacro generali Baſilienſi Concilio congregatis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo nonnullis Dei honorem ac bonum totius Reipublicæ Chriſtianæ concernentibus, mittimus dilectos Filios *Nicolaum* tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem, ac *Johannem* tituli ſancti Petri ad Vincula, Presbyteros Cardinales Apoſtolicæ Sedis Legatos. Eisque aliqua commiſſimus Fraternitatibus & devotionibus veſtris ex noſtra parte referenda, de quibus placeat ipſis tanquam verbis noſtris impartiri plenam fidem.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto, quarto decimo Kal. Martii, Pontificatus noſtri año quinto.

Ja. de Arimino.

VIII. Ex Ibid.

Ad Concilium Baſilienſe, quà id monet ſe miſſurum eſſe Nuntium: anno 1436.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in ſacro Baſilienſi Concilio congregatis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

VEnerunt ad præſentiam noſtram dilecti Filii Dyoniſius Sabrevois & Henricus de Dieſt in Theologia Magiſtri Oratores veſtri, nos inter cætera ſuis Orationibus præcipuè exhortantes ad unionem Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, quæ res, dum in minoribus conſtituti eramus, cordi noſtro inſidebat ardenter, poſt autem aſſumptionem noſtram ad apicem ſummi Apoſtolatus hoc ſanctum opus ita deſideravimus, ut nihil in animo noſtro inſit ardentius, quam videre ovile Domine Latinum & Græcum cum recta & vera Religione conjunctum. Cum autem nos ad pacem & Unionem Catholicæ fidei & Eccleſiæ ſincerâ voluntate diſpoſiti ſumus, vos hortamur in Domino, ut omnes curas & cogitationes veſtras ad hanc Dei & fidei cauſam, ea charitate quâ decet, conferre velitis. Cæterum quamvis aſſiſtentibus nobis venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus dictis Oratoribus vivâ voce reſponderimus, tamen de dictorum Fratrum conſilio ad ſacram Baſilienſem Synodum properè deſtinabimus venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Archiepiſcopum Tarentinum, qui noſtro & dictorum Fratrum nomine, ſuper poſtulatis ab ipſis Oratoribus particularibus, rectè ac religioſè reſpondebit.

Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſexto, ſexto Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno ſexto.

G. Colini.

ANNO 1436.

Bulla, per quam recommendat Imperatorem Sigismundum Baronibus, cæterisque Nobilibus Pragenſibus, aliisque Civitatibus Bohemiæ, affectionem ſuam erga Regnum ipſum, ejusque Incolas declarando: anno 1436.

IX. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. pag. 154.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Baronibus, Pragæ Civitatis Nobilibus, cæterisque Civitatibus Regni Bohemiæ, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

GRatus Nuntius dudum lætificavit Animum noſtrum, dilecti Filii, cum *audivimus, quod pietas Altiſſimi infuderat Spiritum Concordiæ & veritatis* in Cordibus veſtris cum reliquis Chriſti Fidelibus, de quâ re quantam conſolationem in Domino ſuſceperimus propter pacem & quietem veſtram, & aliorum Chriſti fidelium, novit ille, cui corda & cogitationes hominum patent. Et quidem ſperamus, quod miſericordia Altiſſimi, cujus miſerationes ſunt ſuper omnia opera ejus, augebit in vobis gratiam ſuam, quodque virtus & devotio veſtra lucebit in Dei Eccleſia, & erga nos ſummum Pontificem oſtendetis debitam obedientiam & fidem ad Salutem animarum veſtrarum. Quemadmodum etiam nobis retulit venerabilis Frater noſter *Johannes Epiſcopus Signenſis*, quem, ſuis exigentibus meritis, paternâ dilectione proſequimur; multa aſſerens de veſtrâ devotione & affectione ſincerâ erga Nos, & Eccleſiam Romanam, ex quibus rebus charitatem veſtram, meritis laudabilibus commendamus, exhortantes vos, piè in Domino vivatis, ut gratia, quæ data est vobis à Salvatore noſtro, per veſtra bona & laudabilia Opera fructum afferat uberem in odorem ſuavitatis. Inter cætera gratiſſimum fuit audire *concordiam bonam veſtrûm, cum Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Sigismundo, Romanorum Imperatore ſemper Auguſto*, Rege veſtro, quem cùm ſumma Charitate diligamus, prout tanti Principis virtus & merita requirunt, exaltationem & ſtatum ſuum, cùm fuerit ſemper, & ſit præcipuus noſter & Eccleſiæ Dei Defenſor & Protector, augeri tota mente exoptamus. Itaque (prout decet ſubditos ſuo Regi parentes, ac debitam reverentiam & obedientiam præſtantes) diligatis ipſum in ſynceritate mentis & animi, cum ipſe ſit Princeps prudentiſſimus, ac diligat & amet vos, quotidie agens, quæ ſperat pertinere ad bonum veſtrum, & Regni utilitatem. Nam petivit à nobis aliqua pro quiete & honore veſtro & regni per organum Epiſcopi præfati, quæ nos libenter conceſſimus, parati etiam in poſterum omnia facere,

quæ

ANNO 1437.

quæ concernant honorem, commodum & utilitatem veſtram, tum propter bonum veſtrum, quorum honeſtis deſideriis ſemper intendimus complacere, tum contemplatione Imperatoris, cujus laudabilis & ſincera voluntas ſemper nobiscum unita fuit, in fide pura, & charitate non ficta, ac pro nobis ac Eccleſiæ ſtatu ea fecit, quæ laudem & gloriam perpetuam mereantur.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. Quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno VI.

D. de Vinariis.

X. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Ad Marchionem Brandenburgenſem propter Electionem Imperatoris Sigismundo ſufficiendum: An. 1437.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Frederico Marchioni Brandenburgenſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SOlemni natalis Domini noſtri die certiores facti ſumus, claræ memoriæ olim Sigismundum Romanorum Imperatorem Hungariæ ac Bohemiæ Regem viam univerſæ carnis ingreſſum eſſe, & licèt mœſti dolentesque audiverimus, eum Principem eſſe ſublatum, quem ſpeciali caritate dileximus, quemque rebus Eccleſiæ & Sedi Apoſtolicæ affectum eſſe cognovimus, mœrorem tamen noſtrum magna ex parte levarunt quæ de illius contritione quam moriens habuit, & quæ de illius placida & hilari aviditate ad ſuſcipiendum Sacro-Sanctum Dominici Corporis Viaticum, & alia Eccleſiæ Sacramenta audivimus; Ejus itaque deſiderio prædicta ratione parumper mitigato, in futura tempora in multiplices nomini Chriſtiano, Nobis & Romanæ Eccleſiæ impendentes negotiorum anfractus curas cogitationesque noſtras convertimus: De novo enim Imperatore deligendo injuncta tibi & aliis Electoribus cura nos etiam angit atque anxium facit, cum ea conſideramus & ante oculos poſita cernimus, quæ celſi animi, virtutis, prudentiæ ſingularis, & devotiſſimi inprimis ac deditiſſimi Eccleſiæ & Sedi Apoſtolicæ animi Imperatorem præſertim hoc tempore deſiderari faciunt, qui imminentes cervicibus Chriſtianorum infideles reprimere, & propulſare, qui diſſidentes multis in provinciis Chriſtianos una nobiſcum ad pacem reducere, qui anhelantes ad Eccleſiæ ſciſſuram plerosque impios continere, reprimere, deterrere, qui Sedis Apoſtolicæ Autoritatem, maximum Imperatoris munus, defenſare & augere, qui denique Eccleſiam Romanam, cujus erit ipſo Jure Advocatus, protegere ſciat, poſſit, & pio ac ferventi Zelo id velit, Quamobrem licet non dubitemus, vos omnes ea quâ præditi eſtis virtute bonam & diligentem adhibituros tantæ rei curam, & diu multumque penſaturos, quem ad tanta tamque ardua munera obeundum deligatis; Ut tamen id noſtris etiam exhortationibus ac ſuaſionibus attenti faciatis, memoramus in primis, ut in facienda electione ipſa unanimes, concordes & idem ex omni partæ ſentientes ſitis, vos in Domino exhortamur, ea enim eſt nobis de veſtra virtute & prudentia fides atque opinio, ut is quem uniti & concordes duxeritis eligendum, non niſi excellens, dantegratiam Domino, eſſe poſſit, & maximis quæ ſupra numeravimus in Eccleſia Dei & populo Chriſtiano imminentibus negotiis ſatisfaciat, ſin vero per veſtram diſſenſionem, quod avertat Omnipotens, aliquid novi ſuboriretur diſturbii, intolerabiles emergerent labores; Nihil ergo accuratius à vobis fieri oportere cenſemus, quam ut concordi & unanimi conſenſu ipſam electionem faciatis, vel ſi fortaſſe ſuberunt cauſæ, propter quas in unum eundemque eligendum convenire nequeatis, tutius fuerit electionem ipſam aliquantisper differre, efficiet namque, ut confidimus, longa & matura deliberatio, ut quod acceleratio nimia vetabat, dilata conſultatio vos omnes unanimes & ejusdem voluntatis reddat. Quare ſi inſpirante Domino cum bona caritate & communi conſenſu electionem prædictam facietis, rem nobis acceptatiſſimam, & cui an parem in humanis à vobis expectemus non facilè dixerimus, effeceretis, erimusque promti & parati, quod benè, condignè & laudabiliter factum à vobis audiemus, approbare & favoribus proſequi neceſſariis, ut per ipſius electi adjumentum impendentia populo Chriſtiano pericula avertamus, diſcordias, bella & inimicitias tollamus, & tum Eccleſiæ Occidentalis unitatem ſervemus, tum maximè Orientalem, ad quod dante Domino videmur optima jeciſſe fundamenta, ipſi Occidentali etiam uniamus; Nam hodie in Conſiſtorio generali fecimus Declarationem, cujus copiam mittimus introcluſam, & Domino concedente ibimus de proximo ad Ferrarienſe Concilium, ubi Deo noſtro puram, ſinceram & piam voluntatem noſtram dirigente ac juvante, ea ſolidè & cum effectu in prædicto Concilio faciemus fierique curabimus, propter quæ Concilium à principio fuerat congregatum, & cùm cariſſimum in Chriſto Filium Imperatorem Romanorum ac Venerabilem Fratrem Conſtantinopolitanum Patriarcham cum multis notabilibus Prælatis nobilibusque aliis propediem expectemus, jamque pars Familiæ prædicti Imperatoris Venetias applicuerit cum una ex noſtris Galeis, unionem ipſorum Græcorum cum Eccleſia Occidentali concedente Domino facere ſperamus, quare velit tua Devotio Oratores & alios omnes tuos qui apud Baſileam eſſent inde revocare, & alios Oratores omnesque qui videbuntur tibi ad prædictum Ferrarienſe Concilium mittere, & quantum in te eſt, poſtpoſitis æmulorum Sedis Apoſtolicæ & noſtrorum qui ſcandala quærunt in Eccleſia Dei paſſionibus, ea poſſint in prædicto Concilio Ferrarienſi fieri, quæ gloriam Dei & nominis Chriſtiani exaltationem & Sedis Apoſtolicæ totiusque Eccleſiæ pacem & honorem reſpiciant, & per quæ tot olim deſiderata ſeculis Græcorum unio, quam, niſi ſcandaloſi & impii prohibituri ſint, in manibus habere videmur, ſequi poſſit.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo pridie Calendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

Jac. de Viterbio.

XI. Ex Ibid.

Ad Nobilem virum Albertum Bavariæ Ducem, ut ad Dietam apud Nurimbergam ordinatam ſe transferat, & Sedi Apoſtolicæ faveat: Anno 1437.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Alberto Bavariæ Duci, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Venerabiles Fratres & dilecti Filii Sacri Romani Imperii Electores nobis per ſuos Oratores cum inſtantia ſupplicaverunt, ut in alium locum ab iſto pro Oecumenico Concilio conſentire, etiam & ab inceptis proceſſibus contra aliquos, qui Baſileæ in ſcandalum Eccleſiæ remanſerunt, abſtinere dignaremur, quæ quidem etiam, ut certi reddebamur, petituri erant Oratores cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Alberti Regis Romanorum Illuſtris. Nosque de Conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium eisdem, prout in Copia præſentibus introcluſa continetur, duxerimus reſpondendum. Tuam Nobilitatem

hortamur

ANNO 1438.

hortamur atque requirimus, ut ad dietam quam in responsione prædicta postulavimus, quæ postea apud Nurimbergam ordinata est, personaliter te conferre velis, & juxta tuam & progenitorum tuorum fidem atque devotionem Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritati favere, ac Justitiæ & Innocentiæ nostræ assistere studeas, quemadmodum plenè confidimus, atque speramus, ut per tuam & aliorum Principum assistentiam pestiferum illud & inveteratum schisma in natione Germaniæ tantis tamque piis laboribus extinctum, paucorum quorumdam hominum odio & ambitione non solum in eadem Natione non renovetur, sed pax detur Ecclesiæ, & unitas maneat illibata, super quibus tuæ Devotioni latiùs dicet dilectus Filius Gerardus Sacerdos Canonicus Sancti Stephani Moguntinus, Familiaris noster.

Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo tricesimo octavo, quarto Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno octavo.

L. de Riciis.

XII. Ex Ibid.

Instructio Papæ Eugenii ad suos Nuntios, missos ad Dietam Francofurti coactam, ad eligendum Imperatorem. Anno 1439.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Nicolao de Cusa Præposito Monasterii in Meynfelt, & Jacobo de Oratoribus Canonico Ferrariensi Nunciis nostris, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ACcepimus Litteras cujuscumque vestrûm, laudamusque prudentiam & diligentiam vestram in cunctis statum & honorem nostrum & Sedis Apostolicæ concernentibus. Commendantes pariter Cedulam illam per vos exhibitam Electoribus vigore Litterarum nostrarum, quas de Credentia habebatis, tanquam juxta mentem nostram bene & prudenter conceptam. Quæ scribitis de Dieta apud Franckfordiam tenenda in die Conversionis beati Pauli pro Electione Regis Romanorum intelleximus, Deumque oramus, ut talem eligi permittat, qui & possit & velit Sanctam Dei Ecclesiam, prout tenebitur, defensare. Spem tamen in Dei misericordia & in Electorum prudentia habemus, talem eligi, qualem Ecclesiæ & Religionis Christianæ necessitas postulat. Volumusque, ut quam primum Electio facta fuerit, eam nobis per nuncium proprium illicò nuncietis, & sive præsens erit electus sive absens, ad ipsum vos personaliter conferatis simul cum dilecto Filio nostro Cardinali Sancti Vitalis Augustensi nuncupato, cui etiam super hoc scribimus, si aderit in ipsa Dieta dictus Cardinalis; Alioquin vos dictum adeuntes Electum congratulabimini secum de hujusmodi assumptione, & illa eadem apud ipsum promovebitis, quæ ex nostra commissione apud Electores pridem promovistis, sumendo ex litteris nostris & cedula vestra rationes & alias prout dictaverit ingenium afferendo. Conveniet verò inprimis secum & cum suis Consiliariis agi, ut pro defensione Sedis Apostolicæ, à qua sola jus Imperii Romani fuit in Germanos translatum, velit, quemadmodum tenetur, viriliter laborare. Et cum Nos ac Sedem Apostolicam in cunctis & honorem suum concernentibus illi amplè obtuleritis, persuadebitis eidem atque Consiliariis suis, ut morem imitatus ipse Electus aliorum qui hactenus in Romanorum Reges electi fuerunt, suam Electionem per suas litteras nobis intimet. Suadebitisque pariter, ut mittat Decretum Electionis pro confirmatione à nobis juxta formam juris obtinenda. Nec ab ipso Electo, quocumque proficiscatur, aliqua ratione discedatis, sed illum quocumque iverit secuti quotidie & in Missis & alibi visitetis ipsum continuò, & suos de justitia nostra & Basilienſi pravitate ac de illa ambitione, impressione, coactione praticis, notariaque impudentia, quibus nefariè usus Sabaudiæ Dux in Idolum eligi quæsiverit, plenariè informantes, narrantesque è contra, quam magnifica & gloriosa fuerunt opera, quæ auctore Domino nostrâ impensâ, pro qua nullum oneravimus in Græcorum atque Armenorum reductione, effecimus, quo in sermone dicendum erit de numerositate populorum utriusque gentis noviter reductæ, quòdque non solum in hac tali operatione requievimus, sed insuper Græcis post factam unionem obtulimus multa & ampla subsidia mari ac terra eorum Imperatori exhibenda Turcis ex Europa & Græcia expellendis. Cujus rei causâ claræ memoriæ Albertum Regem Romanorum defunctum requisiveramus, ut huic rei intendens operamque dans pararet exercitum contra Teucros in tempore ducendum. Nam Nos etiam constituveramus magnam classem cum auxilio Principum Christianorum eodem in tempore paratam habere dandam prædicto Græcorum Imperatori, qui ex partibus Constantinopolitanis contra dictos Teucros exercitum duxisset. Accommodè item tunc dicere potestis de periculis, quæ per mortem prædicti Regis imminent Hungariæ à Barbaris; Ex tam multis concludetis, oportere, ut Electus ipse tanquam Advocatus & Defensor Ecclesiæ viriliter se accingat ad protegendum Christianitatem; Ceterùm ibitis quam primum ad Dietam Franckfordiæ, ubi postquam negotium vobis commissum promoveritis, instare debebitis tam apud Electores quam alios Principes in dicta dieta convenientes, ut responsio vobis detur in scriptis super litteris Apostolicis, quas tu Jacobe tulisti, & super cedula per ambos exhibita, Informabitisque plenariè Cardinalem Augustensem de omnibus per vos promotis & dictim promovendis, quem vobis adstiturum non dubitamus usque ad felicem hujus rei expeditionem. Quod reliquum est misimus vobis pridie decretum. *Moyses*, & nunc transmittimus aliud de Armenorum reductione, vos curare debebitis, ut quæcumque in dies fiant scribi digna celeriter ad nos perferantur quam diligenter à vobis scripta, pariterque scribatis quid à vobis oportere fieri censeatis.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo nono Quarto Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

D. Palavicinus.

XIII. Ex Histor. Univ. Bulæi Tom. 5. P. 447.

Confirmat Privilegia Universitatis Patavinæ ad instar Parisiensis Anno 1439.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

DUm intra arcana nostræ mentis solerti meditatione recolimus, quantum ad Populum nostræ solicitudini commissum Remque publicam debitè regendam viri litterarum scientia docti

confe-

ANNO 1439.

ANNO 1439.

conferant, curâ nobis injunctâ dignum, imò debitum noſtrum reputamus, ut non ſolùm contenti ſimus Studia Generalia conceſſis ſibi antè Privilegiis gaudere, verùm etiam ipſis alia ad ampliorem eorundem Studiorum famam & Gloriam utilia concedamus, ut qui in illis voluntarios in hujusce eruditionis ſubſidium labores ſuſcipiunt, de tanto ipſorum Beneficio, præter Dominicum quod non deerit, aliquod in terris munus ſe reportaſſe lætentur.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Urbanus IV. Prædeceſſor noſter pro felici ſtatu & incremento Studii Patavini, quod inter cætera Italiæ Studia Generalia antiquiſſimum & celeberrimum eſſe conſtat, nonnulla per Doctores & Magiſtros ejusdem Studii ſalubriter ſtatuta & ordinata ratificavit & approbavit, ac ex certa ipſius ſcientia confirmavit.

Deinde Clemens VI. Prædeceſſor etiam noſter, quæ per ipſum Urbanum ratificata fuerant, grata habens & approbans, quædam alia pro ipſius Studii amplificatione ſtatuit & ordinavit, prout in ipſorum Litteris pleniùs continetur.

Nos igitur attendentes, quòd à Generalibus Studiis omnis divinorum atque humanorum inſtitutorum notitia proficiſcitur, virique illâ inſigniti exiſtunt, per quorum ſalutarem doctrinam Effector omnium Deus agnoſcitur & amatur, Juſtitia colitur, proficientes proficiunt; inſtruuntur indocti, & præmiis afficiuntur boni; verſutis autem ſuorum erratorum pœnæ, quas merentur, adjiciuntur, omnisque humanæ eruditionis excellentia emanare dignoſcitur; nec non ad dilectos Filios, Univerſitatem prædicti Patavini Studii, quos ſingulos omni favore proſequimur, noſtræ benignitatis oculos convertentes, ne ipſi in ſua exercitatione commendabili adverſus conceſſa ſibi anteà Privilegia quomodolibet indebitè infeſtentur, verùm potius amplioribus gratiarum attollantur impendiis, motu proprio, non ad alicujus preces, omnia & ſingula Privilegia, libertates, exemptiones, conceſſiones & indulta alia, eidem Studio tam per prædictos & alios Rom. Pontifices Prædeceſſores noſtros, quàm per Imperatores, aut alios temporales Dominos hactenus conceſſa, quorum formas & tenores in præſentibus pro expreſſis haberi volumus, rata & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, omnes & ſingulos, ſi qui intervenerint, defectus iisdem motu atque auctoritate ſupplentes.

Et nihilominus, quò Studium ipſum aliquod ſingulare noſtræ liberalitatis dono conſequatur munus, ut omnes & ſinguli nunc & pro tempore in eodem Studio exiſtentes Doctores & Scholaſtici, ac ipſorum Familiares & Officiales omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, conceſſionibus, honoribus, favoribus & indultis aliis quibuslibet, quocunque nomine cenſeantur, & quorum formas & tenores in præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, gaudeant & utantur, quibus Romanæ Eccleſiæ, *Pariſienſis*, *Oxonienſis*, *Bononienſis*, *Salmaticenſis Studiorum* Doctores & Magiſtri, eorumque Familiares & Officiales ex quibusvis Apoſtolicis, Imperialibus, ſeu aliis Eccleſiaſticis, vel temporalibus conceſſionibus aut indultis gaudent, & utuntur, gaudere & uti poſſunt, ac poterunt in futurum.

Utque omnes prædicti, qui Beneficiis Eccleſiaſticis affecti fuerint, dum ipſi ibi reſederint, omnium ſuorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum quæ nunc obtinent, & in poſterum in quibusvis Eccleſiis, ſeu locis obtinebunt, quæcunque, quantacunque & qualiacunque ſint & fuerint, etiamſi in illis perſonalem primam non fecerint Reſidentiam conſuetam, fructus ac reditus & proventus cum ea integritate, cum qua illos perciperent, ſi in Eccleſiis, ſeu locis hujusmodi perſonaliter reſiderent, quotidianis duntaxat exceptis diſtributionibus, per ſeptennium percipere queant.

Inſuper ut ipſi ſinguli, etiam in ſacris Ordinibus conſtituti, aut Dignitates, vel Perſonatus in Cathedralibus, aut aliis Eccleſiis, vel Parochiales Eccleſias obtinentes, in eodem Studio & legibus per quinquennium ſtudere, legere, & diſputare, ac in eis Licentiæ Gradum, nec non Doctoratus inſignia accipere liberè ac licitè valeant; motu & auctoritate prædictis tenore præſentium concedimus, ac de ſpeciali dono gratiæ indulgemus; non obſtantibus felicis recordationis Honorii III. Pontificis etiam Prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis promulgatis Edictis, Conſtitutionibus & Ordinationibus, Statutis quoque & Conſuetudinibus Eccleſiarum in quibus Beneficia hujusmodi fuerint, jurejurando, Confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque.

Volumus autem, ut Beneficia ipſa debitis propterea non fraudentur obſequiis ſed debitè ſuſtineantur eorum onera conſueta.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ratihabitionis, confirmationis, ſuppletionis, conceſſionis, voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contravenire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem præpotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Florentiæ Anno Dominicæ Incarnationis 1439. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri Anno 9.

Ad Univerſitatem Pariſienſem, quâ Libri in Sedem Apoſtolicam ſcripti damnantur: Anno 1440.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Rectori & Univerſitati Pariſienſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUia proximis temporibus nonnulla, ab iniquis perditiſſimis hominibus, ſcandalum in Dei Eccleſia ponere quærentibus, ſunt diſſeminata, ut de auctoritate ac ſuperioritate Romani Pontificis ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, alia minorque quam debeat opinio habeatur, placuit Litteras Apoſtolicas in forma libri, quas lator harum, dilectus Filius Antonius de Boraciis Cubicularius & Familiaris noſter, cui aliqua ſuper prædictis & quibusdam aliis quædam commiſimus referenda, defert ad veſtram conſolationem, mittere, ut viſis ſolidiſſimis irrefragabilibusque rationibus ex ſacro divinarum ſcripturarum fonte ſumtis, quibus innituntur noſtræ juſtitiæ fundamenta, gaudeatis, quòd piè & laudabiliter feciſtis hactenus, prout continuò facitis, nobiſcum ſentire, ſimiles etiam libros mittimus Cariſſimo in Chriſto

ANNO 1442.

Filio noſtro Regi Franciæ Illuſtri, & dilectis Filiis Nobilibus Viris ejus Regni Ducibus ac ceteris Univerſitatibus, ut dogma id verum, quò latiùs erit diffuſum, eo commodiùs bonos & quæ Dei ſunt ſentientes repleat & lætificet, eos autem qui aut ſeducti ab iniquis aut ſuo infortunio minus rectè ſaperent, vel inſtruat & reſipiſcere faciat vel confundat. Amplectatur itaque veſtra Dévotio rem digniſſimam, & quod hactenus probe feciſtis, noſtram & Sedis prædictæ auctoritatem contra malignos perfidosque homines tueatur.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo. Nonas May, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

N. de Cremonenſibus.

XV. Ex Hiſt. Univerſit. Pariſ. Bulæi, Tom. 5. p. 524.

Confirmatio Privilegiorum Ordinum Mendicantium: Anno 1442.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD jugem divinæ ſcientiæ & Sacræ Theologiæ propagationem, ut peculiare illius Studium ad ſalubrem fidelium ædificationem undique ſuos funiculos longiores efficiat, continuas noſtræ meditationis ſolicitudines impendimus, ac illis, quæ propterea ſingulis ſublatis diſpendiis profutura fore conſpicimus, favores Apoſtolicos diffuſiùs impertimur.

Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Generalium & F. F. Minorum, Prædicatorum, Eremitarum St. Auguſtini & Carmelitarum Ordinum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd licèt juxta antiquas & laudabiles, dudum etiam à tanto tempore, cujus contrarii non exiſtit memoria, in Facultate Theologiæ Univerſitatis Studii Pariſienſis inconcuſſè obſervatas conſuetudines, ſinguli dictorum Ordinum Fratres, qui pro felici dicti Studii Theologiæ continuatione & ſalutari conſummatione per Generalia cujuscumque ex dictis Ordinibus Capitula, vel per ſuos Generales, aut eorum Vicarios, ſeu alios ad id ſufficientem poteſtatem habentes ad Univerſitatem Paris. miſſi & ad legendum Biblia publicè deputati & aſſignati fuerunt, ſi per Deputatos Facultatis Theologiæ dictæ Univerſitatis ad hoc reperti fuerint ſufficientes, ſolutis Juribus ejusdem Facultatis ſine mora alicujus præcedentis temporis ad legendum Biblia publicè hujusmodi ab eadem Facultate admiſſi & recepti ſive acceptati fuiſſent. Nec non illi qui ſimili modo ad legendum Sententias deputati fuerunt, ſine alicujus præcedentis temporis acquiſitione, ſine Bibliorum lectura, ſine curſibus & absque ulla ipſorum curſuum perſolutione, ab ipſa Facultate ad legendum Sententias, ſive librum Sententiarum admiſſi extiterunt: & poſtquam dicti Fratres Baccalaurei formati in dicta Theologia facti fuerunt, quilibet ex eisdem Ordinibus Regens unum ex dictis Baccalaureis pro obtinenda Sententia in dicta Theologia Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis præſentare conſuevit, ipſeque Bacoalaureus ſic præſentatus ad immediatam ſequentem tunc Sententiam, licèt etiam ſtatuti temporis, videlicet 5. Annorum, dum tamen bis de ordinario reſpondiſſet, ſpacium non compleviſſet, protinus admiſſi extitiſſent, & ex præmiſſis plurimi dictorum Ordinum Fratres in eadem Theologia legendo & diſputando, multipliciter profecerunt, ac plura exinde Deo grata & hominibus accepta bona ſucceſſerunt; Tamen à multis annis citra nonnullis ex Facultate Theologiæ Univerſitatis hujusmodi dictis Fratribus, ac Ordinibus, eorumque utilitati ſe opponentes, ita fecerunt, ut eis exinde multa diſpendia provenire noſcantur. Pro parte Generalium & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis providere opportunè de benignitate Apoſtolica dignaremur.

ANNO 1442.

Nos itaque uberes & commendabiles, quos dicti Fratres dudum in Dei Eccleſia afferunt fructus, propenſiùs attendentes, ac eorum ſtatui, ac indemnitati in præmiſſis opportunè conſulere cupientes, ac obſervandas fuiſſe & in futurum perpetuò obſervari debere cenſentes, ac decernentes, præſentis perpetuò valituræ & irrefragabiliter obſervandæ Conſtitutionis Edicto, eadem autoritate ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, quòd deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & ſinguli dictorum Ordinum Fratres, qui pro continuatione & conſummatione Studii Theologiæ hujusmodi per aliqua ex Generalibus dictorum Ordinum Capitula, vel eorum aliquod, aut per ſuos Generales, vel eorum Vicarios, ſeu quoscunque alios ſufficientem ad id poteſtatem habentes ad dictam Univerſitatem miſſi, & ad legendum inibi Biblia publicè deputati & aſſignati fuerint, ac per dictos Deputatos Facultatis Theologicæ ad hoc ſufficientes & idonei reperti fuerint, *Solutis juribus ejusdem Facultatis indilatè, & absque alicujus præcedentis temporis mora ad legendum Biblia publicè hujusmodi: necnon illi, qui ſimili modo ad legendum Sententias deputati fuerint, nulla cujusvis temporis exſpectatâ morâ, ſine lectura Bibliorum, ſine curſibus, & absque ulla ipſorum curſuum perſolutione ad legendum Sententias, ſive librum Sententiarum à dicta Facultate, omnibus contradictione & difficultate penitùs ceſſantibus, liberè admittantur & admitti debeant*, ac poſtquam dicti Fratres formati in eadem Theologia Baccalaurei fuerint, quilibet ex eisdem Ordinibus Regens unum ex dictis Baccalaureis pro obtinenda Licentia in dicta Theologia prædicto Cancellario præſentet, & præſentare debeat, ipſeque Baccalaureus ſic præſentatus ad immediatam tunc ſequentem Licentiam, licèt ſtatuti temporis videlicet 5. annorum ſpacium non compleverit, dum tamen bis de ordinario reſponderit, ſine aliqua contradictione protinus liberè admittatur. Mandantes nihilominus Cancellario dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtenti, nec non Univerſis Doctoribus, Magiſtris & Scholaribus dictæ Facultatis, eisque & eorum cuilibet in virtute S. Obedientiæ, ac in ſuorum remiſſionem peccaminum diſtrictè præcipiendo injungentes, quatenus Sanctionem, Statutum, & Ordinationem prædicta efficaciter obſervent, & ab omnibus faciant obſervari: ac decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis à quoquam quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Eccleſiæ, Univerſitatis, Facultatis & Ordinum prædictorum confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate hactenus, vel in poſterum roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque, quibus per præſentes volumus derogari.

Nulli ergo &c. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1442. 3. Kalend. April. Pontificatus noſtri Anno 12.

Inſtitu-

ANNO 1443.

XVI. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. 2. pag. 896.

Institutio Capituli secundæ Fundationis Decem Canonicorum in Ecclesiâ Collegiatâ S. Petri Lovanii : Anno 1443.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbati Monasterii Beatæ Mariæ Middelburgensis Traiectensis Diœcesis, & Præposito Sancti Petri Trajectensis, ac Archidiacono Antverpiensi Cameracensis Ecclesiarum, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUm intra pectoris nostri Arcana revolvimus, & Paterna meditatione pensamus, quòd per Litterarum Studia Viri efficiuntur idonei, quorum doctrina salutaris Civitatem Dei lætificat, ignorantiæ nubila repelluntur, Divini nominis, fideique cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quàm privata res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, meritò inducimur Curam Pastoralem circa ea sollicitiùs impendere, per quæ Studia hujusmodi vigere & incrementum suscipere valeant, ac venæ irrigui Fontis, scientiarum pocula, cum quibus illa haurientes, ignorantiæ profugatis tenebris, post acquisitam notitiam summi Opificis, in illius mandatorum via directi, per donum sapientiæ ad veri luminis claritatem perveniant, jugiter scaturientes, penuriâ rerum nullatenùs obturentur.

Sanè sicut pro parte dilectorum Filiorum Universitatis Studii oppidi Lovanienſis, Leodiensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, licèt dicti Studii, quod in præfato oppido felicis recordationis Martinus Papa Quintus Prædecessor noster in omnibus, præterquam in Theologiæ, instituit primò, & deindè Nos, eodem Prædecessore, sicut Altissimo placuit, de medio sublato, divina favente Clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, etiam in ipsa Theologiæ ibidem vigere, & observari volumus Facultatibus, plantatio nova existat, illa tamen, Altissimo annuente plurimùm numero Suppositorum pollet, & ejus Universitas ab ejus initio intelligentiæ splendore illustratos palmites produxit, & enutrivit.

Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, licèt præfatum Studium Suppositorum multitudine polleat, ex eo tamen, quod quindecim, qui de Patronatu Brabantiæ pro tempore existentis Ducis etiam tunc existebant, in Collegiatis infra limites Ducatus Brabantiæ consistentibus Ecclesiis, Canonicatus, & Præbendæ pro remuneratione illorum, qui in ipso Studio pro tempore legent, & regent, sub certis modis, & formis deputati, etiamsi deputationes hujusmodi sortiri possent, sicuti nondum in omnibus sortitæ sunt effectum plenum, & debitum, pro illorum remuneratione non sufficiunt, & dictum Studium, licèt locus amœnissimus, copiâ rerum, & temperie aeris, atque aliis necessariis commoditatibus refertus, atque ad recipiendum, & sustentandum generale Studium plurimùm aptus, & idoneus existat, demptis gabellis, sive assisiis ibidem solvi, & recipi solitis, ac ex illis provenientibus emolumentis, quæ absque licentia, voluntate, seu permissione præfati Ducis recipi nequeunt, tantis facultatibus in communi non abundat, de quibus in his indeficiens provisio fieri valeat, ipsi, Universitas Studii, qui aliàs non habent, unde Magistris, Doctoribus, Licentiatis, & aliis in dicto Studio pro tempore Legentibus, & Regentibus, per quorum Doctrinarum Semina mortalibus omnibus ad benè, beateque vivendum via præbetur, & illi ad arcana mundi cognoscenda introducuntur, congruè provideri poterit, multipliciter timeant, quod sui alumni tam copiosè tamque fructuosè allecti, ob dotis, & alimentorum, præfatis Magistris, Doctoribus, Licentiatis, & aliis Legentibus, & Regentibus pro tempore necessariò ministrandorum, defectum, aliquo turbinis flatu etiam ex quacumque levi causa prorumpente, aut parvo familiaris rei detrimento, vel alia quavis necessitate occurrente, tamquam famelici dispergentur, ut dictum Studium ob rerum carentiam ad nihilum penitùs redigetur.

Pro parte dilectorum Filiorum nobilis Viri Philippi, Burgundiæ & Brabantiæ Ducis, ac Burgimagistrorum, Scabinorum, Consulum, & Rectorum oppidi, illiusque & Studii prædictorum Universitatum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad profectum Orthodoxæ fidei, & salutem plurimorum, necessitatibus, & indigentiis Studii hujusmodi opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, in quorum manibus Universitas Studii hujusmodi, omnibus, & singulis aliis à præmissis provisionibus pro Legentibus, & Regentibus in dicto Studio per dictam Sedem, & ejus auctoritate quomodolibet constitutis spontè, & liberè cesserunt, quique cessionem hujusmodi admisimus, modum, & formam deputationis, ac verum annuum valorem, cum qualitatibus quindecim Canonicatuum, & Præbendarum, nec non Ecclesiarum, in quibus Canonicatus, & Præbendæ ipsi existunt, nomina, ac si specificè, singulariter, ac individualiter expressa forent, præsentibus pro expressis habentes : Attendentes etiam, quod præfata Sedes, quæ omnium spiritualium rerum provida administra existit, cujuslibet commendabilis exercitii constantissima adjutrix esse debet, & cupientes dictum Studium, ut ex ipso Ecclesiæ militanti, & Reipublicæ commoditas, præsidium, & decus assiduè præparentur, & adsint, tanquam firmis anchoris stabilitum, in prosperitatis portu absque timore futuri periculi immobile permanere, ac Magistros, & Doctores, Licentiatos & alios, ad continuationem tam laudabilis, & necessarii exercitii tantò ampliùs animari, quo ex hoc ibidem pro suis incumbentibus supportandis pro tempore oneribus sibi liberaliter sentiant provideri, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni vestræ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, si per summariam informationem super his per nos recipiendam præmissa vera esse repereritis, pro directione feliciori, subsistentia, & conservatione præfati Studii de Hakendovel, cujus viginti quinque, de Holsbeke, cujus decem & novem, de Cortbeke Over-Loe, cujus sexdecim, de Linckeris inferiori, cujus triginta quatuor, de Knexel, cujus etiam decem & novem marcarum Argenti, nec non de Brecht, cujus nonaginta, de Scelle, cujus octuaginta, de Arbore (Boom) cujus etiam octuaginta, & de Erps, cujus centum Librarum Turonensium parvarum fructus, redditus, & proventus, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, Leodiensis prædictæ, & Cameracensis Diœcesis Parochiales Ecclesias, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, Collegiatæ, & Parochiali Ecclesiæ S. Petri præfati Oppidi, in qua præter illius Plebaniam, cui ejusdem Parochianorum animarum cura imminet, decem & octo Canonicatus & Præbendæ, quorum quindecim de Patronatu dicti Ducis Brabantiæ

ANNO 1443.

ANNO 1443.

tiæ existentis pro tempore existunt, & alii ad Collationem, & provisionem dilectorum Filiorum Decani, & Capituli ipsius Ecclesiæ Sancti Petri Lovanienſis pertinent, fore noscuntur, ultra illos pro quindecim, vel tot, sicut singulis considerandis sollicitè consideratis nobis videbitur, inibi de novo creandis, & instituendis Canonicatibus, & Præbendis, qui per alios, quàm in ipso Studio Legentes, & Regentes pro tempore obtinere nequibunt, auctoritate nostra in perpetuum uniatis, annectatis, & incorporetis.

Ita quod simul, vel successivè cedentibus, vel decedentibus singulis dictarum Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, sive illas aliàs quomodolibet dimittentibus, liceat præfatis Universitati Studii per se, vel alium, vel alios corporalem possessionem singularum Parochialium Ecclesiarum, etiamsi ex quavis causa dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservatæ fuerint, juriumque, & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria liberè apprehendere, ejusque fructus, redditus, & proventus, reservatis priùs, & ante omnia per vos de eis pro singulis perpetuis Vicariis in singulis Parochialibus Ecclesiis prædictis per locorum Ordinarios ad exercitium curæ animarum Parochianorum earundem instituendis, singulis congruis portionibus, de quibus ipsi Vicarii sustentari, Episcopalia Jura solvere, & alia eis incumbentia pro tempore onera supportare commodè poterunt, in usus, & utilitatem obtinentium pro tempore creandos & instituendos Canonicatus, & Præbendas hujusmodi percipere, convertere, & perpetuò retinere, Diœcesanorum Locorum, & cujuslibet alterius Licentiâ super hoc minimè requisitâ.

Et insuper si unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi per vos, ut præmittitur, vigore præsentium contigerit fieri, quamprimùm illæ per vos factæ fuerint, in ipsa Ecclesia Sancti Petri ultra dictos decem, & octo inibi existentes, quindecim, vel tot, sicut fructibus, redditibus, & proventibus, qui ex omnibus Parochialibus Ecclesiis prædictis, præfatis reservandis, pro Vicariis portionibus defalcatis, resultabunt, attentis, vobis videbitur pro formatis in Theologia Baccalaureis, sive in illa, aut Medicina, vel qui per triennium legerunt, vel rexerunt, post susceptionem Magisterii gradus in artibus Magistris, sive in utroque, vel altero Jure Doctoribus, aut cum rigore examinis Licentiatis, in eodem Studio Legentibus pro tempore eadem auctoritate creatis, instituatis, ac pro ipsorum dote resultantes fructus, redditus, & proventus prædictos, inter obtinentes pro tempore creandos, & instituendos Canonicatus, & Præbendas, eosdem æqualiter percipiendos, deputetis, & assignetis, illisque pro decore, venustate, profectu, & utilitate dictæ Ecclesiæ Sancti Petri, secundum vestræ discretionis arbitrium onera adjiciatis, & imponatis, nec non statuatis, decernatis, & ordinetis, quod ex tunc perpetuis futuris temporibus in præfata Ecclesia Sancti Petri Canonicatuum, & Præbendarum numerus, qui inibi usque non fuit, tot, quot in ea dicto vigore creabitis, & instituetis, Canonicatuum, & Præbendarum numero sit, & censeatur adauctus, ac quod singulis Canonicatibus, & Præbendis creandis, & instituendis hujusmodi nullus Sacer Ordo annexus esse, quodque Magistri, Doctores, Licentiati, & Baccalaurei in dicto Studio Legentes, & Regentes, ac præfatos creandos, & instituendos Canonicatus, & Præbendas obtinentes pro tempore, cum resultantibus ex Parochialibus Ecclesiis, ultra portiones hujusmodi, atque aliis licitis modis acquirendis, præter, & absque hoc, quod aliqui percipiant de decem, & octo Canonicatuum, & Præbendarum prædictorum fructibus, redditibus, & proventibus contenti manere debeant, ac infra, & extra præfatam Ecclesiam Sancti Petri cum habitu, & Religione, ac fine illis incedere, nec non Stallum in Choro, locumque, & vocem in Capitulo habere, ac privilegiis, favoribus, libertatibus, immunitatibus, & indultis quibuslibet in omnibus singulis pari modo absque differentia quacumque uti, frui, gaudere possint, & debeant, sicuti personæ præfatos decem, & octo Canonicatus, & Præbendas obtinentes pro tempore solitæ fuerunt, & existunt, incedere, & habere, ac uti, frui, & gaudere; Ac quod ad singulos creandos, & instituendos Canonicatus, & Præbendas, primaria vice, & deinde Magistri, Doctores, Licentiati, & Baccalaurei, ut præfertur, nec non ad tres ex decem & octo Canonicatibus, & Præbendis, ad collationem, & provisionem Decani & Capituli pertinentes hujusmodi Canonicatus & Præbendas, & ad Plebaniam ipsius Ecclesiæ S. Petri perpetuis futuris temporibus, quoties illorum vacationes occurrerint solum, & duntaxat, ac in Theologia Magister, vel formatus Baccalaureus in dicto Studio Legentes, vel Regentes pro tempore, & nulli alii, per Burgimagistros oppidi præsentari, & in Plebania, cujus viginti octo, ac tribus ex decem & octo Canonicatibus, & Præbendis, quorum singulorum tredecim marcarum argenti, fructus, redditus, & proventus, secundùm æstimationem prædictam, valorem annuum, ut etiam asseritur, non excenunt, per Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Petri, in singulis quoque creandis, & instituendis Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi per Abbatem Partensem, Leodiensis Diœcesis, vel Præpositum (Monasterii) S. Gertrudis oppidi præfati per Præpositum gubernari soliti, dilectos Filios, sive eundem Decanum, ad quem fuerit pro tempore habitus recursus præsentandi, ut præfertur, toties, quoties instituti, ac in corporalem possessionem illius, seu illorum, ad quem, seu quos præsentabuntur pro tempore, juriumque, & pertinentiam suorum omnium induci, & inductum defendi, amotis ex illa, seu illis illicitis detentionibus quibuscumque, ac præsentandos ad Præbendas, in quibus instituentur, in dicta Ecclesia Sancti Petri in Canonicos, & in Fratres recipi, Stallo eis in Choro, & Loco in Capitulo ipsius Ecclesiæ cum plenitudine Juris Canonici assignatis, & ad Plebaniam hujusmodi, ut est moris, admitti, illisque de Plebaniæ, ac trium ex decem, & octo Canonicatibus, & Præbendis, nec non creandorum, & instituendorum Canonicatuum, & Præbendarum, prout quemlibet eorum continget, fructibus, redditibus, & proventibus, Juribus, & obventionibus universis, integrè responderi facere, liberè ac licitè possint & debeant absque omni impedimento: Quodque sic præsentati, & instituti pro tempore Plebanus, & Canonici præbendati dictæ Ecclesiæ S. Petri solùm, & duntaxat censeantur, & existant, quamdiu in præfato Studio sine intermissione legerint, vel rexerint, ac quod eorum singulis, impedimento non extante legitimo in ipso Studio legere, vel regere cessantibus, cessantium legere, vel regere eorundem, nisi infra certum peremptorium competentem, per Abbatem, Præpositum, vel Decanum prædictos eis ad hoc assignandum terminum legere, vel regere cum effectu reinceperint, & sine fraude continuaverint, Plebania, Canonicatus, & Præbenda, per cessationem hujusmodi eo ipso vacare censeatur, ac in eorum Locis, quoties id evenire contigerit, alii modis, & formis similibus illico substituantur, & subrogentur.

Super quibus omnibus, & singulis nobis, & illis plenam, & liberam tenere præsentium licen-

ANNO 1443.

tiam

ANNO 1362.

tiam concedimus, & etiam facultatem. Cæterùm ut præmissa omnia singula debito quantocitius valeant demandari effectui, & per hoc fructus succedat exoptatus, à singulis Rectoribus singularum Parochialium Ecclesiarum, ac personis obtinentibus ad præsens Plebaniam, & singulos ex tribus de decem & octo Canonicatibus, & Præbendis præfatis Plebaniæ, & singulorum ex tribus Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi resignationes, si eas simul vel successivè in vestris manibus sponte, & liberè facere voluerint, auctorite præfata hac vice duntaxat recipiatis, & admittatis, eisque per vos receptis, & admissis singulis Rectoribus, & personis obtinentibus Plebaniam, ac tres Canonicatus, & Præbendas hujusmodi, ne propter resignationes ipsas nimium dispendium patiantur, super fructibus, redditibus, & proventibus per eis resignandorum Ecclesiarum, & Plebaniæ, ac Canonicatuum, & Præbendarum prædictorum, prout illas resignaverint, singulas annuas pensiones, de quibus secundum vestræ discretionis arbitrium se rationabiliter contentos reddiderunt, eisdem resignatoribus quoad vixerint, vel Procuratoribus suis ad hoc sufficientia mandata habentibus per universitatem Studii hujusmodi singulis annis in locis, & terminis per vos ad hoc constituendis, ac sub excommunicatione per nos in scriptis ferenda, quam singuli dictos creandos Canonicatus, & Præbendas obtinentes pro tempore, si Universitas Studii præfati in solutione singularum pensionum hujusmodi, in eisdem locis, & terminis, vel infra triginta dies, singulos terminos ipsos immediatè sequentes, hujusmodi facienda defecerint, sint negligentes, vel remissi fuerint, quoties hoc evenerit, sententiam, à qua aliquis ex ipsis, donec de singulis pensionibus eis, quos illæ contingent, vel etiam suis Procuratoribus integrè satisfactum, aut cum altero eorum amicabiliter concordatum fuerit, ab alio quam Romano Pontifice, præterquam in Articulo mortis constituus absolvi nequeat, lapsis singulis terminis eisdem incurrat: Et si, quod absit, ipsi Universitas Studii, obtinentes creandos Canonicatus, & Præbendas hujusmodi, eamque sententiam per sex menses ex tunc immediatè sequentes sustinere permiserint, singulæ incorporationes, annexiones, & uniones de singulis Parochialibus Ecclesiis, cum quorum Rectoribus defectus solutionum commissi fuerint pro tempore, facto hujusmodi dissolutæ sint, ac illorum Ecclesiæ Parochiales, nec non Plebania, ac singuli, ex resignandis Canonicatibus, & Præbendis prædictis per resignationes eorum, qui illas resignaverint, vacare censeantur eo ipso, integrè faciendam eadem auctoritate reservetis, constituatis, & assignetis, facientes singulis Rectoribus, ac Personis, Plebaniam, & singulos Canonicatus, & Præbendas resignandos obtinentibus, prædictas singulas pensiones, prout eos contingent, juxta reservationis, Constitutionis, & Assignationis per nos faciendarum formas, continentias, & tenores integrè persolvi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postpositâ, compescendo.

Noc obstantibus generalibus, & specialibus per Nos, & dictam Sedem, ac nostra, & ipsius Sedis, vel quavis alia auctoritate, de Ecclesiasticis Beneficiis pactis, & inantea faciendis, sub quacumque forma, vel expressione verborum, reservationibus, atque aliis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non præfatæ Ecclesiæ Sancti Petri Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & Consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui Apostolica vel alia quavis auctoritate in ipsa Ecclesia Sancti Petri in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, instant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis ejusdem Ecclesiæ Sancti Petri speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum.

Quas quidem Litteras, & per illas habitos Processus, ad Parochiales Ecclesias, & ex illarum fructibus, redditibus, & proventibus creandos, & instituendos, nec non tres ex decem, & octo Canonicatibus, & Præbendis, Canonicatus, & Præbendas, & Plebaniam prædictos volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, seu Beneficiorum aliorum præjudicium generari: Aut si Venerabilibus Fratribus nostris Leodiensi, & Cameracensi Episcopis, ac præfatis Decano, & Capitulo, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim à dicta sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus, aut præstationem, vel solutionem cujusvis minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus, & Præbendis præfatæ Ecclesiæ Sancti Petri, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, ac quibuslibet Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis: Seu si præsentandi & instituendi pro tempore prædicti præsentes non fuerint, ad præstandum de observandis statutis & Consuetudinibus dictæ Ecclesiæ Sancti Petri solita Juramenta, dummodò in absentiis suis per Procuratores idoneos, & cum ad Ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter ista præstent.

Attentè quoque provideatis, ne in aliqua resignationum earumdem, si fiant ex parte alicujus resignantium, & Universitatis eorumdem, aliqua pravitas interveniat, sive etiam corruptela.

Nos enim ex nunc irrita, & inania decernimus omnes & singulos processus, quos haberi, ac sententias, Censuras, & pœnas, quas ferri & promulgari, ac quicquid contra tenorem & effectum præsentium per Sedem eandem, sive aliàs per quemque Apostolica vel alia quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tertio, X. Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno tertio decimo.

ANNO 1436.

XVII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. pag. 168.

Nuntiat Episcopo Trajectensi, quod Ducatum Clivensem ab omni Potestate Spirituali Archiepiscopi Colonienſis, & Episcopi Monasterienſis eximat, dictoque Trajectensi injungit, ut Episcopum Titularem deputet, qui Episcopalibus muneribus juxta beneplacitum Ducis fungatur: Anno 1444.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Trajectensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PAstoralis officii desuper nobis divinâ providentiâ commissi debitum postulat & requirit, ut contra nostrorum & Romanæ Ecclesiæ rebellium

ANNO 1444.

temeritatem, eorum, qui in noſtra & Sedis Apoſtolicæ obedientiæ devotione & fide firmi & immobiles permanſerunt, ſtatui & quieti, animarumque Saluti ſalubriter conſulamus. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectorum Filiorum nobilium virorum Adolphi Ducis Clivenſis & Johannis ejus primogeniti petitio continebat, quòd cùm tam Seculares quam Eccleſiaſticæ perſonæ, nec non Collegia, Capitula, Monaſteria, Eccleſiæ & alia loca Eccleſiaſtica in ſuis Dominiis & Terris in Colonienſi & Monaſterienſi Diœceſi conſiſtentia, pro eo quòd Archiepiſcopus Colonienſis Nobis & Apoſtolicæ Sedi inobediens & rebellis exiſtit, & iniquitatis Filius Henricus, qui ſe gerit pro Epiſcopo Monaſterienſi, damnationis Filio Amadeo, olim Duci Sabaudiæ, qui ſe Felicem V. auſu ſacrilego nominare præſumit, & poſt, & contra proceſſus Apoſtolicos, contra ipſum & adhærentes Fautores & ſequaces per vos factos, adhærere præſumſit; plurima in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta ſuſtineant, & animarum pericula incurrant, cùm hæreticis & ſchismaticis, ac nobis rebellibus jure ordinario ſint ſubjecta: Pro parte dictorum Ducis & Primogeniti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum ſubditorum ſuorum ſtatui & ſaluti providere miſericorditer dignaremur. Nos igitur, quibus paſcendi oves Chriſti divinitùs eſt tributa poteſtas, volentes ne in perditionis baratrum animæ fidelium perducantur, ſed potiùs ab hæreticorum contagione retrahantur, & ne illorum labes corda Chriſticolarum poſſit inficere, debito remedio providere: Omnia & ſingula, perſonas, Collegia, Capitula, Monaſteria, Eccleſias, & loca quælibet Eccleſiaſtica, dominia, terras & loca ſupradicta, donec aliud ſuper hoc duxerimus diſponendum, ab omni jurisdictione, poteſtate & ſuperioritate ſpirituali Colonienſis Archiepiſcopi, & Epiſcopi Monaſterienſis eximentes & liberantes. Fraternitati tuæ unum Epiſcopum, etiam titularem, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, qui in dictis Dominiis, locis & terris, quæ dicti, Dux, primogenitus, & eorum Succeſſores in præfata Colonienſi, & Monaſterienſi Diœceſi ad præſens ubique tenent & in futurum quomodolibet obtinebunt, Clericos ordinare, & ad omnes ſacros Ordines Eccleſiaſticos promovere, chriſma, oleum ſanctum conficere, ac omnia alia & ſingula pontificalia Jura, omnemque ſpiritualem Jurisdictionem, quæ Archiepiſcopi Colonienſes, & Epiſcopi Monaſterienſes pro tempore inibi habere & exercere conſueverunt, & conſuetudine vel de Jure tam in viſitando, corrigendo, & reformando, quam alia neceſſaria pro bono regimine illarum partium Cleri faciendo exercere valeat: Nec non contra omnes & ſingulas perſonas Seculares & Eccleſiaſticas cujuscunque ſtatus, ordinis, religionis, ſeu conditionis fuerint, Monaſteria quæcunque, Prioratus, Collegia, Univerſitates, quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, quæ ſchismatis labe infecta eſſent, aut præfato Amadæo quomodolibet adhærerent ſeu faverent; Ac contra omnes & ſingulos non obedientes nobis & rebelles inquirere & procedere, illosque per cenſuras Eccleſiaſticas & alia Juris remedia, appellatione poſtpoſita, ac per coercitionem realem & perſonalem, Beneficiorumque ſuorum quorumlibet, etiamſi Monaſteria, Prioratus, & Dignitates Conventuales, Perſonatus, Adminiſtrationes & Officia fuerint privare, & realiter ab eisdem amovere poſſit; Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, nec non excommunicationis & interdicti, aliasque omnes & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas, quæcunque temerè fuerunt per ipſos Archiepiſ. Henricum & Decanum Eccleſiæ Sancti Cuniberti Colon. ac quoscunque alios quacunque etiam authoritate in Perſonas, Monaſteria, Prioratus, Collegia, Dignitates, Eccleſias, & Eccleſiaſtica Loca quæcunque præfata latæ & promulgatæ & impoſterum ferendæ, authoritate noſtra ſuſpendere, revocare, tollere, & annullare queat, ac cum ipſis perſonis, quæ ſic excommunicatæ ſe irregularitatis maculam forſan incurriſſe putarent, ſuper hujusmodi irregularitate diſpenſare, & eas habilitare, & in priſtinum ſtatum reponere valeat, deputandi & illum amovendi, aliumque ſui loco ponendi, quoties pro parte dictorum Ducis & Primogeniti fuerit requiſitus, auctoritate præfatâ tenore præſentium concedimus facultatem. Volentes ſimiliter, & tibi eisdem auctoritate & tenore concedentes, ut omnia & ſingula dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, Monaſteria, Prioratus cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica quæcunque in dictis dominiis, terris, locis, nunc vacantia, & impoſterum ſive per privationes hujusmodi ſeu aliàs quomodolibet vacatura, quæcunque, quodcunque, & qualiacunque, & cujuscunque valoris fuerint, quæ in turno ſive menſe ordinariorum vacare contigerit, dummodo non ſint Sedi Apoſtolicæ reſervata, perſonis idoneis per ipſos Ducem & Primogenitum tibi nominandis, auctoritate præfata conferre & de illis providere, ac perſonas, quibus hujusmodi Beneficia contuleris, in corporalem poſſeſſionem ipſorum Beneficiorum inducere, ac de ipſorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Synodalibus & Provincialibus Conciliis, Statutis quoque & Conſuetudinibus Eccleſiarum & Monaſteriorum prædictorum, in quibus Beneficia hujusmodi forſan fuerint, juramentis quoque per perſonas ipſas præfatis Archiepiſcopo & Henrico hactenus forſan præſtitis, quæ quoad hoc relaxantes nullius eſſe decernimus roboris vel momenti, cæterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque. Per præſentes tamen non intendimus in aliquo Juribus Eccleſiæ Colonienſis, quæ, prout & cæterarum, augere cupimus in aliis, ut præmittitur, derogare.

ANNO 1444.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, decimo ſeptimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno quarto decimo.

XVIII. Ibidem pag. 168.

Eccleſiaſticos, & Sæculares univerſos ditionis Clivenſis à juramentis Archiepiſcopo Colonienſi, & Epiſcopo Monaſterienſi præſtitis abſolvit, & omnes eorum pœnas, ſententias, cenſuras &c. nullius roboris exiſtere decernit: anno 1445.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

COmmiſſam nobis cælitùs gregis Dominici curam digni in Domino gerere tunc ſperamus, cùm illos, quos per fallacem ſuæ calliditatis ſuaſionem à debita religionis cultura & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientia & reverentia retraxit Miniſter Sathanæ & ſeduxit, ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium & unitatem, ad ſtatum Salvationis & gratiæ piis exhortationibus reducimus, & ſalutarium eruditionum admonitionibus revocamus. Sane Nos dudum de notoria Theodorici de Mueſe pro Archiepiſcopo Colonienſi & Henrici ejus Fratris pro Epiſcopo Monaſterienſi ſe geren-

tium

ANNO 1445.

tium adversus nos & Sanctam Romanam Ecclesiam rebellione & inobedientia plenissimè informati, quæcunque juramenta dictis Theodorico & Henrico per quasvis Ecclesiasticas vel Seculares personas infra terras & dominia dilectorum Filiorum nobilium virorum Adolphi Ducis Clivensis, & Johannis ejus primogeniti illustrium, moram trahentes præstita, per alias nostras relaxavimus ac nullius decrevimus existere roboris vel momenti. Cùm autem, sicut veridicorum relationibus accepimus, nonnulla ex personis ipsis, nec non Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Collegiis ac locis Ecclesiasticis, Secularibus & Regularibus, etiam ultra præmissa juramenta retroactis temporibus cum majori ac aliis Civitatis & Diœcesis Colonienſis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, ac Collegiis & Locis de illis firmitur assistendo, adhærendo, seu cum eis tenendo, & ab eis ipsorumque statu, ordinationibus, stabilitate seu aliàs nullatenus recedendo, colligationes & stabilitates, etiam intervenientibus juramentis fecerint, & diversis pactis etiam juramento vallatis firmaverint; Et propterea ad segregandum se à colligationibus, stabilitatibus, pactis & posterioribus juramentis prædictis non modicas difficultates ingerant, etiam gravitates: Nos itaque, qui in præmissis ex Apostolatus tenemur officio providere, colligationes, stabilitates, pacta, & desuper præstita juramenta prædicta, nec non quæcunque inde secuta, tanquàm minus providè & irrationabiliter, ac contra Sanctam Romanam Ecclesiam, cujus auctoritas in quolibet juramento censetur excepta, gesta & facta, quamdiu, dicta Ecclesiæ Capitula Monasteria, & loca in rebellione erga Nos & Apostolicam Sedem perstiterint, pro infectis haberi, nec eos ad ipsorum observantiam teneri quoquo modo volumus & decernimus; Per præsentes districtiùs inhibentes, sub divini obtestatione judicii, quibusvis personis prædictis, ac aliis quibuslibet, ne prætextu dictorum colligationum, pactorum & juramentorum, quæ dicta rebellione durante irrita, cassa & manca nuntiamus, contra præsentium litterarum formam ac seriem alicui ex rebellibus Nobis & dictæ Sedi quomodolibet adhæreant, pareant, vel intendant, vel quicquam audeant attemptare, & insuper omnia & singula, pœnas, sententias, censuras & banna quacunque dignitate & auctorite & Cæsarea & Regia contra Personas Ecclesiasticas, Oppida, loca, dominia & terras, quæ Adolphus Dux & Johannes primogenitus præfati ad præsens ubique tenent, & in futurum quomodolibet tenebunt, lata & ferenda cassamus, irritamus, revocamus, annullamus, ac pro infectis, cassis & irritis haberi & reputari, nulliusque existere roboris decernimus per præsentes: Non obstantibus colligationibus, pactis, eo desuper præstitis juramentis prædictis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, inhibitionis, nunciationis, irritationis, revocationis, annullationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se sciverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, sexto Idus Julii, Pontificatus nostri Anno quinto decimo.

ANNO 1446.

Super diversis Indultis, Dispensationibus, ac Concessionibus datis Friderico III. Imperatori & Principibus Germaniæ, qui recesserant à Neutralitate, & obedientiam Rom. Pontifici præstiterant: Anno 1446.

XIX. Ex Ibid. Tom. 1. pag. ---

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futurum rei memoriam.

INter cætera desideria cordis nostri Filios quoslibet ad nostram & Apostolicæ Sedis obedientiam exoptantes adduci, illa, temporum qualitate pensata, aliquando concedimus, ordinamus & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquillitati & commodis, remotis dissensionibus & scandalis, consulatur, & exinde animarum Salutem valeant adipisci. Sanè cum propter dissensionem inter Nos & eos, qui Basileæ sub nomine generalis Concilii remanserant, dudum exortam, nonnulli Principes tam Ecclesiastici quam Seculares nationis Germanicæ in quadam neutralitate, & animorum suspensione, à die decima septima mensis Martii de anno millesimo quadringentesimo octavo usque in præsentem diem se tenuerint; Ea mente, ut asserunt, ut postmodum unanimi consensu in nostrâ, & Sedis Apostolicæ obedientiâ & reverentiâ paribus incedere possent: Et carissimus in Christo Filius noster Fridericus Rex Romanorum, Illustris ac Venerabilis Frater noster Theodoricus Archiepiscopus Moguntinensis: Et dilectus Filius, nobilis vir, Fridericus Marchio Brandenburgensis Sacri Imperii Electores, ac Venerabiles Fratres nostri Fridericus Magdeburgensis, Fridericus Salzeburgensis, & Gerardus Bremensis Archiepiscopi, ac quidam alii Prælati & Principes dictæ nationis nobis debitam obedientiam per suos Oratores præstiterint, ac nos solum Jesu Christi Vicarium recognoverint & professi fuerint. Nos, attentis, quod dictæ neutralitatis & suspensionis tempore plurima in ipsa natione acta, gesta, & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam & dispositionem super eis Apostolicæ auctoritatis requirunt; Præfatorum Regis, Archiepiscoporum, Marchionis cæterorumque Prælatorum & Principum Supplicationibus inclinati, omnes & singulos, tam Metropolitanarum, quàm Cathedralium aliarumque Ecclesiarum, nec non Dignitatum, etiam Abbatialium, ac post Pontificales Majorum, & in Collegiatis Ecclesiis principalium, & aliorum beneficiorum, ac officiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, etiamsi Ecclesiæ curatæ, Canonicatus & Præbendæ fuerint; Electiones, postulationes, confirmationes, collationes, provisiones & dispositiones, nec non processus, sententias aliaque acta judiciaria autoritate ordinaria hujusmodi suspensionis & neutralitatis tempore factas, seu facta, quæ omnia, & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata, & grata habentes, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus. Volentes ac etiam statuentes, ut nulli qui in possessione Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi quacunque, etiam eorum, qui Basileæ post translationem & dissolutionem Concilii ibidem remanserunt, auctoritate ea fuerunt assecuti, super hujusmodi Ecclesiis, Dignitatibus, Beneficiis, & Officiis, ac sententiis & processibus, etiam si in Romana Curia,

vel

ANNO 1446.

vel extra eam lis, cujus ſtatum præſentibus habemus pro expreſſo, indeciſa pendeat, etiamſi ſuper eis, ad ea vel contra ea fuerit alteri jus quæſitum, ſeu jus aliqui ſe habere prætenderent, ex nunc in antea, in ipſa Curia, vel extra eam; Apoſtolica vel alia quavis auctoritate impediri, aut quomodolibet ex quavis ratione vel cauſa moleſtari poſſint, ſed in ſuis poſſeſſionibus pacificè remaneant.

Lites quoque & cauſas quascunque ſuper hujusmodi Eccleſiis, Dignitatibus, Beneficiis & Officiis pendentes, illis dumtaxat exceptis, quæ coram ordinariis Judicibus, apud quos juxta formam dictæ ſuſpenſionis & proteſtationis exinde ſecutæ licuit litigare, indeciſæ pendent, ad nos advocantes, auctoritate, & ſcientia prædictis extinguimus, & ſuper eis adverſariis eorum perpetuum ſilentium imponimus; Poſſeſſores verò ipſos volumus in ſuis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Beneficiis & Officiis pacificè remanere, quibus omnibus ipſas Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, Beneficia & Officia, quocunque modo vacaverint, auctoritate & ſcientia præfatis tenore præſentium conferimus, & providemus de eisdem: Ac illis, qui Pallium dictorum, qui Baſileæ poſt noſtram translationem ſub nomine Generalis Concilii remanſerunt, auctoritate receperunt, ut illo uti poſſint, præſentibus concedimus, & indulgemus, illis autem, qui non habent, ſine difficultate dabimus, & etiam liberè concedimus: Illis tantùm perſonis exceptis, quæ occaſione privationum propter noſtram aut Baſilienſem adhæſionem factarum Beneficia detinent, in quibus habeat locum proviſio & diſpoſitio ſuper his, quæ contra proteſtationem facta forent, per præfatum Regem & Electores Imperii conjunctim vel diviſim promulgata. Per hoc autem nulli contendentium ſuper titulo & Juribus Eccleſiarum Friſingenſis, & Oſilienſis, volumus aliquod præjudicium afferri, aut etiam generari, ſed liberum ſit unicuique eorum jus ſuum proſequi juſtitia mediante.

Præterea omnia & ſingula, quæ dictis ſuſpenſione & proteſtatione durantibus in præjudicium, gravamen, vel læſionem Jurisdictionis, Juris, vel Poſſeſſionis Metropolitanorum, Dioceſanorum, Principatuum, Dominiorum, Terrarum Regis & Electorum ac Archiepiſcoporum, nec non aliorum Epiſcoporum, Prælatorum, Collegiorum Perſonarum ſeu rerum quarumcunque contra fœdus proteſtationis & ſuſpenſionis hujusmodi quomodocunque vergentia, Apoſtolica vel alia quavis auctoritate conceſſa, ac in judicio vel extra obtenta: Inſuper Eccleſiaſticas cenſuras, mulctas & pœnas, nec non cujuscunque irregularitatis & inhabilitatis maculas, tam à jure, quam ab homine propter præmiſſa quomodolibet promulgatas quoque ſeu infligendas, quoad Regem, Archiepiſcopos, & Marchionem præfatos, eorumque Dominia, Clericos, Subditos & Vaſſallos, & ad eos quoque, qui infra ſex menſes à dato præſentium computandos ſe declaraverint pro Nobis, aut eidem declarationi adhæſerint; Caſſamus, irritamus & annullamus, nulliusque eſſe decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatis & infamiæ maculam ſive notam per eos præmiſſorum occaſione contractam penitùs abolentes, & eos rehabilitantes & reſtituentes ad eorum Eccleſias, Beneficia, Officia, Dignitates, & honores quæcunque, ac in priſtinum ſtatum, & eum in quo erant ante præmiſſa reponentes; nec non illis, qui contra ipſos impetratis, conceſſis vel obtentis ſeu impetrandis, concedendis & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamſi eis, aut eorum alicui jus quæſitum foret, ex certa ſcientia de poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponentes. Inſuper quascunque obligationes ſuper annatis ſeu communibus & minutis ſervitiis, cæterisque juribus, Nobis & Cameræ Apoſtolicæ ſeu Collegio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium cæterisque Officialibus debitis, ſeu quæ deberi dicerentur occaſione quarumlibet Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum quorumcunque usque in præſentem diem, remittimus, de noſtra liberalitate relaxamus paritur, & donamus, eosque qui in hujusmodi debitis obligati eſſent ab omni eorum ſolutione abſolvimus & etiam liberamus. Diſpenſationes præterea quascunque, niſi tales forent, quas hactenus Sedes Apoſtolica concedere non conſuevit, Indulta quoque forum conſcientiæ reſpicientia, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, nec non novas pro poſſeſſoribus ſine præjudicio juris quæſiti, ipſa ſuſpenſione durante, vel etiam antea à Nobis, aut ab eis, qui Baſileæ ſub nomine Concilii remanſerunt, aut Legatorum ſuorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, conceſſas ſeu conceſſa, ac omnia inde ſecuta à die data conceſſionis earundem eadem auctoritate confirmamus, perinde ac ſi à Nobis impetrata fuiſſent. Super ſententiis autem in Romana Curia vel in Baſilea ſub nomine generalis Concilii ante ipſam ſuſpenſionem vel ea durante in cauſis, in quibus uterque litigantium extraordinario titulo nititur, latis, quæ executioni nondum ſunt demandatæ; volumus, ſtatuimus & ordinamus, quòd hujusmodi ſententiæ coram Judice ordinario tractentur, & quicquid utraque pars vellet producere pro jure ſuo, coram eo debeat exhibere, qui quidem Judex ſummariè, ſimplicitur & de plano, ſolâ facti veritate inſpectâ, præcedens negotium ipſum unica valeat terminare ſententiâ, à qua nulli partium appellare liceat aut provocare, aut reſtitutionem aliquam obtinere; Per hoc autem nullatenus præjudicare intendimus, eis qui poſſeſſionem Dignitatum, etiam Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium ſeu Beneficiorum quorumcunque ordinaria, vel alia auctoritate, ſub eadem natione obtinentes, durante neutralitate vel ſuſpenſione prædictorum vigore proceſſuum in Romana Curia, vel in Baſilea ſub nomine Generalis Concilii obtentorum, aut aliàs violenter fuerunt ſpoliati; Sed tam ſpolia, quam jura eorum denuò coram Judicibus ordinariis cognoſcantur, & ſine debito terminentur. Inſuper omnes & ſingulas præfatæ nationis, aut alterius in ea Beneficia vel Officia obtinentes, perſonas Eccleſiaſticas & Seculares, etiamſi Regalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, vel alterius dignitatis fuerint, qui poſt diſſolutionem ſive translationem præfati Concilii per Nos factam Congregationi Baſilienſium ſub nomine Generalis Concilii adhæſerunt, obediverunt, aut incorporati fuerunt, qui jam ad noſtram obedientiam ſunt reverſi, vel infra ſex menſes poſt declarationem pro Nobis factam redierint, ſeu Declarationi ipſi adhæſerint, ab omnibus & ſingulis juramentis, perjurii reatu, ac aliis cenſuris & pœnis, ſi quibus tenerentur aut incurriſſent, infligendis, & in tales promulgatis aut propterea infligendis, auctoritate præfata abſolvimus, & liberamus, ac omnem irregularitatem, inhabilitatem, & infamiæ maculam ſive notam exinde quandolibet forſan contractam abolemus, & in priſtinum ſtatum reſtituimus & reponimus, perinde ac ſi talia minimè emanaſſent. Præterea omnes & ſingulas perſonas nationis præfatæ, ſive alterius Beneficia in ea vel Officia, ſicut præmiſſum eſt, obtinentes, quæ ſub Declaratione hujusmodi pro Nobis facta, vel facienda continebuntur, quæ poſt hujusmodi Concilii translationem Baſileæ remanſerunt, aut ipſi Congregationi adhæſerunt, faverunt

ANNO 1446.

Officiis

ANNO 1446.

officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione eorum nisi sunt quandoque, aut eis crediderunt ab omnibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris & pœnis in eas per processus nostros, aut aliàs inflictis & promulgatis absolvimus, cum his qui ibidem seu a provisis ab ipsis aut eorum auctoritate sacros ordines dicto tempore receperant, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant dispensantes. Volumus insuper, quod singuli metropolitani nationis ejusdem, actu jam nobis obedientes, vel qui infra sex menses, ut præfertur nobis & Apostolicæ sedi debitam obedientiam præbuerint, consimiles bullas sive literas Apostolicas habeant, super quibus petentibus quibuscunque quoties opus fuerit sub eorum sigillis transumpta concedere valeant, eisque in judicio vel extra plena fides, sicut originalibus litteris, per omnia præbeatur. Super Ecclesiis autem Treverensi & Colonienſi, de quibus in petitionibus Regis, Archiepiscopi Maguntinensis & Marchionis præfatorum specialis est positus articulus, per alias nostras literas desuper editas specialiter providimus, prout in eis latius continetur. Ut autem præmissa eò firmius observentur pro nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio, & assensu, pollicemur omnia & singula suprà dicta inviolabiliter observare, & contra ea, vel ipsorum aliquod in toto vel in parte, nullo unquam tempore quicquam innovare, & quod nobis licere non patimur eisdem successoribus indicamus; Decernentes ex nunc irritum & inane si secus super his à quoquam quavis etiam Apostolica auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; Quinimò, si adversus præmissa literæ aliquæ aut mandata ad cujuscumque instantiam, vel etiam si motu proprio seù ex certa scientia, etiam cum derogatoriis clausulis sub quacunque verborum forma à nobis seù nostra auctoritate ab alio quovis emanassent, seù in futurum emanarent; tales ex nunc pro infectis volumus haberi, quodque is, contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent & in futurum concederentur, illis minimè obedire teneatur. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus Apostolicis, & etiam cum decreto irritante, quocunque tenore existant in genere vel in specie, per nos seù prædecessores nostros concessit seu concedendis privilegiis vel indultis, de quibus ac totis tenoribus eorum specialis & expressa etiam de verbo ad verbum mentio in nostris literis foret facienda, nec non quarumcumque Ecclesiarum statutis & consuetudinibus etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate roboratis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, voluntatis, statuti, advocationis, extinctionis, impositionis, collationis, provisionis, concessionis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, abolitionis, rehabilitationis, restitutionis, repositionis, remissionis, relaxationis, donationis, absolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, dispensationis, pollicitationis, & indicationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo, quadragesimo sexto, septimo Idus Februatii, Pontificatus nostri, Anno sexto decimo.

Concessio ad instantiam Friderici Imp. facta, ut Decreta Concilii Basileensis ab Alberto Rege acceptata porrò in Germania observentur, usque ad futuram modificationem: Anno 1446.

ANNO 1446. XX. Ex ibid. Tom. I. pag. 391.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD tranquillitatem & commoda omnium Christi fidelium, & præsertim nationis Germanicæ, quam Apostolica sedes singulari affectione prosequitur diligenti studio intendentes ea libenter concedimus, per quæ ipsius nationis personarum quieti & commoditatibus consulatur. Sanè ad instantiam carissimi in Christo Filii nostri Frederici Romani Regis illustris, & venerabilis Fratris nostri Theodorici Archiepiscopi Maguntin. ac dilecti filii nobilis viri Friderici Marchionis Brandenburgensis per alias nostras litteras nonnulla circa concilium Constantiense ejusque decreta, nec non futuri convocationem Concilii mentem nostram concernentia declaravimus, prout in ipsis literis plenius continetur. Super aliis autem decretis Basileæ editis, & per claræ memoriæ quondam Albertum Romanum Regem acceptatis ex quorum observantia natio Germanica præfata ex pluribus gravaminibus dicitur relevari; contenti sumus, volumus, ac decernimus, quod omnia & singula vigore decretorum hujusmodi cum suis modificationibus acceptatorum per eos, qui illa acceptarunt, vel acceptantibus in natione præfata adhæserunt usque in præsentem diem quomodolibet gesta vel acta sunt, cum omnibus inde secutis rata, firma, & inviolabilia perfistant; nec in posterum à quoquam quavis auctoritate cassari, annullari aut irritari, quovis modo valeant, vel revocari: quodque omnes, & singuli, qui usi sunt illis, ac in vim dictorum decretorum, à die acceptationis eorundem quicquam consecuti sunt, securi sint & quieti, nec propterea impeti, turbari aut molestari possint, quomodolibet in futurum. Super observatione verò & modificatione decretorum eorundem, cum nonnulli Prælati nationis præfatæ ex eisdem decretis gravatos se fore conquesti sint, cumque in illis Apostolicæ sedis, quæ multum in suis juribus ex ipsis decretis gravata dignoscitur, recompensatio promissa sit, decrevimus legatum nostrum cum sufficienti potestate ad partes Germaniæ hujusmodi transmittere, qui mediantibus Rege, Archiepiscopo & Marchione præfatis ac aliis ejusdem nationis Principibus & Prælatis, cum quibus fuerit opus super observantia & modificatione decretorum hujusmodi, nec non super provisione sedi prædictæ faciendis, tractare poterit & finaliter concordare. Permittentes interim & indulgentes, quod omnes & singuli, qui præfata decreta receperunt vel recipientibus, ut præmissum est, adhæserunt in præfata natione, illis similiter cum modificationibus, quibus recepta sunt, libere, & licitè uti possint, quos etiam circa singula præmissa manuteneri & defensari volumus, donec per legatum hujusmodi, ut prædictum est concordatum fuerit, vel per Concilium, quod ad prædictorum Regis, Prælatorum & Principum ex hortationem convocare proponimus, aliter fuerit ordinatum, non contraventuri, nec contravenientibus consensuri quovis modo. Speramus autem & à certo tenemus dictos Regem, Archiepiscopum,

ANNO 1446.

& peritos commendata, & laudata fuerat, ac in præjudicium, vel dispendium sive læsionem Juris, ac jurisdictionis ordinarii loci, vel cujusvis alterius nullatenus processerat, ipsique Decanus, Canonici, Capitula, & personæ ordinario prædicto, aliisque suis superioribus in omnibus, in quibus tenentur, se obtemperaturos offerant, & obedire, & semper parati existerent.

Ac pro parte Decanorum, Capitulorum, Canonicorum, & Personarum eidem prædecessori supplicato, ut confraternitati, sive societati, nec non per ipsos Decanum, Capitula, & Canonicos circa conservationem Jurium, privilegiorum, & libertatum Ecclesiarum, ac aliorum præmissorum factis, & ordinatis hujusmodi, ac in dictis litteris, sive instrumentis contentis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ Confirmationis adjicere dignaretur.

Præfatus Prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, voluit, & concessit, videlicet decimo Kalendas Martii Pontificatus sui Anno sexto decimo, certo dari Judici in mandatis, ut si erat ita, circa confraternitatem, sive societatem hujusmodi, & pro illius conservatione facta, & ordinata, nec non prout illas contingebant, omnia, & singula in dictis litteris, sive instrumentis contenta auctoritate Apostolica approbaret, & confirmaret.

Ne autem Decani, Capitula, Canonici, & personæ prædicti, voluntatis, & Prædecessoris concessionis hujusmodi pro eo quod super illis litteræ hujusmodi prædecessoris, ejus superveniente obitu confectæ non fuerunt, frustrentur effectu, volentes, & eadem auctoritate decernentes, quod voluntas prædecessoris, & concessio prædictæ suum à dicta die decimo Kalendas Martii sortiantur effectum, ac si super eis præfati Prædecessoris litteræ sub ipsius diei data confectæ fuissent. Quodque præsentes litteræ ad probandum plenè voluntatem Prædecessoris, & concessionem hujusmodi ubi sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si confraternitatem, sive societatem prædictam justam, & rationabilem, nec non præmissa veritate niti compereris, super quo tuam conscientiam oneramus omnia, & singula per Decanos Capitula, & Canonicos supra dictos circa confraternitatem, sive societatem hujusmodi, ut illa vigeat, & conservetur, facta, & ordinata, nec non quæcumque in ipsis litteris, sive instrumentis contenta, & quæcumque inde sequuta, auctoritate nostra ratifices, approbes pariter, & confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus quibuscumque Apostolicis, ac provincialibus, & synodalibus edictis generalibus, vel specialibus constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, quarto decimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno octavo.

Amedeum omni Dominio Sabaudiæ privatum, atque illud ad Regem Franciæ devolutum declarat. Deinde fideles hortatur quod sumant arma in Amedeum, ejusque sequaces: Anno 1447.

ANNO 1447.

I I. Ex Cod. Leibnitii Tom. I. pag. 378.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

QUam sit plena periculis & horrenda schismaticorum immanitas, qui vineam Domini Sabaoth, & inconsutilem Christi vestem dividere satagunt & turbare nituntur, animarum illorum perditio docet, qui non veri baptismatis fonte renati, aliaque suscipientes nulliter sacramenta, viam universæ carnis ingressi in tetrum barathrum dilabuntur. Contra quos licet per felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum, sacrasque & œcumenicas Ferrariensem, Florentinam, & Lateranensem synodos plurimi processus tam generales quàm speciales habiti fuerint, diversas pœnas & sententias continentes, quas in suo robore volumus permanere, & habere præsentibus pro expressis: Ex pastoralis tamen solicitudinis cura, quam habere erga gregem dominicum perurgemur, ad iniquitatis alumnum Amedeum olim Sabaudiæ Ducem, ejusque fautores adhærentes, complices & sequaces ne ipsorum invalescente malitia furor hujus tempestatis invaleat, & ad similia animos aliorum inducat; præsertim in Regno Franciæ, cui vicina Sabaudia est, & proxima, & à quo illius Regum opera infinita bona Catholicæ fidei, omnique Christiano populo continuatis temporibus provenerunt, oculos congrua animadversione convertimus, ut hujusmodi pravorum nequitiis, quantùm cum Deo possumus opportunis remediis occurramus. Consideratione igitur præmissorum diligenti cum Fratribus nostris deliberatione præhabita, ad ipsorum Amedei fautorum, adhærentium, complicum, & sequacium proterviam extirpandam carissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem, quem post progenitores suos Franciæ Reges, qui ut exacti temporis antiquitas fidelis insinuat Romanam Ecclesiam multipliciter extulerunt, propugnatorem præcipuum & paratum semper invenit auctoritate Apostolica præsentium tenore vocamus, eique Ducatum Sabaudiæ omnemque ipsius Amedei notorii schismatici, hæretici excommunicati, & anathematizati terram, ac ejus fautorum, adhærentium, complicum, & sequacium, bona diversimodè hactenus confiscata donamus firma spe fiduciaque tenentes, quod populi, Ducatus, & terræ hujusmodi ad ovile domini, ipsius Regis potentia reducentur, & per se vel dilectum filium Ludovicum Delphinum Viennensem primogenitum suum, assumpto Crucis signaculo contra præfatos Amedeum & sequaces viriliter se accinget, & triumphum obtentum de hujusmodi nefandis hostibus reportabit. Et ut tam salubre negotium in manu forti & robusta procedat, omnes Christi fideles ad hoc fidei exercitium salutare non solum piis exhortationibus, sed etiam superabundantibus gratiis invocamus. Et ut universi, & singuli eò libentiùs & animosius ad id currant, quo spiritualia dona, quæ temporalibus præferuntur, perceperint potiora. Nos de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus qui cum Rege aut Delphino præfato contra Amedeum & sequaces eosdem in propriis personis, propriisque expensis processerint, ple-

ANNO 1446.

Marchionem, & alios Principes, & Prælatos tanquam devotis ipsius sedis non passuros medio tempore Romanam Ecclesiam remanere in suis juribus spoliatam. Hanc autem concessionem ad eos, qui declarationi vel obedientiæ per suos Prælatos vel superiores nobis factæ, aut infra sex menses faciendæ se opponerent, nullatenus extendi volumus, vel eis opitulari. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, permissionis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo, quadragesimo sexto, Nonis Februarii, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

ANNO 1447.

NICOLAUS QUINTUS,

PONTIFEX CCXII.

ANNO DOMINI MCCCCXLVII.

NICOLAUS priùs Thomas dictus successit Eugenio IV. anno 1447. Fautor literarum, tria millia Librorum in Vaticanam Bibliothecam intulit. Fridericum IV. Imper. cùm Eleonorâ Lusitanicâ coronavit. Magnificus in Græcos, Nobiles, Virgines egenas, literatos inprimis, quos undique in aulam suam accivit. Obiit anno 1455. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 357. *App.*)

1. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 2. pag. 1264.

Confirmat Confraternitatem septem Capitulorum initam à Capitulis Flandro-Belgicis, quod frequentius quàm par esset ad Urbem Cameracensem prò litibus evocarentur: anno 1446.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Archidiacono Antuerpiensi in Ecclesia Cameracensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

RAtioni convenit, & congruit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt licet ejus superveniente obitu Apostolicæ super illis litteræ confectæ non fuerint, suum consequantur effectum.

Dudum siquidem pro parte Filiorum dilectorum S. Gudilæ Bruxellensis, S. Rumoldi Mechliniensis, S. Petri Turnothensis, B. Mariæ Tenramundensis, & S. Gaugerici Halterensis Cameracensis Diocesis, Ecclesiarum Decanorum, Capitulorum, singulorumque Canonicorum, & personarum earumdem Ecclesiarum felicis recordationis Eugenio Papæ quarto Prædecessori nostro, expositio.

Quod olim ipsi considerantes, quòd personæ, & subditi Ecclesiarum prædictarum tam per Vicarios, Officiales, & servitores Episcoporum Cameracensium pro tempore existentium, quàm alias diversas personas quandoque præter, & contra æquitatis, & justitiæ tramitem non nunquam verò pro minima re sæpiùs gravati fuerant, & in dies gravabantur, ac molestabantur.

Formidantesque, & ex præteritis quæ futorum certitudinem, & cautelam præstant, colligentes ipsos per eosdem Vicarios, Officiales, & servitores in juribus, & libertatibus Ecclesiasticis ac aliàs successu temporis plus gravari, perturbari, & inquietari posse.

Ac etiam attendentes, quod multorum ex personis, & subditis prædictis ad defendendum se super motis eis pro tempore quæstionibus, ad prosequendum causas desuper facultates minimè supperet erent.

Ad obviandumque inconvenientiis, & dispendiis, quæ propterea plerumque provenerant, nec non etiam succurrendum personis, & subditis eisdem in subortis pro tempore contra eos dissensionum, quæstionumque materiis, ac aliàs ad manutenendum, & conservandum jura, privilegia, & libertates Ecclesiarum, & personarum hujusmodi, quamquam honestam, & rationi, ac æquitati consonam, amicitiæ quoque, & tranquillitatis productivam inter se fecerant confraternitatem, sive societatem.

Ac inter alia matura deliberatione prævia ordinaverant, quod ipsi Decani, Canonici, & Capitula sese, ac quoscumque eorum subditos, nec non jura, privilegia, & libertates hujusmodi per viam justitiæ & æquitatis contra quoscumque tuerentur, & defenderent.

Quodque si quis ex eis ac subditis prædictis assereret se per quempiam gravatum, sive oppressum, vel se gravari, aut opprimi posse verosimiliter, hujusmodi gravaminis, sive oppressionis casum, & modum suo Capitulo seriatim, & ad longum, à veritate nullatenùs deviando exponeret, & ex tunc si Capitulum hujusmodi ipsum casum in præjudicium, dispendium, & læsionem jurium, privilegiorum, & libertatum Ecclesiæ, ubi dictum Capitulum foret, cedere, aut redundare reperiret, hujusmodi casum, & modum singulis aliis Capitulis præfatis, & singularibus ex illis personis transmittere, & insinuare teneretur.

Et desuper Decani, Canonici, & singulares personæ Capitulorum eorumdem, suas, utrùm casus ipse justus, & æquitati conformis, & per consequens defendendus foret, aut ne, opiniones, & motiva scribere, & super hoc avisare, ac ex tunc singuli eorumdem casum prædictum, si ut præmittitur justus foret, & defendendus videretur, communibus sumptibus, et expensis defendere tenerentur.

Si verò taliter gravatus, & oppressus suum Capitulum hujusmodi malè, & sinistrè informasse reperiretur, factas per ipsa Capitula propterea, & exindè necessariò faciendas expensas, & interesse, quoad hoc, si solvendo esset, solveret, alioquin juxta casus hujusmodi exigentiam puniretur, & corrigeretur taliter, quod aliis cederet in exemplum.

Non nulla quoque alia salubria, & honesta, ac commune bonum contingentia fecerant, & ordinaverant, prout in contentis desuper confectis litteris sivè Instrumentis publicis dicebantur contineri; ac subjuncto Prædecessori prædicto, quod fraternitas, sive societas hujusmodi per quam plures notabiles,

ANNO 1446.

ANNO 1446.

& peritos commendata, & laudata fuerat, ac in præjudicium, vel dispendium sive læsionem Juris, ac jurisdictionis ordinarii loci, vel cujusvis alterius nullatenus processerat, ipsique Decanus, Canonici, Capitula, & personæ ordinario prædicto, aliisque suis superioribus in omnibus, in quibus tenentur, se obtemperaturos offerant, & obedire, & semper parati existerent.

Ac pro parte Decanorum, Capitulorum, Canonicorum, & Personarum eidem prædecessori supplicato, ut confraternitati, sive societati, nec non per ipsos Decanum, Capitula, & Canonicos circa conservationem Jurium, privilegiorum, & libertatum Ecclesiarum, ac aliorum præmissorum factis, & ordinatis hujusmodi, ac in dictis litteris, sive instrumentis contentis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ Confirmationis adjicere dignaretur.

Præfatus Prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, voluit, & concessit, videlicet decimo Kalendas Martii Pontificatus sui Anno sexto decimo, certo dari Judici in mandatis, ut si erat ita, circa confraternitatem, sive societatem hujusmodi, & pro illius conservatione facta, & ordinata, nec non prout illas contingebant, omnia, & singula in dictis litteris, sive instrumentis contenta auctoritate Apostolica approbaret, & confirmaret.

Ne autem Decani, Capitula, Canonici, & personæ prædicti, voluntatis, & Prædecessoris concessionis hujusmodi pro eo quod super illis litteræ hujusmodi prædecessoris, ejus superveniente obitu confectæ non fuerunt, frustrentur effectu, volentes, & eadem auctoritate decernentes, quod voluntas prædecessoris, & concessio prædictæ suum à dicta die decimo Kalendas Martii sortiantur effectum, ac si super eis præfati Prædecessoris litteræ sub ipsius diei data confectæ fuissent. Quodque præsentes litteræ ad probandum plenè voluntatem Prædecessoris, & concessionem hujusmodi ubi sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si confraternitatem, sive societatem prædictam justam, & rationabilem, nec non præmissa veritate niti compereris, super quo tuam conscientiam oneramus omnia, & singula per Decanos Capitula, & Canonicos supra dictos circa confraternitatem, sive societatem hujusmodi, ut illa vigeat, & conservetur, facta, & ordinata, nec non quæcumque in ipsis litteris, sive instrumentis contenta, & quæcumque inde sequuta, auctoritate nostra ratifices, approbes pariter, & confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus quibuscumque Apostolicis, ac provincialibus, & synodalibus edictis generalibus, vel specialibus constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, quarto decimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno octavo.

Amedeum omni Dominio Sabaudiæ privatum, atque illud ad Regem Franciæ devolutum declarat. Deinde fideles hortatur quod sumant arma in Amedeum, ejusque sequaces: Anno 1447.

ANNO 1447.

I I. Ex Cod. Leibnitii Tom. I. pag. 378.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

QUam sit plena periculis & horrenda schismaticorum immanitas, qui vineam Domini Sabaoth, & inconsutilem Christi vestem dividere satagunt & turbare nituntur, animarum illorum perditio docet, qui non veri baptismatis fonte renati, aliaque suscipientes nulliter sacramenta, viam universæ carnis ingressi in tetrum barathrum dilabuntur. Contra quos licet per felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum, sacrasque & œcumenicas Ferrariensem, Florentinam, & Lateranensem synodos plurimi processus tam generales quàm speciales habiti fuerint, diversas pœnas & sententias continentes, quas in suo robore volumus permanere, & habere præsentibus pro expressis: Ex pastoralis tamen solicitudinis cura, quam habere erga gregem dominicum perurgemur, ad iniquitatis alumnum Amedeum olim Sabaudiæ Ducem, ejusque fautores adhærentes, complices & sequaces ne ipsorum invalescente malitia furor hujus tempestatis invaleat, & ad similia animos aliorum inducat; præsertim in Regno Franciæ, cui vicina Sabaudia est, & proxima, & à quo illius Regum opera infinita bona Catholicæ fidei, omnique Christiano populo continuatis temporibus provenerunt, oculos congrua animadversione convertimus, ut hujusmodi pravorum nequitiis, quantùm cum Deo possumus opportunis remediis occurramus. Consideratione igitur præmissorum diligenti cum Fratribus nostris deliberatione præhabita, ad ipsorum Amedei fautorum, adhærentium, complicum, & sequacium proterviam extirpandam carissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem, quem post progenitores suos Franciæ Reges, qui ut exacti temporis antiquitas fidelis insinuat Romanam Ecclesiam multipliciter extulerunt, propugnatorem præcipuum & paratum semper invenit auctoritate Apostolica præsentium tenore vocamus, eique Ducatum Sabaudiæ omnemque ipsius Amedei notorii schismatici, hæretici excommunicati, & anathematizati terram, ac ejus fautorum, adhærentium, complicum, & sequacium, bona diversimodè hactenus confiscata donamus firma spe fiduciaque tenentes, quod populi, Ducatus, & terræ hujusmodi ad ovile domini, ipsius Regis potentia reducentur, & per se vel dilectum filium Ludovicum Delphinum Viennensem primogenitum suum, assumpto Crucis signaculo contra præfatos Amedeum & sequaces viriliter se accinget, & triumphum obtentum de hujusmodi nefandis hostibus reportabit. Et ut tam salubre negotium in manu forti & robusta procedat, omnes Christi fideles ad hoc fidei exercitium salutare non solum piis exhortationibus, sed etiam superabundantibus gratiis invocamus. Et ut universi, & singuli eò libentiùs & animosius ad id currant, quo spiritualia dona, quæ temporalibus præferuntur, perceperint potiora. Nos de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus qui cum Rege aut Delphino præfato contra Amedeum & sequaces eosdem in propriis personis, propriisque expensis processerint, ple-

ANNO 1447.

nam suorum peccatorum veniam indulgemus, & in retributionem justorum vitæ æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis personis hoc fecerint, sed eorum expensis alios juxta facultates & qualitates suas viros idoneos destinaverint, ac iis qui alienis expensis, sed in propriis personis accesserint plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridiè Idus Decembris Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 384.

FASCICULUS CONCORDATORUM

Nationis Germanicæ cum Pontificibus Rom. sub *Martino* V. *Eugenio* IV. & *Nicolao* V. ex quibus postrema vulgo habentur, quæ tamen se referunt ad priora & ex iis capiunt lucem: itaque cætera quoque hîc sub Nicolai Pontificatu referre placuit ad ann. 1447.

Concordia facta in Concilio Constantiensi inter Martinum *Papam V. & nationem Germanicam*, de Ecclesiæ Universalis administratione, *à Johanne Cardinali Ostiensi Ecclesiæ Romanæ Vicecancellario sub sigillo ipsius communicata Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensi.* Constantiæ 3. *Maii Pontificatus* Martini *anno primo.*

Universis & singulis JOHANNES *miseratione divinâ* Episcopus Ostiensis *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* Cardinalis *&* Vicecancellarius, *salutem in Domino & præsentibus fidem indubiam adhibere.*

SI juxta laudabilem antiquorum sententiam & providum sapientum consilium dignum est, ea quæ majorum consultissima providentia in subditorum gratiam & commoda geruntur, scripturæ testimonio redigere; dignum per consequens est, & rationi consentaneum, ut adeò nota fiat eorum veritas, quod inde nec desit pacificis opportuna provisio, nec usquam perversis sub ignorantia variandi supina facultas relinquatur.

§. 2. Cum itaque nuper inter Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum *Martinum* divina providentia Papam *quintum*, & Reverendos Patres, Prælatos, nec non egregios & circumspectos viros Ambassiatores, Procuratores, Doctores & Magistros, cæterosque *venerabilem nationem Germanicam in generali Concilio Constantiensi repræsentantes* & facientes; nonnulla *capitula concordata ab utráque parte* sponte susceptа, nec non de dicti Domini nostri Papæ mandato *in libro Cancellariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quo Romanorum Pontificum constitutiones & ordinationes solent conscribi* ad futuram rei certitudinem nobis operam dantibus, prout ad nostrum spectat officium, die quinta decima mensis Aprilis, Pontificatus dicti Domini nostri Papæ anno primo conscripta fuerunt, ac de simili mandato in *Audientia contradictarum* die secunda mensis Maii, anno quo suprà lecta & publicata: adjecto quod sub nostrarum literarum testimonio indigens quisque sibi testimonium sumere valeat, in toto vel in ea parte, quâ indiguerit earundem.

§. 3. Nos ad Reverendi in Christo Patris Domini Guntheri Archiepiscopi, ac Præpositi, Decani & Capituli Ecclesiæ Magdeburgensis instantiam, capitula hujusmodi, sic ut præfertur, concordata & sponte suscepta, ex integro libro prædicto de verbo ad verbum fideliter conscribi & præsentibus annotari fecimus, quorum tenor sequitur in hunc modum.

§. 4. De numero & qualitate Cardinalium, statuimus ut deinceps numerus Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeò sit moderatus, quod non sit gravis Ecclesiæ, qui de omnibus partibus Christianitatis proportionabiliter, quantum fieri poterit assumantur, ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium facilius haberi possit, & æqualitas regionum in honoribus Ecclesiasticis observetur; sic tamen, quod num. XXIV. non excedant, nisi pro honore nationum, quæ Cardinales non habent, unus vel duo pro semel de Consilio & consensu Cardinalium assumendi viderentur, sint autem viri in scientia, moribus & rerum experientia excellentes; *Doctores in Theologia, aut in jure Canonico vel Civili, præter admodum paucos, qui de stirpe Regia vel Ducali aut magni Principis oriundi existent*, in quibus competens literatura sufficiat; non fratres aut nepotes ex fratre vel sorore alicujus Cardinalis viventis; nec de uno ordine mendicantium ultra unum; non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota respersi, nec fiat eorum electio per auricula vota solummodo, sed etiam cum Consilio Cardinalium collegialiter, sicut in promotione Episcoporum fieri consuevit, qui modus etiam observetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Episcopum assumetur.

§. 5. De *provisionibus* Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, dignitatum & aliorum beneficiorum, Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus V. super provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum quorumcumque utetur *reservationibus* juris scripti, ex *Constitutione execrabilis & ad Regimen*, modificatæ, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quanquam immeriti suprema dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum regimina, & alia Ecclesiastica beneficia juxta divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsint & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum namque consideratione inducti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales Ecclesias, Monasteria, Prioratus, dignitates, Personatus & officia, nec non Canonicatus & præbendas ac Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura vel sine cura, regularia & secularia, quæcumque aut qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam, quocumque modo vacantia, & in posterum vacatura, nec non per dispositionem vel privationem, seu translationem per nos seu auctoritate nostra factas, & in antea faciendas ubilibet, nec non ad quæ aliqui in concordia seu discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio & admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, postulatorum, & in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari vel postulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos seu autoritate nostra continget apud sedem

præ-

prædictam, vel alibi ubicumque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ ac officiariorum dictæ sedis, quàm diu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Scriptorum literarum Apostolicarum, & viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ sedis, & viginti quinque abbreviatorum, nec non verorum commensalium nostrorum & aliorum viginti quinque Capellanorum sedis ejusdem in Epitaphio descriptorum, ac etiam quorumcumque legatorum seu Collectorum ac in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum & Thesaurariorum deputatorum seu missorum hactenus, vel deputandorum ac mittendorum in posterum, vacantia, & in antea vacatura, ubicumque dictos legatos vel collectores, seu Rectores, aut thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet, pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint, vel eos in antea transire de hâc luce contigerit; & etiam simili modo quorumcumque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis seu alia quacunque causa, vel ad quævis loca recedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, jam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri; nunc per obitum hujusmodi vacantia vel in posterum vacatura; rursus monasteria, Prioratus, Decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, Canonicatus, præbendas & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica secularia vel regularia, cum cura vel sine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos vel auctoritate nostra ad Patriarchalium, seu Archiepiscopalium, Episcopalium Ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant, tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocumque modo vacantia, seu in posterum vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate literarum nostrarum immediatè collatorum seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiat, nunc vacantia & in antea vacatura: Plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni ac provisioni nostræ usque ad quinquennium de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica reservamus, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum per quoscunque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent super enarratis articulis, vel alicui vel aliquibus eorum dicto quinquennio durante. Nulli igitur &c.

§. 6. In Ecclesiis Cathedralibus & etiam Monasteriis Apostolicæ sedi immediatè subjectis fiant electiones canonicæ, quæ ad sedem Apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in constitutione Nicolai III. quæ incipit: Cupientes, Papa expectat; quo facto si non fuerint præsentatæ vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint, Papa provideat; si verò Canonicæ fuerint, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili & evidenti, & de fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerit providendum: proviso, quod confirmati & provisi per Papam nihilominus metropolitanis, & aliis præstent debita juramenta & alia, ad quæ de jure tenetur.

§. 7. In Monasteriis, quæ non sunt immediatè subjecta sedi Apostolicæ, nec non in aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem Apostolicam, non teneantur venire electi, seu illi quibus providendum est, ad curiam ad habendam confirmationem seu provisionem, nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis expectativis: ubi autem in Monasteriis ad Curiam Romanam pro confirmatione venire, seu mittere consueverunt, ubi Papa non aliter confirmet aut provideat, quàm superius de Ecclesiis Cathedralibus est expressum.

§. 8. De Monasteriis monialium Papa non disponet, nisi sint exemta, & tunc per commissionem in partibus. De cæteris dignitatibus & beneficiis quibuscumque secularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes jam dictas majoribus dignitatibus post Pontificiales in Cathedralibus, & principalibus in collegiatis Ecclesiis, exceptis de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet; nec computentur in turno seu vice eorum.

§. 9. Item Dominus noster Papa declarat, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacumque verborum forma, per eum aut ejus auctoritate factam vel faciendam, non velit, neque vult, neque intendebat; nec intendit facere aut fieri, quo minus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt alternis vicibus liberè disponatur per illos, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, aut aliâ quævis dispositio pertinebit, prout ad ipsos spectabit de consuetudine vel de jure: ita quod cum de una dignitate, personatu, officio vel beneficio, ex illis ad electionem, provisionem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem alicujus spectante, fuerit auctoritate Apostolica provisum, aut aliàs dispositum, ille ad cujus electionem, collationem, vel quamvis dispositionem primo loco pertinebat, & ita consequenter de singulis hujusmodi dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis vacaturis auctoritate ejusdem Domini nostri Papæ & aliorum prædictorum alternatis vicibus disponatur; reservationibus aut aliis à præmissis dispositionibus auctoritate ejusdem Domini nostri Papæ factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque.

§. 10. Quotiens verò aliquo vacante beneficio eadem, invito & gratia expectativa, non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficii, quod alicui de illo secundum prædictas ordinationes fuerit Apostolica auctoritate provisum, ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponat, nec sibi in suâ vice computetur. Beneficia quæ per simplicem renunciationem aut permutationem vacaverint, neutri parti computentur.

ANNO 1447.

§. 11. De qualificatione beneficiandorum sanctissimus Dominus noster P. P. Martinus V. ad exaltationem fidei Catholicæ & spiritualibus profectibus populi Christiani, *de consensu & beneplacito nationis Germanicæ* statuit, ordinat & decernit, quod deinceps in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis *nationis Germanicæ* ejusdem, *sexta pars Canonicatuum & præbendarum sit pro Doctoribus aut licentiatis* in sacra pagina vel altero jurium, vel in Theologia Bacalariis formatis aut Magistris in Medicina, qui per *biennium*, seù Magistris in artibus, qui per *quinquennium* post Magisterium in Theologia aut altero jurium, studuerunt in *studio generali*; Sic videlicet, quod ubicunque non fuerit saltem sexta pars Canonicorum præbendatorum in Metropolitana aut Cathedrali Ecclesia taliter graduatorum, ibi quicunque deinceps vacaverit Canonicatus & præbenda, quacunque etiam Apostolica vel alia auctoritate, non nisi taliter graduatis conferatur, quousque dicta sexta pars compleatur taliter graduatorum. Si tamen infra mensem à tempore vacationis . . . . . repertus fuerit taliter graduatus, & alius idoneus qui per se vel procuratorem voluerit acceptare, quod postmodum continetur, ut ad minus dictus numerus sextæ partis Canonicorum taliter ut præmittitur graduatorum in ipsis Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis habeatur; Ubi autem *soli* consueverunt *Illustres ac de Comitum vel Baronum genere, vel ex utroque genere militares* in Canonicos admitti, taliter graduati qui acceptare voluerint, si taliter nobiles, ut præmittitur fuerint in Ecclesiis, cæteris etiam nobilibus saltem usque ad dictum numerum præferantur.

§. 12. Item quod in aliis collegiatis Ecclesiis ejusdem nationis similiter sexta pars Canonicatuum & præbendarum, deinceps modo præmisso conferatur sicut præmittitur graduatis, aut saltem in Medicina aut in artibus Magistris vel licentiatis, aut in Theologia, vel altero Jurium Baccalariis examinatis per rigorem.

§. 13. Item quod Parochiales Ecclesiæ habentes anni extimationem, quæ secundum famam publicam attendatur, duo millia communicantium vel plures; deinceps non conferantur etiam Apostolica vel quacunque alia auctoritate, nisi Doctoribus aut licentiatis in sacra pagina, vel jure Canonico, vel Civili, vel Baccalariis in Theologia formatis. Si tamen infra mensem à tempore vacationis Ecclesiæ numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per se vel procuratorem voluerit acceptare; decernendo irritum & inane, si secus in præmissis, tam circa Canonicatus & præbendas, quàm parochiales Ecclesias vel eorum aliquid à quoquam quavis etiam Apostolica auctoritate fuerit attentatum. Salvis semper laudabilibus consuetudinibus & statutis Ecclesiarum, quæ præmissis non adversantur in contrarium aut facientibus non obstantibus quibuscunque.

§. 14. Item quatenus prædicta ordinatio pluribus prosit, & humanæ ambitioni frenum imponatur, ordinat, statuit & decernit idem Dominus noster P. P. Quod vigore præsentis constitutionis seù ordinationis nemo graduatorum possit ultra unum beneficium Ecclesiasticum adipisci.

§. 15. De prærogativa graduatorum. Item vult quod in pari data ad eandem collationem graduatus non graduato præferatur prærogativis & diligentiis non obstantibus quibuscumque.

§. 16. Item quod Vicariæ ad certa chori officia in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis deputatæ non conferantur etiam Apostolica auctoritate, nisi talibus, qui hujusmodi beneficia cantando & legendo, & aliàs sciverint & poterint personaliter adimplere.

§. 17. De Annatis. De Ecclesiis & Monasteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, solventur pro fratribus primi anni à die vacationis summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur, si quæ verò excessivè taxatæ sunt, justè retaxentur, & provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod dabuntur commissarii, qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum, à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solventur, & pro media parte alia infra sequentem annum. Et si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvatur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat. De cæteris autem dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis secularibus quibuscunque & regularibus, quæ auctoritate sedis Apostolicæ conferentur, vel providebitur de eisdem, (præterquam vigore gratiarum expectativarum aut causa permutationis) solvantur *annuata* seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore unionis (possessionis) infra annum, & debitum hujusmodi in successorem in beneficio non transeat. De beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum de Camera non excedunt, nihil solvatur; debitis omnibus præteriti temporis usque ad assumtionem Domini nostri communium servitiorum & annuatorum pro medietate relaxatis, solventibus aliam medietatem infra sex menses à die publicationis.

§. 18. De causis tractandis in Romana Curia vel non. Sanctissimus Dominus noster P. P. Martinus V. statuit & ordinat, quod nullæ causæ in Romana curia committantur, nisi quæ de jure & natura causæ in Romana Curia tractare debebunt, & quod *causæ, quæ ad forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine non pertinent*, per curiam Romanam etiam prætextu resignationis laicorum extra tempus passagii generalis non recipiant de illis cognoscendo in Curia vel extra committendo, nisi de consensu partium. Quæ verò ad forum Ecclesiasticum pertinent, & de jure sunt per appellationem aut aliàs ad Romanam Curiam devoluta, ac de sui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea, cæteræ committantur in partibus, nisi forsan pro causæ & personarum qualitate, in commissione exprimenda illis tractare in Curia expediet, pro Justitia consequenda, vel de partium consensu in Curia tractarentur.

§. 19. De Commendis. Ordinat Dominus noster Papa, quod in posterum Monasteria, aut magni prioratus Conventuales (habentes) his temporibus ultra decem religiosos, & officia Claustralia, dignitates majores post Pontificiales in Cathedralibus, sicut & Ecclesiæ parochiales nulli prælato, etiam Cardinali dentur in Commendam, datæ aut dati quam primum commendatariis loco illorum de æquivalenti providebitur post pacificam possessionem adeptam illas dimittant, una etiam Ecclesia Metropolitana uni Cardinali vel Patriarchæ antecedi poterit provisionem officientem non habenti.

§. 20. De Simonia. Ut autem considerata malitia aliquorum temporum proximè præteritorum, quibus labes Simoniaca tàm in ordinibus quàm in beneficiis Ecclesiasticis tunc conferendis & percipiendis ac religionibus ingrediendis fuit heu nimium frequentata, læsis in hoc conscientiis ad pernitiosiorem administrationem & perceptionem sactorum Ecclesia-

ANNO 1447.

ANNO 1447.

sticorum, salubriter omnibus consulatur, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, cæterisque Prælatis: nec non Clericis ac personis Ecclesiasticis, religiosis & secularibus utriusque sexus: ut quælibet eorum infra tres menses post publicationem, aut insinuationem præsentium sibi, aut in Dioceli, ubi Domicilium habuerit factam, aliquem in Sacra Pagina, vel in jure Canonico Doctorem vel licentiatum vel Baccalarium formatum, ubi talis potest commodè reperiri, vel ubi talis non reperiretur, lectorem aut aliàs intelligentem sacerdotem discretum, ac bonæ famæ, curatum vel non curatum *eligere valeat confessorem*, qui infra prædictum tempus, quantocius commodè fieri poterit, ejus confessione audita ipsam personam confitentem à suis peccatis & à quibuscumque excommunicationum suspensionibus & interdictis aliisque sententiis, censuris atque pœnis, quas forsan propter Symoniacam in ordine vel beneficio Ecclesiastico, religionis ingressu, aut aliàs qualitercumque activè vel passivè, commissam usque ad tempus publicationis prædictæ dignoscitur incurrisse, *in foro conscientiæ duntaxat absolvere*; nec non secum super irregularitate, pro eo quod hujusmodi sententiis aut excommunicatione ligata forsan missas vel alia divina officia celebrasse, aut se illis immiscuisse censebitur; usque ad tempus prædictum contracta, ipsaque propter præmissa aut eorum aliquod à sui ordinis vel officii executione suspensa, quod in illis nihilominus ministrare illa exercere & adepta beneficia, vel statum in quo est retinere, & ad ulteriora promoveri possit, in dicto foro valeat dispensare; ac eadem beneficia, quæ obtinet, ab hoc forsitan vacantia vel vacatura, sicut postquam dimiserit reconferre, omnemque inhabilitatis, irregularitatis nec non infamiæ maculam Simoniacam, atque aliam labem per eam occasione prædicta usque ad tempus prædictum contractum in eodem foro totaliter abolere: *fructus* quoque beneficiorum Ecclesiasticorum, quos forsan indebitè percepit & quos percipere potuisset, & ad quicque, occasione prædicta fuerit refundendum (dummodo persona ipsa ad refusionem faciendam, deducto ne egeat, in statu in quo tunc fuerit, aut aliàs absque nota vel scandalo sufficiens non fuerit) in dicto foro remittetur, ac etiam de his quietare & liberare tenore præsentium (literarum) indulgemus; constitutionibus Apostolicis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 21. De non vitandis excommunicatis nisi fuerint denunciati. Insuper ad vitandum scandala & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium (literarum) indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicujus in sacrorum administratione vel receptione aut aliis quibuscumque divinis, vel ex prætextu, cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à jure vel homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, Collegium, universitatem, Ecclesiam communitatem aut locum, certam vel certum à judice publicata vel denunciata specialiter & expresse: constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum, sententiam latam Canone adeò notoriè constitorit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam à communione illius licet denunciatus non fuerit volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones.

§. 22. De dispensationibus. Ordinat etiam Dominus noster ad Ecclesias Cathedrales, Monasteria, prioratus Conventuales, aut Parochiales Ecclesias, super defectu ætatis ultra triennium nullatenus dispensare; nisi fortè Ecclesiis Cathedralibus ex ardua & evidenti causa, de consilio Cardinalium seu majoris partis illorum videretur aliter dispensandum. Item Dominus noster in arduis & gravibus casibus *sine consilio Cardinalium non intendit dispensare.*

§. 23. De provisione Papæ & Cardinalium. Romano Pontifici & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus pro illorum sustentatione, *rebus Romanæ Ecclesiæ stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quàm huc usque factum est, scilicet per beneficia & Communia servitia, quæ vacantia nuncupantur*; verùm circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod nulli Cardinali Monasterium (vel) Prioratus conventualis, ultra numerum decem Religiosorum secundum moderna tempora habetur (habere) consueti, nulla major dignitas post Pontificalem in Cathedralibus aut Parochialibus Ecclesiis, nullum officium Claustrale, nullum Xenodochium, hospitale, eleemosinaria aut leprosaria in titulum vel administrationem conferantur; & si quæ talia nunc obtinent, quem primum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneantur, sicut superius de commodis est dictum.

§. 24. De Indulgentiis. Cavebit Dominus noster Papa in futurum nimiarum indulgentiarum effusionem, ne vilescant & in præteritum concessas, ab obitu Gregorii XI. ad instar alterius indulgentiæ revocat & annullat.

§. 25. Item Sanctissimus Dominus noster & *inclita natio Germanorum* concesserunt & protestati sunt, quod omnia & singula (supra) scripta durare & tolerari debeant, *usque ad quinquennium duntaxat*, à dato præsentium numerandum; Constitutionibus Apostolicis, Regis Cancellariæ factis & fiendis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque; quodque per observantiam eorum nullum jus novum Rom. Pontifici, aut alicui Ecclesiæ vel personæ acquiratur, seu præjudicium generetur. Sed lapso dicto quinquennio, quælibet Ecclesia & persona prædicta liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo. Non obstantibus suprà dictis. Et quod capitula prædicta & quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti, communiter seu divisim in autentica forma, seu sigillo Vice-Cancellarii cum subscriptione Notarii, sic quod fidem faciant exhibita ubicunque; pro toto autem non solvantur ultra duodecim *grossi Turonenses.*

§. 26. Hæc universitati vestræ tenore præsentium firmiter attestantes, eadem nostras præsentes litteras in horum fidem & testimonium præfato Domino *Archiepiscopo*, Præpositо, Decano *& Capitulo Magdeburgensi* concessimus, nostri Sigilli munimine roboratas. Datum Constantiæ provinciæ Maguntin. in Domo habitationis nostræ, anno quo supra, die tertia mensis Maii, Pontificatus supra dicti Domini Papæ anno primo.

ANNO 1447.

Quæ

ANNO 1448. IV. Ex Spic. Dacheri Tom 3. pag. 774.

Quæ Schismatis tempore sunt acta nulla vult, ac decernit : anno 1448.

NICOLAUS EPISCOPUS,

ad futuram rei memoriam.

TAnto nos pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti convenit, quanto desideramus fructus uberrimos inde sequi. In eo quippe cor nostrum suavissimè delectatur, quòd diebus nostris sanctam Dei Ecclesiam in pacis & unionis pulchritudine, ac debitâ integritate florentem videre valeamus. Cum itaque superioribus temporibus propter divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum, & tunc Basiliense Concilium, plurimùm turbata, ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei, jam autem divinâ favente ac dirigente clementiâ, tractatu Oratorum carissimorum in Christo filiorum Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum; nec non Delphini Viennensis primogeniti Francorum Regis Illustris, integræ pacis & unionis consequendæ dispositio optima videretur, Amedeo in sua obedientiâ Felice V. nominato, juri quod in Papatu se habere asserit cedere volente, eis qui olim Basileæ, nunc autem Lausanæ, sub nomine generalis Concilii permanserunt & permanent concurrentibus in id ipsum, aliasque ad pacem Ecclesiæ laborantibus. Cupientes igitur, quantum omnipotens donaverit, id agere, quo universi Christi Fideles ipsius pacis jucunditate fruentes, animorum conjunctione sibi invicem cohæreant, & rejectis quæ ex discordiâ exortâ fuerunt, statûs uniuscujusque, honor, fama, & reputatio illæsi, & integri remaneant, literas, processus, mandata, & decreta quæcunque; necnon excommunicationum, suspensionum, & interdicti anathematisationumque; etiam privationum beneficiorum, officiorum, ac dignitatum quorumcumque, sive Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcumque Ecclesiasticarum, vel mundanarum, inhabilitationum quoque, necnon declarationum, innovationum, damnationum, reprobationum, expositionum personarum, ac bonorum mobilium ac immobilium, juriumque & jurisdictionum publicationum & confiscationum, privationum feudorum, ac etiam quorumcumque jurium spiritualium, vel temporalium, & inhabilitationum ad illa: necnon absolutionum à fidelitatibus, & alias in eisdem literis processibus, mandatis & decretis, quomodolibet contentas sententias, censuras & pœnas quascumque & qualitercumque statutas, inflictas, & promulgatas, etiam si expressæ, pares, vel majores, aut alterius cujuscumque naturæ forent, per præfatum Eugenium prædecessorem nostrum, & quibuscumque suis literis quorumcumque tenorum & sub quacunque data existant, etiamsi cum expressione, approbatione Ferrariensis, seu Florentini, aut alterius Concilii generalis, sive per nos, aut per alium, seu alios, ipsius, aut nostrâ seu quâvis aliâ auctoritate contrà dictum Basiliense Concilium, & eos qui sub nomine generalis Concilii tam in Basiliensi quàm Lausanensi Civitatibus memoratis fuerunt, & perseverarunt, ut præfertur, ac in præsentiarum perseverant: necnon contrà præfatum Amedeum, Felicem V. in suâ obedientiâ nuncupatum, ac quasvis personas Ecclesiasticas, sæculares, vel regulares, ac etiam laicales eisdem conjunctim vel divisim adhærentes, assistentes, obedientes, obsequentes, credentes, recipientes, ac quovis modo faventes, eosque sequentes, qui sunt & fuerunt, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, statûs, gradûs seu conditionis existant, etiamsi Pontificali, Cardinalatûs, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant. Contrà dominia quoque, necnon communitates, universitates, etiam generalium studiorum, civitates etiam, præsertim Basilienſem, ac oppida, & alia loca quæcumque præmissorum occasione emanata, facta, concessa, decreta, & promulgata. Simili quoque modo declarationes, & confirmationes, super præmissis, & eorum singulis, nostrâ, seu dicti prædecessoris auctoritate, quomodolibet factas: necnon processus habitos per easdem, ac quæcumque inde sequuta, etiamsi ad sententiarum, censurarum, atque pœnarum declarationem, seu illarum, aut alicujus earum publicationem, vel plenariâ executione contrà personas, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida, & loca supra dicta, communiter, vel divisim quomodolibet sit processum : quorum omnium & singulorum tenores etiam si de illis plena & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda foret, hîc pro sufficienter expressis haberi volumus. Motu proprio, & ex certa nostrâ scientiâ, ac de Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, decernimus, & declaramus nullum effectum penitùs sortiri, sed perinde haberi debere, ac si nullatenùs emanassent; eaque omnia & singula, cum inde sequutis, in Regestris ipsius Eugenii prædecessoris, & nostris, & locis aliis quibuscumque, aboleri & deleri mandantes, omninò tollimus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro infectis haberi volumus. Et nihilominùs si, & in quantum opus esse, ad abundantem cautelam singulas ex personis, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida, atque loca supra dictas & supra dicta, ad famam, dignitates honores, status, & privilegia, quatenùs illis eâdem occasione privatæ & privata prætendi possent, in statum pristinum & debitum restituimus, reponimus, & redintegramus plenariè per præsentes, motu, scientiâ & plenitudine potestatis, ac consilio & assensu antedictis.

Et quoniam difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, dictâ auctoritate decernimus, quòd ipsarum transumpto manu publicâ & sigillo alicujus Episcopalis, vel Superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tanquam præfatis si originales exhiberentur literis plena fides exhibeatur, & stetur perinde ac si dictæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ : juribus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, mandati, cassationis, irritationis, annullationis, voluntatis, restitutionis, repositionis, & redintegrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, quinto decimo Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno secundo.

ANNO 1448.

V. Ex Spicil. Dacheri Tom. 3. pag. 784.

Irritâs decernit quascunque Censuras inflictas occasione Schismatis : anno 1449.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Tanto

ANNO 1449.

TAnto nos pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti convenit, quanto desideramus fructus uberrimos inde sequi. In eo quippe cor nostrum suavissimè delectatur, quòd diebus nostris sanctam Dei Ecclesiam in pacis & unionis pulchritudine, ac debi à integritate florentem videre valeamus. Cum itaque superioribus temporibus propter divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum, & tunc Basilienſe Concilium, plurimùm turbata, ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei: jam autem divinâ favente ac diligente clementiâ, tractatu Oratorum Carissimorum in Christo Filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennensis primogeniti Francorum Regis Illustris, pacem Ecclesiæ redditam agnoscimus, dum percipimus venerabilem & Carissimum Fratrem nostrum Amedeum, primum Cardinalem Episcopum Sabinensem, in nonnullis Provinciis Apostolicæ Sedis Legatum, Vicariumque perpetuum, Felicem Papam V. tunc in suâ obedientiâ nominatum, juri, quod in Papatu asserebat se habere, ad hujusmodi pacem Ecclesiæ obtinendam cessisse. Eos verò qui Basileæ, postmodum Lausanæ, sub nomine generalis Concilii hactenùs permanserunt, ordinasse ac publicasse nobis tamquam unico & indubitato Summo Pontifici obediendum esse à cunctis Fidelibus; & præfatam Lausanensem dissolvisse Congregationem.

Cupientes igitur quantum Omnipotens donaverit id agere, quo universi Christi Fideles ipsius pacis jucunditate fruentes, animorum conjunctione sibi invicem cohæreant, & rejectis quæ ex discordiâ orta fuerant, status uniuscujusque, honor, fama & reputatio illæsi & integri remaneant: Literas, processus, mandata, & decreta quæcumque; necnon excommunicationum, suspensionum & interdicti, anathematizationisque, etiam privationis Beneficiorum, Officiorum, ac Dignitatum quorumcumque, sive Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcumque Dignitatum Ecclesiasticarum vel mundanarum: inhabilitationum quoque, necnon declarationum, innovationum, damnationum, reprobationum, expositionum personarum, ac bonorum mobilium & immobilium, jurium ac jurisdictionum, publicationum & confiscationum, privationum feudorum, ac etiam quorumcumque jurium spiritualium vel temporalium, & inhabilitationum ad illa: necnon absolutionum à fidelitatibus, & alias in eisdem literis, processibus, mandatis, & decretis quomodolibet contentas sententias, censuras, & pœnas quascumque & qualitercumque statutas, inflictas, & promulgatas, etiamsi expressæ, majores vel pares, aut alterius cujuscumque naturæ forent, per præfatum *Eugenium* Prædecessorem nostrum in quibuscumque literis suis quorumcumque tenorum, & sub quâcumque datâ existant, etiamsi cum expressione, approbatione Ferrariensis seu Florentini aut alterius Concilii generalis; sive per nos, aut per alium, seu alios: ipsius, aut nostrâ, seu quâvis aliâ auctoritate contrà dictum Basilienſe Concilium, & eos qui sub nomine generalis Concilii tam in Basilienſi quàm in Lausanensi civitatibus memoratis fuerunt, ut præfertur: Necnon contrà præfatum venerabilem ac Carissimum Fratrem nostrum *Amedeum* primum Cardinalem Episcopum Legatum, & Vicarium supra dictum, Felicem V. in suâ obedientiâ nuncupatum: ac quasvis personas Ecclesiasticas, sæculares, vel regulares, ac etiam Laicales, quæ eisdem conjunctim vel divisim adhærentes, assistentes, obedientes, credentes, recipientes, ac quovis modo faventes, eosque sequentes fuerunt, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, status, gradûs, seu conditionis existant, etiamsi Pontificali, Cardinalatûs, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant: Contrà dominia quoque, necnon communitates, universitates etiam generalium studiorum, civitates etiam, præsertim Basilienſem, ac oppida, & alia loca quæcumque, præmissorum occasione emanata, facta, concessa, decreta, & promulgata. Simili quoque modo declarationes & confirmationes super præmissis, & eorum singulis nostrâ, seu dicti prædecessoris auctoritate, quomodolibet factas: necnon processus habitos per easdem, ac quæcumque inde sequuta, etiamsi ad sententiarum, censurarum, atque pœnarum declarationem, seu illarum aut alicujus earum publicationem, seu plenariam exequutionem, contrà personas, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida & loca supra dictâ communiter vel divisim, quomodolibet sit processum; quorum omnium & singulorum tenores, etiamsi de illis plena & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda foret, hic pro sufficienter expressis haberi volumus; motu proprio & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu decernimus, & declaramus nullum effectum penitùs sortiri, sed perinde haberi debere, ac si nullatenùs emanassent; eaque omnia & singula, cum inde sequutis, de Regestis ipsius *Eugenii* Prædecessoris & nostris, & locis aliis quibuscumque aboleri & deleri mandantes, omninò tollimus, cassamus, irritamus, & annullamus, & pro infectis haberi volumus. Et nihilominus si, & in quantum opus esset ad abundantem cautelam, singulas ex personis, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida ac loca suprà dictas & supra dicta, ad famam, dignitates, honores, status, & privilegia, quatenùs illis eâdem occasione privatæ & privatâ prætendi possent, in statum pristinum & debitum restituimus, reponimus, & reintegramus, plenariè per præsentes, motu scientiâ & plenitudine potestatis, ac consilio & assensu ante dictis. Et quoniam difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre: dictâ auctoritate decernimus, quòd ipsarum tranſumpto manu publicâ, & sigillo alicujus Episcopalis, vel Superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tamquam præfatis, si originales exhibeantur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ; juribus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, constitutionis, declarationis, mandati, cassationis, irritationis, annullationis, restitutionis, repositionis, & reintegrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Spoleti, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, quarto-decimo Kalendas Julii, Pontificatûs nostri anno tertio.

ANNO 1449.

ANNO 1449.

V I.
Ex Cod. Diplom. Leibnitii Part. I. pag. 379.

Renunciatio FELICIS V. qua deponit Papatum, in Concilio Generali Lausannæ 7. Id. April. 1449.

FELIX EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUas ob causas evocati & emoti curam Apostolici Regiminis suscepimus, toti sæpe numerò manifestavimus orbi. Quamquam enim imparitatem nostrarum virium ad sustinendam hujusmodi oneris gravitatem sentiremus; nihilominus ubi universalis Ecclesiæ Basilcæ in Spiritu Sancto legitimè congregatæ, pias exhortationes simul ac Sanctas supplicationes accepimus, quibus ad succurrendum authoritati Ecclesiæ suppressæ nimium instanter commovebamur; concaluit introrsum cor nostrum pietate, quæ ad omnia valet, & charitate, quæ omnia sustinet, animum formidolosum confirmantibus; atque confidentes in illo, qui omnia potest, & de cujus agebatur negotio, tranquillam solitudinem reliquimus, laboriosum & immensum aggredientes opus. Namque nihil immortali Deo placentius offerre posse existimamus, quàm conatus nostros in obsequium Ecclesiæ, grandibus insultibus & oppugnationibus conturbatæ. Quid nempè condignum reddi potest ab homine illi nostræ inclytæ Matri, cujus in gremio Fidelis quisque salutem consequitur, propter quam unigenitus Dei filius Deus & Dominus noster Jesus Christus de sinu Patris ad terras descendere, & sanguinem proprium effundere dignatus est.

§. 2. Cumque ipsam videremus tantis perplexam anxietatibus, ut nullus mortalium ab exhibitione possibilis auxilii debeat excusari; profectò cogente veritate, devotione suadente, spe denique in finem optimum ducendarum rerum freti, personam, operas, facultatesque nostras ex integro devovimus ei. Aderat namque tempus, quo ab omnibus vehemens restingui debebat incendium, & tanto velociore fortiorique præsidio opus erat, quantò sacrorum generalium Conciliorum authoritas fortius agitata, non modo fluctuaret, sed quasi conculcata prostrataque jaceret. Non enim evellatur à memoria nostra *sacri Constantiensis Concilii nulla unquam oblivione delenda diffinitio, quod videlicet Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Principalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris ac pertinentibus ad eadem*: Satis etiam recenter editum Decretum Sacri Concilii Basilienſis audiebamus, hanc veritatem resumendo confirmans; circumspiciebamusque eandem ab Ecclesia Catholica susceptam practicatam esse.

§. 3. Proinde satagentes gravissimis & abhorrendis periculis possetenus obviare, ac ostendere cunctis fidelibus rectitudinem Deo inspirante voluntatis; quod non caducorum fictiliumque bonorum, sed communis salutis causâ sedem Apostolicam teneremus, non præesse, sed prodesse cupientes, in Sancta Synodo Basilienſi personaliter comparere voluimus, subireque communes pro salute publica labores. Cumque nobis in temporis processu luculenter exploratum foret, dissensionis & differentiæ materiam in Ecclesia Sancta Dei magis ac magis obscurari; dubitantes ne à quovis homine de scandalo possemus notari oblationes multas & pergrandes Regibus, & Principalibus orbis destinare curavimus, ex quibus quidem animadvertere potuerunt, Nos propria non quærere, sed quæ Jesu Christi, publicamque pacem. Nec veriti à formis modisque priscis à Patribus dum Schismata vigerent, pro unitatis & pacis obtentu traditis & practicatis, diutius liberali apertoque animo semper acquiremus (acquiescceremus) omnibus & singulis, quæ ad securitatem, reintegrationemque Ecclesiæ judicata fuerint quomodolibet opportuna; atque longè ferventiore studio invigilavimus per nostrarum cessionis & renuntiationis medium dissectos, distantesque animos Christi fidelium reunire, quam in sede Petri, manente scissura, diutius morari. Non ignoramus enim schismatis incommoda mortifera, scimus è contra Christianam religionem à pacis Authore fundatam, sine pacis vinculo damnosæ confusioni servire; Cumque pax, omnium rerum tranquillitas sit, & ea nihil gratius soleat audiri; nihil desiderabilius concupiri; nihil postremò melius inveniri; debito filiali astringebamur pietatis ipsi nostræ Matri luctuosæ venustatem, jucunditatem, integritatem, unionem & pacem extremâ possibilitate procurare. Quantumcunque pro hujusmodi excelsi, & desideratissimi boni consecutione perseveranter ac indefesse laboravimus apud ipsos Reges & Principes cæterosque fideles, ex nostris accuratissimis diligentiis, multipliciumque literarum tenoribus totus præcognovit orbis.

§. 4. Nunc igitur ut semper constituti sub ineffabili incomprehensibilique providentia Dei omnia dirigentis, & disponentis, melius post acerrimos continuosque labores, quos solius veritatis manifestandæ, authoritatisque sacrorum Conciliorum generalium confirmandæ gratiâ voluimus amplecti, post maximè carissimorum in Christo Filiorum *Francorum Angliæ & Siciliæ Regum, nec non Delphini Viennensis primogeniti, Francorum Regis* illustrium supplices frequentesque instantias, quorum saluberrimis suasionibus intentas semper accommodamus aures; Nostros omnes cogitatus per orbem dispersos, in arcem unicæ considerationis reducimus. Desiderantes namque toto corde in hoc dierum nostrorum residuo beatam pacem in Ecclesia Dei disseminari, quæ veluti à nostris egressa manibus in corda omnium fidelium dilabatur, sinceritatem nostræ intentionis per eum testatura: exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui sic dilexit Ecclesiam, ut pro ea non modo formam servi acciperet, sed traderet semetipsum: sancta *in hâc Synodo Lausanensi in Spiritu Sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentante*, purè, liberè, simpliciter & sincerè, realiter, & cum effectu, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *Papatui*, ejus oneri, dignitati, titulo & possessioni *cedimus & renunciamus per præsentes*; sperantes quod in futurum præfati cæterique Reges & Principes, Prælati & alii Catholici, quibus hujusmodi nostram Renunciationem, acceptissimam fore judicamus, authoritati Sacrorum generalium Conciliorum assistent, eamque tuebuntur & defendent; Quodque universalis Ecclesia, pro cujus dignitate supereminentia & authoritate totis viribus pugnavimus; nos apud clementiam primi & æterni Pasto-

ANNO 1449.

ANNO 1450.

tris noſtræ hujus pacificæ humilitatis contemplatu ſuis devotis jugibusque orationibus commendabit. Datum Lauſannæ VII. Idus Aprilis, anno à nativitate Domini M. CCCCXLIX. Pontificatus noſtri anno IX. ſigné au bas, Martinus. Et ſur le repli, P. Hemon.

VII.
Ex Cod. Leibnitii Tom. 1. pag. 402.

Alfonſo Arragoniæ, & Siciliæ Regi concedit Inſulam Caſtri Rabei Rhodo vicinam: anno 1450.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

INter innumeras & multiplices curas, quibus continuo pro rerum & negotiorum varietate premimur illam libenter amplectimur, per quam noſtræ proviſionis auxilio & ſuffragiis Chriſtianum nomen & fides orthodoxa noſtris præcipuè temporibus defendatur, creſcat, & augmentum ſuſcipiat, ac pro hujuſmodi defenſione militantes, honorem gloriam & commoda conſequantur. Cum itaque nuper fide dignorum relatione perceperimus juxta inſulam Rhodi eſſe aliam parvam inſulam, incolis & habitatoribus penitùs viduatam, in qua quoddam oppidum, quondam caſtrum rubeum nuncupatum, ad hoſpitale Joannis Jeroſolymitani pertinens, cujus ædificia, turres & ſtructuræ per Teucros & Saracenos, aliosque Chriſtiani nominis hoſtes diruta & ſolo aquata ſunt, nec ſpem ullam eſſe, quod hoſpitale illorum reparationi intendere poſſit, imò periculum maximum imminere, ne Teucri & Saraceni qui totam illam oram maritimam ſingulis annis, modò claſſe, modò copiis pedeſtribus, hoſtiliter diſcurrunt, dictam inſulam occupent, & caſtrum ipſum reædificent, quod propter loci, & ſitus opportunitatem, maximâ damna circumvicinis locis Chriſtianorum, & maximè Rhodiis inferre poſſet; è contra verò, ſi dictum Caſtrum per aliquem Potentiſſimum Principem Chriſtianum reædificaretur & muniretur magna exinde præſidia Chriſtianis adverſus perfidos Crucis Chriſti inimicos parari poſſent. Nam cum eadem inſula portum in mari habeat, claſſis Chriſtianorum tutò ſe ibi recipere poſſet, & inſula ipſa populo & habitatoribus fæcundaretur. Eam ob rem nos potentiam, exiſtimationem, & devotionem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Arragonum Regis Illuſtris, conſiderantes, ac attendentes pium ejus propoſitum, & deſiderium, ne dum ad Inſulam Rhodi & Regnum Cypri, verum ad alias circumvicinas regiones Chriſtianas conſervandas, & à miſerrima oppreſſione ac crudeliſſima vexatione infidelium liberandas qui pro infenſiſſimo odio, & nefandiſſima cupiditate, qua flagrant ad nomen Chriſtianum exterminandum, ſingulis annis, ut audivimus, multa millia Chriſtianorum capiunt, & quod cum lacrymis, & ingenti animi dolore referimus miſeras eorum animas dæmoniis fraudulenter præſtituere conantur; cupientes quantum cum Deo poſſumus hanc barbarorum rabiem in Chriſtianos comprimere, ac animadvertentes, quod Rex Arragonum, potentiſſimam claſſem paret, & omnes vires ſuas exercere velle ſe obtulit, ad infringendam Teucrorum & Saracenorum ſuperbiam, modo dominium ipſius inſulæ & Caſtri ei concederemus, prædictis omnibus matura deliberatione penſatis, eidem Regi concedimus, ut dictum Caſtrum reædificare, & Inſulam hominibus & habitatoribus fæcundare, ipſumque Caſtrum & Inſulam tanquam Dominus liberè & licitè poſſidere poſſit quamdiù ſuæ celſitudini videbitur & placebit, non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac ſtatutis ſtabilimentis, conſuetudinibus, uſibus ac naturis dicti hoſpitalis, quibus omnibus, etiamſi de illis, ac eorum totis tenoribus ſpecialis & expreſſa mentio habenda foret, hac vice dumtaxat ſpecialiter derogamus.

Nulli ergo &c. Datum Aſſiſii anno &c. M. CCCCL. pridie Non. Octobris Pontificatus noſtri anno IV.

ANNO 1450.

VIII.
Ex Spicil. Dacherii Tom. 3. pag. 790.

Renuit Tributum Eccleſiaſticis à Carolo Francorum Rege imponi: anno 1450.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Cariſſime in Chriſto Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

REceptis litteris tuæ celſitudinis, & intellecto deſiderio tuo ſuper gabella vini quod venditur per Eccleſiaſticas perſonas Regni tui: Reſpondemus nos dolere vehementer, naturam rei de qua agitur eſſe talem, quæ per nos fieri non poſſit. Nam voto huic tuo ſine magnâ infamiâ noſtri, qui Eccleſiaſticæ libertatis protectores, non oppreſſores eſſe debemus, & offenſa Dei ac conſcientiæ noſtræ nullo modo ſatisfacere poſſemus. Certiſſima debet eſſe Tua Serenitas, nullam rem eſſe ita difficilem, quæ facilis non eſſet apud nos, quando videremus eam honori ac commodo tuo futuram: verùm auferre hanc Eccleſiaſticam libertatem, nec noſtro conveniret honori, neque tuo. Hortamur itaque Serenitatem ipſam, ut velis tamquam Chriſtianiſſimus Princeps hanc Eccleſiaſticam libertatem in Chriſtianiſſimo Regno tuo, tempore tuo, non modò non infringere, verum etiam protegere, quemadmodum Chriſtianiſſimi progenitores tui fecerunt: quo caſu ſucceſſus tuos Deus, cujus veneratione præfata libertas indicta fuit, continuò feliciores faciet, & Serenitatis tuæ ſtatum augebit.

Si in alia re poſſumus Celſitudini tuæ complacere, libentiſſimè faciemus; & nobis, qui Serenitati tuæ multis reſpectibus quam maximè ſumus obnoxii, jucundiſſimum erit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 11. Maii M. CCCC. L. Pontificatus noſtri anno quarto.

Pet. De Noxeto.

IX.
Ex Archiv. Reip. Geney.

Bulla ad Syndicos Genevenſes miſſa, quâ laudat eos poſuiſſe obicem ne captivus è ſua Urbe exiret Epiſcopus Montis-Regii, & hortatur eos ut illum tueantur: anno 1451.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sindicis & Communitati civitatis Gebennenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

MAgnam laudem meremini dilecti Filii, qui tanquam boni, fideles & devoti, impedi viſtis quominus venerabilis Frater noſter Americus Epiſcopus montis Regalis extra civitatem veſtram captus duceretur, feciſtis enim ſicuti faciunt ii qui Deum timent & cenſuras eccleſiaſticas verentur, & honorem ſuum illæſum cupiunt conſervare. Itaque valde commendamus

ANNO 1452.

ex hoc vestram devotionem, exhortantes eandem in Domino, ut similiter in futurum, si ipse adhuc est in civitate præbeatis vos fortes & constantes in prohibendo ne malè tractetur aut perveniat in alterius manus, nos super hoc scribemus dilecto filio Nobili Viro Ludovico Duci Sabaudiæ & simul mittemus quamprimum aliquem prælatum pro hac causa & ejus liberatione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, Cal. Maii Pontificatus nostri anno Quinto.

X.
Ex Spicil. Dacherii Tom. 3. pag. 790.

Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem hortatur ad Pacem ineundam: anno 1452.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio nobili viro FRANCISCO SFORTIÆ *Duci Mediolani, salutem & Apostolicam benedictionem.*

LIcet desiderium nostrum semper fuerit, quòd Italia, quæ diu omni ex parte bellis lacessita fuit, & in dies magis lacessitur, pace & quiete temporibus saltem nostris potiretur, & ad id superioribus annis operam omnem dederimus, mittendo Legatos nostros primo anno assumptionis nostræ Ferrariam, & postmodum ad alia loca; & etiam anno præcedenti Oratores Partium hîc apud nos pluribus mensibus fuerint, & nihil omiserimus ut pax ipsa sequeretur: tamen peccatis nostris & aliorum sic exigentibus non placuit illi, à quo pax & omne bonum procedit, ut votis nostris pro tunc potiremur; impræsentiarum verò diligenter considerato, quot mala, quot hominum interitus, prædæ & devastationes clarissimarum Civitatum, & Rerumpublicarum ex his continuis Italiæ bellis proveniunt, visum est nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dignitati nostræ convenire, nec id absque Dei offensâ prætermittere posse, iterum hoc negotium pacis aggredi, omnique studio, ingenio, & diligentiâ procurare, ut præfato desiderio nostro satisfiat: & quamquam dictæ pacis concedendæ, certam spem habere non possimus, in illo tamen, qui est auctor pacis, & omnium bonorum largitor, confidentes, longè meliorem spem nunc habemus, quàm hactenùs. Nam credimus Nobilitatem tuam, & omnes alias Italiæ Potentias, satis cognitum & exploratum habere quot sint bellorum incommoda pariter & discrimina, quæ talia sunt, ut aliquando potentiores, & qui vicerunt, propiores fuerint periculo. Quare ut tantum bonum pacis sequi possit, hortamur eamdem Nobilitatem tuam, ut Oratores tuos huc citissimè mittere velis benè instructos de omnibus, & cum pleno ac sufficienti mandato ad hanc pacem concludendam, ad quam ut totis affectibus inclineris, eamdem Nobilitatem tuam ex corde rogamus. Idem scribimus ad alias Potentias quarum interest, & credimus firmiter eas Oratores suos sine morâ missuras. Nos enim quamprimùm præfati Oratores advenerint, ipsi paci, omnibus aliis postpositis, omni sollicitudine incumbemus, sperantes in clementiâ Dei nostri qui pretiosissimum Sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effundere dignatus est, & non habito respectu ad peccata nostra, sed ad suam ineffabilem misericordiam, hac vice nos fortassis compotes faciet hujus optimi desiderii nostri, & ita Majestatem suam supplices deprecamur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, octavo Idus Januarii, & Pontificatûs nostri anno sexto. DE LUCA.

ANNO 1452.

XI.
Ex Spic. Dacherii Tom. 3. pag. 790.

Carolo VII. Francorum Regi, quod nonnulla postulet contra Canonum Sancita, concedere non posse significat: anno 1452.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo Francorum Regi illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

ACcedens ad præsentiam nostram Venerabilis Frater noster Joannes Archiepiscopus Turonensis, tuæ Serenitatis literas detulit, ex quibus intelleximus ipsum à tuâ sublimitate Oratorem & Ambaxiatorem suum ad nos destinari. Intelleximus ipsum & graviter & ornatè referentem quantum semper Religionis, pietatis, & fidei, & præcipuè devotionis in Apostolicam Sedem antecessores tui Francorum Reges Illustres indesinenter ostenderint, quantumque curæ, sollicitudinis & operæ pariter adhibuerint, ne tyrannicâ factione vel Longobardorum, vel aliorùm quorumvis simili factione nitentium, Sedes Apostolica suis juribus & dominiis spoliaretur; & cum ita divinæ Providentiæ placuisset, ut Celsitudo tua tantorum Principum & successor & heres existeret, eamdem postquàm rerum dominata est, sicut nominis ita & religionis & devotionis in seipsâ velle officium adimplere, nec pati ut in tam sancto & divino proposito præsentium Principum te aliquis antecedat.

Verùm hoc unum nobis velle significare, quòd propter superiora tempora, quibus ferè per quadraginta annos Regnum tuum bellicis calamitatibus sine cessatione vastatum est, ea onera non posse tolerare quæ cum florentissimum & pacatissimum erat, & libenti, devoto & grato animo toleravit. Itaque congruis precibus obsecrabat, ut æquo animo ferre vellemus, si vastatum bellicis concussionibus Regnum, donec convalesceret, florentis temporis onera consueta non ferret. Nam non minus erat devotionis & fidei, sed ita filiis nostris pro temporum qualitate censebat tua Serenitas à nobis meritò providendum. Respondimus, Serenissime Princeps, Fraternitati suæ nos omnipotenti Deo immortales gratias habere, quòd Sublimitatem tuam temporibus nostris tanti Regni tenere gubernacula præstitisset, in quâ tot præsidia in necessitatibus Ecclesiæ sumus experti, quòd vix plura sciviſſemus optare. Nonne ingrati animi esset non meminisse quantâ impensâ, cura & sollicitudine in principio Pontificatûs nostri, cùm Ecclesia esset in schismate, pacem & unitatem tuæ pietatis operâ consequuta sit? Nonne omni humanitati & gratitudini esset adversum, non semper memoriter tenere quantâ Serenitati tuæ cura fuerit, ut res & loca Romanæ Ecclesiæ, quæ in natione Gallicanâ consistunt, intactæ & incolumes permanerent, quibus tuendis semper & auxilium & consilium præstitisti? Nonne impium esset & penè sacrilegum non jugiter attendere, & ante cordis oculos infixum tenere, quantâ pietate plurimorum voluntates & studia, quibus Ecclesiam magnis discriminibus agitare contenderent, compescuisse & silentio compressisse? Dedit Serenitatem tuam misericors Deus temporibus istis, quibus multorum frigescente caritate superabundavit iniquitas, Christianissimi illius Regni moderamina tenere, multâ & admirabili Christi caritate ferventem. Servet Ecclesiæ suæ, servet & nobis personam tuam incolumem misericors Dominus, & si fieri possit, faciat immortalem: servet & hoc sanctum, hoc pium, hoc divinum propositum, ut te Christia-

nissimo

ANNO 1454.

nissimo Principe tutore ac defensore frui diutiùs valeamus.

Hæc licet prolixiori oratione coram venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præfato Archiepiscopo perstrinximus: adjicientes nos Christianissimi Francorum Regni non aurum sitire, non divitias, sed animarum salutem: & cum à nobis Oratores & Legati destinati fuêre, non insedit cordi nostro ulla rerum temporalium cupiditas, ulla sitis habendi quæ temporalia sunt & transeuntia, nec permanent; sed nos de æternis rebus, hoc est, de animarum salute fuisse sollicitos. Unde & impræsentiarum pariter obsecramus, ut non credat Serenitas tua, nos aliud velle, aliud intendere, nisi quæ animarum saluti consulant, & ab itineribus damnationis eripiant. Nam in his excusationis locus non est propter ignorantiam. Nam in hoc præcipuè verificatur illud Apostolicum dictum: *Qui ignorat, ignorabitur.* Itaque rogavimus & rogamus, ut quæ sine læsione conscientiæ servari non poterunt, dignaretur tua Serenitas è medio removere. Nam quid prodest homini si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Una est enim Ecclesia, una est fides ipsius, eædem debent esse leges, quibus tota & in toto orbe gubernatur & regitur. Nec licet alicui quâcumque potestate præfulgeat, qui vult esse ovis gregis Dominici, & inter illas numerari, quæ Petro à Christo commissæ sunt, cum dictum fuit illi: *Pasce Agnos meos*: se ab illis legibus propriâ auctoritate subtrahere: nec dubitare debet qui contrarium fecerit, se illas pœnas incurrere, quæ Canonum & Ecclesiasticarum legum transgressoribus infliguntur; & contrarium sentire, idem esset quod dubitare de potestate clavium. Nos si ista taceremus aut non nosceremus, Nos successorem Petri, cui oves Dominicæ commissæ sunt; aut Celsitudinem tuam à Dominicarum ovium numero videremur excludere, & apud illum æternum Pontificem qui judicaturus est vivos & mortuos, cujus vicem in terris gerimus, silentii nostri rationem minimè assignare possemus. Hæc quæ impræsentiarum summatim attingimus, latiùs diximus præfato Archiepiscopo, Serenitati tuæ per ipsius organum uberius explicanda, cui fidem plenam tua Celsitudo adhibere dignetur super his, ac etiam super nonnullis aliis particularibus negotiis, quæ sibi commisimus præfatæ Serenitati tuæ referenda. Cui nos & Apostolicam sedem cum universa Christi Ecclesia affectuosissimè commendamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno sexto.

XII. Ex Anecd. Martene Tom. 1. Col. 1829.

Concedit Indulgentias Festum Beatæ Mariæ de Nive in Provincia Rothomagensi celebrantibus: Anno 1454.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ETsi Prophera dicente, Dominum in sanctis suis laudare deceat: quanto magis Regina Cœlorum Virgo Dei Genitrix gloriosissima: flos sanctitatis, vas Cælestis gratiæ, mundissima, omnium Virtutum floribus redimita, Mater Gratiæ, Mater misericordiæ, humani generis consolatrix, quæ illum, quem Cœli capere non poterant, suo gremio pertulit, pro tàm salubribus, tamque copiosis beneficiis, quæ ejus intercessione populus Christianus evidentibus Miraculis quotidiè recipit, devota meretur singulis diebus, & præsertim his, in quibus eidem Populo manifestè apparuit, & prodigia fecit, veneratione collaudari, ut ejus memoria celebrior habeatur, ac fideles ipsi, præter temporalia commoda, spiritualia etiam stipendia consequantur. Cum igitur dilectus frater noster Guillelmus, tituli S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de Estoutevilla Archiepiscopus Rothomagensis ferventissimo Zelo devotionis indutus, cupiat ut in suis provincia & Diœcesi Rotomagensi, festum beatæ Mariæ de Nive, quod est quinta die mensis Augusti, annis singulis perpetuo celebretur, mandantes omnibus singulis Episcopis, ac Prælatis ejusdem Provinciæ, quatenùs publicè in Ecclesiis præcipiant eisdem Fidelibus per hujuscemodi, eadem die debeant, & teneantur celebrare. Et nihilominus ut Fideles ipsi eo libentius ad colendum festum ipsum inducantur, quo inde dono gratiæ cœlestis uberius conspexerint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis dictum festum devotè colentibus, qui in Rotomagensi, & aliis Cathedralibus, Collegiatis, Conventualibus, & Parochialibus Ecclesiis, Monasteriis, & Prioratibus quoruncunque Ordinum etiam mendicantium exemptis, & non exemptis dictæ Provinciæ, majori Missæ in die ejusdem Festi personaliter interfuerint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis perpetuò misericorditer relaxamus.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, mandati, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1454. non. April. Pontificatûs Domini nostri anno octavo.

XIII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 1. pag. 406.

Alfonso Lusitaniæ Regi cujus Filius Henricus studio iter in Indiam Orientalem aperiendi usque ad Guineam & Nigrum Fluvium penetraverat, & Insulas varias detexerat, Imperium Guineæ, & potestatem Barbariæ Regna subjiciendi concedit, prohibens ne alii sine Lusitanorum permissione ad eas oras navigent: Anno 1454.

ROmanus Pontifex Regni cœlestis clavigeri successor, & Vicarius Jesu Christi; cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates paternâ consideratione discutiens, ac salutem quærens & appetens singulorum, illa perpensâ deliberatione salubriter ordinat & disponit, quæ grata divinæ Majestati fore conspicit, & per quæ oves sibi divinitus creditas ad unicum ovile Dominicum reducat & acquirat eis felicitatis æternæ præmium, ac veniam impetret animabus, quæ eò certius, auctore Domino provenire credimus, si condignis favoribus & specialibus gratiis eos Catholicos prosequamur Reges & principes, quos veluti Christianæ fidei athletas & intrepidos pugiles, non modo Saracenorum cæterorumque infidelium Christiani nominis inimicorum feritatem reprimere, sed etiam ipsos eorumque regna ac loca, etiam in longissimis, nobisque incognitis partibus consistentia, pro defensione & augmento fidei debellare, suo-

ANNO 1454.

que temporali dominio subdere, nullis parcendo laboribus & expensis, facti evidentia cognoscimus, ut Reges & principes ipsi, sublatis quibusvis dispendiis ad tam saluberrimum tamque laudabile prosequendum opus per amplius animentur.

§. 2. Ad nostrum siquidem nuper, non sine ingenti gaudio, & nostræ mentis lætitia pervenit auditum, quod dilectus filius nobilis vir *Henricus Infans Portugalliæ*, charissimi in Christo filii nostri *Alfonsi Portugalliæ & Algarbii regnorum Regis* illustris, patriis inhærens vestigiis claræ memoriæ *Joannis* dictorum Regnorum Regis *ejus genitoris* ac zelo salutis animarum, & fidei ardore plurimum succensus, tanquam Catholicus & verus omnium Creatoris Christi miles, ipsiusque fidei acerrimus ac fortissimus defensor, & intrepidus pugil, ejusdem Creatoris glorioſissimum nomen per universum terrarum orbem etiam in remotissimis & incognitis locis divulgari, extolli & venerari, nec non illius ac vivificæ, qua redemti sumus crucis inimicos perfidos Saracenos videlicet, ac quoscumque alios infideles ad ipsius fidei gremium reduci, ab ejus ineunte ætate totis aspirans viribus, post *Ceptensem civitatem in Africa* consistentem per dictum Joannem Regem, ejus subactam dominio, & post multa per ipsum Infantem nomine dicti Regis contra hostes & infideles prædictos, quam etiam in propriâ persona, non absque maximis laboribus & expensis, ac rerum & personarum periculis & jactura, plurimorumque naturalium suorum cæde gesta bella, ex tot tantisque laboribus, periculis & damnis non fractus neque territus, sed ad hujusmodi laudabilis & pii propositi sui persecutionem in dies magis atque magis exardescens, *in Oceano mari quasdam solitarias insulas* fidelibus propalavit, ac fundari & construi inibi fecit ecclesias, & alia pia loca, in quibus divina celebrantur officia, ex dicti quoque Infantis laudabili opera & industria quamplures diversarum in dicto mari existentium insularum, incolæ seu habitatores, ad veri Dei cognitionem venientes, sacrum baptismum susceperunt ad ipsius Dei laudem & gloriam, ac plurimarum animarum salutem, orthodoxæ quoque fidei propagationem, & divini cultus augmentum.

§. 3. Præterea cum olim ad ipsius Infantis pervenisset notitiam, quod nunquam, vel saltem à memoria hominum non consuevisset per hujusmodi Oceanum mare versus orientales plagas navigari, illudque nobis occiduis adeò foret incognitum, ut nullam de partium illarum gentibus certam notitiam haberemus, credens se maximè in hoc Deo præstare obsequium, si ejus operâ & industriâ mare ipsum usque ad *Indos*, *qui Christi nomen colere dicuntur*, navigabile fieret, sicque cum eis participare, & illos in Christianorum auxilium adversus Saracenos, & alios hujusmodi fidei hostes commovere posset, ac nonnullos gentiles seu paganos nefandissimi Machometi secta minimè infectos populos inibi medio existentes continuò debellare, eisque incognitum sacratissimum Christi nomen prædicare, ac facere prædicari, reg à tamen semper auctoritate munitus, *à viginti quinque annis citra*, exercitum ex dictorum regnorum gentibus, maximis cum laboribus periculis & expensis in velocissimis navibus, caravellis nuncupatis *ad perquirendum mare*, & provincias maritimas *versus meridionales partes & polum antarcticum annis singulis fere mittere non cessavit*, sicque factum est, ut cum naves hujusmodi quamplures portus, insulas & maria perlustrassent, *ad Ghineam provinciam tandem pervenirent*, occupatisque nonnullis insulis, portubus ac mari, eidem provinciæ adjacentibus, ulterius navigantes *ad ostium cujusdam magni fluminis Nili com nuniter reputati* pervenirent, & contra illarum partium populos, nomine ipsorum Alfonsi Regis & Infantis per aliquos annos guerra habita extitit, & in illa quamplures inibi vicinæ insulæ debellatæ, ac pacificè possessæ fuerunt, prout adhuc cum adjacenti mari possidentur. Exindè quoque multi Ghinei & alii *Nigri* vi capti, quidam etiam non prohibitarum rerum permutatione seu alio legitimo contractu emptionis ad dicta sunt regna transmissi. Quorum inibi in copioso numero ad Catholicam fidem conversi extiterunt, speraturque divinâ favente clementia, quod si hujusmodi cum eis continentur progressus, vel populi ipsi ad fidem convertentur, vel saltem multorum ex eis animæ Christo lucrifient.

§. 4. Cum autem, sicut accepimus, licet Rex & Infans prædicti, qui cum tot tantisque periculis, laboribus & expensis, nec non perditione tot naturalium regnorum hujusmodi, quorum inibi quamplures perierunt, ipsorum naturalium dumtaxat freti auxilio, provincias illas perlustrari fecerunt, ac portus, insulas & maria hujusmodi, acquisiverunt & possederunt, ut præfertur, ut illorum veri domini; *timentes ne aliqui* cupiditate ducti, *ad partes illas navigarent*, & operis hujusmodi perfectionem, fructum & laudem sibi usurpare, vel saltem impedire cupientes, propterea seu lucri commodo aut malitiâ ferrum, arma, ignamina, aliasque res & bona ad infideles deferri prohibita portarent vel transmitterent, & ipsos infideles navigandi modum edocerent, propter quæ eis hostes fortiores ac duriores fierent, & hujusmodi prosecutio vel impediretur, vel forsan penitus cessaret, non absque offensa magna Dei, & ingenti totius Christianitatis opprobrio, ad obviandum præmissis, ac pro suorum juris & possessionis conservatione, sub certis tunc expressis gravissimis pœnis prohibuerint, & generaliter statuerint, quod *nullus, nisi cum suis nautis ac navibus, & certi tributi solutione, obtentaq; prius desuper expressâ ab eodem Rege vel Infante licentia, ad dictas provincias navigare, aut in earum portubus contractare, seu in mari piscari præsumeret*; tamen successu temporis evenire posset, quod aliorum regnorum seu nationum personæ invidiâ, malitiâ, aut cupiditate ducti contra prohibitionem prædictam absque licentia & tributi solutione hujusmodi ad dictas provincias accedere, in sic acquisitis provinciis, portubus & insulis, ac mari navigare, contractare, & piscari præsumerent, & exinde inter Alfonsum Regem ac Infantem, qui nullatenus se in iis sic deludi paterentur, & præsumentes prædictos, quamplura odia, rancores, dissensiones, guerræ & scandala in maximam Dei offensam, & animarum periculum verisimiliter subsequi possent & subsequerentur. Nos præmissa omnia & singula debita meditatione pensantes, & attendentes, quod cum olim præfato Alfonso Regi quoscumque Saracenos ac paganos, aliosque Christi inimicos ubicumque constitutos, ac regna, Ducatus, Principatus, Dominia, possessiones, & mobilia & immobilia bona quæcumque per eos detenta ac possessa invadendi, conquirendi, expugnandi, debellandi & subjugandi, *illorumque personas in perpetuam servitutem redigendi*, ac Regna, Ducatus, Comitatus, Principatus, Dominia, possessiones & bona sibi & successoribus suis applicandi, appropriandi, ac in suos successorumque usus & utilitatem convertendi, *aliis nostris literis* plenam & liberam inter cætera concessimus facultatem; dictæ facultatis obtentu idem Alfonsus Rex, seu ejus auctoritate prædictus Infans juste & legitimè insulas, terras, portus & maria hujusmodi acquisivit ac possedit, & possidet, illaque ad eundem Alfonsum Regem & ipsius successores de jure spectant & pertinent, neque quivis alius ex Christi fidelibus, absque ipsorum Alfonsi Regis & successorum suorum licentia speciali de illis se hactenus intromittere

ANNO 1454.

licitè

ANNO 1454.

licitè potuit, nec potest quoquo modo; ut ipse Alfonsus Rex ejusque successores & Infans eò sincerius huic tam piissimo ac præclaro, & omni ævo memoratu dignissimo operi, (in quo cum animarum salus, fidei augmentum, & illius hostium depressio procurentur, Dei ipsiusque fidei ac Reipublicæ universalis Ecclesiæ rem agi conspicimus,) insistere valeant & insistant, quos sublatis quibusvis dispendiis, amplioribus, seu per nos & sedem Apostolicam favoribus & gratiis munitos fore conspexerint; de præmissis omnibus & singulis plenissimè informati, *motu proprio*, non ab ipsorum Alfonsi Regis & Infantis vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, maturaque prius desuper deliberatione præhabita, auctoritate Apostolicâ, & ex certa scientia de Apostolicæ potestatis plenitudine; literas facultatis præfatas, (quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus haberi volumus pro insertis, cum omnibus vel singulis in eis contentis clausulis) ad Ceptensem & prædicta, & quæcunque alia, etiam ante datam dictarum facultatem literarum acquisita, & ea, quæ in posterum nomine dictorum Alfonsi Regis, suorumque successorum & Infantis in ipsis ac illis circumvicinis, & ulterioribus ac remotioribus partibus de infidelium seu paganorum manibus acquiri poterunt, provincias, insulas, portus & maria quæcumque, extendi, & illa sub ejusdem facultatis literis comprehendi, ipsarumque facultatis & præsentium literarum vigore, jam acquisita, & quæ in futurum acquiri contigerint, postquam acquisita fuerint; ad præfatum Regem & successores suos ac Infantem, ipsamque *conquestam, quam à capitibus de Barador & de Nam usque per totam Ghineam*, videlicet versus illam meridionalem plagam extendi, harum serie declaramus, etiam *ad ipsos Alfonsum Regem*, successores, suos ac Infantem, *& non ad aliquos alios spectasse* & pertinuisse, ac in perpetuum spectare & pertinere de jure; nec non Alfonsum Regem, & successores suos ac Infantem prædictos in illis & circa ea, quæcumque prohibitionis, statuta & mandata etiam pœnalia, & cum cujusvis tributi impositione facere, & de ipsis, ut de rebus propriis & aliis ipsorum dominiis disponere & ordinare potuisse, ac nunc & in futurum posse liberè & licitè tenore præsentium decernimus & declaramus. Ac pro potioris juris & cautelæ suffragio, jam acquisita, & quæ in posterum acquiri contigerit, provincias, insulas, portus, loca, & maria quæcumque, quotcumque & qualiacunque fuerint, ipsamque conquestam à capitibus *de Baradoch & de Nam* prædictis Alfonso Regi & successoribus suis Regibus dictorum regnorum ac Infanti præfatis perpetuò, donamus, concedimus & appropriamus per præsentes.

§. 5. Præterea cum ad perficiendum opus hujusmodi multipliciter sit opportunum, quod Alfonsus Rex & successores ac Infans prædicti, nec non personæ, quibus hoc duxerint, seu aliquis ipsorum duxerit committendum, illius dicto Joannis Regi, per felicis recordationis *Martinum V.* & alterius indultorum, etiam inclytæ memoriæ *Eduardo* eorundem Regnorum Regi, *ejusdem Alfonsi Regis genitori*, per piæ memoriæ *Eugenium IV.* Romanos Pontifices prædecessores nostros concessorum versus dictas partes cum quibusdam Saracenis & infidelibus, de quibuscumque rebus & bonis ac victualibus emptiones & venditiones, prout congruit, facere; nec non quoscumque contractus inire, transigere, pacisci, mercari, ac negotiari, & merces quascumque ad ipsorum Saracenorum & infidelium loca, dummodò ferramenta, lignamina, funes, naves, seu armaturarum genera non sint, deferre & ea dictis Saracenis & infidelibus vendere; omnia quoque alia & singula in præmissis, & circa ea opportuna vel necessaria facere, gerere vel exercere, ipsique Alfonsus Rex, successores, & Infans in jam acquisitis, & per eum acquirendis provinciis, insulis, ac locis quascumque Ecclesias, monasteria & alia pia loca fundare, ac fundari & construi nec non *quascumque voluntarias personas Ecclesiasticas*, seculares, quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares (de superiorum tamen suorum licentia) *ad illa transmittere*, ipsæque personæ inibi etiam, quæ advenerint, commorari, ac quorumcunque in dictis partibus existentium, vel accedentium confessiones audire, illisque auditis, in omnibus, præterquam sedi prædictæ reservatis casibus, debitam absolutionem impendere, ac pœnitentiam salutarem injungere, nec non Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant, liberè ac licitè decernimus; ipsique Alfonso & successoribus suis Regibus Portugalliæ, qui erunt in posterum & infanti præfato, concedimus & indulgemus, ac universos & singulos Christi fideles, Ecclesiasticos, seculares, & ordinum quorumcumque regulares, ubilibet per orbem constitutos, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Archiepiscopali, Episcopali, imperiali, regali, reginali, ducali, seu alia quacumque majori, ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate præfulgeant, *obsecramus* in Domino, & *per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, cujus, ut præmittitur, res agitur, exhortamur, eisque in remissionem suorum peccaminum injungimus, nec non hoc perpetuo prohibitionis edicto districtius inhibemus, ne ad acquisita, seu possessa nomine Alfonsi Regis, aut in conquista hujusmodi consistentia provincias, insulas, portus, maria, & loca quæcumque, seu aliàs ipsis Saracenis infidelibus vel paganis arma, ferrum, lignamina, aliaque à jure Saracenis deferri prohibita quoquo modo; vel etiam absque speciali ipsius Alfonsi Regis, & successorum suorum & Infantis licentia, merces, & alia à jure permissa deferre, aut per maria hujusmodi navigare, seu deferri, vel navigari facere, aut in illis piscari, seu de provinciis, Insulis, portubus, maribus & locis, seu aliquibus eorum, aut de conquista hujusmodi se intromittere, vel aliquid, per quod Alfonsus Rex & successores sui, & infans prædicti, quo minus acquisita & possessa pacificè possideant, ac conquistam hujusmodi prosequantur, & faciant per se vel alium seu alios, directè vel indirectè opere vel consilio facere aut impedire quoquo modo præsumant.

§. 6. Qui verò contrarium fecerit, ultra pœnas contra deferentes arma & alia prohibita Saracenis quibuscunque à Jure promulgatas, quos illos incurrere volumus ipso facto, si *personæ* fuerint *singulares*, *excommunicationis sententiam* incurrant; si *communitas* vel universitas, civitas, castri, villæ, seu loci, ipsa civitas, castrum, villa seu locus *interdicto subjaceat* eo ipso, nec contra facientes ipsi vel aliqui eorum ab excommunicationis sententia absolvantur, nec interdicti hujusmodi relationem Apostolicâ, seu aliâ quavis auctoritate obtinere possint, nisi ipsi Alfonso, & successoribus suis ac Infanti prius pro præmissis congruè satisfecerint, aut desuper amicabiliter concordaverint cum eisdem: Mandantes per Apostolica scripta venerabilibus fratribus nostris *Archiepiscopo Ulixbonensi, Silvensi, ac Ceptensi Episcopis*, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, quotiens pro parte Alfonsi Regis & illius successorum ac Infantis prædictorum, vel alicujus eorum desuper fuerint requisiti, vel aliquis ipsorum fuerit requisitus, *illos, quos excommuni-*

cationis

ANNO 1454.

cationis & interdicti sententias hujusmodi incurrisse constituit, tamdiu dominicis aliisque festivis diebus in Ecclesiis, dum inibi major populi multitudo convenerit ad divina, *excommunicatos & interdictos*, aliisque pœnis prædictis innodatos fuisse & esse auctoritate Apostolica declarent & *denuntient*, nec non ab aliis nuntiari & ab omnibus arctius evitari faciant, donec pro præmissis satisfecerint seu concordaverint, ut præfertur. Contradictores &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis dominicæ MCCCCLIV. VI. Id. Januarii. Pontificatus nostri Anno VIII.

ANNO 1455.

CALLIXTUS TERTIUS, PONTIFEX CCXIII.

ANNO DOMINI MCDLV.

CALLIXTUS Hispanus, prius Alfonsus Borgia Anno 1455. Nicolao V. successit. Hic primus Campanas pro Pace contra Turcas pulsari indulgentiis eô fine distributis, instituit. Immo totam Europam contrà illos excivit, sed nullo successu: Monitus à Turca: Christum nunquam imperasse, ut homines ad suscipiendam suam legem vi & armis adigerentur. Obiit Anno 1458. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 362. *App.*)

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 417.

Declaratio quod per obitum Alfonsi Aragonii Neapol. Regis, Regnum ad Romanam sedem devolutum: Anno 1458.

CALLIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

REgis æterni per cujus inscrutabilem providentiam Reges regnant, vices (quamvis immeriti) gerentes in terris, si de singulorum Christianorum regnorum Regiminibus, ut in spiritualibus salubriter regantur cogitare debeamus de illorum etiam regnorum, quæ ad Romanam Ecclesiam immediatè pertinent, & quæ per prædecessores nostros in sacri Petri sede sedentes in feudum interdum concessa fuerunt, cum concessio hujusmodi cessat, salubri nedum in eisdem spiritualibus, verum etiam in temporalibus gubernaculo cogitare nos convenit; ut Petri hæreditas nullo modo distrahatur, sed ad manus ejusdem Ecclesiæ omnium regnorum matris & dominæ reducatur, & personis, de quibus præsidentis in specula circumspectioni visum fuerit, prudentia ac matura deliberatione prævia regenda committatur, & subditi Regis pacifici quieta gubernatione lætentur.

Sanè cum *regnum Siciliæ citra Pharum*, quod de Patrimonio B. Petri existit, & quod olim per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros diversis Regibus & aliis dominis temporalibus successivè *in feudum* sub certis modis & formis, quos præsentibus haberi volumus pro expressis, *concessum extitit*, quodque nuper claræ memoriæ Alfonsus Rex Aragonum à Romana Ecclesia in feudum obtinebat, per obitum ejusdem Alfonsi Regis, qui sicut Domino placuit, debitum naturæ persolvit, infeudatione hujusmodi per ipsius obitum cessante, sit *ad eandem Ecclesiam* legitimè devolutum, atque in ipsum regnum quod ad nos pertinet, nemo se intromittere quoquomodo debeat sive possit.

ANNO 1458.

Nos cupientes singulos ipsius Regni regnicolas tanquam nobis, & nulli alteri immediate subditos per nostræ provisionis ministerium sub nostro felici regimine in pacis & quietis amœnitate gubernari, universis & singulis ipsius Regni Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiasticis Prælatis; nec non Ducibus, Marchionibus, Principibus, communitatibus, universitatibus, Baronibus, militibus civibus, regnicolis & habitatoribus quibuscumque tam Ecclesiasticis, secularibus & ordinum quorumcumque regularibus, quàm laicis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, conditionis & præeminentiæ existant, sub interminatione divini judicii, nec non anathematis, maledictionis æternæ, excommunicationis in singulos & interdicti in communitates, universitates, capitula, conventus, & Collegia pœnis, quas ex tunc prout ex nunc, in singulos contra facientes proferimus ipso facto; de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, ac potestatis plenitudine districtiùs inhibemus, ipsi aut eorum aliquis per se vel alium seu alios directè vel indirectè quovis quæsito ingenio vel colore, alicui præterquam nobis aliquod fidelitatis juramentum ratione civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum, locorum, aut feudorum, quæ in dicto Regno obtinent præstare præsumant seu præsumat.

Quod si fortè ipsi aut eorum *aliquis* hujusmodi *juramentum hactenus* præstiterint seu *præstiterit*, nos omnes & singulos, qui juramentum ipsum præstiterint, ut præfertur, *ab hujusmodi juramentis* & temeritate jurandi auctoritate Apostolica tenore præsentium *absolvimus*, ipsaque juramenta eis & eorum cuilibet relaxamus, ipsosque & quemlibet eorundem ad hujusmodi juramentorum observationem minimè teneri, dictumque regnum per obitum hujusmodi ad nos & Romanam Ecclesiam prædictam devolutum fuisse & esse, ac ad nos dictam Ecclesiam immediatè & nullum alium tum pertinere & de illo per alium quàm per nos ordinari seu disponi nullo modo potuisse sive posse, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus.

Si verò aliquis in ipso Regno vel ad illud jus habere prætenderit, aut super eo sua interesse quomodolibet putaverit, *nos ad justitiam cuilibet desuper ministrandam*, cum in ea singulis debitores simus, *offerimus nos paratos*. Est denique officium Pastorale nostrum sic utiliter providere, ne regnum ipsum tyrannide devastetur, aut vepribus laceretur, sive in prædam detur, ut oves gregis Dominici regni nostri illæsæ & integræ conserventur in pace & quietè vivendo; justitia enim & pax osculatæ sunt.

Præterea ne quis de præmissis ignorantiam prætendere possit, seu quomodolibet allegare, præsentes litteras in valvis Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis de Urbe, ad quam de diversis mundi partibus quam plurimi continuè confluunt, affigi publicè mandamus, ita ut minimè sit ambigendum, quin ad Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, Ducum, Marchionum, Principum, Comitum, Baronum, Communitatum, universitatum, militum, procerum, civium, regnicolarum, & habitatorum, aliorumque notitiam quantocius deveniant &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno M. CCCCLVIII. VI. Idus Julii, Pontificatus nostri Anno IV.

ANNO 1458.

PIUS SECUNDUS, PONTIFEX CCXIV.

ANNO DOMINI MCDLVIII.

Plus, antea dictus Æneas Sylvius Picolomineus Senensis, anno 1458. Pontifex electus est, ipse in Juventute suorum Operum auctor, idemque in Pontificatu censor; nam quum nonnulla scripserit tempore Constantiensis Concilii pro Concilii auctoritate supra Papam, ipse Pontifex retractavit, dicens: *Æneam rejicite, Pium* recipite: Obiit anno 1464. sedis sexto. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 365. *App.*)

I i
Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. I pag. 418.

Institutio novæ Militiæ in Turcas, cujus sedes debet esse in Insula Lemno: anno 1459.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Licet olim nonnullæ ex Christianis religionibus, quibus tanquam variis gemmis ornata Christi sponsa gloriabatur Ecclesia in pretio, ac magna fidelium devotione esse consueverint, tamen partim aliorum supervenientium ordinum origine, partim ipsa temporum diuturnitate, ac fidelium populorum diminutione, religiones ipsæ à veteri statu ita deflexerunt, ut quod maximè dolendum est, vix in quibusdam ex eis tot personæ quot loca valeant reperiri, ipsæque jam Religiones sine ullo propè fructu nomen dumtaxat suæ fundationis nuncupationisque obtineant: ex quo animum nostrum non indignè subiit meditatio, indecens esse eos in Ecclesia tolerari, qui talentum sibi creditum in terra abscondentes, si non plura, unum aliud tamen Domino in lucrum non noverint cumulare. Itaque in hac nostra, quæ animum nostrum dies noctesque angit vehementi cura, principes & populos Christianos in unum congregandi locum, ubi resistendi impiis Christiani nominis hostibus Turcis, vel potius eos, dante Domino, exterminandi, fiant apparatus necessarii; id etiam cogitamus, non parvo futurum Christianorum provinciis adjumento, si ad Hellesponti sive ut dicunt stricti Callipolitani fauces per quas infidelibus in Christianorum Ægæi pelagi Insulas, & maritimas regiones navigio est discursus, præsidium imponetur, de quo transitus illis impeditior difficiliorque reddatur; cum tamen nostri eo ex loco invadendi illos facultatem maximam sint habituri: habitaque cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consultatione, novam Religionem unam in Lemno & aliis Insulis instituere decrevimus, quæ sicut Rhodiensium quingentis inde semota milliaribus à Mauris & pariter à Turcis in amplum mare discurrentibus Christianos protegit, ita portum Turcas ad ipsam navigaturos maris amplitudinem impediat, & detineat, & ipsos in Callipolitano canali dies noctesque infestet. Cum tamen interea non parum esse videatur eandem Lemnum aliasque Insulas Christianis frequentatam habitatoribus, ita omni studio & animi ardore à Turcis defensare, sicut illius habitatores se se dilecto filio Ludovico Cardinali Aquileiensi Camerario nostro, sedis Apostolicæ Legato, postquam recepti per arma fuerunt, fidelissimos exhibuerunt, pro hujusque nostri propositi consummatione ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & gloriosissimi filii sui unigeniti, Genitricis Mariæ, nova hæc militaris religio ipsius B. Mariæ Bethlemitanæ vocabulo appellabitur, hospitale sicut & Rhodiense, Lemni Insulæ habitura. Pro fundamento autem, ac substantia dictæ religionis novæ, alias religiones sive militias, ac hospitalia infra scripta, videlicet S. Lazari ubilibet consistentia S. Mariæ de Castello Britonum de Bononia, ac S. sepulchri, nec non S. Spiritus in Saxia de urbe, & omnia ab eo dependentia, aut illius habitum seu crucem duplicem deferentia, & beatæ Mariæ cruciferorum, nec non hospitale S. Jacobi de altopassu Lucanæ diœcesis, cum eorum domibus, prioratibus, hospitalibus, & membris quocumque nomine censeantur præfatæ novæ religioni, de consilio, auctoritate & potestate prædictis tenore præsentium dedicamus, applicamus, appropriamus, & annectimus, & incorporamus, nec priores ordines, & nomina religionum ipsarum, ac priorales, & alias dignitates in eisdem omnino supprimimus, extinguimus, illaque de cætero ejusdem Religionis militaris, ac hospitalis B. Mariæ Bethlemitanæ, nuncupari, esse, censeri, ac appellari volumus. Hujus autem Religionis erunt fratres, ac milites etiam Sacerdotes, sicut & in Rhodiensi prædicta, quorum ac dicti hospitalis B. Mariæ Bethlemitanæ caput erit Magister, ab eisdem fratribus pariformiter eligendus. Pro habitu quoque regulari deferent crucem rubeam in campo Albo, ac in cæteris omnibus omnino parem fratribus Rhodiensibus &c. Plura alia decernit ad novum equestrem ordinem constituendum, pluribusque privilegiis eum exornat.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. XV. Kal. Februarii Pontificatus nostri anno.

ANNO 1459.

I i
Ex Archiv. Reip. Genev.

Ad Vasallos Ecclesiæ Genevensis, qua illis recipiendus Episcopus, J. L. Sabaudus: an. 1459.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Vasallis Ecclesiæ Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hodie dilectum filium Johannem Ludovicum de Sabaudia Electum Gebennensem, Ecclesiæ Gebennensis tunc certo modo pastoris solatio destitutæ, de fratrum nostrorum consilio, in spiritualibus & temporalibus perpetuum administratorem, donec & quousque vicesimum septimum suæ ætatis annum attingeret, fecimus, constituimus & etiam deputavimus, & ex tunc quamprimum dictum vicesimum septimum annum attingeret, de dicti Johannis Ludovici persona eidem Gebennensi Ecclesiæ de eorumdem fratrum consilio dicta auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & pastorem, curam regimen & administrationem ejusdem Ecclesiæ sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Electum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devotè suscipientes & debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam, nec non consueta servitia & jura sibi à vobis debita exhibere integrè studeatis. Alioquin sententiam sive pœnam quam idem Electus rite tulerit in rebelles

ANNO 1459.

ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo quinquagesimo nono, octavo Id. Februarii, Pontificatus nostri anno II.

Crusiliati.

III. Ex ibid.

Ad Populum Urbis & Diœcesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus I. L. Sabaudus: anno 1459.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Civitatis & Diœcesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie dilectum filium Johannem Ludovicum de Sabaudia Electum Gebennensem Ecclesiæ Gebennensis tunc certo modo Pastoris solatio destitutæ, de fratrum nostrorum consilio, in spiritualibus & temporalibus perpetuum administratorem, donec & quousque vicesimum suæ ætatis annum attingeret, fecimus, constituimus & etiam deputavimus & ex tunc quamprimum dictum vicesimum septimum annum attingeret, de dicti Johannis Ludovici persona eidem Gebennensi Ecclesiæ de eorundem fratrum consilio dicta auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam, regimen & administrationem ejusdem Ecclesiæ sibi in Spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis mandantes quatinus eundem Electum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens Patrem inveniisse benivolum gaudeatis.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, octavo Id. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Crusiliati.

IV. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæi Tom. 5. pag. 649.

Littera Apostolica Pontificis pro tollenda pragmaticâ Sanctione, cum Responso Ludovici Francorum Regis: anno 1460.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo filio Ludovico Regi Franciæ, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ACcepimus ex litteris Venerabilis Fratris nostri Joannis Episcopi Atrebatensis quanta cum charitate complexus sis, & quàm pium erga nos, & Romanam Ecclesiam geras affectum, & quam ad tollendum è Regno tuo constitutionem illam quæ Pragmatica dicta est, volenti & & erecto sis animo.

Laudamus Deum & suæ Majestati benedicimus, qui talem tibi mentem dedit: Nam quid aliud dicere possumus, nisi quod Dei beneficio ex maximis periculis liberatus es, & in hæc tempora reservatus ut esses qui susceptо Regno paterno sublatis erroribus libertatem S. Romanæ Ecclesiæ instaurares atque restitueres, & Majorum tuorum æquatâ gloriâ Christiano nomini quietem fundares.

Benedictus Dominus qui tuæ personæ custos fuit, & spiritum tuum erexit ut cogitares quæ pia & omni laude digna sunt.

Sic Magnus Constantinus, sic duo Theodosii, sic Carolus Magnus & plures ex tuis progenitoribus immortale nomen & inextinguibilem consecuti sunt gloriam, quia Romanam Ecclesiam matrem suam debito sunt honore prosecuti, quorum te vestigiis inhærentem & diligimus totis præcordiis & laudamus, & omnis te posteritas laudabit & celebrabit.

Illud autem inter cætera commendamus, & quod absque Conventu & Consultatione multorum Pragmaticam auferri constituisti, quemadmodum idem Episcopus nobis significavit.

Sapis certè & Regem te magnum ostendis, qui non regaris, sed regas.

Optimus enim Princeps est qui per se recta cognoscit & operatur, qualem te esse confidimus.

Nec scriptura quæ ait, *ubi multa consilia, ibi salus, multorum multitudinem requirit, sed consiliorum maturitatem & digestionem, quæ res in paucis magis quàm in multis reperiuntur.*

Neque enim, aut honestas, aut justitia multitudini facilè suadetur, quæ variis fluctibus agitata ad prona frequenter inclinat; confusioni subdita est consulentium multitudo, neque bene se res habet, ubi suffragia numerantur non ponderantur.

Sæpè enim fit ut major pars meliorem vincat.

Facis quæ te decent, qui sciens Pragmaticam esse absque Deo, eam de Regno tuo eliminare decrevisti; nec vis in disceptationem ducere an fieri debeant, quæ tu ipse facienda novisti.

Hoc est Regem esse, & bonum Regem, & quem boni ament, mali timeant: Nam qui per alios reguntur, nec per se intelligunt quæ sunt agenda, contemtui sunt.

Probamus igitur & commendamus admodum quæ de tua deliberatione circa Pragmaticam Episcopus Atrebatensis scribit, hortamurque ut quæ proposuisti in animo, cito affectu facias, neque cum possis hodie benè facere, cras faciam, dicas.

Hilarem datorem diligit Deus; quæ justa & honesta sunt, nolunt moras.

Fac tuam sapientiam sicut nos cognoscimus, ita & mundus omnis quamprimum cognoscat, neque aliquis dicere possit, diu noluit, quia diu deliberavit.

Quod si *Prælati* tui & *Universitas aliquid ex nobis desiderent, te mediatore ad nos recurrant.*

Nam si quis unquam Pontifex fuit Gallicæ Nationi affectus, ut multi fuerunt, nos certè inter primos reperiemur, qui nomen & Gentem hujusmodi honoremus & diligamus, nec unquam postulatis honestis adversabimur, scimusque dignum esse ut Fratribus nostris Episcopis in multis deferamus, eosque honoremus pariterque viris doctis, & qui docti esse cupiunt, in universitatibus litterarum studia sectantibus, subveniendum esse non ignoramus.

Ab his enim Catholica fides defenditur & doctrinæ lumen propagatur.

Age igitur, perfice, quod in animo geris, & confide nos tibi & Regno tuo animo concessuros, quæ ratio & honestas suadebit.

Cæterum quia Regina Cypri, ad nos ex Regno suo dejecta & ex terris profecta est, & ad tuam credimus Serenitatem proficiscetur, consilium & auxilium petens, nam Regnum ejus Soldani Egyptii gente occupatum est.

Et quia sicut accepimus, Mahometes Turcorum Dominus Greopin & Trapesuntem & multas alias in Asia Civitates, ac Provincias de novo sibi subjecit, & in Europam victor ac tumens eo proposito revertitur; ut Christianitatem proterat & conculcet, Serenitatem tuam

ANNO 1460.

rogamus

ANNO 1460. rogamus & flentes petimus, ut respicias in quo statu est Catholica fides, quomodo ex uno latere Turci, ex alio Saraceni urgent.

Pone ante oculos lamentabiles Christianorum voces, qui per Asiam & Græciam in medio Nationis perversæ constituti miserabilibus modis affligantur.

Cogita in quo loco est sacrum Domino sepulchrum, quod inspicere absque Mahometorum voluntate non possumus, &c.

Datum Romæ die 26. Octob. Anno 1461. Pontificatus nostri Anno 4.

RESPONSIO REGIS.

LUDOVICUS Dei Gratia FRANCORUM REX.

Tibi sanctissimo & Beatissimo Patri nostro PIO Papæ II. Obedientiam Filialem, & plenos devotionis affectus.

DEUM solum scientes esse cujus providentia benè consulitur rebus humanis, meliusque regna & urbes religione cingi atque defendi quàm armis & membris: Te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut sacra præsertim in Ecclesiasticis rebus tua monita veluti vocem Pastoris audire, illisque parere promptâ mente velimus.

Quapropter Beatissime Pater, etsi Constitutio quædam in Regno nostro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum Conventu, magna temporis deliberatione concluſa fuerit, & jam callum obducta quietum propè fixerit statum, tu tamen tuis ad nos litteris illam à Regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas.

Nobis quoque dilectus ac fidelis Consiliarius noster Joannes Episcopus Atrebatensis, quem cum potestate Legati de latere ad hoc nostrum Regnum misisti, commemoravit ea ad quæ per ipsum tibi nostro nomine pollicenda, vovenda & promittenda, nos antequàm Regnum suscepissemus Religionis instinctus quidam deduxerat: Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum Ecclesiasticarum tuâ auctoritate studemus ac volumus.

Et id quidem tantò volumus animo propensiori, quantò nobis Regnum Franciæ florens & bello vacuum tuetur Deus & protegit. Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes assensi sumus his quæ tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet Pragmaticam Sanctionem tibi tuæque sedi esse infensam, ut pote quæ in seditione & schismatis tempore, atque per seditionem sectionisque à tua sede figuram nata sit, & quæ dum tibi à quo sacræ Leges oriuntur & manant, quantumlibet eripit auctoritatem, omne jus & omnem legem dissolvit.

Illud enim exoritur quod idem Consiliarius noster nomine tuæ sanctitatis astruxit, ut dum per Pragmaticum ipsam summæ in Ecclesia tuæ sedis auctoritas minuitur, dum Prælatis in Regno nostro quoddam scientiæ Templum per illum perstruitur, dum congruens unitas ad alia Regna conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica pellendaque à Regno nostro.

Quippe quæ adversus tuam sedem omnium Ecclesiarum matrem ab inferioribus Prælatis lata sit, tanquam ut scriptura loquitur: Quomodo si elevetur virga contra levantem se, aut baculus qui utique lignum est; quæ quidem Beatissime Pater! licet pleriqne docti homines confutare niterentur atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam; te tamen principem totius Ecclesiæ, te antistitem sacrorum; te dominici Gregis Pastorem profitemur & scimus, teque jubentem sequimur. Tibi & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus & jungimur. Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à nostro Regno, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostrâ per præsentes pellimus, dejicimus, penitusque stirpitusque abrogamus.

ANNO 1460.

Et quam qualemve ante Pragmaticæ ipsius editionem, circa Ecclesiarum, Beneficiorum, aliarumque rerum Spiritualium dispositionem censuram, moderationem in Regno nostro, omnique ditione nostra, tui Prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant & exercebant, talem eandemque nostro adjutori Beatissimo Petro, tibique ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus cum summo Imperio, cum Judicio libero, cum potestate non coarctata.

Tu enim cum scias quid auctoritate divinitùs tibi tradita possis, quas pro Regni nostri & Ecclesiarum in eo tranquillitate postulabimus, non negliges res necessarias, poterisque semper quod optimum fuit, judicare. Utere igitur deinceps in Regno nostro potestate tuâ, ut voles, atque illam exerce: nam ut hominum membra nulla contentione capite uno atque unâ mente ducuntur, sic tuis sacris decretis Ecclesiæ Prælati in Regno nostro & Delphinatu consonantiam & obedientiam plenam refundent. Quod si forte obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in verbo Regio pollicemur tuæ Beatitudini atque promittimus exequi facere tua mandata, omnium appellationum, aut appellationis obstaculo prorsus excluso, eosque qui tibi contumaces fuerint, pro tuo jussu, comprimemus & refrenabimus.

Datum Turonis sub magno sigillo nostro die 27. Mensis Novemb. an. 1461. & Regni nostri anno I. Sic signata per Regem in suo Consilio Veroni Solloit.

Fridericum Imperatorem declarat Ducem Generalem Exercitus Christiani contra Turcas: anno 1460.

V. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. I. Pag. 241.

PIUS PAPA II.

Frederico Romanorum Imperatori.

BElIo jam contra Turcas indicto, & peracta Mantuana dieta, in qua octavum mensem propemodum agimus, & rebus etiam ita compositis, ut juvante divina Clementia expectari communis salutis secundus exitus possit: de Duce ad tantum bellum præficiendo a modo est cogitandum: hæc enim una est res, in qua apparatuum nostrorum pars maxima consistat, & quæ non solum ad perterrendos hostes, sed nostros confirmandos plurimum spectet; virtute siquidem Ducis & benè præparata successum felicem inveniunt, & quæ dura conditio rerum difficilia exhibet, converti in melius solent.

§. 2. Hæc igitur cogitatione nostra volventes meditantesque, quinam potissimum propter dignitatem & excellentiam suam eligi ad talem provinciam posset, tu nobis, charissime Fili primus occurristi, non solum *cui tantum munus ex Imperiali officio debitum censeatur, sed cui omnes gentes parere & subesse non dedignentur.* Accedit ad hoc zelus & charitas tua singularis ad hoc sanctissimum opus, accedit auctoritas, & bellicis in rebus doctrina. Illa quoque non desunt, quæ in præsenti Duce laudari consueverunt, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: in tractandis insuper animis hominum gratissima lenitas, omnibusque in rebus singularis modestia.

ANNO 1460.

§. 3. Et si igitur *Cæsareæ dignitas ex debito tibi hoc imponit*, nihilominus ut noſtrum & ſanctæ ſedis auctoritatem tecum tanta in re deferas, ſperantes in eo, à quo nitor eſt belli, & qui pro juſtitia certantibus exploratam victoriam repromittit, quod tua celſitudo, quæ non ad effundendum, ſed ad conſervandum ſanguinem Chriſtianum, non ad humanas, ſed ad Salvatoris noſtri ulciſcendas injurias eſt profectura, concupitum exitum dabit; de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, te contra Turcorum impiam gentem aliosque infideles legis noſtræ hoſtes, illisque adhærentes, & complices *Ducem* ac *Capitaneum generalem* tenore præſentium facimus ac declaramus. ſerenitati tuæ generales & particulares exercitus in auxilium defenſionemque Chriſtianorum *per nos & quoscumque Reges, Potentatus* & Principes, equeſtres pedeſtresque undequaque, quomodocunque & quandocunque mittendos, ſeu etiam ab omnibus provinciis, & regionibus per ſe confluentes durante hâc ſanctâ expeditione generali, gubernandi atque ducendi ipſius bellum toto conatu contra eosdem Turcos illosque infideles gerendi, nec non ſi forte (quod abſit) tu ipſe perſonaliter promiſſa implere, & ad ſanctam hanc expeditionem proficiſci non poſſes, hæc ipſa nihilominus, per alium Vice-Capitaneum, quem virtute & factis inſignem ex Principibus nationis Germanicæ duxeris eligendum, nomine tuo, ſicut ſi præſens adeſſes, gerendi atque exequendi, omnia denique alia & ſingula in dicti belli adminiſtratione jubendi atque curandi, quæ ad complementum injuncti tibi operis neceſſaria quomodolibet videbuntur & optima, facultatem plenariam ac poteſtatem in nomine Altiſſimi concedentes, hortantesque in Domino tuam Serenitatem, & per ſalutem Chriſtiani populi, cujus tu unà nobiscum Deo es debitor, toto corde obteſtantes ut præclarum hoc opus celſo animo amplectens, talem te geras in obſequium Chriſti, ut quæ de te Apoſtolica ſedes expectat, quæ deſideria Chriſtianorum omnium flagitant, quæ honori tuo imperioque conveniunt, ex demandatis tibi laboribus cum gloria ſempiterna & pia fidelium exultatione proveniant.

Datum Mantuæ XII. Januarii anno II.

VI. Ex Goldaſtus Monarchia Tom. 2. pag. 1576.

Narratio Geſtorum Sigismundi Auſtriæ Ducis contra Cardinalem de Cuſa: mox ſequitur citatio ejusdem: anno 1460.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus ad quos hæ literæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

JUſtiſſima quamvis judicia, & honeſtiſſima ſint quævis Apoſtolicæ ſedis decreta, & opera ejus mortalis arguere nemo poteſt, quia tamen multi reperiuntur iniquæ mentis homines, qui erecto ſupercilio tollere os in cœlum non verentur, & gradiente lingua eorum ſuper terram in Chriſti vicarium jactantes opprobria, facta ejus damnare ſæpe numero audent, & nitidam veritatis faciem, confictis mendaciorum tenebris obnubilare conantur, operæ precium eſſe cenſemus, quæ per hos dies adverſus Sigismundum ex Principibus Auſtriæ, ſua contumacia, & iniquitate requirente, per nos, & ſacrum Collegium noſtrum, ſtatuta, ordinata, & judicata ſunt, ad notitiam veſtram his ſcriptis perducere, nè fama velox præcurrens, falſa pro veris perſuadere, & ſuo more aut addens geſtis, aut adimens fallere poſſit. Rem igitur ſicuti geſta eſt ante oculos veſtræ mentis ponemus, vos benevolas aures adhibere & boni conſulentes matris veſtræ & omnium fidelium noſtræ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, primæque ſedis digna, & ſolita reverentia, decretum ſententiamque ſuſcipite. Eccleſia Brixinenſis, quæ olim Sabienſis, & aliquando Brixinenſis eſt appellata, in Alpibus ſita eſt, quæ Germaniam ab Italia ſejungunt, admodum inſignis; ſiquidem Romanorum Pontificum privilegiis quamplurimis honeſtate & Imperatorum largitate donata, non ſolùm prædia ſed arces, & oppida munitiſſima poſſidet, & ipſius Brixinenſis urbis civile Dominium habet. Diœceſis ejus ad Enum fluvium protenditur, qui Danubio in Bavaria apud Paſſaviam miſcetur, & in Atheſim reſpicit, qui Tridentum, Veronamque præterfluens inſignes urbes in Adriaticum exoneratur pelagus. Epiſcopus ejus inter Principes Imperii collocatur, & ab Imperatore abſque medio in feudum recipit principatum, ac regalia. In Eccleſiaſticis negotiis Eccleſiæ Saltzburgenſis ſuffraganeus eſt, & metropolitico jure illi ſubjectus. Advocatus ejus in temporalibus cauſis ſi quid adverſi patiatur, Comes Tyrolis ab Imperatoribus conſtitutus eſt, qui tueatur Eccleſiam, non qui impugnet: ob eam rem non parum utilitatis quotannis accipiens. Nàm feuda opulenta, & ampliſſima ab ipſa Brixinenſi Eccleſia noſcitur obtinere. Principium autem advocationis in Comite Alberto fuit, qui primò per Conradum ipſius Eccleſiæ Pontificem, non ſine pluribus conditionibus aſſumptus, & de ipſa advocatia, quæ feudum eſt Eccleſiæ inveſtitus, ab Imperatore confirmationem obtinuit. Vacante autem hac Eccleſia, ſedente Nicolao V. Prædeceſſore noſtro, Nicolaus ipſe de Fratrum conſilio dilectum filium noſtrum Nicolaum tituli S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, in Epiſcopum, & Paſtorem præfecit. Qui etſi diù contradicente, & reluctante Sigismundo, poſſeſſionem tamen pacificam, & quietam Eccleſiæ ſuæ denique conſtitutus eſt, & utiliter plebi per plures annos prædicando, monendo, hortando, & pontificale officium exercendo præfuit. Sed cum ſedente Calixto III. qui noſter fuit immediatus Prædeceſſor, Cardinalis ipſe atque Epiſcopus Brixienſis more boni patris-familias, & diligentis, atque attenti Prælati, pia loca reformans, & jura Eccleſiæ ſuæ exactè perquirens, inveniſſet Sigismundum emendationi Monaſterii in Sonnenberg ex eo adverſum, quod nihil ſine ejus aſſenſu fiendum præſumeret, ac eum Tyrolenſem Comitem pleraque magni momenti feuda ab Eccleſia ſua obtinere, quæ minimè ut moris eſt recognoviſſet, hortareturque ſpiritualem jurisdictionem nè perturbaret, & novam reciperet inveſtituram, jusque jurandum præſtaret, mox diſſenſiones ortæ ſunt, & ipſius Sigismundi grande odium adverſus Cardinalem excitatur. Propter quod, cùm ſtatuiſſet Cardinalis, ut fidelis archimandrita, ſuas oves diligentius reſpicere, & à noxiis itineribus retrahere, cunctosque malos mores eradicare, & plantare bonos, eliminare vitia, & ſeminare virtutes, ſurrexiſſentque propterea maligni quidam homines, tàm Clerici, quàm Laici, quibus amara erant præcepta juſtitiæ, & adverſus ſalutiferam Cardinalis reformationem contumaciæ, & rebel-

ANNO 1460. lionis cornua erigerent, cepit Sigismundus malignantium patrocinium. Et quamvis esset ipse quoque ex ovibus, Cardinali tanquàm Episcopo Brixinensi commissis, in pastorem tamen, & patrem, ac magistrum animæ suæ sese extollere non expavit, sed omni studio, atque conatu adorsus est, ne salutifera morum reformatio, aut in Clero aut in Populo Brixinensi locum haberet, adeòque bonis actibus ipsius Cardinalis obicem se præbuit, ut monialium quoque, quarum suprà meminimus, dissolutè, & turpissimè viventium, ne recludi, reformarique possent, protectionem, & tutelam adversus Cardinalem acceperit, adeòque ab honestate procùl abiit, ut Cardinalem ipsum neque in sua Diœcesi, neque in civitate tutum esse, aut pontificale munus exercere posse permitteret, introductis, & persuasis sicariis, qui vitæ ejus insidiarentur. Quod cum Calixtus antedictus accepisset, mox literas monitorii adversus Sigismundum decrevit, præcipiens ei, ne Cardinalem in Ecclesia sua, in qua Pontificio fungeretur ab executione sui officii quoquo pacto deterreret, eumve suum munus exercentem impediret. Si secùs ageret, anathema asset, pœnas læsæ Majestatis incurreret, & omni territorio suo sacrum interdictum ipso facto intelligeret. Obaudivit Sigismundus Pontificis maximi vocem, atque contempsit, & interposita quâdam appellatione, malo deceptus consilio à Romano Throno (quod nulli permissum est) contra jus fasque provocavit, & in rebellioue perseverans novis dictum contumeliis Cardinalem affecit. Crevere supra modum Sigismundi odia adversus Cardinalem, nec poterat ei quicquam pacificè loqui. Ob quas res cum tuto sibi esse in Ecclesia sua non posse Cardinalis animadverteret, ad nos confugit. Per idem tempus jam propemodum accincti eramus recedere, Mantuanum conventum petituri, quem pro tuitione Fidei adversùs Turcos indixeramus. Eum igitur ab Ecclesiâ suâ quemadmodum profugum cepimus benignè, & pro tempore consolati, legatum de latere, qui vicem nostram in Urbe Romanâ, & circumjacenti regione impleret, consulentibus fratribus, & cohortantibus reliquimus; ipsi Mantuam pro communi salute cum Romanâ curiâ petimus. Ubi cum aliquibus mensibus commorati essemus, & Sigismundum ad nos venientem intellexissemus, ut componere inter eos concordiam, & tam atroces inimicitias amputare possemus, Cardinalem accessimus, quo veniente, & Sigismundo præsente, pluribus diebus modo per Cardinales, & alias interpositas etiam illustrium personas Principum, modo per nos ipsos reconciliare alterum alteri conati sumus, atque huic pacis negotio summo nisu operam dedimus; sed nihil profecimus, in cassum abiere studia nostra, irriti omnes labores fuerunt; quamvis Cardinalis judicio nostro se submittens, & arbitros non suspectos accepturum se dicens viam juris nunquam recusaverit, aut refugerit. Abiit ex Mantua Sigismundus in Patriam suam infecta pace, minarum plenus & iræ, & cum paulo pòst, nos quoque translato conventu domum repetere statuissemus, Cardinalis ex permisso nostro ad Diœcesim suam se transtulit, asserentibus amicis adhuc pacem inveniri posse, nec Brixinam petiit: nihil enim tutum ibi esse sciebat, sed in arcem quandam sui Episcopatus munitissimam se recepit. Ubi cum aliquandiù consedisset, hortantibus nonnullis non parvæ auctoritatis viris, qui se partibus ambabus amicos ostendebant, & nihil periculi, nihil insidiarum timendum esse dicentibus, ad Brunekam se contulit, quod & ipsius Ecclesiæ Brixinensis non parvi momenti oppidum, literis maximè fretus, quibus idem Sigismundus suo signo obsignatis, bona fide promittit, Ecclesiam Brixinensem, & Cardinalem quoad vixerit se protecturum, ad quem locum misit mox Sigismundus unum ex Consilio suo nobilem virum inter aulicos suos primarium; qui Cardinalem in suam traheret voluntatem sed is multa cum Cardinale prolocutus, cum nihil posset ei injustum suadere, quia Ecclesiæ suæ jura nollet projicere, concordia tamen in omnibus reperta est, unico excepto articulo, qui regalia concernebat, & cum eo aliter conveniri non posset, de suspensione temporali actum est. In qua cum Orator biennales admissurus esset, pendente adhuc tractatu, & Oratore non à Brunegka digresso, Sigismundus non tam concordiam ut opere comprobavit, quàm confusionem Cardinalis, & furoris sui cursum quærens turgidus, & nimium tumens non iracundiam cohibere, non se ullo pacto vincere potuit, cessit audaciæ, succubuit temeritati, rancori, atque odio paruit, jussit accersiri milites, exercitum congregari, belli machinam apparari, quibus expeditis, misso caduceatore, qui bellum Cardinali indiceret, quamvis esset major, & sacra hebdomada, & tempus pœnitentiæ datum, copias eduxit, & iter faciens ipsa die Paschæ ante Brunegkam armatas militum acies collocavit, machinas admovit, insultum fecit, oppidum cepit. Non moratus arcem quoque summa vi oppugnare aggressus est, in qua cum familia Cardinalis sese receperat. Pugnatum est aliquandiù non parva contentione, sed cum persuasum esset Cardinali, arcem diù defendi non posse, & pereundum omnibus esse, nisi se dederint intervenientibus mediatoribus, certis conditionibus concluса est pax: in quibus erat comminatum, quod vel arx, vel Cardinalis in potestatem Sigismundi venirent: & nihilominùs cum jussisset pacem, & securitatem publicari, claves arcis extorquens, & munitionem, ac Cardinalem arctissima custodia servari jussit, sicque per aliquot dies cum summo probro, & ignominia, & omni contumeliarum genere, Cardinalis in potestate Sigismundi retentus est, nec libertatem obtinere potuit, nisi remissis injuriis, Castro quodam Ecclesiæ, tradito magno auri pondere soluto, restituto creditorum Chirographo, compluribus aliis extortis conditionibus, præter eas, quibus pax antea fuerat publicata, omnibus denique Ecclesiæ juribus, & privilegiis ereptis. Neque his contentus, sed iniquitatem iniquitati congeminans, cum Sacerdotes ob piaculum commissum juri parentes, à sacris abstinerent, non veritus est necem Cardinali denunciare, nisi ad prophanationem sacrorum illos compelleret. Temerarius, atque infelix, qui talia gerens, nihilominus ejus Ecclesiæ protectorem se jactat, cujus est eversor inventus, quæ singula cum nobis ex ordine renunciata essent, mirum in modum horruimus, congelatum est illico pectus, & in stuporem fumus conversi, nec satis detestari, aut abominari facinus tàm horribile poteramus, in Sacerdotem, in pastorem, in Episcopum suum, in Cardinalem Ecclesiæ Romanæ, in fratrem nostrum, in excellens Apostolicæ sedis membrum violentas manus Sigismundi temeritas non exhorruit. & quo tempore anni patrata sunt, nempe in die Paschæ, in die illa maxima, & sanctissima,

ANNO 1460.

ANNO 1460.

in die, qua Victor mortis & inferni triumphator Dominus resurrexit, in die qua Christiani singuli, redemptori gratias agunt, & expurgato veteri fermento, sacratissimo Christi corpori, & sanguini communicant, in qua die nemo tàm sceleratus est, tàm impius, tàm immanis, si modo Christianus est, qui non Sacerdotibus sese subjiciat, eosque summis prosequatur honoribus. Sed qua die suarum rectoribus animarum cæteri præcipuè student, ea die Sacerdotem suum Sigismundus invasit, cepit, in carcerem conjecit, inhonestavit, sprevit, turpiter habuit. Fuimus diu anxii, & admodum dubii his cognitis, nec satis tenebamus quid esset agendum, quamvis non dubius rumor, sed certissimus nuncius perpetrati sceleris ad nos perveniisset.

Nam hujus atrocissimi sceleris notorium factum, ad exigendum ultionem, pœnamque invitabat: Inde vetus benevolentia, quâ quondam Sigismundo conjuncti fuimus ad clementiam, & misericordiam provocabat. Nos enim cum in minoribus ageremus, apud Fridericum Romanum Imperatorem tunc Dominum, nunc Filium charissimum diù conversati fuimus, ac consiliariatus munere honestati, multisque gratiis, & favoribus cumulati, plurimos annos in ejus curiâ, atque familiâ mansimus, nec unquam indignatum, aut nubilosum erga nos ipsius Imperatoris vultum invenimus, semper læta, semper blanda nobis ejus facies fuit, semper benigna & affecta mens, & nostri honoris percupida. Sigismundus, cum primò Imperatorem adivimus, puer bonæ admodum indolis erat, & sub tutela patruelis sui degens, modestis imbutus moribus, amorem in se omninò alliciebat. Alloquebatur nos sæpè blando sermone, quærebat nostras epistolas, & legebat, ut qui tàm benè vivendi cupidus, & literarum cultor, & nostri amans videbatur dimissus extrà tutelam, & in adolescentia sua, ad regendam Patris provinciam profectus, sæpè ad nos literas dedit, & nostras accepit, sæpè sua negotia apud Imperatorem juvimus, cum eo nonnumquam domi suæ fuimus, neque sinè honore, & singulari gratia ab eo recessimus. Et cum gesta ejus in Cardinalem nondum cognita nobis essent, ad conventum usque Mantuanum, continuata est ut antèà, semper caritas nostra; ad quem Sigismundus ipse splendidum, & magnificum duxit comitatum, ut qui gratias nobis referre statuerat, pro pace Suitentium, bellicosarum, & fortissimarum gentium, quos sibi missis legatis, apud Constantiam reconciliavimus. Vertebantur hæc omnia in mente nostra, & tanquam recenter gesta essent, ante cordis oculos volvebantur.

Suadebant Imperatoris infinita ergà nos beneficia, ut patrueli, & sanguini suo ignosceremus, exposcebat ipsius Sigismundi, quâ nos longo tempore complexus est, ingens benevolentia, ut hanc sibi culpam condonaremus. Urgebant inclytæ domus Austriæ, quæ hunc Sigismundum genuit, ingentia in nos, & diù continuata merita, ut sublimi, & alto sanguini veniam largiremur. Instare & Albertus videbatur, alter Sigismundi Patruelis, & ipse Dux Austriæ, atque Imperatoris Germanus, & cum eo pariter illustris memoriæ Ladislai Ungariæ, & Bohemiæ Regis, paulò ante vita defuncti, proximi ejus consanguinei petere vehementer, ac rogare per veterem amicitiam (ambo enim aliquando nos dilexerunt, & verbis & factis ornarunt) ne suam ex familia vindictam exigeremus, occurrebant infinitæ Regum, & magnorum Principum facies, qui Austriacæ domui conjuncti sanguine hanc nobis prosapiam summis precibus commendaturi offerebant.

Sed cum hæc jam penè victi consentientes animo volvimus, & ad veniam tracti jamjam misericordiæ justitiam cedere mandaturi fuimus, excitata in adversum conscientia nostra, & miris calefacta modis: Quid tu (inquit) Pie Pontifex agis? An ignoras quem tenes locum, quam geris personam? Non tu modo ille Aeneas es, qui Silvio quondam genitus Patre Friderico Imperatori servivisti.

Mutata est conditio tua, mutata persona, nosce te ipsum; Tu Pius & Romanæ Præsul Ecclesiæ, Christi Vicarium, & Petri Successorem geris, te Caput Ecclesiæ militantis, te Ducem, te Magistrum, te Doctorem, te Judicem Christiani Populi constituit Dominus, & claves tibi Regni cœlorum tradidit. *Noli quærere fieri Judex*, inquit sapiens, *nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Super gentes & Regna moderator cœli, & mundi Dominus te Christus ordinavit, ut destruas, & evellas, ædifices, & plantes. Et quid agis? quid dubitas malas evellere plantas? Nemo justè judicat, qui vel odio, vel gratia, vel metu flectitur. An ignoras Sigismundus, quàm scelestum, quàm atrox, quàm tetrum, ac horrendum admisit facinus? In Episcopum, in Cardinalem, in te ipsum, si tui Corporis Cardinales, ut jura volunt, partes habentur, injurius, & improbus fuit? Non Presbyteratui, non Episcopatui, non Cardinalatui, non Papatui, non Christo pepercit, cujus sacratissimum diem, pugna iniqua, & Cardinalis captivitate fœdavit.

Et quis Clericorum posthæc tutus habebitur? si Episcopi, si Cardinales armis, atque insidiis capiuntur? & qui deinceps vindictam timebit, si violatores tantarum dignitatum impunè abeant? Actum de omni Clero, deque omni Religione fuerit, si qui tecum unum sunt. absque ultionis periculo violantur. Summa Sacerdotalis dignitas, B. Petri auctoritas, Jesu Christi Majestas palam in hoc scelere læsa est: & tu tanti piaculi vindictam assumere dubitas, putasve Imperatorem, vel alium quemvis Principem, ægrè laturum, si judicium feceris.

Absit à te hic metus, nihil est, cur hæc nomina timeas. Justus est Imperator, & honesti tenax, justus Albertus, justi & cæteri Principes, qui non consanguineos solum, sed ipsos quoque filios ex se genitos legum vinculis coërceri, plectique, si peccaverunt non indignè ferent, magna vis Justitiæ est, quæ vel damnatum, jure se passum esse fateri cogit. Nihil Imperatori magis cordi est, quàm justitia, communis, & sanctissima virtus. Scit sua mansuetudo, quia justitia pacem quærit, gentem elevat, solium, & Regnum confirmat, lætitiam gignit, & amatores suos beatos, & immortales efficit, utiliùs Imperatori videbitur, infructuosum palmitem amputari, quàm in perniciem bonæ vitis retineri. Nec propterea Domus Austriæ gloria interibit, quia unus aut alter ex Principibus ejus damnatur, quæ Rudolphos, Albertos, Fridericos, Leopoldos, Ernestos, Willelmos, & alios quamplures illustres animas peperit, non Austriæ solum ac Sueviæ, sed Hungariæ, Bohemiæ, & ipsius Romani Imperii Gubernatores. Aeacidarum quippè decus, Orestis infamia non extinxit, nec splendorem Juliæ Gentis Neronis turpitudo delevit, nec Francorum lucem Hilderici obfuscavit ignavia, nec Senatus Apostolici puritatem, atque nitorem impurus, ac fœtidus

ANNO 1460.

Judas

ANNO 1460.

Judas commaculare potuit. Illustrium Familiarum non texisse, sed non habuisse maleficium vera est, & solida laus. Rara prosapia est, quæ non aliquando monstra pepererit. In omni gente, & in omni domo Catilinam invenies, & Cethegum.

Citatur SIGISMUNDUS *Dux ad respondendum de fide.*

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis, & singulis Christi fidelibus, salutem & Apostolicam Benedictionem.

CONtra Sathanæ Adversarii Christi Domini, & Ecclesiæ membrum fuerat in sacratissima Paschalis Festi celebritate, in Sathanicam se à Catholicorum cœtu abscissus præcipitavit ingluviem, & ab Apostolica Ecclesia transfuga effectus sub Diaboli cœpit vexillo militare, anathema proh dolor, incurrit, & demum infamias cumulando, & sese apostatare superbiendo facto quoque se unitatis Ecclesiæ fidem auctoritatisque ejus rationem per censurarum contemptum non habere palam demonstravit, & demum ut eum in malorum omnium profundum perveniisse omnibus certum foret, eadem jactat temeritate, nec sacrosanctos Canones nec Apostolicæ præcepta justissima nec judicia ex canonicis sanctionibus facta solennissimè, eum in ullo posse contingere, quamquam ipse Dei nefarius derisor, & Ecclesiæ contemptor, de Christiano adhuc non erubescat nomine gloriari, ob quas res tamen si propter facti notorietatem unusquisque ipsum rectissimè hæreticum judicavit, ut tamen ex suo ore judicium etiam prodeat, habentes priores nostros processus, in quibus anathematis, criminis læsæ majestatis, & fautoriæ hæresis declaratus est, pœnas incurrisse, in his litteris pro inviolatis, & expressis, quo constare valeat, non solum ex operum improbitate scelestorum, sed sua etiam propria confessione, an sit hæreticus, vel non, novum denuò processum inchoavimus adversus dictum Sigismundum tanquam de damnatissima hæresi, quæ est omnium hæresum hæresis, non solum suspectum notoriè, sed sensibiliter maculatum tanquam sanctæ Fidei non recipientem articulum, quem per hæc Symboli Apostolici verba Fidelium exprimit unusquisque: *Credo in unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Nam cum ipsius Ecclesiæ Romanus Pontifex caput sit, canonesque, & censuræ sic sint Ecclesiæ, quod quisque in Ecclesia positus est, & credens capiti, Canonibus, & ejus censuris teneatur obedire.

Dictus quidem Sigismundus non solum illis non obedit, sed prædicat insuper, quod minimè obedire teneatur, atque in suam protervam sententiam, tam subditos, quàm quoscunque potest, accedere compellit, & hæc ubique sunt notoria, nec hodièque cessat per se, & suos hanc suam perfidiam divulgare, quæ cum ad vehementissimam suspicionem plus quàm satis sint aperta, idcircò ipsum Sigismundum notoriè de hæresi suspectum per præsentes auctoritate Apostolica peremptoriè citamus, & requirimus & sexagesima die ab hac die datæ, quæ & affixionis hujus, ad valvas Ecclesiæ Principis Apostolorum de urbe, & ut sequitur, successivè computanda, personaliter coram nobis compareat, & de fide catholica, præsertim in præfacto articulo unitatis Ecclesiæ, & quæ ad ipsum ex sanctorum doctorum doctrina sequuntur respondeat, & verbo, & facto se purget de suspicione, sub confessi, & convicti criminis hæresis pœna, alioquin nos contra ipsum tanquam confessum, & convictum Dei omnipotentis nomine ad diffinitivam sententiam, justitia mediante procedamus.

Similiter etiam Georgium pro Tridentinense Episcopo se gerentem, ob notoriam ejus adhæsionem, quam facto quotidie Sigismundo ostendit, cum quo & idem sentire videtur censuras contemnendo, & ideo de fide catholica vehementer suspectum, nec non Gregorium de Heimburg, Laurentium Slomenow erroneos doctores, Parcifalum de Hannenberg, Jacobum Traff, Balthasarem de Welschburg, & Osualdum Wolckensteiner, aliosque omnes ipsius Sigismundi Consiliarios, & domesticos, atque etiam oppidanos, & incolas oppidorum de Meran, Curiensem Halis, Ispruch, & Sterzingen Brixinensis Diœcesis, civesq; Brixinenses, & illius Ecclesiæ subditos qui interdictum Ecclesiasticum, & Ecclesiasticas vilipendunt censuras, ac Wolffgangum Nidlinger, Stephanum Steinhorn assertos Canonicos Brixinenses; Georgium in Stams, Ingeminum in Wiltina, Johannem in monte S. Gregorii Abbates; Casparum Præpositum Novæcellensem, & Barbaram assertam Abbatissam in Sonnenburg, monasteriorum dictæ Brixinensis Diœcesis, atque etiam universos & singulos Canonicos ipsius Ecclesiæ Brixinensis, Plebanos quoque, sive Vicarios Ecclesiarum Parochialium Civitatum, & Diœceseon prædictarum, ac cunctos Presbyteros etiam religiosos exemptos, & non exemptos, qui temerè prophanando Apostolicum interdictum non observare, & se per sedem Apostolicam, & nos prohibitis divinis intromittere non verentur, quorum omnium, ac singulorum nomina, & cognomina, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, quos omnes censurarum, & Apostolicorum mandatorum contemptores, de hæresi vehementer non immerito suspectos reputamus, ut die & sub pœna prædictis compareant personaliter coram nobis, de ipsa fide Catholica, & præsertim articulo prædicto legitimè responsuri, & se modo prædicto purgaturi.

Cum certificatione, modoque, & forma præmissis citamus etiam per præsentes. Volumus autem & dicta auctoritate tenore præsentium decernimus, quod hæ nostræ literæ, sicut præmittitur, affixæ, & executæ, prædictos omnes, & singulos sic arceant, & astringant, ac si eis omnibus & singulis in specie, & in genere, ac præsentialiter lectæ, & insinuatæ fuissent, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus extitit publicatum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1460. decimo Kal. Febr. Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1460.

VII. Ex Mon. Goldasti Tom. 2. P. 1583.

Declaratio Apostolica pœnalis contra Sigismundum Austriæ Ducem: anno 1460.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

INeffabilis summi Providentia Patris super gentes, & Regna, juxta Prophetæ verbum, licet insufficientibus meritis constituti officii nostri debitum, ut tenemur exequimur, de vinea Domini Sabaoth evellenda evellimus, in eaque plantanda plantamus, ac recta regimus, & dirigimus indirecta, perfidosque ac facinorosos quosque cum scandalo Corpori Ecclesiæ sint, à Fidelium cœtu præscindimus; Nam sacro testante Evangelio, inutilibus membris à corporis compage divisis, eis carere magis proficiat ad

salutem

ANNO 1460.

salutem, quàm cum illis æterna supplicia intoire. Nuper siquidem postquam nobis innotuerat quod dilectus Filius noster Nicolaus tituli S. Petri ad vincula presbyter Cardinalis, & ex dispensatione sedis Apostolicæ Episcopus Brixinensis, dum curæ dictæ suæ Ecclesiæ Brixinensis intenderet, & in castro Brunegk, suæ Brixinensis Diœcesis ad Ecclesiam curandam pleno jure spectantem resideret, per Sigismundum tunc Austriæ Ducem hostiliter primò per suos in aurora diei Paschæ in dicto castro obsessus fuerat; & quod castro ipso per eosdem nomine ipsius Sigismundi recepto, idem Sigismundus die sequente præfatum Cardinalem, missis ad eum duobus Tubicinis, suo, & omnium subditorum suorum nomine publicè diffidaverat, atque cum magna armatorum copia, bombardis, & aliis instrumentis bellicis, eundem Cardinalem tunc in arce dicti castri existentem, minaciter valde & hostiliter fuerat persecutus, quousque ipsius Cardinalis Personam in suam redegisset potestatem, & sic diebus multis tenuisset, & quod infra dies illos quoddam castrum nomine Taufers, nec non notabilem quantitatem pecuniarum, obligationesque, & literas plures ab eodem Cardinale, & Capitulo Brixinensi extorsisset, ac damna multa sibi, & suis intulisset, quæ summam triginta quinque millium Florenorum transcendere, & in enervationem Ecclesiasticæ libertatis, totalemque exinanitionem privilegiorum dictæ Ecclesiæ vergere dicebantur. Et postquam præmissa, & etiam certa alia ea concernentia in consistorio generali, promovente dilecto Filio Michaele de Prato causarum Cameræ Apostolicæ procuratore per dilectum filium Andream de Sancta Cruce, utriusque juris Doctorem dictique Consistorii, & & Fisci nostri Advocatum, petendo Sigismundum ipsum, & alios culpabiles in præmissis etiam omnes, & singulos, sententias, ac pœnas in constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri quæ incipit *Felicis*, contentas, & alias in tales à jure inflictas, & promulgatas incidisse declarari, & contra eos procedi, aliasque, & alios fieri, & decerni; prout in commissione tunc publicè exposita continetur, nos tunc facinoris hujusmodi (quod adeò notorium erat, ut nulla posset tergiversatione celari) enormitatem, & gravitatem causæ pensantes, antequam in ea quicquam ageremus, ad majorem rei certitudinem, & nostram informationem dicto procuratore ex suo officio promovente, dilecto Filio nostro Johanni tituli Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinali, ac venerabilibus Fratribus nostris Johanni Attrebatensi, & Dominico Torcellanensi Episcopis, vivæ vocis oraculo commisimus, ut se super expositis hujusmodi informarent, & nobis quæ reperirent veritate subniti referrent. Postmodum verò facta per eosdem nobis relatione fideli, invenimus, quod dolenter referimus, præmissa & alia tunc exposita, veritate fulciri, habito tunc per nos cum eisdem commissariis, ac aliis Venerabilibus fratribus nostris S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, super his maturo consilio tantam Dei, & Ecclesiæ offensam, tantamque temeritatis audaciam inultam & sub dissimulatione pertransire nequeuntes, ipsum Sigismundum, ac omnes alios, & singulos cujuscunque, etiam Pontificalis dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis forent Ecclesiasticæ, vel mundanæ, qui eidem Sigismundo in præmissis consilium, auxilium, vel favorem dederant, arma contra dictum Cardinalem susceperant, hujusmodique nefandum facinus facto reatum habuerant, seu Sigismundum, & alios prædictos postea receptaverant, seu defensaverant, eosdem, & eos qui diffidationi per ipsum Sigismundum eidem Cardinali factæ adhæserant, aut Cardinalem ipsum per suas litteras diffidaverant, aut in diffidatione ipsius Ducis comprehensi erant, ac eos, qui eidem Cardinali defecerant, atque Sigismundum, & suos contra eundem Cardinalem hostiliter venientes in castris, & locis etiam ad præfatam Ecclesiam Brixinensem spectantibus admiserant, Ecclesiasticos, & Sæculares, eorum nomina, & cognomina pro expressis habenda, per edictum publicum Apostolica auctoritate per alias nostras certi tenoris litteras ex abundanti moneri fecimus peremptoriè, & requiri, ut certa die per nos eis præfixa in consistorio generali coram nobis personaliter comparerent, allegaturi causas, si quas haberent rationes, cur ad declarationem pœnarum tam in constitutione ipsa, quàm dictis nostris litteris monitorialibus contentarum, procedere non deberemus.

ANNO 1460.

Alioquin quod tam ad declarationem ipsam, irritationemque omnium, & singulorum vi & meru sic per ipsum Cardinalem gestorum, & ab ea extortorum hujusmodi, etiam juramento vallatorum, nec non restitutionem tam mobilium quàm immobilium sic ab eodem Cardinale ablatorum, interdicti Ecclesiastici in locis, in quibus præmissa commissa fuere, & omnibus aliis locis ipsis Sigismundo, & aliis præfatis subjectis etiam novam positionem, atque ad ulteriora, & ad omnia ea procederemus, quæ nobis juxtà tanti excessus exigentiam, & rei notorietatem justa viderentur fieri, & decerni, prout hæc, & alia, literis nostris aliis desuper emanatis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continentur. Verùm etsi dictum Sigismundum, quem anteà semper speciali favore fuimus prosecuti, & in visceribus dileximus caritatis, cujusque desideria quantum cum Deo licuisset fuimus exaudire parati, & etiam alios prædictos speraremus pendente termino dicti monitorii ad cor redire, & tam gravem eorum reatum recognoscere, seque nobis tanquam Christi Vicario, cujus vices quamvis immeriti in terris gerimus, totaliter submittere debuisse; ipsi tamen (de quo ab intimis dolemus præcordiis) diabolica fraude seducti, in profundum malorum se præcipitantes, animarum suarum salutem negligentes, & honorem suum pro nihilo habentes, in Sathanicâ superbia perseveraverunt. Sicque adveniente termino in ipso nostro monitorio expresso, & eis non comparentibus, comparuit dictus Michael de Prato, Procurator noster fiscalis, & eo nomine in consistorio publico, per nos propterea celebrato, literasque monitoriales nostras antedictas unà cum earum executionibus in locis assignatis legitimè factis, scripto producens, monitorum eorumdem contumacium accusavit, & eos contumaces reputari, ac omnes, & singulas pœnas prædictas incurrisse, ac incidisse, ac aliàs juxta monitorii illius contumaciam declarari, ulteriusque contrà eosdem monitos, prout juris esset procedi per nos debitâ cum instantiâ postulavit. Eoque facto, comparuit ibidem quidam Laurentius nomine, qui se Doctorem & dicti Sigismundi nuncium asseruit, ac ejusdem Sigismundi ex parte audiri petiit, quem etiam aliàs ad partem super his extensè satis, & sæpiùs audi-

veramus,

ANNO 1460.

veramus, quàm plura minùs vera dicti Sigismundi, & suorum complicum parte, nobis referentem, à quo tunc, ut mandatum, ad termino monitionis satisfaciendum, quoddam procuratorium ad nobis insinuandam quandam prætensam appellationem, tanquàm à nobis malè informato ad nos meliùs informandum exhibuit. Considerantes autem, quod Sigismundus ipse, & alii prædicti ex abundanti, & de merâ nostrâ gratiâ moniti fuerunt, ut si quid dicere vellent, cur juxta monitorium per nos emissum declarari non debeant, tunc die Lunæ quarta mensis Augusti coram nobis personaliter comparerent ità quod per aliud id facere eis concessum non fuerat; ut tamen omnis nostra mansuetudo appareret, procuratorium illud audire decrevimus, si fortè ipse Sigismundus cum suis complicibus per procuratorem idoneum se nobis personaliter submittere, & absolutionem à sententiis, censuris, & pœnis incursis petere, aliàsque juxtà canonicas sanctiones facere vellet, quo casu eundem Laurentium libenter utique audivissemus, sed cum audito procuratorio illo, quod ibidem publicè altâ, & intelligibili voce legi fecimus, consideraremus etiam quod ipse Laurentius solùm ad nos illudendum, & obedientiam, & correctionem fugiendum advenerat, ad idque mandatum haberet; quodque opus non erat, nos, qui jàm de notorietate commissi sacrilegii, & tàm nefando actu hujusmodi, plenè, & pleniùs essemus informati, ita quod ampliùs nos informari opus non erat, prætensam, & ineptam appellationem illam, de quâ in dicto procuratorio mentio fiebat, ac quamcunque aliam contrà præmissa interpositam, forsan, ac interponendam, frivolam, & non admittendam, sed tanquam injustam rejiciendam esse decrevimus, & rejecimus, ipsi Laurentio silentium imponentes. Venerabilibus verò Fratribus nostris Clusensi, & Ortonensi Episcopis mandavimus, ut ad portas Ecclesiæ Senensis cum nuntiis ad hoc deputatis accederent, & per eosdem Nuncios altâ voce vicibus tribus ibidem vocari facerent, si adesset ipse Sigismundus, aut alii prædicti per se aut Procuratores legitimos, & juxtà dicti monitorii nostri continentiam aliquid dicere vellent, nam eos benignè audire parati eramus. Cumque Episcopi ipsi mandatum nostrum hujusmodi exequentes, ad nos in eodem Consistorio redissent, retulerunt, nec Sigismundum ipsum, nec complices suos, seù monitos hujusmodi, aut eorum nomine aliquem procuratorem comparuisse, seù advenisse. Idcirco nos ad dicti Procuratoris Fiscalis instantiam Sigismundum, & alios monitos præfatos non comparentes reputavimus merito, prout erant quoad actum, & terminum hujusmodi justitiâ id exigente, contumaces. Et licèt tunc contra monitos ipsos ad declarationem hujusmodi, & aliàs, proùt petitum fuerat, procedere potuissemus, & debuissemus: Nos tamen, qui præmissa ea molestiùs fecimus, quò ipsum Sigismundum ab ineunte ejus ætate dileximus ad omnem nostram, ob ejus specialem dilectionem, quæ claræ, & omni laude dignæ, Domui Austriæ, ex qua ipse Sigismundus originem traxit, conjungimur, mansuetudinem ostendendam, utque ipsi moniti penitùs convincerentur, dictum terminum usque in præsens continuavimus, mandantes ad ipsius Sigismundi, & aliorum prædictorum malitiam, & cordis ipsorum duritiam convincendum, eosdem iterùm per edictum publicum in valvis dictæ Senensis Ecclesiæ affigendum vocari, quatenùs die datæ præsentium coram nobis in Consistorio publico, quod etiam propterèa tenere decrevimus, personaliter comparerent, ad audiendum se pœnas, sententias, & censuras in dicto monitorio nostro contentas incidisse declarari, vel causas cur id fieri non deberet, si quas haberent rationabiles, allegandum. Cum autem facta executione hujusmodi nostræ vocationis in dictis valvis, eaque reproducta hodiè coram nobis, tanta fuerit ipsius Sigismundi, & aliorum monitorum, & vocatorum rebellio, atque protervia, ut nec hodierna die nefandissimum eorum excessum hujusmodi piis actibus humiliter recognoscere, & expiare, nec sè excusare, nec Creatori omnium, & Ecclesiæ Sanctæ Dei satisfacere, nec aliàs juxtà Canonicas sanctiones, & Sanctorum Patrum, ac Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum instituta agere curarunt, cuncta internè rimantes, censuimus non dedecori, sed maximæ gloriæ, & honori esse ipsi inclytæ domui Austriæ, si contrà dictum Sigismundum, ejusdem, atque progenitorum suorum splendorem, & famam denigrantem, & scandalisantem, qui etiam honoris, & dignitatis tàm præclaræ domus, ejus demeritis indignum se reddidit, armis Justitiæ insurgamus, ipsum tanquam palmitem, fructum non ferentem, & membrum putridum ab eadem domo resecemus. Ad Dei igitur laudem & gloriam, hac nostrâ summâ in perpetuum valitura, de consilio eorundem fratrum decernimus, & auctoritate apostolicâ tenore præsentium declaramus, dictum Sigismundum ac eos omnes, & singulos qui dictum Cardinalem, & Episcopum diffidarunt expresse, & cæteros quosque cujuscunque etiam Pontificalis dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel conditionis forent Ecclesiasticæ vel mundanæ, qui eidem Sigismundo & aliis prædictis in præmissis præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem, & qui arma contrà dictum Cardinalem susceperunt, hujusmodi quoque nefandum facinus ratum habuerunt, seu Sigismundum aliosque prædictos posteà receptarunt, aut defensarunt, nec non eos, qui diffidationi ipsius Sigismundi hujusmodi adhæserunt, aut in diffidationibus ejusdem Sigismundi, & diffidantium aliorum prædictorum comprehensi sunt atque eos, qui dicto Cardinali in fidelitate, & auxilio, cùm potuerunt, eo tempore defecerunt, ipsumque Sigismundum, & alios prædictos contrà præfatum Cardinalem hostiliter venientes in castris, & locis etiam ad ipsam Ecclesiam Brixinensem spectantibus, & specialiter dictum Castrum Brunegk, & ejus inhabitatores, qui ipsum Sigismundum & suos sic admiserunt, & eos, qui præfata facinora rata habuerunt Ecclesiasticos, & seculares eorum omnium, & singulorum nomina, & cognomina, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ob præmissa sunt reos criminis læsæ Majestatis, anathematisatos, perpetuò infames, diffidatos, bannitos, & intestabiles, atque ab omni successione expulsos, ædificia etiam eorum in ruinam danda, & eis de nullo debito respondendum, seù responderi debere, omnia pacta promissa etiam sacramento firmata, & quæcumque fœdera etiam pacis servandæ cum dictis, Sigismundo, & aliis præfatis inita, fore irrita, & inania, dictorumque Sigismundi, & aliorum declaratorum hujusmodi bona quæcunque mobilia, & immobilia Fisco nostro, & Romanæ Ecclesiæ, cui in personа

ANNO 1460.

ANNO 1460.

Cardinalis, & Episcopi injuriatum existit, penitùs applicanda & nostræ, & Apostolicæ sedis dispositioni totaliter reservanda, ità ut nihil de illis transmittatur ad posteros, ac eos omnesque, & singulos in præmissis culpabiles, sivè Episcopi, Abbates, Præpositi, Decani, aut etiam Cononici Brixinenses, aut cujuscunque alterius Ecclesiæ fuerint: in specie, & in genere omni honore, & dignitate Ecclesiasticâ, seu seculari, omnique feudo, locatione, officioque, & beneficio quocunque spirituali, & temporali, quæ à quacunque Ecclesiâ, monasterio, sive Prælato obtinent, privatos. Quorum feudorum ad Ecclesiam devolutorum collationem, & ordinationem ex certis causis animam nostram moventibus, nostræ & Apostolicæ sedis dispositioni similiter reservamus. Eorundem etiam filios, & nepotes per rectam lineam descendentes, beneficiatos, quovis beneficio Ecclesiastico, etiam pontificiali dignitate privatos, eisque omnis promotionis spem sublatam. Nobis etiam ipsorum filiorum atque Nepotum ex virili secùm descendentium ab eisdem, alicujus dignitatis, aut honoris Ecclesiastici vel mundani, aut alicujus loci regiminis januam aperiendam, ac eis quodlibet officium publicum, seù ministerium interdictum, atque in judiciis eorum dictis & depositionibus nihil fidei, aut credulitatis contrà quemcunque adhibendum, & ad testimonia perhibenda esse indignos, eisque ad beneficium & officium Ecclesiasticum, & ordines sacros negatum ascensum, & ad actus legitimos nullum eis patere aditum absquè omni spe dispensationis super aliquo præmissorum. Nec non omnes, & singulos præfatos excommunicationis majoris sententiam, aliasque sententias censuras & pœnas in tales à jure latas, inflictas, & promulgatas damnabiliter incidisse. Eosdem quoque Sigismundum, & alios suprà dictos excommunicationis sententia innodamus, anathematizamus, bannimus: Infames, bannitos, intestabiles, honore, & bonis, ac successione ptivatos esse, ac aliis omnibus pœnis supra dictis cum terris per eos possessis sivè occupatis subjacere decernimus per præsentes. Terras quoque, & dominia per ipsum Sigismundum & alios prædictos occupata, & possessa quæcunque, ubicunque, & in quibuscunque Diœcesibus consistant, ac omnia alia loca, ad quæ eos aut eorum aliquem declinare, & quandiù ibi moram trahere contigerit, Ecclesiastico, & strictissimo interdicto fore suppositа declaramus, & etiam ipsum interdictum in prædictis locis Apostolica auctoritate de novo ponimus. Mandantes omnibus & singulis Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis Provincialium, Ecclesiarum Rectoribus, & Presbyteris aliis, ut ipsum Sigismundum, & alios prædictos etiam nominatim singulis diebus Dominicis, & festivis in divinis, sic excommunicatos, anathematisatos, infames, diffidatos, privatos, & aliàs ut præfertur per nos declaratos in eorum Ecclesiis denuntient, & denuntiari faciant, universis, & singulis Christi fidelibus districtiùs injungentes, ut dictos excommunicatos, anathematisatos & declaratos ubilibet evitent, & faciant evitari, nec cum eis, aut eorum aliquo post spacium unius mensis à data præsentium computando, quævis commercia sivè salis, sivè mineræ argenti, aut alterius generis cujuscunque emendo vel vendendo quodlibet habeant, aut eis communicent, nec ipsis aliquod humanitatis opus aut solatium exhibeant, seù etiam victualia, aut merces alias eis vendant, aùt ab ipsis emant, sed eos omnes, & singulos pro excommunicatis & anathematisatis, ac pro diffidatis habeant inimicis. Et quoniam firmum esse nequit, quod vi & metu constat esse factum harum serie dicta apostolica auctoritate similiter pronuntiamus, decernimus, & declaramus, extorsionem, & traditionem dicti castri *Zauffers* cum suis adhærentiis, nec non sex millia Florenorum Rhenensium dicto Sigismundo par ipsum Cardinalem prompto, & dicto tempore solutorum, promissionemque de solvendo per eundem Cardinalem quatuor millium Florenorum similium, ipsi olim Duci in terminis duobus, nec non quitantiam de tribus millibus Florenorum eorundem eidem olim Duci per ipsum Cardinalem prius amicabiliter mutuatorum, ac quod ipse Cardinalis capitulum Brixinense ad regimen Civitatis Brixinensis, castrorumque, & oppidorum Ecclesiæ suæ Brixinensis ponere, Castellanosque nonnullos ipsi Cardinali, & dictæ suæ Ecclesiæ fideles amovere. Et quod ipsum Brixinense capitulum dicto olim Duci omnia castra, & oppida Ecclesiæ præfatæ aperta tenere, nec in eis alios quàm eidem Sigismundo gratos Castellanos, seù Officiales instituere debeant, seù teneantur, & alia quæcunque à dicto Cardinale dùm in ipsius Sigismundi potestate, ac ut præmittitur detinebatur, atque etiam quæ tunc à dicto capitulo per præfatum Sigismundum, aut suos extorta, ac per ipsum Cardinalem seù etiam capitulum ante dictos tùnc promissa, seù literaliter facta, nec non sigillationem ejusdem literæ inter alia continentis, quod ipse Cardinalis eidem capitulo omne regimen civitatis, castrorum, & oppidorum suæ Ecclesiæ committeret, quam eodem tempore quidam sè nominantes dictum capitulum, à præfato Cardinale eorum Episcopo tunc angustato, & oppresso similiter extorserunt. Omnia quoque alia inde secuta, cum non solum sint violenta, & injustissima, sed & contra omnem honorem, & honestatem damnabiliter extorta, fuisse, & esse nulla, irrita, & invalida, nulliusque efficaciæ, roboris, vel momenti: Ipsumque Cardinalem ad ea observandum, nunquam fuisse obligatum, neque se sic in præjudicium Ecclesiæ obligare potuisse, eademque omnia, & singula ad cautelam cassamus, irritamus, & annullamus, ac ipsum Cardinalem ad ea observandum nullatenùs obligatum fore, ac ipsum Castrum *Zauffers* cum suis adhærentiis universis, & inde perceptis ab eodem tempore fructibus, ac sex millia florenorum prædicta, & damna illata alia, nec non litteras sic extortas tam per olim Ducem, quàm Capitulum præfatos nobis, aut nostro Commissario infra duorum mensium spatium à die datæ præsentium computando, sub pœnis antedictis liberè restitui debere decernimus. Quodque nisi ipsum Capitulum infra dictum spatium litteras per ipsum à dicto Cardinale, & Episcopo eorum sic extortas, Civitatemque Brixinensem, castra, & oppida ejusdem Ecclesiæ, amotis inde novis jam positis Castellanis, & repositis inibi illis, quos ipse Cardinalis ibidem posuerat, nobis, aut nostro Commissario plenè restituerunt, ex tunc lapso duorum mensium spatio huiusmodi omnes incorporationes quaruncunque provincialium Ecclesiarum, quas ipsum Capitulum obtinere dignoscitur, ad mensam Episcopalem Brixinensem eo ipso revertantur, & Capitulum ipsum hujusmodi incorporationibus Ecclesiarum, omnesque, & singulas personas ejusdem capituli in prædictis culpabiles, quorum nomina, & co-

ANNO 1460.

gnomina

ANNO 1463.

gnomina præsentibus habere volumus pro expressis ultrà pœnas jam dictas, omnibus, & singulis eorum beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, Canonicatibus, & Præbendis, dignitatibus, Personatibus, officiis, seù administrationibus, absque alia declaratione, quacunque privatos esse volumus, atque privamus per præsentes, eaque sic vacare decernimus. Per præmissa tamen, tàm carissimo in Christo Filio nostro Friderico Romanorum Imperatori, quàm dilecto filio nobili viro Alberto Duci ejus Germano ex eadem domo Austriæ oriundis, & etiam omnibus juribus, nec non etiam doti, aut donationi propter nuptias dilectæ in Christo Filiæ Eleonoræ de Scotia dicti Sigismundi conthoralis, quæ, ut veridicè accepimus, præfatis facinoribus, & nefandis nequaquam consentit, nolumus in aliquo præjudicare, sed ea sua bona sibi quoad vixerit, illæsa remanere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reservationis, innodationis, anathematis, bannimenti, constitutionis &c. infringere vel ei ausu temerario contravenire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ, 1460. sexto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

VIII. Ex histor. universi. Parisiens. Bulæi Tom. 5. pag. 661.

Erectio Universitatis Nannetensis anno 1463.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INter felicitates quas mortalis homo in hac labili vita ex dono Dei nancisci potest, ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat scientiæ margaritam, quæ benè, beateque vivendi viam præbet, & peritum, ab imperito sua preciositate longè faciat excellere, & ad mundi arcana cognoscenda dilucidè inducit, suffragatur indoctis, & in infimo loco natos inducit in sublime. Et propterea Sedes Apostolica rerum spiritualium, & etiam temporalium provida ministratrix, cujusvis laudabilis exercitii perpetua, & constans adjutrix, ut eo faciliùs homines ad tam excelsum humanæ conditionis fastigium acquirendum, & acquisitum in alios refundendum semper cum augmento quæsiti faciliùs inducantur. Cum aliarum rerum distributio massam minuat, scientiæ verò communicatio quantum in plures diffunditur, tantò semper augeatur & crescat, illos hortatur, eis loca præparat, & opportunæ commoditatis auxilia impartitur, Catholicorum Principum notis favorabiliter annuendo. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Franciscus Britonum Dux sui Ducatus Britanniæ, in quo novem Ecclesiæ Cathedrales, Civitates insignes, & totidem diœceses ab invicem distinctæ, notabilia monasteria, & Beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, copiosusque, tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, nobilium, & ignobilium Populi numerus consistunt, ac ejusdem populi statum prosperari cupiens, ac cognoscens, quod si in aliqua Civitate earumdem studium vigeret Litterarum generale, quam plures ejusdem Populi quorum aliqui studiorum litterarum per eos incæptorum desertores efficiuntur, alii verò, qui ipsi studio operam dare cogitant, ab eo retrahuntur, perfectam acquirerent scientiæ margaritam, non mediocriter ipsi statui profuturam. Cupit pro Reipublicæ, ac Incolarum ejusdem Ducatus, aliorumque ad ipsam margaritam anhelantium utilitatem in una Civitatibus ipsis uberrima, videlicet Nannetensi, ad quam flumen Ligeris spatio ducentorum milliarium & ultra navigabilis à partibus Franciæ, & deinde ad portum maris ipsi Civitati Nannetensi, multum accommodum tendit, & per quod omnia vitæ humanæ necessaria, & ad eandem Civitatem navali, & carbasorum usu vehi possunt, & in qua aëris temperies viget, victualium ubertas, cæterarumque rerum ad usum vitæ humanæ hujusmodi pertinentium copiam reperitur, plurimùm desiderat fieri, & ordinari per eandem sedem studium generale in qualibet licita facultate.

Nos igitur præmissa, & etiam eximiam ipsius Ducis, & prædecessorum Britanniæ Principum fidei devotionem sinceritatem quam ad nos, & Romanam Ecclesiam, cui semper plenariè, ac constanter obediviſse sine varietate comprobantur, attentè considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod Ducatus prædictu scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diversarum facultatum dogmatibus conditos, sitque ibi fons irrigans, de cujus plenitudine hauriant universi Christi fideles undique illic affluentes & litterarum documentis insistentes. Horum igitur consideratione inducti ad laudem divini nominis, & orthodoxæ fidei propagationem, ipsius Reipublicæ, & partium earumdem commodum, atque profectum

Auctoritate Apostolica concedimus, statuimus, & ordinamus, quod in dicta Civitate Nannetensi, de cætero sit, & perpetuis futuris temporibus vigeat studium generale, & Universitas existat studii generalis tam in Theologia, quàm Jure Canonico, Civili, & Medicina, quàm quavis alia licita facultate, in quibus sicut in Parisiensi, Bononiensi, Avenionensi, Senensi, & Andegavensi generalibus studiis, Ecclesiastici quicumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentes, & Laici, Magistri, & Doctores doceant, & studere volentes undecumque fuerint studeant, & proficere, ac benemeriti Baccalariatus, Licentiæ Doctoratus, & Magisterii, & quoscumque alios gradus recipere illis sic bene meritis, impendi valeant, atque possint.

Volentes, & ordinantes, quòd Venerabilis Frater Guillermus modernus, & pro tempore existens Episcopus Nannetensis sit studii, & Universitatis hujusmodi Cancellarius, qui aut per eum, seu sede Nannetensi vacante per Capitulum quoad hoc deputatus Vicarius in qualibet dictarum facultatum commendabilis vitæ Scholaribus, quos ad hoc Rector studiis, Regentes Magistri, sive Doctores Facultatis, in qua graduari singuli postulabunt, seu major pars eorum idoneos reputaverint, Baccalariatus, & Licentiæ gradus conferat, ac singuli ipsius studii Magistri, sive Doctores in facultatibus, in quibus ibidem rexerunt aliis cum rigore examinis Licentiatis quibuscumque Magisterii, sive Doctoratus insignia de consilio, & assensu aliorum Doctorum, sive Magistrorum præfatæ facultatis inibi impendere, sive dare valeant, & ex tunc illi, qui insignia hujusmodi receperint, licentiam habeant tam in prædicto, quàm ubique terrarum quocumque alio studio, absque alio examine, aut approbatione legendi, docendi,

ANNO 1463.

cendi, & cætera faciendi, quæ Magistri, & Doctores, in altero dictorum studiorum facere possunt, ac quod ipse Cancellarius, seu Vicarius, & qui pro tempore Rector ipsius Studii fuerit: & Doctores inibi residentes vocatis secum in competenti numero, prout eis videbitur, de qualibet facultate aliquibus Licentiatis, & Scholaribus providis dicti studii Nannetensis, ac duobus ad minus de Ducis Britanniæ pro tempore existentis Consiliariis, pro felici directione dicti studii salubria statuta, & ordinationes concedere possint. Super quibus omnibus, & singulis auctoritate Apostolica, & ex certa scientia facultatem, & etiam potestatem concedimus per præsentes. Præterea omnibus, & singulis Magistris, Doctoribus, Licentiatis, Scholaribus, & Studentibus, ac studere volentibus, licentiam elargimur ad ipsam Civitatem Nannetensem accedendi, & inibi legendi, docendi, & studendi, ac gradus, & insignia hujusmodi modis præmissis recipiendi, & impendendi, nec non ipsis pro tempore regentibus, vel studentibus; & qui gradus vel insignia hujusmodi receperint. Quod ipsi omnes, & singuli, omnibus, & singulis prærogativis, privilegiis, præeminentiis, antelationibus, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, & indultis per nos, & Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & aliis quavis Apostolica Ecclesiastica, vel mundana auctoritate, sive potestate quovis modo concessis, & ab eis emanatis. Quorum omnium, & hac desuper confectarum litterarum, & inde sequutorum quorumcumque formas, continentias, & tenores, ac si de illis, & eorum singulis specialis specifica, & expressa mentio, & designatio, nec non tenorum eorumdem de verbo ad verbum insertio facta foret, præsentibus haberi volumus pro expressis quibus Parisiensis, Bononiensis, & Andegavensis generalium studiorum Universitates, ac in eis graduati Scholares, & Studentes uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet uti, frui, & gaudere possint, valeant, & debeant, seque illis defendere possint, valeant, & debeant pariformiter, & absque ulla differentia perinde in omnibus, & per omnia, ac si illæ prærogativæ, privilegia, præeminentiæ, antelationes, voluntates indulta, libertates, exemptiones, immunitates, honores, & concessiones ipsi studio Nannetensi, ac in eo legentibus, & studentibus, & graduatis Scholaribus, & suppositis specialiter, & expresse concessa forent, & in eorum favorem emanassent: Et insuper, & eo ferventius ipsi Magistri, Doctores, & Studentes in dicto Nannetensi studio erga studia valeant insudare quo adversus eorum turbatores vivacis protectoris suffragio cognoverint se munitos moderno, & qui pro tempore fuerit Episcopo Nannetensi præfato per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus prædictis Magistris, Doctoribus, Scholaribus dicti Studii Nannetensis, & in illo graduatis efficacis defensionis, protectionis auxilio, & præsidio existens, per se, vel alium, seu alios faciat, eosdem Magistros, Doctores, Graduatos, Scholares, & Studentes, præmissis prærogativis, privilegiis, præeminentiis, antelationibus, voluntatibus, concessionibus, honoribus, & indultis pacifice, & quiete uti, frui, & gaudere. Nec permittat illos contra ea & præsentium nostrarum litterarum continentiam, & tenorem, vel alias à quoquam quavis auctoritate, etiamsi regali, aut Archiepiscopali, vel alia Ecclesiastica, vel mundana perfulgeat dignitate, impeti, seu etiam indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia Juris remedia quibuslibet appellationibus postpositis compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, illa præsertim, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad Judicium evocetur, sive ne Judices à sede Apostolica deputati extra Civitatem, & Diœcesim, in quibns fuerint deputati contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vires suas committere, seu aliquos extra suam Civitatem, & Diœcesim, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vires suas committere, seu aliquem extra suam Civitatem & Diœcesim evocare præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aut si aliquibus communiter, vel divisim à dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu quod studia generalia nisi ab aliis studiis similibus ad certam locorum distantiam remotis locis, erigi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac aliis privilegiis quibuscumque quibusvis aliis generalibus studiis concessis, & eorum statutis, & consuetudinibus &c. juramento, & Apostolica auctoritate roboratis illis præsertim, quibus forsitan in eisdem studentes, sive Licentiati, quod alibi ratione Studii non resideant, vel gradum, sive insignia non recipient ante dicta Jurejurandi Religione affirmari distinguantur; quæ quidem juramenta hactenùs præstita duntaxat penitùs tollimus, & ad illorum observationem non teneri auctoritate, & scientia similibus decernimus, ac ipsa juramenta habemus, & haberi volumus pro infectis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, commissionis, mandati, Constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo pridie nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo, D. de Piscia.

ANNO 1464.

PAULUS SECUNDUS.

PONTIFEX CCXV.

ANNO DOMINI MCDLXIV.

PAulus Venetus prius Petrus Barbus Eugenii IV. nepos, Pio II. successit anno 1464. Cardinales purpura donavit. Jubilæum ad annum 25. contraxit. Obiit (quâ morte incertum) anno 1471. ætatis 53. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 380. *App.*)

ANNO 1465.

I. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæi Tom. I. pag. 674.

Privilegia aliarum Universitatum concedit Universitati Bituricensi: anno 1465.

PAULUS EPISCOPUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

ET si à summo rerum omnium conditore cujus inæstimabili providentia cuncta miro ordine disponuntur, & à quo omnium charismatum dona proveniunt ad exequendum Pontificalis ministerii debitum, licet insufficientes meritis deputati, de his, quæ ad fidei catholicæ fideliumque profectum conferunt, sedulò nos cogitare conveniat, de litterarum tamen studiis, & virorum (qui incomparabilis thesauri divinarum, & humanarum rerum cogitationem apprehendere cupiunt) incrementis felicibus, & eò magis cogitare nos convenit, quo ex his propulsis ignorantiæ nubibus Domini nostri, & ejusdem Fidei cultus prætenditur, justitia colitur, publica quoque, & privata res utiliter geritur, & omnis humanæ conditionis prosperitas adaugetur. Decet igitur Pastoralem sollicitudinem non immeritò adhibere, ut hujusmodi studia vigeant, & continuò augeantur, per quæ, sicut experientia rectè comperimus universali Ecclesiæ, cunctisque credentibus major potest utilitas provenire. Cum itaque sicut nuper pro parte charissimi in Christo Filii nostri Ludovici Regis Francorum illustris, & dilecti filii nobilis viri Caroli Ducis Bituricensis ipsius Regis Germani nobis fuit expositum, ipsi ejusdem Reipublicæ utilitati, & præsertim Ducatus Bituricensis, ac etiam Regis Franciæ Incolarum, nec non aliarum partium vicinarum habitationem, qui scientiæ margaritam adipisci desiderant laudabiliter intendentes, ut Civitate Bituricensi, quæ inter alias Ducatus Aquitaniæ Civitates primatum obtinet, tanquam in loco magis insigni, & accommodo, liberalium artium generale studium in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, & erudiantur indocti, servetur æquitas Judicis, vigeat ratio, illuminentur mentes simplicium, & eorum, ac quorumlibet intellectus, opitulante Altissimo, illustrentur, erigi, & stabiliri desiderant; nos prævisa omnia, ac etiam eximiam fidei, devotionisque constantiam, quam ipsi Rex, & Dux ad nos, & Romanam gentem, & Ecclesiam attenta meditatione pensantes, ac etiam cupientes, quod civitas ipsa scientiarum muneribus decoretur, virosque producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diversarum facultatum scientiis eruditos, de quorum plenitudine hauriant universi alii litterarum documentis imbui appetentes, eisque præmissis omnibus, & præcipuè dictæ civitatis, quæ ad multiplicanda sanæ doctrinæ germina magis congrua, & accommoda fore perhibetur, idoneitate attenta interna meditatione pensatis, non solum ad ipsius civitatis, sed etiam Regni Ducatus, ac Regionum circajacentium profectum paternis affectibus anhelantes, Regis, & Ducis prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem divini nominis, & propaginem fidei ante dictæ, ipsorum quoque Regis, & Ducis gloriam pariter, & honorem, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut de cætero in eadem civitate Bituricensi generale studium per præsentes erigimus, quod instar aliorum studiorum generalium tam in Theologia, & Jure Canonico, atque Civili Medicina quoque, & artibus, quàm alia qualibet licita facultate vigeat, quodque Doctores, Magistri, Legentes, ac etiam Scholares studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus tam Magistris in eadem Theologia, ac Doctoratibus, Legentibus, & studentibus in Parisiensi, Tholosensi, Pictaviensi, & aliis dicti Regni universitatum studiis concessis, ac etiam concedendis utantur, & gaudeant: Cancellarius verò Ecclesiæ Bituricensis pro tempore existens (qui, ut accepimus, disponere Scholares dictæ civitatis ab antiquo consuevit) similiter Cancellarius Universitatis Studii Bituricensis existat, possitque auctoritate præsentium illis, qui processu temporis adeo litterarum studio insudaverunt, & in eo profecerunt, quod ad hoc idonei reputentur, quique in facultate, in qua studuerunt, gradum obtinere, ac docendi licentiam, & ut alios erudire valeant, Magisterii, seu Doctoratus honorem sibi concedi petierint, & per Doctores, seu Magistros ejusdem facultatis, in qua examinatio eorum facienda fuerit, sibi vel ejus vicegerenti (qui Doctor, aut saltem Licentiatus, & ipsius Ecclesiæ Canonicus sit,) aut si Cancellaria ejusdem Ecclesiæ litigiosa fuerit, vicegerenti per ejusdem universitatis Bituricensis Magistros, & Doctores deputato præsenti, convocatis tamen aliis Magistris, atque Doctoribus in eadem facultate post eorum diligentem examinationem, si ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint, licentiam hujusmodi tribuere, ac etiam Magisterii, & Doctoratus honorem liberè impertiri, ita tamen, quod idem Cancellarius, aut vicegerens personis idoneis præsentatis, & examinatis debitos, ut præfertur, gradus eis continentes derogare non possit, vel aliquid pro eorum collatione recipere; & si contrafecerit, sententiam excommunicationis incurrat. Examinati verò, ut præmittitur, approbati, postquam, in eadem civitate Bituricensi docendi licentiam, atque honorem hujusmodi obtinuerint, ex tunc absque examine, sive approbatione alia legendi, & docendi tam in prædicto ipsius civitatis, quàm in singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint legere, & docere statutis, & consuetudinibus quibuscumque contrariis Apostolica, vel quasi alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus plenam, & liberam habeant facultatem, & insuper quòd Doctores, Magistri, & Scholares Universitatis ejusdem, dummodò regulares non sint, Leges publicè in Scholis legere, & audire, ac in eis gradus recipere possint, nullusque nisi Doctor, aut Magister, seu Licentiatus in eadem civitate, in Medicina practicare debeat, nisi à Professoribus facultatis obtentâ licentiâ, & per eos pro idoneo fuerit approbatus. Ipsique Doctores, Magistri, & Studentes litterarum studio, in eadem Universitate pro tempore commorantes fructus redditus, & proventus omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ pro tempore obtinuerint, quotidianis tamen distributionibus duntaxat exceptis cum ea integritate, per septennium duntaxat percipere valeant, cum qua illos perciperent si in Ecclesiis, & locis, in quibus beneficia hujusmodi forsan fuerint, personaliter residerent.

Hæc ad residendum interim in eisdem compelli possint inviti, dictoque septennio durante, ratione beneficiorum, eorundem se ad Presbyteratus ordinem promoveri facere minimè teneantur, dummodo infra annum ad Subdiaconatus ordinem sint promoti. Præterea Doctoribus, Magistris, Scholaribus, & Studentibus ante dictis, ut extra muros dictæ Civitatis Bituricensis aliqua quavis auctoritate ad Judicium evocari, trahi, aut conveniri nequeant, auctoritate præfata tenore præsentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, erectionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum

ANNO 1465.

ANNO 1467.

Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Incarnationis Dominicæ 1464. pridie Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. 2. pag. 1038.

Parochialem Ecclesiam S. Gaugerici Valencenensis unit Capitulo B. Mariæ ad Aulam Comitis (nunc in Ecclesia S. Gaugerici residenti) cum jure constituendi Vicarium amovibilem: anno 1467.

PAULUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Decano Ecclesiæ Beatæ Mariæ Condatensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ROmanum decet Pontificem votis illis gratum præstare assensum, per quæ Ecclesiasticarum personarum commoditatibus valeat salubriter provideri. Dudum siquidem felicis recordationis Martino Papæ V. Prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Decani, & Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ ad Aulam Comitis Oppidi Valencenensis, Cameracensis Diœcesis exposito, quod fructus, redditus, & proventus mensæ Capitularis dictæ Ecclesiæ, cujus Dux Brabantiæ ratione Comitatus Hannoviæ Patronus existebat, adeò tenues erant, & exiles, quod singulis ratione mensæ ejusdem imminentibus pro tempore detractis oneribus cujuslibet ipsius Ecclesiæ Canonicalis Præbendæ, quæ decem & septem numero existebant, fructus, redditus, & proventus, etiam tum quotidianis distributionibus illas obtinentibus, & in dicta Ecclesia divinis interessentibus pro tempore obvenire solitis, ultra triginta quinque Libras Turon. parvorum, secundum communem æstimationem non valebant annuatim, da quibus Decanus ipse, ac singulares ex hujusmodi Capitulo personæ dictas Præbendas obtinentes, prout eos contingebant pro tempore, sustentari, eisque incumbentia onera supportare nequibant condecenter.

Et in eadem expositione subjuncto, quod si Parochialis Ecclesia Sancti Gaugerici dicti Oppidi, cujus collatio, & provisio ad dictos Decanum, & Capitulum de antiqua, & approbata, ac hactenus pacificè observata consuetudine pertinere dignoscebantur, eidem mensæ perpetuò incorporaretur pariter, & uniretur, ad id etiam cum incremento divini cultus in dicta Ecclesia Beatæ Mariæ præfatis Decano & Capitulo cederet, multipliciter profuturum. Præfatus Martinus Prædecessor ipsorum Decani, & Capituli asserentium, quod Parochialis Ecclesiæ centum & sexaginta, ac mensæ hujusmodi mille Librarum similium, secundum æstimationem prædictam valorem annuum, fructus, redditus, & proventus non excedebant, in ea parte supplicationibus inclinatus, dilecto filio Decano Ecclesiæ Cameracensis, ejus proprio nomine non expresso, per suas litteras dedit in mandatis, ut si, vocatis, qui fuissent evocandi, ita esse invenerit, Parochialem Ecclesiam præfatam cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Mensæ auctoritate Apostolica in perpetuum incorporaret, annecteret, & uniret, ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Parochialis Ecclesiæ, jurisumque, & pertinentiarum prædictorum possessionem auctoritate propria liberè apprehendere, illiusque fructus, redditus, & proventus hujusmodi in suos, ac dictarum mensæ, ac Parochialis Ecclesiæ usus perpetuò convertere pariter, & retinere, reservata tamen super hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Parochialis Ecclesiæ pro perpetuo Vicario in illa pro tempore instituendo portione congrua, de qua idem Vicarius possit commodè sustentari, Episcopalia jura solvere, aliaque sibi incumbentia onera supportare prout in iisdem litteris plenius continetur. ANNO 1467.

Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Decani, & Capituli petitio continebat, quondam Joannes tum Decanus ipsius Ecclesiæ Cameracensis in humanis agens ad ipsarum litterarum exequutionem procedens, illarum forma servata Parochialem Ecclesiam prædictam eidem Mensæ, reservata medietate omnium & singulorum fructuum, proventuum, & emolumentorum in dicta Parochiali Ecclesia provenientium pro ipsius Vicarii sustentatione, & jurium Episcopalium, ac aliorum onerum supportatione perpetuo univit, annexuit, & incorporavit. Postmodum verò succedente tempore, cum unio, annexio, & incorporatio hujusmodi fortitæ fuissent effectum, ortâ inter ipsos Decanum, & Capitulum, ac perpetuum Vicarium dictæ Parochialis Ecclesiæ tunc existentem super hujusmodi portione, & illius occasione materia quæstionis, tandem post multos sumptus, & labores, partes ipsæ certum inter se super hujusmodi portione tractatum fecerunt, qui postea per bonæ memoriæ Nicolaum titulo sanctæ crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem, tunc in partibus Franciæ sedis Apostolicæ Legatum, & deinde per sanctæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum extitit confirmatus.

Cum autem eadem petitio subjungebat, si Vicarius ipse ad nutum Decani, & Capituli prædictorum revocabilis foret, profectò quæstionis materia ne ampliùs oriretur omninò sublata esset, quare pro parte dictorum Decani, & Capituli asserentium, quod ipsi ab antiquo tres partes oblationum, & minutarum decimarum in dicta Parochiali Ecclesia, & metis ejus provenientium Jure patronatus percipere consueverunt, alia quarta parte Rectori, seu Vicario ejusdem reservata, & quod ipsa Parochialis Ecclesia monocularis eorumdem Decani, & Capituli fore censetur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod cedente, vel decedente moderno Vicario dictæ Parochialis Ecclesiæ possint illam per Vicarium amovibilem de gremio ipsius Ecclesiæ Beatæ Mariæ, vel aliunde per eos eligendum, facere gubernari, aliis oneribus dictæ Parochiali Ecclesiæ illius Rectori pro tempore incumbentibus Decano, & Capitulo hujusmodi reservatis, concedere, aliisque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vocatis Vicario prædicto, & aliis, qui fuerint evocandi, de præmissis nobis expositis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, Decano, & Capitulo prædictis, quod cedente, vel decedente moderno dictæ Parochialis Ecclesiæ Vicario, vel illam alias quomodolibet dimittente, liceat eis dictæ Ecclesiæ Parochiali per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio dictæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ, vel aliundè assumendum, & pro eorum nutu removendum deservire facere, ita tamen, quod ipsi Decanus, & Capitulum eidem Vicario de fructibus Parochialis Ecclesiæ hujusmodi ad vitæ subsidium necessaria ministrare debeant, & teneantur, singulis aliis oneribus pro tempore in-

cumbentibus

ANNO 1470.

cumbentibus eisdem Decano, & Capitulo reservatis, concedere auctoritate nostra procures, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque: proviso, quod dicta Parochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera consueta.

Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, decimo nono Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno quarto.

III. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1040.

Alia ejusdem argumenti quò superior data: anno 1470.

PAULUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano, & Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ ad aulam Comitis Vallencenensis, Cameracensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXigit vestræ devotionis, & sinceritatis affectus, quo erga Deum, & Romanam Ecclesiam splendore dignoscimini, ut petitionibus vestris, illis præsertim per quæ vestris, & Ecclesiæ vestræ Beatæ Mariæ ad aulam Comitis Vallencenensis Cameracensis Diœcesis, necessitatibus providetur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Dudum siquidem felicis recordationis Martino Papæ Quinto Prædecessori nostro pro parte vestra exposito, quod fructus, redditus, & proventus Mensæ Capitularis dictæ Ecclesiæ vestræ, adeò tenues erant, & exiles, quod singulis ratione mensæ ejusdem, imminentibus pro tempore detractis oneribus, cujuslibet Ecclesiæ ipsius Canonicalis Præbendæ, quæ decem, & septem numero existebant fructus redditus, & proventus, etiam cum quotidianis distributionibus, illas obtinentibus, & in dicta Ecclesia divinis insservientibus pro tempore obvenire solitis, ultra triginta quinque Libras Turonen. parvorum secundum communem æstimationem non valerent annuatim, de quibus Decanus ipse, ac singulares ex hujusmodi Capitulo personæ dictas Præbendas obtinentes, prout contingebat eos pro tempore, sustentari, eisque incumbentia onera supportare nequibant condecenter, quodque si Parochialis Ecclesia Sancti Gaugerici etiam Vallencenensis, cujus collatio, & provisio ad vos de antiqua, & approbata, ac hactenùs pacificè observata consuetudine pertinere dignoscebantur, eidem Mensæ perpetuò incorporaretur, id etiam cum incremento diurni cultus cederet multipliciter profuturum. Præfatus Martinus Prædecessor vestris in hac parte supplicationibus inclinatus, dilecto filio Decano Ecclesiæ Cameracensis, ejus proprio nomine non expresso per suas litteras dedit in mandatis, ut si vocatis qui forent evocandi ita esse inveniret, Parochialem Ecclesiam præfatam cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem mensæ auctoritate Apostolica in perpetuum incorporaret, annecteret, & uniret; ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Parochialis Ecclesiæ, qui tunc erat, vel illam alias quomodolibet dimittente, liceret vobis per vos vel alium, seu alios corporalem Parochialis Ecclesiæ, jurisque, & pertinentiarum prædictorum possessionem auctoritate propria liberè apprehendere, illiusque fructus, redditus, & proventus hujusmodi in vestros, ac dictarum mensæ, & Parochialis Ecclesiæ usus perpetuò convertere pariter, & retinere, reservata tamen super hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Parochialis Ecclesiæ pro perpetuo Vicario in illa pro tempore instituendo portione congrua, de qua idem Vicarius posset commodè sustentari, Episcopalia Jura solvere, aliaque sibi incumbentia onera supportare.

ANNO 1470.

Et deinde etiam pro parte vestra nobis exposito, quod quondam Joannes tunc Decanus ipsius Ecclesiæ Cameracensis in humanis agens ad ipsarum litterarum exequutionem procedens, illarum forma servata, Parochialem Ecclesiam prædictam eidem mensæ, reservata medietate omnium, & singulorum fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum in dicta Parochiali Ecclesia proventurorum pro ipsius Vicarii substentatione, & jurium Episcopalium, ac aliorum onerum supportatione, perpetuò univerat, annexuerat, & incorporaverat.

Consequenter verò succedente tempore, cum unio, annexio, & incorporatio hujusmodi sortitæ fuissent effectum, orta inter vos, ac perpetuum Vicarium dictæ Parochialis Ecclesiæ tunc existentem super hujusmodi portione, & illius occasione, materia quæstionis eandem inter vos, & Vicarium prædictum super hujusmodi portione feceratis tractatum, qui postea per bonæ memoriæ Nicolaum titulo sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem tum in partibus Franciæ sedis Apostolicæ Legatum, & successivè per sanctæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum confirmatus extiterat, ac subjuncto, quod si Vicarius ipse ad nutum vestrum revocabilis foret, profectò quæstionis materia omninò esset sublata, & pro parte nostra, qui ut asserebatis ab antiquo tres partes oblationum, & minutarum decimarum in dicta Parochiali Ecclesia, & metis ejus provenientium jure patronatus percipere consuevistis, alia quarta parte Rectori, seu Vicario ejusdem reservata, nobis humiliter supplicato, ut vobis, quod cedente, vel decedente tunc Vicario dictæ Parochialis Ecclesiæ possetis per Vicarium amovibilem de gremio ipsius Ecclesiæ vestræ, vel aliundè per vos eligendum facere gubernari, concedere, aliasque in præmissis opportunè providere dignaremur.

Nos qui de præmissis certam notitiam non habebamus, vestris hujusmodi supplicationibus inclinati, Decano Ecclesiæ Beatæ Mariæ Condatensis dictæ Diœcesis, ejus proprio nomine non expresso, per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis Vicario prædicto, & aliis, qui forent evocandi, de præmissis nobis expositis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra se diligenter informaret, & si per informationem hujusmodi ita esse repererit, vobis, quod cedente, vel decedente tunc dictæ Parochialis Ecclesiæ Vicario, vel illam alias quomodolibet dimittente, liceret vobis dictæ Parochiali Ecclesiæ per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio Ecclesiæ vestræ prædictæ, vel aliunde assumendum deserviri facere dicta auctoritate concederet, prout in singulis litteris prædictis pleniùs continetur.

Cum autem sicuti exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quondam Thomas de Gauberiis ipsius Ecclesiæ Condatensis Decanus tunc in humanis agens, ad ipsarum litterarum nostrarum exequutionem procedens, illarum formâ servatâ, vobis quod cedente, vel decedente, tunc dictæ Parochialis Ecclesiæ Vicario, vel illas alias quomodolibet dimittente, liceret vobis dictæ Ecclesiæ Parochiali per Presbyterum idoneum ad hoc assumendum, & removendum, ut præfertur, deserviri facere, & vos eidem Presbytero de fructibus Parochialis Ecclesiæ hujusmodi ad subsidium

ne cessaria

ANNO 1469.

necessaria ministrare deberetis, & teneremini, auctoritate prædicta concesserit, prout in quodam publico instrumento sigillato ipsius Thomæ de Gauberiis plenius dicitur contineri: Cum itaque hodie dilectus Filius Guillelmus de Sanctis, nuper ipsius Parochialis Ecclesiæ Vicarius perpetuus, dictam Parochialem Ecclesiam, quam tunc obtinebat per dilectum filium Joannem Coutelier Clericum Tornacensis Diœcesis Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris spontè, & liberè resignaverit, nosque resignationem ipsam duxerimus admittendam, nullusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, pro eo quod nos dudum omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, apud sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nos indemnitatibus ejusdem Ecclesiæ occurrere cupientes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, volumus, & apostolica auctoritate vobis concedimus, quod singulæ Apostolicæ litteræ hujusmodi, & processus habiti per easdem, nec non unio, annexio, & incorporatio prædictæ, ac quæcumque inde sequuta à data præsentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac si in eisdem litteris, quod etiamsi Parochialis Ecclesia per cessum, vel decessum hujusmodi apud sedem eandem vacaret, expressum, vel concessum extitisset, & insuper ut facilius onera prædicta supportare valeatis, de alicujus subventionis auxilio nobis providere volentes, quod liceat vobis dictæ Parochiali Ecclesiæ, per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio Ecclesiæ vestræ hujusmodi, vel aliundè assumendum, ac pro vestro nutu, removendum, deinceps deserviri facere, ita quod vos dicto Presbytero de fructibus Parochialis Ecclesiæ hujusmodi pro vitæ subsidio necessaria ministrare debeatis, & teneamini, singulis aliis oneribus pro tempore eidem Parochiali Ecclesiæ incumbentibus vobis reservatis, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus: proviso, quod dicta Parochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera ante dicta.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo, octavo Kalendas Decembr. Pontificatus nostri anno septimo.

IV.

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 427.

Fœdus initum inter summum Pontificem, & Rempublicam Venetam 28. Maji 1469.

In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac B. Marci Evangelistæ, totiusque cœlestis curiæ triumphantis, Anno à Nativitate Domini MCCCCLXIX. *Die verò* XXVIII. *Mensis Maji Indictione* II. *Pontificatus sanctissimi Domini nostri, Domini* PAULI *Divina Providentia sacro sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis anno V. &c.*

PRimo ipse Reverendissimus Dominus S. Marci, nomine sanctissimi Domini nostri pro se & successoribus suis canonicè intrantibus & pro sanctissima Romana Ecclesia suisque adhærentibus confœderatis, complicibus & obligatis; etiam præfatus magnificus Dominus Orator nomine Serenissimi Domini Ducis, & Illustrissimi Dominii Venetorum faciunt, firmant, ineunt, & contrahunt bonam meram, & veram invicem *Confœderationem*, intelligentiam, & ligam duraturam *usque ad annos* XXV. & ultra ad illud totum tempus, quod ipsis partibus placitum fuerit, ad mutuam conservationem, & defensionem statuum, & contra omnes de cætero, non provocatos, ac lacessitos offendere volentes sanctissimum Dominum nostrum, & Illustrissimum Dominium Venetorum, vel eorum alterum, seu eorum status: & hoc fieri intelligatur pro conservatione & tranquillitate Pacis Italiæ.

§. 2. Item convenerunt & concordarunt, quod ipse *Sanctissimus Dominus noster tenere & habere debeat equites quatuor mille, & pedites tres mille paratos, & ipsum illustrissimum Dominium similiter tenere & habere debet equites quatuor mille & pedites tres mille*, ut supra prædictum est, propriis sumtibus uniuscujusque partis, declarando, quando dictas gentes illustre Dominium prædictum mittere debeat facta Sigillatione capitulorum in Romandiolam ad omnem requisitionem Sanctissimi Domini nostri, ireque debeant ad ea loca, ad quæ sua Sanctitas, & illustrissimum Dominium prædictum judicaverint mittendas esse, habita omni consultatione, & deliberatione ad defensionem status & terrarum sanctissimi Domini nostri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: *quo casu sanctitas prædicta ipsis gentibus sic missis*, vel earum parti, *providere facere debeat de allogiamentis, stationibus & victualibus, quæ* vendi debeant gentibus prædictis *eo pretio & avantagio, quo venderentur gentibus sanctissimi Domini nostri.*

§. 3. Item convenerunt, & concordes remanserunt dictæ partes, quod illustrissimum Dominium prædictum, cum omni tempore super mare teneat potentem classem, obligatum sit, & se obtulit occurrente bello, quod Deus avertat, quocumque modo successerint negotia, quod maritimas vires attinet, sufficienter, & tempestivè providere ad omnia commoda statuum, & rerum Sanctissimi Domini nostri prædicti, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ supra dictæ, absque aliqua impensa sanctitatis suæ.

§. 4. Item convenerunt & concordarunt partes prædictæ, quod occurrente casu, quo illustrissimum Dominium prædictum ab aliquo Dominio vel potentatu non lacessito sive provocato offenderetur, sanctissimus Dominus noster prædictus obligetur præstare, & *mittere in succursum præfati illustrissimi Dominii, equites duo mille, & pedites mille*; illosque tenere propriis impensis toto tempore belli; quemadmodum præfatum illustrissimum Dominium præstare, & mittere se obligat in Romandiolam, & aliò, ubi necessarium judicatum fuerit per communem consultationem ambarum partium, & tenere usque ad bellum finitum prædictos equites quatuor mille, & pedites tria millia suis propriis impensis. (Additæ sunt aliæ pactiones, ut *fœdus cum nullo Principe*, vel populo Italico inire posset, nisi pars altera pari conspiratione consentiret: Daretur autem singulis facultas ut huic fœderi accederent: *Lapso ab hujus promulgatione mense, socios pars quæque suos designaret: si bello pars altera implicaretur altera pacem conficere, altera dissentiente, nequeat.*)

ANNO 1472.

SIXTUS QUARTUS,

PONTIFEX CCXVI.

ANNO DOMINI MCDLXXI.

VIde Compendium Vitæ in *Magn. Bullar. Roman. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 387.

I. Ex hiſtor. univerſ. Pariſienſ. Bulæi Tom. 5. pag. 698.

Ad ſubvertendam Pragmaticam ſanctionem hanc Bullam edit circa Beneficia in Galliarum Regno, Ordinariis ſex menſes concedens ad Beneficia conferenda, totidem ſibi retinens: anno 1472.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD univerſalis Eccleſiæ Regimen diſponente clementia, vocatis inter alia pro communium Populorum votiva dilectione nil occurrit præſtantius, quàm exorta inter Perſonas Eccleſiaſticas Principis tenebrarum aſtutia, diſcordiarum fomenta per noſtræ ſollicitudinis occurſum protinus extinguere, ut cujusvis alterationis ſalubriter evulſis ſeminibus pacis, & tranquillitatis dulcedinem inter creditos nobis populos, divina nobis aſſiſtente gratia, imponere, & conſervare valeamus. Cupientes itaque, ut ſuſcitata retroactis temporibus diſcordia, proh dolor! in Regno Franciæ Delphinatu aliis Terris, & Dominiis illuſtriſſimi in Chriſto Filii noſtri Ludovici Francorum Regis illuſtris, inter nonnullas ex eisdem perſonas occaſione cujuſdam conſtitutionis, quæ in eodem Regno diutiùs inolevit, quam Perſonæ prædictæ Pragmaticam ſanctionem vocant, ne quod abſit, majora fomenta ſumeret, damna pariter, & graviora ſcandala ſubſequerentur, ſine debito claudatur, & totaliter ſecludatur, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia, de fratrum noſtrorum conſilio, omnibus, & ſingulis Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis Regni, Delphinatus, Terrarum, & Dominorum eorumdem collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet de quibusvis dignitatibus, adminiſtrationibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, nec non aliis Beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, & ſine cura, ſecularibus, & regularibus ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinentibus, quæ deinceps in Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris menſibus futuris, perpetuis temporibus vacare contigerit, dummodo diſpoſitioni Apoſtolicæ ex aliqua reſervatione generali in corpore Juris clauſa, aut per alteram ex conſtitutionibus felicium recordationum Benedicti XIII. quæ incipit ad regimen: aut Joannis XXII. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, quæ incipit: Execrabilis: per conſtitutiones, & regulam Cancellariæ Apoſtolicæ per nos ſuper hoc editas reſervata generaliter non exiſtant, perinde ac ſi aliquæ à ſede Apoſtolica, vel ejus Legatis expectativæ litteræ non emanaſſent, liberè diſponendi facultatem concedimus per præſentes. Et quia iſti ſummi Pontifices Prædeceſſores noſtri conſueverunt ſe in conceſſionibus Gratiarum expectativarum perſonis bene meritis exhibere liberales, noſtræ intentionis exiſtit concedere in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis conceſſas, quibus in aliquo præjudicare non intendimus per præſentes, quasque in ſuo robore permanere volumus, ſex perſonis idoneis Regnicolis, ſex alias Gratias expectativas ad quamlibet collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem ſingulorum ex Prælatis, & aliis perſonis prædictis. Ex quibus quidem ſex gratiis duæ gratiæ expectativæ concedantur duobus Clericis regnicolis idoneis, pro quibus Rex ipſe Chriſtianiſſimus, & chariſſima in Chriſto filia noſtra Regina, ac dilectus Filius nobilis vir Delphinus Viennenſis, nec non Magiſtri, & Præſidentes, ac alii Officiarii in aliquo ex Parlamentis Regis ejusdem Regni nobis ſuper hoc unanimiter ſupplicabunt, qui duo nominati per Regem, & Reginam, Delphinum, Magiſtros, Præſidentes, & Officiarios præfatos gaudeant prærogativis ad inſtar familiarium noſtrorum continuorum commenſalium. Ipſisque ſex gratiis conſumptis, alias ſex gratias ſimiles aliis ſex gratiis perſonis idoneis modo, & forma præmiſſis concedere intendimus. Volumus autem, ac eisdem auctoritate, & tenore præſentium decernimus, & declaramus Beneficia, quæ Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium familiares, continui commenſales eorum familiaritate durante in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis obtinent, & in poſterum obtinebunt, diſpoſitioni Apoſtolicæ in poſterum cenſeri reſervata, quandiù duntaxat Cardinales præfati vitam duxerint in humanis, ac poſt obitum eorundem Cardinalium per ſex annos continuè ſequentes. Quibus quidem ſex annis elapſis, alii ad quos eorundem Beneficiorum collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio aliàs pertinet de Beneficiis familiarium hujuſmodi in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis conſiſtentibus in prædictis menſibus diſponere valeant, hujuſmodi reſervatione non obſtante. Concedimus etiam, quod Beneficiorum, quæ promovendi per nos ad dignitates, ſeu Beneficia conſiſtorialia prædicta, ac munus conſecrationis eisdem promovendis impendendum, ſeu lapſum temporis de conſecrandis Epiſcopis à Sacris Canonibus definiti vacaturorum, ſi promotiones ipſæ in aliquo ex ſupra dictis menſibus fiant, niſi Beneficia ipſa eſſent aliis diſpoſitioni Apoſtolicæ, ut præfertur, reſervata ad Prælatos, & perſonas ſupra dictas. Si verò in aliis menſibus promotiones eisdem fieri contingat, ad nos & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, collatio, proviſio,

ANNO 1472.

ANNO 1472.

& omnimoda disposítio pertinebat. Et quoniam Notariorum, qui habitum per ejusdem sedis Notarios gestari solitum publicè & continuè gestant, & in posterum gestabunt, Beneficium in eisdem Regno, Delphinatu, & Terris consistentia duntaxat censeantur reservata; Quodque omnes, & singulæ causæ Beneficiales in partibus coram Judicibus competentibus, usque ad definitivam inclusivè, & in prima duntaxat instantia, in qua nulli ante definitivam liceat appellare nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, vel à gravamine negotium principale minime concernente, quod non possit per appellationem à difinitiva sententia reparari: In aliis verò instantiis in Curia Romana tractentur, cognoscantur, & fine debito terminentur. Causæ verò Beneficiales pendentes in dicta Curia inter nos, aut dictorum Cardinalium familiares continuos commensales, ipsis Cardinalibus in eadem Curia præsentibus, seu in aliqua Legatione, aut recreationis causa secedentibus, nec non præfatæ sedis Officiales officia actum exercentes, aut alios à præmissis, qui per sex menses curiam prædictam sequuti sunt, & sequuntur de præsenti, Curiales, & quoscumque alios eorum Adversarios super quibusvis Beneficiis eisdem Adversariis auctoritate ordinaria collatis, per illos, quibus commissæ reperiuntur, seu alios per nos ad id deputatos, seu etiam deputandos Judices audiantur, cognoscantur, decidantur, fineque debito terminentur, ac exequutioni debitæ demandentur. Cæteræ verò causæ similes Beneficiales inter quoscunque alios pendentes, & quæ quibusvis Judicibus seu Auditoribus commissæ reperiantur, aliquibus Judicibus competentibus in Regno Franciæ auctoritate Apostolica audiendæ, cognoscendæ, decidendæ, & fine debito terminandæ, cum necessaria earumdem causarum advocatione. Præterea quia aliquæ ex supra dictis causis in eadem Romana curia super petitorio à diversis curiis ipsius Regni super possessorio tractatur, volumus, quod in eisdem causis in diversis curiis super petitorio, & possessorio unico, & eodem contextu pendentibus, suspenso petitorio, & censuris super hoc latis, in possessorio, in curiis eorundem Judicum coram quibus causæ possessorii pendent de præsenti procedant causæque ipsæ super hujusmodi possessorio intra biennium terminentur, & finiantur. Alioqui biennio elapso liceat Partibus ipsis procedere super petitorio, & alterius dictis causis expeditis super possessorio, aut hujusmodi biennio elapso altera partium litigantium coram Judice competente auctoritate Apostolica deputato, poterit Jus suum prosequi, ipseque Apostolicus Judex intra aliud biennium causam in petitorio terminare teneatur. Quod si non fecerit causa ipsa ab ea evocata, & lis penitus extincta censeatur. Et si forsan aliquis eorumdem Judicum uniusvis sibi commissæ causæ expeditionem malitiosè prorogare, aut differre præsumpserit, excommunicationis, & omnium Beneficiorum privationis pœnas ipso facto incurrat, à qua quidem excommunicationis pœna absolvi nequeat, nisi à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, præterquam in mortis articulo; quodque de cætero in litteris expediendis in Regno Franciæ, Delphinatu, & Terris, aliisque Dominiis prædictis serventur taxæ super hoc editæ per Joannem XXII. Papam præfatum, & excessus, si qui fuerint, corriguntur. Et quia propter assiduas guerras, & novitates, quæ continuè vigent in dicto Regno, prætenditur Ecclesias, dum vacant, gravatas in taxa etiam reformata in Concilio Constantiensi, quæ reducta est ad medietatem antiquæ taxæ, quod gravatus in eadem taxa Prælatus promovendus solvat communia, & minuta servitia, quæ plures ex Gallis Annatam vocant, tantùm pro vera æstimatione fructuum Ecclesiæ, & monasterii, ad quæ sit promotus, eaque in dicta Cancellaria, & Camera Apostolica inviolabiliter servari mandamus, & quia supra dictis concessionibus Regnum, ac Regem maxima sumus charitate complexi, credendum est non immeritò, ut se devotos, & obedientes erga Sanctam Romanam Ecclesiam exhibeant. Quare volumus, & eisdem auctoritate, & tenore statuimus, quod præfatus Rex intra quatuor menses præmissa acceptare, & observare, ac in Regno, Delphinatu, & Dominiis hujusmodi observari facere, nec non intra alios duos præfatos quatuor immediatè sequentes menses super acceptatione, & observatione, aliisque præmissis omnibus, & singulis per suas patentes litteras nos, & sedem præfatam certificare teneatur. Alioquin præsentes litteræ, & inde sequuta quæcumque fint cassa & irrita, nulliusque roboris, vel momenti. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1472. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex spicil. Dacheri Tom. 3. pag. 844.

Ad LUDOVICUM Francorum Regem; conqueritur quod concordata non observet, quæ extant inter extravagantes communes Cap. *ad Universalis de Treuga & Pace*: anno 1474.

SIXTI PAPÆ IV.

Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUotidie ad nos præfertur ex querelis multorum, concordata inter nos & te non observari, sed provisiones Apostolicas deferentes capi, & contumeliis & injuriis affici; quod est nobis & molestum, & de Majestate tua, quæ Christianissima est & Apostolicæ sedis observantissima, semper fuit creditu admodum difficile: quamquam existimamus tuorum potius quàm Celsitudinis tuæ culpâ id fieri.

Hæc cum apertè tendant in diminutionem honoris tui, & sedis Apostolicæ contemptum, non debes pro singulari sapientia tuâ id ullo modo tolerare. Non enim te latet, quanta cum difficultate Venerabiles Fratres nostros adduxerimus, ut hujusmodi concordatis & conventionibus assentirentur: quod libenter quidem fecimus; primo ne tanta animarum multitudo, quæ in inclyto tuo Regno

ANNO 1474.

est,

ANNO 1474.

est, hujusmodi Pragmaticæ labe ampliùs involveretur & periclitaretur : tùm etiam ut & honori tuo, qui Christianissimus es, & quem singulari caritate prosequimur, & honori sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter consuleretur : quod secus evenire intelligimus, & plurimum admiramur; nam postquàm hujusmodi concordata Oratores tui ad te detulerunt, ratificationem quamdam transmisisti per dilectum Filium Ludovicum de Amboisiâ Procuratorem tuum, quam ad te remisimus, propter quod insufficiens erat, petentes ut pleniorem ad nos remitteres, quæ nunquam postea missa est, neque aliquid ampliùs audivimus in tanto temporis spatio, non sine magnâ omnium admiratione. Quamobrem hortamur & rogamus Celsitudinem tuam, ut aut ratificationem plenam ad nos mittat, & concordata faciat inviolabiliter observari, aut Bullam ipsam concordatorum remittat.

Aliter enim non videmus quomodo & honori tuo consuli possit & sedi Apostolicæ, quæ dum in dies promissa adimpleri expectat, magno afficitur detrimento.

Quod te pro singulari religione animi tui & devotione, quâ nos & sedem hanc sanctam prosequeris, diligenter consideraturum & adimpleturum esse non dubitamus. Hac in re latiùs ipsam tuam Majestatem alloquetur dilectus filius Andreas de Spiritibus Nuntius noster, cui fidem indubiam hortamur adhibeas.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Decembris, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus nostri anno tertio.

L. Grifus.

III.
Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. 2. pag. 1266.

Quod in Ecclesiâ Metropolitanâ Colonienſi nullus ad octo præbendas Presbyterales assumatur nisi Doctor : anno 1474.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

CReditam nobis desuper regendæ militantis Ecclesiæ providentiam exsequi Deo adjuvante cupientes, ad ea libenter intendimus, ut debemus, per quæ singulæ Orbis Ecclesiæ, præsertim Metropolitanæ insignes & famosæ, personarum utilium fulcitæ præsidiis, ad altissimi laudem & gloriam condignis honoribus & venustatis proficiant incrementis; eorumque bona & jura à quorumcumque occupatione observari valeant illæsa.

Sanè pro parte charissimi in Christo Filii nostri Frederici Romanorum Imperatoris semper Augusti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ecclesia Colonienſis insignis Metropolitana, cujus Sanctus Maternus, S. Petri discipulus, primus Præsul extitit, adeò inclyta & præclara existit, quod nulli nisi illustres, & magni nobiles, qui ex sextodecimo adscendente & ex illo gradatim descendentibus nobilibus Antecessoribus suis rectâ lineâ sunt procreati, illius Canonicatus, & præbendas assequi possent; octo Canonicatibus & Præbendis totidem duntaxat exceptis, quorum duo pro Graduatis in Universitate studii Colonienſis reservati existunt, reliqui verò per ignobiles & plebejos; frequentiùs quoque per humiles personas, aut familiares quorumdam Canonicorum dictæ Ecclesiæ, qui familiares ipsos in Canonicos dictæ Ecclesiæ recipi procurant; seu rudes & indoctos, qui illos vigore gratiarum expectativarum ipsis concessarum assequuntur. Et quod valdè decori & utilitati dictæ Ecclesiæ & Jurium illius conservationi, nec non qualitatibus & præeminentiæ nobilium Canonicorum prædictorum convenire videtur, quod dictæ octo Præbendæ duntaxat per viros illuminatos & scientia præditos, etsi non carne, scientia tamen & virtute nobilitatos, quorum prudentia & consilio dicta Ecclesia, quæ destitura & depauperata existit, sua recuperare posset, duntaxat obtineantur; prout in nonnullis Alemannicæ nationis Ecclesiis tam ex statutis, quàm ex laudabilibus consuetudinibus, quæ per nonnullos Romanos Pontifices Prædecessores nostros confirmata fuerunt, hactenus observatur.

Quare pro parte ejusdem Imperatoris, qui ad Ecclesiam ipsam specialem gerit devotionis affectum, nobis humiliter fuit supplicatum, ut quod de cætero perpetuis futuris temporibus dicti sex Canonicatus & Præbendæ, dum pro tempore vacaverint in quibuscunque mensibus, per dilectos Filios Decanum & Capitulum Ecclesiæ Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, aut in utroque vel altero jurium, qui cum rigore examinis in Universitate alicujus studii, loco in quo illud viguerit, generalis promoti fuerint, duntaxat conferri debeant & de illis provideri.

Nos igitur qui dictæ Ecclesiæ splendorem & venustatem appetimus, hujusmodi petitionibus inclinati Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certa nostra scientia statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus prædicti sex Canonicatus & Præbendæ, non ignobilibus plebeis, humilibusque personis & familiaribus prædictis, sed duntaxat Doctoribus, & Licentiatis in Theologia, vel altero Jurium, in aliquo studio generali cum rigore examinis duntaxat conferri possint, & debeant.

Datum anno MCCCCLXXIV. Pontificatus anno tertio.

ANNO 1482.

IV.
Ex Archiv. Reip. Genev.

Bulla Pontificis SIXTI IV. ad populum Urbis & Diœcesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus Joannes de Compois : anno 1482.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Populo civitatis & Diœcesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie dilectum filium nostrum Dominicum tituli sancti Clementis Presbyterum Cardinalem ab eo quo Gebennensi cui ex concessione & dispensatione Apostolica, illius Regiminis & administrationis ac bonorum possessione vel quasi per eum non habita, &

ANNO 1483.

venerabilem fratrem noſtrum Johannem Gebennenſem tunc Taurinenſem Epiſcopum, ab eo quo Taurinenſi cui tunc præerant Eccleſiis vinculis tenebantur, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes Dominicum Cardinalem ad Taurinenſem, & Johannem Epiſcopum præfatos ad Gebennenſem Eccleſias prædictas per hujuſmodi translationes reſpective vacante de eorundem fratrum conſilio, duximus auctoritate Apoſtolica transferendos, præficiendo eundem Johannem præfatæ Eccleſiæ Gebennenſi in Epiſcopum & Paſtorem, ac curam & adminiſtrationem ejusdem Eccleſiæ Gebennenſis ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attentè per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatinus eundem Johannem Epiſcopum tanquam Patrem & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ita quod ipſe in vobis devotionis filios, & vos in eo per conſequens patrem inveniſſe benivolum gaudeatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo. Nono Cal. Auguſti Pontificatus noſtri anno undecimo.

9. Cal. Aug. 1482.

G. Bonattus.

V.

Ex Archiv. Reip. Genev.

Bulla SIXTI IV. quâ præcipit Duci Sabaudiæ aut ejus Conſiliariis ne ulteriùs infeſti ſint Epiſcopo Genevenſi, utque omnia tollant obſtacula, quibus non permittitur ipſis libera & ſuprema ſuæ Eccleſiæ poſſeſſio: Et ſi deſint obſequio ferit interdictô omnes inobedientes, Urbem & Diœceſim ipſam Genevenſem, & omnes terras & Dominia Ducis Sabaudiæ ultra montes. Eâ in Bullâ inſerta eſt revocatio ſummi Juris in Genevam, Duci Zeringuen conceſſi, & ceſſi Comiti Genevenſis, facta anno 1162. ab Imperatore Friderico: an. 1483.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

SOlicitudo paſtoralis officii ſtudia noſtræ mentis ſolicitare non deſinit, ſic rebus ſingulis executionem adhibere juſtitiæ, quod ea quæ minus rite, & in Eccleſiarum præſertim Cathedralium, illarumque Prælatorum præjudicium proceſſerunt, ad ſtatum debitum reducantur. Dudum ſiquidem à claræ memoriæ Friderico Romanorum Imperatore ſemper Auguſto emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis. Fridericus Dei gratia &c..... acta ſunt hæc &c.... ſeptimo Id. Septembris ac præſenti pagina ſigilli aurei aſſueti impreſſione munita; in fine verò dictarum litterarum Imperialium, ſcripta ſunt hæc verba videlicet, ſignum Domini Friderici Imperatoris invictiſſimi, in extremitate verò ſcripta ſunt hæc verba, videlicet, Ego Herolfus Cancellarius vice Arnoldi Maguntinenſis Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi; Et inſuper emanarunt litteræ diverſorum aliorum Imperatorum, videlicet Vinceslai & Caroli, multipliciaque alia privilegia Imperialia dictæ Eccleſiæ Gebennenſi conceſſa, nec non litteræ patentes multiplicatæ Principum Sabaudiæ, quarum omnium tenorem pro expreſſis haberi volumus, ac ſi præſentibus inſererentur per quas petebant ſibi de gratia ſpeciali per Epiſcopum ac ſuos officiales dari territorium, quo tempore ibidem morabantur ut poſſent ibidem ſuis ducalibus ſubditis civilem juſtitiam miniſtrare, per quæ omnia conſtat civitatem Gebennenſem cum caſtris pleno jure in ſpiritualibus & temporalibus pertinere ad Epiſcopum & Eccleſiam Gebennenſem. Cum autem ſicut non ſine grandi diſplicentia intelleximus iniquitatis filii Amadeus de Gingino & Amadeus de Griliaco Ancehinus copini Gebennenſis, Johannes Antonius Gambe Thaurinenſis Diœceſis, cum nonnullis eorum complicibus & ſequacibus, de commiſſione & mandato ut aſſeruerunt dilecti filii Nobilis Viri Caroli Ducis Sabaudiæ, armata manu, vi & violentia Venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Epiſcopum Gebennenſem, quem à vinculo quo Eccleſiæ Thaurinenſi cui tunc præerat de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ad Eccleſiam ipſam Gebennenſem tunc certo modo vacantem de eorundem fratrum conſilio tranſtulimus, præficiendo eum eidem Gebennenſi Eccleſiæ in Epiſcopum & paſtorem, quaſi poſſeſſione jurisdictionis & Superioritatis temporalis Civitatis prædictæ Gebennenſis ac caſtrorum & bonorum dictæ Eccleſiæ, in qua erat & per aliquos menſes permanſerat, ſpoliare & ejuſdem Civitatis cives & incolas præfatæ Gebennenſis Eccleſiæ Vaſallos & ſubditos ne dicto Epiſcopo & ejus Officialibus quoquomodo pareant, & obediant, ſed præfatum Ducem & inibi pro eo ad juriſdictionem & ſuperioritatem hujuſmodi in eiſdem temporalibus exercendam deputatos, in ſuos ſuperiores in hujuſmodi temporalibus recognoſcat compellere temerario auſu veriti non fuerunt, & continuo in hujuſmodi eorum præſumptuoſa temeritate perſeverare non vereantur in Apoſtolicæ auctoritatis contemptum, pernicioſum exemplum & ſcandalum plurimorum & præfati Epiſcopi qui propter hoc de ſua Sede expulſus ad Romanam curiam ſe contulit & in ea reſidet de præſenti, maximum præjudicium & gravamen. Nos, quorum intereſt hujuſmodi pravis conatibus evidenter ad perniciem tendentibus ſalubriter obviare & ut Eccleſiarum Prælati potiorum præſertim dignitatum titulis inſigniti, in ſuis juribus conſerventur, opportunum adhibere remedium, ne ſi univerſis univerſa licerent par videatur in ſingulis juriſdictio ſingulorum, & Petri navicula, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad humani corporis formam figuravit, ponens in ea Romanam Eccleſiam velut caput, ſine remige fluctuari, de præmiſſis, quæ adeo etiam in præfata curia Romana notoria ſunt, & nulla poſſint tergiverſatione celari, informati, motu proprio, non ad præfati Epiſcopi aut alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione & ex certa noſtra ſcientia auctoritate apoſtolica præſentium tenore, præfatum Ducem Sabaudiæ & ejus in Ducatu Sabaudiæ regimine conſiliarios cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtant, requirimus & monemus, ac eis & cuilibet eorum per hæc Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus infra triginta dies poſt affixionem præſentium in valvis Gebennenſium vel aliarum Eccleſiarum ſeu locorum circumvicinorum, quorum decem pro primo, & alios decem pro ſecundo, ac reliquos decem dies pro ultimo & peremptorio termino canonica monitione promiſſa, aſſignamus, deputatos nomine ipſius Ducis ad exercitium

ANNO 1483.

tempora-

ANNO 1483.

temporalis jurisdictionis & superioritatis, ac Palatii, castrorum dictæ Ecclesiæ Gebennensis custodiam, officiales, & Castellanos, ac custodes, reliquosve præmissa & quæcunque alia impedimenta, eidem Johanni Episcopo & suis Officialibus in suæ superioritatis & jurisdictionis temporalis & spiritualis libero exercitio in civitate, Palatio & castris suis prædictis, cum effectu revocent, & ab illis ex toto desistant, ac ipsum Episcopum per se & ejus Officiales quasi possessione jurisdictionis & superioritatis hujusmodi etiam temporalis, in civitate, Palatio & Castris prædictis, pariter & in spiritualibus, in illis & Dioceси Gebennensi, libere & sine ullo ipsorum Ducis & Consiliariorum impedimento pacifice potiri & gaudere permittant cum effectu, nec non de damnis & interesse, quæ idem Episcopus & sui Officiales præmissorum occasione incurrerunt, eis debitam satisfactionem impendant, aut alias cum eisdem desuper concordent & componant: Alioquin si non paruerint, in singulos ejusdem Ducis Sabaudiæ Consiliarios sic monitos non parentes, ex nunc prout ex tunc, si Episcopi & superiores Ecclesiastici interdicti ingressus Ecclesiæ, si verò alii ab eis inferiores fuerint, majoris excommunicationis & anathematis sententiam promulgamus, à qua ab alio quàm Romano Pontifice præterquam in mortis articulo, constituti nequeant absolutionis beneficium obtinere, & si excommunicati & anathematizati prædicti hujusmodi excommunicationis sententiam per octo dies dictos posteriores, decem dies immediate sequentes, animo quod absit sustinuerint indurato, ex nunc prout ex tunc dictis octo diebus decursis, Dioceсim Gebennensem & illius castra & loca omnia, Ecclesiastico subjicimus interdicto: Et si sub interdicto hujusmodi per sex dies dictos octo dies immediate sequentes permanere obstinata duritia non formidaverint, ex nunc prout ex tunc, quæcunque civitates, castra & loca temporali Dominio dicti Ducis ultra montes mediate vel immediatè subjecta pari Ecclesiastico subjicimus interdicto, ita ut hujusmodi interdicto durante, inibi præterquam in festivitatibus & casibus à jure permissis, & in illis duntaxat clausis januis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, submissa voce, ex quovis etiam Apostolico privilegio, etiam ordinariis locorum vel personis aliis aut Ecclesiis sive locis concesso, missæ & alia divina officia nequeant celebrari; Et volentes non solum adversus hujusmodi sic præstita dicto Johanni impedimenta, sed etiam ne alia imposterum sibi præstentur, neve ipse Johannes Episcopus Gebennensis spirituali & temporali jurisdictione & superioritate hujusmodi illiusque pacifica quasi possessione & libero exercitio uti impediatur; eisdem motu & scientia, statuimus & ordinamus quod si præfatus vel pro tempore existens Dux Sabaudiæ aut alius superior vel inferior eodem Duce, Ecclesiasticus vel Secularis, cujuscunque status, ordinis & conditionis, seu quævis communitas vel universitas, præfatum Johannem Antistitem Gebennensem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, possessionem vel quasi regiminis & administrationis dictæ Ecclesiæ Gebennensis & superioritatis ac temporalis jurisdictionis prædictæ, in totum vel in parte assequatur, vel postquam assecutus fuerit, illis libere utatur, impedire, aut incolas civitatis prædictæ, quæ inter loca dominii ipsius Ducis sita est, commercium cum incolis circumvicinorum locorum aut delationem victualium & mercantiarum ex illis ad civitatem ipsam Gebennensem denegare, directè vel indirecte publicè vel occulte, præsumpserint, totiens quotiens id egerint, quicunque fuerint etiam quacumque Ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgentes, auxilium, consilium vel favorem dantes, litteras præcipientes scribentes, signantes, sigillantes, impetrantes & exequentes, Personis ipsius Ducis, Fratris, patruorum ejusdem & suarum conjugum exceptis, Episcopi & Superiores interdicti & anathematis sententiam prædictam, incurrunt, à qua pari modo nequeant ab alio quàm nobis & Romano Pontifice pro tempore existente præter quam in mortis articulo constituti absolutionis beneficium obtinere. Et si post publicationem & affixionem præsentium vel earum transumpti autentici manu publici notarii subscripti & sigillo alicujus Prælati muniti, in valvis Gebennensis prædictæ aut alicujus circumvicinæ Ecclesiæ de mandato præfati Johannis Episcopi & suarum litterarum causam publicationis & affixionis continentium, præstita tunc impedimenta quæcumque non revocaverint & de damnis ac interesse quæ propter illa Johannes Episcopus Gebennensis passus fuerit, ei non satisfecerint, aut alias secum desuper amicabiliter non concordarint, ex tunc lapsis decem, Dioceсim Gebennensem, & viginti diebus post hujusmodi publicationem & affixionem loca quæcumque ultra montes dominii Ducis præfati, excommunicatorum eorundem mediata vel immediata simili Ecclesiastico subjaceant interdicto. Et nihilominus omnibus & singulis locorum circumvicinorum ordinariis, ac in eisdem locis consistentibus Ecclesiarum quarumlibet Cathedralium, etiam Metropolitanensium nec non Collegiatarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum & Religiosorum locorum, ordinum quorumcunque etiam mendicantium, exemptorum & non exemptorum, Capitulis, Canonicis, Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Guardianis, Fratribus & Personis Ecclesiasticis quibuscunque & eorum cuilibet, ita quod alter alterum in exequendis non expectet, sub excommunicationis sententiæ pœna si non paruerint incurrenda, motu scientia & auctoritate prædictis mandamus quatinus ipsi & quilibet eorum, cum tenor præsentium litterarum ad eorum notitiam pervenerit, fuerintque pro parte dicti Johannis & pro tempore existentis Episcopi Gebennensis desuper legitimè requisiti, has nostras litteras, seu earum transumptum prædictum, cui in judicio & extra ubique locorum sicut præsentibus stari volumus, in ipsarum Ecclesiarum valvis affigant, & alias in eorum sermonibus ad populum publicent, & prædicent in locis præeminentibus in quibus & de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum quos pro tempore contingeret notitiam possit verisimiliter pervenire, eosdemque Ducis Sabaudiæ Consiliarios & alios monitos prædictos pro tempore statuto prædicto contravenientes, in Ecclesiis singulis diebus Dominicis & aliis festivis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit excommunicatos & Dioceсim ac alia loca prædicta, Ecclesiastico interdicto subjecta esse publice nuntient, faciantque ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, donec spiritum assumentes consilii sanioris ab illatis impedimentis desistent, & satisfactione prævia meruerint absolutionis beneficium à dicta excommunicationis sententia, & interdicti præfati relaxationem obtinere: Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis

ANNO 1483.

ANNO 1484.

quibuſcunque ſeu ſi Duci & Conſiliariis præfatis vel quibusvis aliis communiter vel diviſim à Sede præfata indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quod præſentium litterarum publicatio in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe & audientiæ litterarum contradictarum facta, perinde ipſum modernum Ducem & ejus Conſiliarios ac præfatos monitos arceat, ac ſi eis & cuilibet eorum perſonaliter & præſentialiter inſinuatæ fuiſſent, Perſonas ipſius Ducis fratrum & Patruorum ſuorum ac eorum conjugum à ſupra dictis cenſuris eximentes, pœnis juris & Conſtitutionum Apoſtolicarum in ſuo robore permanentibus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginem requiſitionis, monitionis, mandati, aſſignationis, promulgationis, ſubjectionis, ſtatuti, ordinationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contra ire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio. Tertio Non. Februarii, Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

Jo. de Madiis.

INNOCENTIUS OCTAVUS PONTIFEX CCXVII.

ANNO DOMINI MCDLXXXIV.

INnocentius Genuenſis nomine Joan. Baptiſta Cibo anno 1484. Principibus Chriſtianis contrà Turcam concitatis, rem ſuam impensè ampliavit: à Carolo VIII. Galliarum Rege, Zizimum Fratrem Bajazetis obtinuit, hac lege nè Româ egrederetur: Obiit anno 1492. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 429. *App.*)

I. Ex Archiv. Capituli Genevenſis.

Bulla Innocentii Papæ VIII. pro confirmatione ſtatutorum Eccleſiæ Cathedralis Genevenſis: an. 1484.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

SAcro Sanctæ & militantis Eccleſiæ gubernacula divina diſponente clementia meritis licet imparibus tenentes in terris de benignitate Sedis Apoſtolicæ provenire debere cenſemus, ut ea quæ honeſtate pace & tranquillitate, ac ſtatu proſpero Eccleſiarum quarumlibet prudenter, ac ſalubriter facta fuiſſe noſcuntur, humilibus præſertim deſuper votis petentium intervenientibus Apoſtolico munimine roborentur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Gebennenſis nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim ipſi pro felici ſtatu dictæ Eccleſiæ & illius perſonarum quiete ac divini cultus in illa augmento quam plura ſtatuta & ordinationes rationabilia & honeſta, & ſacris canonibus minime contraria diverſis ſucceſſive temporibus ediderunt pro ut in quibuſdam litteris autenticis ſeu quodam libello ejuſdem capituli conſuetis ſigillis munitis, ſeu munito plenius continetur. Quare pro parte tam dictorum capituli quàm dilecti filii Antonii Depoldo ipſius Eccleſiæ Canonici decretorum Doctoris in Romana curia cauſaque procuratoris nobis fuit humiliter ſupplicatum ut ſalutis, & ordinationibus prædictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere aliasque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui cunctarum Eccleſiarum directionem ac ſtatum proſperum & felicem interiori mentis deſideramus affectu, quique litteras ſeu libellum hujuſmodi & in illis contenta ſtatuta prædicta in Cancellaria noſtra per aſſiſtentes in eadem viros probos & honeſtos inſpici & examinari diligenter ac præſentibus inſeri fecimus ſingulares perſonas capituli hujuſmodi ac præfatum Antonium ab omnibus & ſingulis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt quoad hoc præſentium dumtaxat conſequantur effectu abſolventes & abſolutos fore cenſentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati ordinationes & ſtatuta prædicta ac prout illa concernunt omnia & ſingula in litteris, ſive libello hujusmodi contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus & approbamus ac præſentis ſcripti patrocinio communimus ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris quàm facti ſi qui forſan intervenerint in eisdem. Et nihilominus qvia difficillimum eſt futuris eventibus in omnibus providere, contingere poſſet quod nonnulla ex inſtitutis hujuſmodi ſucceſſu temporis aliquâ etiam de cauſa minus utilia eſſe viderentur & propterea corrigenda forent eisdem capitulo, dummodo illorum majoris & ſanioris partis ad hoc expreſſus accedat aſſenſus ſtatuta & ordinationes prædicta corrigendi & mutandi illisque addendi & ab eis minuendi ſecundum quod pro honore & utilitate dictæ Eccleſiæ ipſis viſum fuerit, plenam & liberam auctoritate & ſcientia prædictis harum ſerie concedimus facultatem.

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Tenores verò litterarum, ſeu libelli, & ſtatutorum, ac ordinationum prædictorum ſequuntur, & ſunt tales.

Quamvis ſacri Canones ſanctorumque Patrum & Conciliorum generalium ſanctiones gravi perpenſato conſilio edicta promulgata fuerint, non adeo negotiis occurrentibus propter naturæ humanæ varietatem quæ ſemper conatur novas invenire negotiorum formas, proinde potuerunt quin etiam nova jura condere antiquis non ſufficientibus ſalubre viſum extiterit, imo & Eccleſiis Cathedralibus ſuppoſitisque earumdem Dominis venerabilibus Canonicis circa ipſarum regimen Eccleſiarum ac conſervationem ut in pace & quiete ipſi & minores Eccleſiarum manerent ac viverent ſtatuta & ordinationes condere neceſſariumque fuerit alia interdum ſtatuta ſecundum variatum tempus primis addere quibus per Venerabiles Dominos canonici inſignis Eccleſiæ Cathedralis ſancti Petri Gebennenſis pro tempore exiſtentes attentè conſideratis ſtatuta & ordinationes quæ ſequuntur diverſis tamen temporibus pro bono & con-

ANNO 1484.

ſervatione

ANNO 1484.

servatione ipsius Ecclesiæ status & omnium suppositorum ejusdem ediderunt, statuerunt, ac promulgarunt. Et quia ceremonialia in quacunque Ecclesia rite ordinata ad Dei cultusque divini honorem inventa populum ac fideles Christianos devotos reddunt pariter & attentos; circa igitur Ecclesiasticas cærimonias in divinis servandas ipsius domum de capitulo de anno in primos Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo die lunæ post pascha in generali capitulo tunc celebrato statuerunt & ordinarunt in hunc qui sequitur modum.

Primò quod horæ canonicæ pulsentur secundum temporis distinctionem & secundum horologii bene ordinati ac horarum pulsationem tempora veris & æstus distinguendo juxta consuetudinem hactenùs observatam.

Item quia in cimbalis bene sonantibus laudatur Deus & concitantur fidelium corda ad devotionem, statuerunt quod in matutinis & vesperis fiant quatuor modi distincte ultra classum ultimum de quibus prima pulsatio seu moda tantum duret quantum quis moram faceret in dicendo septem psalmos, cæteræ verò pulsationes seu modæ, seu bona posa seu intervallo fiant de unâ ad aliam, ita quod omnes durent per horam integram; & ultra si festum propter ejus solemnitatem requirat.

Item matutinæ à pascha usque ad festum Beati Michaelis pulsentur horâ tertiâ & alio tempore hora quarta vel circa post mediam noctem.

Item ut magis in solemnitatibus populus ad devotionem excitetur, & differentia dierum solemnium ac ferialium cunctis appareat distincta, ordinaverunt quod dictis diebus solemnibus & duplicibus omnes pulsationes seu modæ horarum officiorum solemnitatum prædictarum cum duplicibus campanis ad longum tractum & debitum intervallum pulsentur tintinnabulum, seu tricodonum bene ordinatum melodiosum cum debita mensura faciendo; cæteris verò diebus pro qualibet pulsatione seu modâ solâ & unica campana modo proxime ordinato pulsentur.

Item ordinaverunt quod campana secunda post majorem pro idibus pulsetur in aurora & tunc in continenti missa prima auroræ in Ecclesia celebretur, qua finita secunda in continenti incipiatur & successivè aliæ ordinariæ modo prædicto sine defectu secundùm tabulam celebrantur, pulseturque prædicta campana pro sermonibus & processionibus generalibus ac confratriis, nisi aliter capitulum & causa legitima dixerit faciendum.

Item prima seu officium primæ à pascha usque ad festum Beati Michaëlis pulsetur horâ septimâ & à festo beati Michaelis usque ad pascha annis singulis pulsetur hora octava cum duabus modis certis vetochetis intermediis secundum quod est consuetum subsequenter officium tertiæ pulsetur antequam incipiatur exultabunt. Sexta verò in continente post elevationem corporis Christi magnæ missæ.

Item nona cum vesperis tempore æstuali subscripto pulsetur hora secunda post meridiem & tempore vernali hora prima vel circa ita quod omnes modæ durent per horam integram modo & forma quibus supra in matutinis extitit ordinatum.

Item statuerunt & subsequenter post offertorium magnæ missæ in elevatione corporis Christi ad excitandum corda fidelium prædicta secunda campana ab una parte tangatur, imo & tintinnabulum clochetarum ut adstantes in Ecclesia ad devotionem commoveantur.

Item statuerunt quod officium primæ in quadragesima pulsetur hora septima & duret usque ad horam nonam vel circa & completorium tempore prædicto pulsetur hora prima post meridiem & duret usque ad tertiam horam cum dimidia, alio verò tempore per annum completorium hora octava pulsetur demptis solemnitatibus in quibus hora septima pulsetur.

Item statuerunt quod capitula ordinaria quæ sunt duo in septimana videlicet mercurii & veneris, à pascha usque ad festum beati Michaelis pulsentur horâ sextâ & alio tempore horâ septimâ quæ in quadragesima propter sermones horâ octava mutentur & tunc Martis ac Jovis propter processiones ordinariè capitulum congregetur, & duret ipsius capitulum per horam in quibus singulis capitulis tres solidi præsentibus distribuantur & præsens dicatur quilibet qui infra horam ordinatam venerit & durante capitulo in eodem fuerit.

Item quia diebus festivis maxime solemnibus Domini Canonici missas suas circa prædictam horam capitularem communiter celebrent, ut in officio chori & missa majori post modum valeant interesse, hoc ideo ordinaverunt dicta capitula cum Kalendis, si & quando prædictis diebus solemnibus occurrere contigerit transferri retro majus altare in exultabunt in quibus omnes interessentes describuntur.

Item statuerunt & ordinarunt quod facta & negotia capituli maximè in rebus arduis, & alicujus importantiæ semper expediantur in loco capitulari ordinato ad sonum campanæ, nec alibi expediri possint; quod si contrarium factum fuerit illud sit irritum & inane & in præmissis omninò sanctæ crucis interdicitur archa.

Item ordinaverunt & statuerunt quod in prædictis capitulis & negotiis capituli peragendis post Dominos Præpositum, qui semper in primo & cantorem qui in loco præsident quilibet ex Dominis canonicis sedere debeat vocemque suam dare & notare in gradu suo secundum ordinem suæ receptionis à primo recepto incipiendo & cum reverentia, ac honestate debitis usque ad ultimum prosequendo sine quacunque alterius loquentis interruptione & quod per majorem partem capituli visum fuerit & ordinatum illud per Dominum Præpositum resolvi debeat & concludi, ac vota singulorum exquiri vel per Dominum Cantorem, in ejus absentia aut per seniorem Canonicum in receptione tunc præsentem in defectu & absentia prædictorum.

Item statuerunt quod si contingat quod absit aliquem de capitulo in eodem dicere aliqua verba iniuriosa proferre in personam singulorum & cujuslibet ipsorum eo ipso & in continenti de capitulo ejiciatur distributionesque octo dierum sequentium omnino perdat & ulterius secundum quantitatem delicti per capitulum puniatur.

Item statuerunt & ordinarunt quod matutinæ & aliæ horæ canonicæ magna missa omniaque officia & cætera quæ in choro cantantur officium quoque mortuorum dicantur & cantentur cum debitis intonationibus & pausis secundùm dierum occurrentiam & differentiam videlicet ferialium novem lectiones duplicium & solemnium.

Item statuerunt quod si in matutinis vel aliis horis canonicis fiat defectus seu scandalum per aliquem intabulatum non propter hoc cesserit à matutinis vel aliis officiis quemadmodum

ANNO 1484.

temporibus

ANNO 1484.

temporibus retroactis factum extitit, sed defectus talis per alium sine murmure suppleatur etiam si jam officiaverit morem metropolitanum.

Item nostræ Viennensis Ecclesiæ insequendo, sed pœnam debitam sic deficiens persolvat.

Item morem antiquum insequendo ordinaverunt quod matutinæ totius anni semper dicantur & cantentur de mane in continenti post pulsationem ultimæ modæ, seu classis sine magno intervallo demptis & exceptis quatuor solemnitatibus sequentibus, in quibus de sero dicantur propter indulgentias in ipsis ordinatas videlicet Eucharistiæ Domini nativitatis, Apostolorum Petri & Pauli beati Joannis Baptistæ, Petri ad vincula, etiam & assumptionis Virginis gloriosæ.

Item ordinaverunt, quod Dominus Canonicus vel alius die Dominica celebrare debens cum Diacono, & Subdiacono vestibus sacris indutus cruce præeunte cum cereis ardentibus aquam alta voce & solemnitate in choro benedicat.

Item statuerunt & ordinarunt quod cum venerabilis Dominus Canonicus vel alius ad missam principalem celebrandam deputatus venire voluerit introitu missæ per cantores in choro finito, & per ipsos incipiendo Gloria Patri, exeat tunc à Sacristia præcedentibus Diacono & Subdiacono vestibus sacris indutis composito passu incedentibus, cum ingenti devotione ordinate processionaliter & simul ut non fiat pausa, & distantia inter eos inveniendo ante altare Diacono, à dextris, & Subdiacono à sinistris celebranti assistentibus & Introibo more solito incipientibus procedant ad divinum officium, & qui in præmissis defuerit pro qualibet vice sex denarios perdat levandos super salario & suis primis emolumentis applicando fabricæ pro medietate & supplenti defectu pro alia.

Item ordinaverunt quod omnibus diebus solemnibus & duplicibus in matutinis majori missa & utrisque vesperis per parvum operarium sumptibus fabricæ horis debitis, & ordinatis præparetur incensum.

Item ordinaverunt quod matricularius Ecclesiæ in celebratione missarum magni & parvi altaris hostiam puram & vinum rubrum bonum sine quocunque malo sapore sumptibus suis ministret pro quibus ministrandis, à capitulo certam percipit pensionem.

Item ordinaverunt quod omnia ornamenta altaris & quæcunque indumenta sacerdotalia necessaria parvus operarius ministrare teneatur, & sub custodia regere & gubernare, ac illa mundificare & manutenere expensis operis.

Item statuerunt quod cum Diaconus & Subdiaconus vadent ad dicendum Evangelium per chorum in pulpitro superiori, incedant gravi & lento passu præcedentibus semper cereis & in solemnibus & duplicibus festivitatibus thuribulo quo Evangelio expleto, librum quem portavit Diaconus reportet Subdiaconus celebrante osculandum, demum si festum solemne fuerit per altas sedes chori Dominis Canonicis liber porretur osculandus thuribulo præcedente.

Item statuerunt quod nullus in altari officians, vel celebranti assistens portare præsumat chirothecas in manibus, neque calopedia seu pativos nemoreos in pedibus ad strepitum vel sonitum pedum per chorum evitandum, sub pœna pro quolibet & qualibet sex denariorum fabricæ applicanda.

Item statuerunt quod nullus de habitu intret chorum per aliquam portam ipsius quin intrando faciat reverentiam, & humiliter versus magnum altare se inclinet.

Item quia contra omnem honestatem est chorum absentare tempore quo horæ canonicæ vel divina in illo dicuntur & celebrantur officia, igitur statuerunt quod nullus ex Dominis Canonicis Vicariis aut Capellanis eo tempore maximè diebus solemnibus debeat retro altare majus revestiario vel pulpitro, ubi leguntur lectiones & Evangelia tam in matutinis quàm in missa cum socio horas dicere & chorum dimittere vel absentare sine legitima causa videlicet officiandi, vel aliàs, quod si quis fecerit distributione illius horæ omninò careat & pro absente reputetur.

Item ordinarunt & statuerunt quod nullus Canonicus aut quicumque alius Ecclesiasticus in eodem choro dum ut supra celebrabuntur divina cum socio officium suum dicere debeat nisi cantando & cum aliis de choro psalmodiando, neque breviarium proprium eo tempore tenere, sed cum devotione si cantare non possit divinum audiat officium.

Item ordinaverunt quod nullus ex Dominis Canonicis, Vicariis, Capellanis, vel alius cujuscunque conditionis existat, dùm in choro celebrabuntur divina confabulari vel murmurationes facere præsumat in eodem neque in aliqua varia & otiosa verba dicere, aut gestos inhonestos facere sed debitum & honestum silentium ibi servetur, quod secus fuerit factum per aliquem & reprehensus in continenti non desisterit, percutiantur formæ in ejus confusionem, & distributionibus illius diei careat.

Item quod nullus ex Dominis Canonicis vel alius de choro habituatus prope magnum altare vel parvum retro missam magnam audiat, sed postquam ibi dixerit, confiteor retrahat se missam auditurus ad chorum in stallo suæ receptionis sub pœna perditionis illius missæ & pro absente reputetur.

Item quod nullus ex Dominis Canonicis vel de choro habituatus tempore missæ magnæ, nec etiam quo horæ in choro cantabuntur canonice orationem peculiarem coram ipso magno altari facere præsumat; sed installatus in choro suæ receptionis Deum humiliter ac devotè exoret.

Item ordinaverunt quod quilibet ex Dominis Canonicis dum divina celebrabuntur officia ac horæ cantabuntur canonicè cum ingenti devotione stet installatus in choro superiori, in quo fuit receptus & secundum ordinem suæ receptionis videlicet seniores Canonici primo recepti gradatim post Dominum Præpositum ab uno latere, & ex alio choro post Dominum Cantorem, & si aliqui ex senioribus voluerint (est) potuerunt installare in summitate chori à parte magni altaris, & quilibet contra faciens pro absente reputetur.

Item statuerunt & ordinarunt quod nullus ex Dominis Canonicis vel habituatis de choro ad chorum transire vagando prosumat, quando horæ dicentur, nisi causa officiandi, vel alia urgente necessitate, neque inter magnum altare, & Lampadarium quovis modo, sed maneat installatus in loco suæ receptionis & qui contra fecerit pro absente reputetur.

Item statuerunt, quod nec etiam, cum causâ legitimâ quis transire debeat de choro ad chorum, inter cordas campanarum chori, & lectrinum ante cantores, sed per retro dictos cantores, & supra cordas, à parte majoris altaris, & tunc cum magna humilitate caput inclinando ad magnum altare devotè transeat.

ANNO 1484.

Item

ANNO 1484.

Item ſtatuerunt quod dum horæ in choro dicentur canonicæ nullus debeat in eodem dormire, neque ſedere maxime dum dicentur Hymni & Pſalmi ſequentes videlicet (*Te Deum laudamus*) (*Laudate Dominum de cœlis*) (*Benedictus Dominus Deus Iſraël*) *quicumque vult* (*magnificat*) (*nunc dimittis*) nec quando miſſa major celebrabitur, nec quando dicetur Requiem æternam in horis defunctorum.

Item ſtatuerunt quod nullus Dominus Canonicus ſedes ſuperiores chori aſcendat niſi fuerit in ſacris ordinibus conſtitutus, nec ad electiones vel alios actus capitulares admittatur niſi fuerit requiſitus, nec alias recipiat diſtributiones, nullamque vocem habeat in capitulo donec fidem fecerit de præmiſſis ſuper quibus nullatinus diſpenſetur.

Item ſtatuerunt & ordinarunt quod nullus in Canonicum recipiatur in inſigni Eccleſia Gebennenſi niſi legitimæ ætatis de legitimo matrimonio nobilisque ex utroque parente vel altero jurium graduatus, ſeu in Theologia aut medicina magiſter fuerit, ac exiſtat, & alias qualificatus ſecundum Bullam Martini Papæ & per totum capitulum generaliter congregatum hoc fieri debeat.

Item ut tollatur via litibus & diſcordiis, quæ nuper temporibus præmiſſis exortæ fuerunt, & cum gravibus expenſis ſedatæ ſtatuerunt & ordinarunt quod quilibet ad Canonicatum & præbendam Gebennenſem admittendus teneatur & debeat ante ejus admiſſionem & omnia ſuper ſanctis Dei Evangeliis intrare ſtatuta Eccleſiæ edicta & edenda per venerabile capitulum penitus ac inviolabiliter obſervare & totis pro viribus adimplere, nec ſuper dicto juramento relationem vel diſpenſationem petere, aut impetrare, neque etiam obtenta quod abſit, uti, non obſtantibus diſpenſatione & aliis quibuscumque contrariantibus etiam auctoritate Apoſtolica vel aliàs quovis modo impetratis vel impetrandis.

Item ſtatuerunt & ordinarunt quemadmodum temporibus retroactis extitit obſervatum, quod novus Canonicus poſtquam fuerit receptus antequam ad reſidentiam ſeu fructus præbendæ vel ad aliquas diſtributiones admittatur ad decorem Eccleſiæ & cultus divini augmentum ſolvat unam capam de panno Sirico ſive de aurato usque ad valorem centum florenorum currentium in patria vel ipſos centum florenos realiter & in promptu numeret fabricæ Eccleſiæ applicandæ, nec pro ipſis centum florenis debeat recipi pignus, aut fieri venditio redditus annualis.

Item ſtatuerunt quòd cuilibet ex Dominis Canonicis ſolvat & expediat ut ſupra unum bonetum de eſcarlata pro ſuo jucundo adventu, octo habilitatis chori quatuor florenos Diacono & Subdiacono duos florenos, & ſex Innocentibus Clericulis chori duos florenos & matriculario pro pulſatione campanæ in ſua receptione quinque ſolidos, quemadmodum hactenus ut ſupra extitit obſervatum & hoc faciat etiam ſi alias ad alium præbendam fuerit receptus & præmiſſa adimpleverit.

Item quia ex diverſis ad unum Canonicatum & præbendam admiſſis interdum tribulationes & diſceptationes venerabili capitulo evenerunt. Igitur ſtatuerunt & ordinarunt quod nullus Canonicus quamdiu ſuper canonicatu & præbenda litem habuerit, etiam ſi fuerit poſſeſſor, nullo modo ad diſtributiones quotidianas admittatur, ſed ſolum groſſi fructus, ſi requiſita adimpleverit ſibi cedant, & ſufficiant, nec etiam ipſa lite pendente aliam præbendam vacaturam, vel vacantem optare poſſit quovis modo morem noſtræ Metropolitanenſis Viennenſis Eccleſiæ inſequendo.

ANNO 1484.

Item ordinaverunt quod hebdomadarius in choro habens officium nullo modo matutinas incipiat introitum miſſæ, neque veſperas, niſi prius tribus lampadibus accenſis ut eſt conſuetam, videlicet una inter duo altaria majora alia ante magnum altare & altera ante imaginem crucifixi.

Item ſtatuerunt quod nullus in choro intonet officium ſedendo, ſed reverenter ſtando capite diſcoperto & devote crucis ſignaculo munitus cum bono tractu incipiat.

Item ut cultus divinus à dignioribus maxime diebus ſolemnibus, magis digne impleatur, ordinaverunt quod diebus ſolemnibus quibus Reverendus Dominus Epiſcopus habet officium, fiant officia per Dominos canonicos videlicet cantoria per Dominos Præpoſitum & cantorem.

Item ſex primæ lectiones per juniores canonicos ſeptima & octava per Seniores nona per Epiſcopum tertium & ſextum reſponſoria per magis antiquos & nonum reſponſorium per cantores ſecundum in tabula deſcribentur, & thuribulum per juniorem canonicum, & tunc Epiſtola, & Evangelium miſſæ dicantur per canonicos in prædicta tabula deſcriptos.

Item ordinaverunt quod diebus ſolemnibus quibus Domini Præpoſitus, & cantor vel alii loco ipſorum facient cantoriam nullus ex ipſis alium ſolum relinquere præſumat; niſi cauſa Prælato, ſeu officianti officium præcipiendi, nec alicubi cantare debeat, niſi cum cantore ſuo ſub pœna perditionis diſtributionum illius diei fabricæ applicandarum.

Item ordinaverunt quod quandocunque alicui ex Dominis Canonicis Vicariis, aut de choro habituatis denunciatum ſeu injunctum fuerit aliquod officium in choro fiendum per clericulos chori vel alios habituatos illud, ceſſante neceſſitate adimplere teneatur ſub pœna perditionis anniverſarii illius diei.

Item ſtatuerunt, quod ſi quis ex Dominis Canonicis in præmiſſis, vel altero ipſorum ſecundum quod in tabula erit inſcriptus defecerit pro quolibet defectu: quinque ſolidos perdat qui in continenti per procuratorem ſupplenti defectum ſuper emolumentis deficientes pro medietate diſtribuantur, alia verò medietas Rectori fabricæ pertineat de qua computare tenetur.

Item ordinamus quod nullus in choro duo officia facere præſumat niſi qui in matutinis dixerit tertium reſponſorium, qui poteſt legere ſeptimam lectionem & qui ſextum reſponſorium dixerit poteſt legere octavam & in duplicibus vel ſolemnibus diebus defectu aliorum cantores poſſint dicere quintam & ſextam lectiones.

Item ſtatuerunt & ordinarunt quod in officiando in choro inferior non poſſit ſupplere vicem ſuperioris, nec cum ipſo facere officium, ſicut curatus civitatis, pro nec cum canonico, nec curatus forenſis pro nec cum curato civitatis, nec capellanus ſimplex pro curato & cætera.

Item ſtatuerunt quod nullus in dicta Eccleſia neque in civitate portet armutiam de variis griſis, niſi ſit Canonicus aut Prælatus ſive de octo habilitatis, vel quibus talis habitus per capitulum ad beneplacitum eſt conceſſus, & tunc per tales non canonicos neque Prælatos ad quatuor curſus tantummodo deferatur, nec aliquis dictum habitum griſum extra clauſum niſi in proceſſionibus generalibus deferat ſub pœna privationis ejuſdem.

ANNO 1484.

Item quia temporibus retroactis dictus habitus grisus quasi omnibus petentibus indifferenter datus fuit & concessus etiam probis simplicibus nullius auctoritatis & modicæ reputationis, ita quod præ nimia multitudine portantium dictus habitus vili penditur & contemnitur, statuerunt & ordinarunt quod de cætero nulli detur, nec concedatur, nisi de personis honorabilibus idoneis & qualificatis ad præbendas Gebennenses obtinendas, & tunc fieri debeat in capitulo ordinario non alibi, & loco deputato; habitus verò communis ubique in Ecclesia detur per cantorem & in ejus absentia per canonicum seniorem.

Item ad divini cultûs augmentum ordinarunt quod in festis duplicibus intonetur prima Antiphona matutinarum per primum clericulum & innocentem chori intabulatum ad primum responsorium & prima antiphona de laudibus per secundum.

Item secunda antiphona matutinarum per primum clericum secundi responsorii & secunda antiphona de laudibus per secundum.

Item tertia antiphona matutinarum per intabulatum quarti responsorii & quarta antiphona matutinarum, per secundum.

Item quinta antiphona matutinarum per Lectorem tertiæ lectionis.

Item sexta antiphona matutinarum per primum intabulatum ad quintum responsorium & tertia de laudibus per secundum.

Item quarta antiphona de laudibus per lectorem quartæ lectionis.

Item septima antiphona matutinarum per primum intabulatum ad septimum responsorium & quinta antiphona de laudibus per secundum.

Item octava antiphona matutinarum per primum Cantorem octavi responsorii & nona antiphona matutinarum per secundum.

Item statuerunt quod in festis solemnibus intonentur prima antiphona matutinarum & prima de laudibus per pueros ad candelabra intabulatos.

Item secunda antiphona matutinarum & secunda de laudibus per magnos clericos primi responsorii.

Item tertia & quarta antiphona matutinarum per intabulatos ad secundum responsorium ordine prædicto.

Item quinta antiphona matutinarum per primum scriptum, ad quartum responsorium & tertia antiphona de laudibus per secundum.

Item sexta antiphona matutinarum per primum altarienſem quinti responsorii & quarta de laudibus per secundum cætera ut supra in duplicibus.

Item ordinarunt quod nullus de habitu Ecclesiæ illam & minus chorum intrare præsumat tempore quo in dicto choro cantatur vel psallitur, aut fit officium mortuorum sine suo integro habitu consueto; neque ante fores Ecclesiæ stare, nec postquam classi matutinarum mille vel vesperorum pulsati fuerint sub pœna quinque solidorum fabricæ applicandorum, si canonicus fuerit, si verò inferior trium solidorum.

Item statuerunt quod nullus intrare chorum imo nec Ecclesiam nudis tibiis præsumat, sed habeat caligas coloris convenientes honestati clericali sub pœna pro qualibet vice sex denariorum fabricæ applicandorum.

Item ordinarunt quod nullus de collegio præsumat ipsum chorum intrare dum in eodem psallitur, nisi prius fecerit primam residentiam quæ prima residentia fit ante finem versiculi primi psalmi videlicet de gloria patri usque ad Amen, & dicto Amen, nullus debeat intrare, neque si post primam dictam residentiam chorum exiverit possit in secunda residentia intrare post Deo gratias de priori Benedicamus & hoc quoad matutinas vesperas vel alias horas quæ residentiam requirunt; in missa vero prima residentia fiat ante finem ultimi verbi epistolæ, post quod nulli liceat intrare; neque in secunda residentia post finem primæ collectæ communionis in fine missæ exceptis quatuor solemnitatibus videlicet Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis Beatæ Mariæ in quibus quandocunque quilibet intrare possit residentia non facta, aliis verò diebus non liceat nisi Rectori parvæ fabricæ procuratoribus capituli & cleris chori ac matriculatis dictæ Ecclesiæ qui pro negotiis peragendis possint intrare & exire etiam in prima, tertia, sexta & nona quolibet de Collegio quandocunque intrare possit de consuetudine nisi aliud obstet ex aliqua fundatione.

Item statuerunt & ordinarunt quod in matutinis vel in magna missa & vesperis illius diei existentes & residentiam proxime scriptam facientes suas diurnas residentiæ distributiones lucrentur, quemadmodum hic & multis aliis ecclesiis Cathedralibus de longæva consuetudine extitit observatum.

Item statuerunt & ordinarunt quod eo tempore quo in choro horæ Canonicæ dicentur, vel missæ magnæ, aut etiam parvæ in capellis & altaribus per Ecclesiam celebrabuntur in quibus sacrum Dominicum tractatur sacramentum eo tunc nullus ex Dominis Canonicis Vicariis habilitatis capellanis aut de choro habituatis debeat spatiando deambulare cum socio per medium navis Ecclesiæ nec per cursus laterales horas suas dicendo sive cum eodem socio vel laico confabulando, & murmurando nè turbent & scandalizent tam celebrantes quàm in choro psallentes, & qui contra fecerint si canonici fuerint arbitrio Domini Præpositi & capituli si inferiores Domini Cantoris puniantur.

Item ordinaverunt quod nullus portans habitum Ecclesiæ intra ipsam Ecclesiam, dictum suum habitum teneat, aut reponat conservandum, & qui contrarium fecerit pro qualibet vice solvat, si canonicus duos solidos, si habituatus sexdecim denarios, si altarienſis duodecim denarios, si magnus clericus sex denarios fabricæ applicandos & exigendos per procuratorem dictæ fabricæ super emolumentis anniversariorum sine remissione.

Item statuerunt quod nullus generalem vel aliam quandocunque particularem intret processionem nisi post crucem quæ antefertur de choro in gradu suo exierit, antequam ipsa crux fuerit in navi Ecclesiæ extra portam chori, quam postquam debite intraverit usque in finem non liceat absentare.

Item ordinarunt quod omnes processiones generales Dominus Cantor ex ejus officio habeat ordinare, & per suam bidellam, illas dirigeret conduci facere, nisi per Dominos de capitulo aliter fuerit dispositum & ordinatum.

Item statuerunt & ordinarunt, quod processio cum cruce magnam portam claustri non exeat pro funere alicujus aut sepultura, nisi fuerit corpus vel supra, aut ex comitibus marchionibus vel aliis principibus superioribus.

Item ordinarunt quod in processionibus tam generalibus quàm particularibus omnes de collegio habituati in gradu suæ receptionis & vocationis Bini & Bini incedant innocentes clericuli chori primi post crucem, & deinde magni

clerici

ANNO 1484.

ANNO 1484.

Clerici ſubſequentur Capellani non Altarienſes, deinde ipſi Altarienſes, & poſt curati forenſes, deinde curati civitatis & poſt habitum griſum deferentes, deinde habilitati & poſtremo Domini Canonici juniores, qui ſemper ſeniores procedant ſecundum ordinem ſuæ receptionis, ita quod poſt Dominum Cantorem Dominus Præpoſitus ultimum locum obtineat qui dignior & honorabilior reputetur.

Item ordinarunt quod Canonicus in prædicta Eccleſia per ſummum Pontificem ercatus ſub expectatione præbendæ incedat in proceſſionibus cum ultimo habilitato, vel griſum deferente, ſi diſpar fuerit, vel cum juniore Canonico præbendato & etiam idem junior Canonicus præbendatus cum ultimo habilitato vel griſum prædictum deferente, ſi fuerit diſpar, incedere debeat, nec tamen idem Canonicus creatus in Eccleſia aliquas percipiat diſtributiones, donec præbendam aliquam pacifice fuerit aſſecutus.

Item ubicunque fuerit proceſſio ſive in Eccleſia vel extra ſtatuerunt quod nullus de choro habituatus, qui in ea cum aliis non fuerit ſe in conſpectu dictæ proceſſionis audeat præſentare ſub pœna pro quolibet & qualibet vice duodecim denariorum fabricæ applicandorum.

Item ordinarunt, quod ſingula nomina Dominorum Canonicorum per ordinem ſecundum eorum receptionem in libro Regulæ ſcribantur, ut in proceſſionibus, & actibus capitularibus appareat quis primus vel poſterior fuerit, & ille prior vel primus eſſe dicatur, & ſenior qui primum manualiter in choro extiterit libratus, licet alius forte primo extiterit inſtallatus & receptus, ſed non libratus.

Item ordinarunt quemadmodum à longo tempore extitit obſervatum, quod die ſancti Joannis Evangeliſtæ Canonicus per capitulum deputatus cum choro proceſſionaliter vadat ad prioratum Sancti Joannis prædicti extra muros civitatis miſſam magnam celebraturus & ibi per chorum ſolemniter dicantur, & cantentur prima, tertia, ſexta cum miſſa prædicta oblationes ibidem provenientes quascunque ab horâ quâ intrat ipſam Eccleſiam usque ad exitum, nomine capituli recepturi.

Item ſtatuerunt quod tam Domini Canonici quàm cæteri de collegio habituati omnes deferant veſtes honeſtas, non nimia longitudine vel brevitate notandas, non viles nec nimis pretioſas ad latus & retro conſutas, nec apertas more laicorum, neque rubri ſeu viridis coloris, manicas non nimis latas, vel arctas, neque in aliqua ſui parte inciſas ſecundum prohibitionem ſacrorum canonum & qui contra fecerit, ſi Canonicus Capituli, ſi inferior Domini Cantoris arbitrio puniatur.

Item ſtatuerunt quod comam neque barbam nutriant, ſed cum debitis coronis radi faciant ad minus infra quindecim dies & ii qui circa altare inſerviunt infra octo dies radantur.

Item ut diſtinguantur Clerici à laicis ordinarunt quod nulli ex Dominis Canonicis, ſeu de collegio habituati in baptiſamentis, ſponſalibus, ſepulturis vel quibuscunque honoribus fiendis, vel aliter qualitercunque per civitatem ipſos contigerit ambulare pileis, ſeu capellis vel cornatis more laicorum utantur.

Item ut fidelis populus magis ad devotionem trahatur, ſolemnitatem Epiphaniæ quæ inter alias ſolemnitates ſuum locum obtinet ordinatum ſtatuerunt quod ipſa die feſti Epiphaniæ horæ miſſæ fiant tres Reges videlicet unus & primus ex Dominis Canonicis ſecundum ordinem ſuæ receptionis tam præſentibus quàm abſentibus & qui in poſterum fuerint. Deinde ſecundus Rex, unus ex curatis civitatis ordine inter ipſos ſervato & tertius Rex & curatus forenſis ſenior & altarienſis reſidentiam faciens in Eccleſia Gebennenſi, licet ſit junior altarienſis dum tamen res ederit per annum integrum, qui cum ſolemnitate conſueta in Eccleſia dicant Evangelium, & oblationem faciant in miſſa ut eſt conſuetum.

Item ordinarunt pro oneribus ſupportandis habitatorum ſeu Vicariorum chori quod Canonicus qui fuerit Rex illo anno ſolvere teneatur in manibus procuratoris capituli ſine quacunque contradictione viginti quinque florenos pro quibus omnia emolumenta in Eccleſia per ipſum lucrata una cum præbenda ſua maneant obligata.

Item ſtatuerunt quod curati prædicti forenſes & altarienſes in Eccleſia reſidentes & percipientes in communitatibus altarienſium vel clericorum chori intabulentur per annum in matutinis ad ſeptem reſponſoris.

Item ordinarunt quod ſi quis ex Dominis Canonicis habilitatis curatis Vicariis Altariſtis vel conſtis ipſius Eccleſiæ in præmiſſis cæremoniis in non obſervando negligens fuerit, vel ipſa præcepta, & ordinationes tranſgrediendo exceſſerit, & contravenerit vel non obſervaverit correctioni quoque directè vel indirecte reſiſterit, & defectum vel errorem in continenti aut monitus non emendaverit ultra pœnas in ſingulis ſtatutis deſcriptas arbitrio capituli, ſi canonicus fuerit, ſi verò inferior Domini cantoris puniatur.

Item ſtatuerunt quod quæcunque beneficia cum curâ vel ſine cura exceptis præbendis & dignitatibus ſuperioribus ad proviſionem capituli in habenda ſeu communi ſpectantia cum eo vacare contigerit, tunc ſi ſint capellæ per capitulum in iiſdem Rectores inſtituantur, ſi vero beneficia curata revertendo Domino Epiſcopo per præfatum capitulum Rectores inſtituendi præſententur.

Item ordinarunt quod ſi prædicta beneficia cum cura vel ſine cura ſolita ſint dari aut conferri per particularem hebdomadarium, tunc officium habentem in cantoria illa in ſeptimana ſua capitulo præſentabit, ſi ſint beneficia non curata, ſeu capellaniæ, ſi verò beneficia curata fuerint, illa capitulo præfato nominabit, per eundem, Reverendo Domino Epiſcopo præſentandum, & ſi periculum ſit in mora ad illa beneficia duobus præſentibus vel tribus Dominis canonicis nominare vel præſentare poſſit.

Item ordinarunt, quemadmodum extitit obſervatum, quod quandocunque vacabit cantoria vel ſacriſtia tunc per hebdomadarium ſine contradictione quacunque capitulo præſentetur inſtituendus.

Item ordinarunt quod nullus Canonicus jam intabulatus abſens, à civitate ſine licentia generali vel mandato ſpeciali capituli ad prædicta beneficia in ſua ſeptimana vacantia nominare ut ſupra vel præſentare poſſit niſi in Eccleſia ſeu capitulo ſit præſens, & infra ſuam ſeptimanam usque ad cujus finem expectetur, antequam ſequens hebdomadarius poſſit providere.

Item ne per ignota præmiſſa procedant, quando ſeptimana incipiat pro Domino Canonico cantoris, quia de veſpera ad veſperam quoad officia & ſolemnitates ſolemniſantur dies; igitur ſtatuerunt quo ad jus ad beneficia vacantia nominandi vel præſentandi per hebdomadarium ſeptimanam incipere debere in veſperis die Sabbati in continenti intonato, Deus in adjutorium veſperarum in choro, quæ ſeptimana revolutis octo diebus eadem hora terminetur & ſucceſſori hebdomadario acquiratur.

ANNO 1484.

Item quia tempore quadrageſimali veſperæ ante prandium dicuntur, & cantantur. Igitur ordinarunt quod ſeptimana quoad prædicta beneficia per hebdomadarium nominanda, vel præſentanda ut ſupra in completorio intonato (converte nos Deus & cætera) incipiatur & eadem hora revolutis diebus octo finiatur.

Item ſtatuerunt quod nullus Canonicus de novo receptus, & in ſua prima reſidentia ad officium Cantoris pro hebdomadario admittatur, niſi ſe tali tempore præſentaverit, quod ſuam reſidentiam integram centum & duodecim dierum in Cathedra ſancti Petri potuerit finire, & ſic circa feſtum omnium ſanctorum ſe habeat præſentare quemadmodum temporibus retroactis extitit obſervatum, aliis verò Canonicis reſidentibus qui prædictam reſidentiam modo ordinato adimpleverint, ſufficiat quod ante recollectionem fructuum futurorum dictam reſidentiam faciant & impleant.

Item ordinarunt quod ſi caſu aliquo contingat quod abſit, infirmum hebdomadarium in ſua ſeptimana ab hoc ſæculo migrare, tunc capitulum quoad collationem beneficiorum ſibi ſuccedat usque ad finem ſuæ hebdomadæ ſeu ſeptimanæ.

Item ut reducantur ad debitum ordinem ſtatuta in ordine facta ordinarunt quod habens ſeptimanam officii ad altare majus in ipſa ſeptimana habeat, & cantoriam & collationem ſeu nominationem aut præſentationem ad beneficia ipſa ſeptimana vacantia ſublato ordine hactenus obſervato.

Item ſi recurrat ſeptimana nativitatis Domini, paſchæ, pentecoſtes, vel alia ſolemnis ordinaverunt quod illi dies qui hebdomadario ſubſtrahi conſueverunt nullo modo amplius ſubſtrahantur, ſed in ſua ſeptimana quoad beneficia vacantia ſicut alio tempore communi computantur & ſeptimana integra maneat.

Item ſtatuerunt quod ſi aliquis ex Dominis Canonicis ſine licentia generali vel ſpeciali mandato capituli abſens à civitate menſem integrum fuerit, reducatur ad epiſtolam, nec debeat poſtquam venerit intabulari niſi in veſperis proximis die Sabbati ſequentis, & tunc ſi petierit de mandato duorum Canonicorum intabuletur ita quod ſi in craſtinum videlicet Dominica die reſidentiam non fecerit pro non intabulato illa ſeptimana habeatur.

Item ut voluntates deſunt eorum adimpleantur, quibus communiter cavetur, quod intereſſentes in ſuis anniverſariis eorum portionem lucrentur, ordinarunt, quod ſupervenientes canonici in prædictis anniverſariis etiam ſi non fuerint intabulati ſuas percipiant portiones, in omnibus autem aliis donec dicta die Sabbati ut ſupra fuerint intabulati pro abſentibus reputentur.

Item quia inter opera miſericordiæ computantur mortuos condere, innocentes baptiſare & matrimonium ſolemniſare, ſtatuerunt quod quotieſcunque aliqui ex Dominis Canonicis fuerint vocati in præmiſſis, vel in aliquo eorundem in civitate Gebennenſi & in ipſis interfuerunt pro præſentibus in choro quoad reſidentias & anniverſaria communia habeantur.

Item quia per multiplicem Dominorum Canonicorum reſidentiam cultus augetur divinus, & jura Eccleſiæ melius defenduntur, ordinarunt quod nulli ex Dominis Canonicis immo nec capitulo liceat aliquibus ex canonicis uni vel pluribus licentiam dare ſe à civitate abſentandi vel Eccleſia, niſi in communi daretur licentia generalis, ex urgenti guerra peſte vel alia legitima cauſa vel in ſpecie alicui ſeu aliquibus pro negotiis urgentibus capituli, quæ tamen licentia fiat capitulariter de conſenſu omnium, quibus in caſibus ſuas lucrifaciant diſtributiones.

ANNO 1484.

Item ſtatuerunt quod illi qui præſentes in Kalenda cujuslibet menſis fuerint in omnibus laudemiis & aliis obventionibus quibuscunque in illo menſe provenientibus vel præſentes vel quando dicta laudemia vel obventiones fiant in ipſis interfuerint & intabulati in illis omnibus ſuas recipiant portiones.

Item ordinarunt quod abſentes ex juſtis cauſis ſuprà mentionatis pro reſidentibus reputantur, & ad beneficia in ſua ſeptimana vacantia per procuratorem cum ſpeciali mandato nominare, vel præſentare poſſint, quæ tantum valeant quantum ſi in propria Eccleſia vel capitulo fierent.

Item ſtatuerunt quod quilibet ex Dominis canonicis reſidentibus pro præbendæ ſuæ ſuisque particularibus negotiis urgentibus, vel aliàs per quadraginta dies continuos vel per partes infra annum, reſidentiæ ſuæ Eccleſiam & civitatem in Diœceſi tamen, non extra abſentare poſſit in quibus reſidentias & anniverſaria communia lucretur ſtatuto de abſentibus ſine licentia per menſem integrum in ſuo robore permanentem.

Item ut honeſtius & dignius ad decorem Eccleſiæ officium divinum expleatur maximè in Evangeliis, & Epiſtolis dicendis ordinarunt probos honeſtos, & ſcientificos ad prædicta exercenda quibus ſtatuerunt per quemlibet ex Dominis Canonicis abſentem & non reſidentem ſuper fructibus ſuæ præbendæ, anno quolibet dari & expediri tres florenos monetæ curſalis omni ceſſante contradictione.

Item ſicut temporibus retroactis ex longiſſima conſuetudine extitit obſervatum, ſtatuerunt quod nullus Canonicus prædictæ Eccleſiæ poſtquam de novo fuerit pacifice receptus, & in ſua prima reſidentia faciat groſſos fructus ſuæ præbendæ ſuos, niſi reſidentiam in civitate Gebennenſi fecerit ſpatio centum & duodecim dierum Eccleſiæ ſancti Petri in propria ſerviturus incipiendam in feſto omnium ſanctorum, ita quod finire debeat illam continue vel per partes in Cathedra ſancti Petri ſub quo nullatenus diſpenſetur, niſi maneret in ſtudio generali, vel eſſet Reverendi Domini noſtri Gebennenſis Epiſcopi commenſalis aſſiduus vel ad negotia Eccleſiæ peragenda, à Capitulo deſtinatus; in his enim omnibus prædictus canonicus groſſos fructus ſuæ præbendæ recipiat omni contradictione ceſſante; aliis verò Canonicis reſidentibus ſufficiat ante quod ante recollectionem fructuum futurorum dictam reſidentiam adimpleant, ut ſibi dictos fructus acquirant.

Item ordinarunt quod Canonicus Scholaris migrare volens ad ſtudia generalia licentiam à capitulo accipere debeat & jurare ſuper miſſale quod ad ſtudium principaliter migrat, cauſa ſtudendi ne tali velamento Eccleſia defraudetur, ſidemque facere debeat capitulo quomodo in tali ſtudio ſtudet litteris Doctoris ſui vel Rectoris ſtudii debite ſigillatis infra feſtum omnium ſanctorum anni reſidentiæ fiendæ cujus prætendit habere fructus occaſione ſtudii ſine reſidentia alios dictos fructus nullatenus lucretur, ſed fabricæ accreſcant.

Item ſicut aliàs fuit ſtatutum iterum ſtatuerunt quod quicumque canonicus prætendens cauſam groſſos fructus ſuæ præbendæ habendi absque reſidentia perſonali conſueta ex aliqua prærogativa, vel privilegio quod de illa vel

illis

ANNO 1484.

illis omni anno fidem facere teneatur residentiæ faciendæ cujus prætendit habere dictos fructus sine residentia infra festum omnium sanctorum aliter dictos fructus nullatenus lucretur, sed fabricæ applicantur.

Item ordinarunt quod si contigerit aliquem ex Dominis Canonicis decedere ab humanis residentia prædicta centum & duodecim dierum per ipsum non completa, etiam si pro parte illam fecerit, fructus quicunque suæ præbendæ & emolumenta quæ sibi lucrifecit in vita, Cellerario vel fabricæ Ecclesiæ accrescant, nec de talibus fructibus vel emolumentis partim lucratis, aliquatenus inter vivos causa mortis disponere possit.

Item statuerunt quemadmodum de longæva consuetudine fuit observatum quod si contigit aliquem ex Dominis Canonicis ab hoc sæculo migrare residentia integra & debita per ipsum penitus completa, tunc grossi fructus sequentes pendentes cum distributionibus in vita sua lucratis omnino suis hæredibus accrescant.

Item ordinaverunt quod si contigit Dominum præpositum Cantorem vel Sacristam Ecclesiæ Gebennensis decedere ab humanis residentia prædicta per ipsum non completa, tunc fructus quicunque ut supra & emolumenta præposituræ prædictæ cantoriæ vel sacristiæ Cellerario vel fabricæ penitus accrescant, si verò residentiam requisitam in Dominis Canonicis ut supra compleverit, tunc dicti fructus quicunque cum emolumentis ut supra hæredibus suis omnino pertineant.

Item quia dignum & honestum est ut antiquiores canonici præbendis potioribus utantur, illasque habeant juxta consuetudinem tanto tempore in ipso venerabili capitulo observatam, cujus initii memoria in contrarium non existit statuerunt quod vacantibus Canonicatu & præbenda in ipsa Gebennensi Ecclesiâ per cessum, vel decessum etiam si generaliter vel specialiter reservati præbenda dicti decedentis, aut cedentis vel alias ut supra qualitercunque vacet, possit, & valeat infra viginti dies, à die vacationis notitiæ per antiquiorem, & seniorem canonicum residentem, si voluerit optari, & acceptari, & sua dimitti, quæ per proximiorem Canonicum seniorem semper infra alios viginti dies possit, ut supra optari & sua dimitti optanda proximiori & sic per ordinem semper de Canonicis antiquioribus successive usque ad ultimum Canonicum fieri possit, si verò aliquis optare nolit illo prætermisso alius succedat & sic semper de una præbenda ad aliam optatis procedat Canonicatu non mutato, ita quod Canonicatum & præbendam requirens illam habeat dumtaxat præbendam quæ in optata remanebit & de illa sit contentus possessionemque illarum præbendarum optatarum per quemlibet Dominorum optantium de consensu capituli auctoritate propriâ intrare possint absque alterius collatione facienda.

Item statuta antiqua in sequendo de novo ordinarunt quod nullus Canonicus præbendam vacantem vel aliam optare possit nisi præsens vere non interpretative vel fictione juris in civitate Gebennensi tempore vacationis præbendæ sic optandæ fuerit & semel residentiam centum & duodecim dierum in persona propria fecerit Ecclesiæ serviendo.

Item statuerunt quod Domini Canonici præbendas suas quas obtinent vel obtinebunt pro tempore cum suis fructibus proventibus & obventionibus unus cum alio cessante omni fraude & sine alterius detrimento, ac præjudicio possint permutare si voluerint absque auctoritatis vel decreti cujuscunque superioris requisitione ita tamen & taliter quod Canonicus senior relinquens meliorem & pinguiorem præbendam juniori postmodum aliam supervenientem optare non possit, nisi post locum & ordinem junioris cum quo permutavit, quas permutationes capitulo infra mensem teneatur intimare & manifestare alioquin nullum sortiatur effectum.

Item ordinarunt quod quilibet Canonicus refusiones quas debet capitulo, vel suo concanonico ratione præbendæ suæ vel alia de causa illas solvat annis singulis infra festum Beati Andreæ Apostoli quod nisi fecerit ab inde in antea pro residenti nullatenus reputetur.

Item statuerunt quod de obventionibus vel distributionibus quotidianis & minutis manualibus, seu capitulis generalibus quæ communiter inter præsentes dividuntur absentes nihil quomodocunque percipiant quacunque prærogativa vel privilegio tueantur non obstante.

Item quia alienationes vel bonis beneficiorum nisi in casibus à jure permissis valde sunt prohibitæ ordinarunt quod nullus ex Dominis Canonicis de possessionibus reditibus proventibus proprietatibus aliisque quibusvis immobilibus præbendæ suæ in emphiteosim de novo dare vendere vel quemcunque alienationis contractum facere possit nec valeat nec meliora prospicere & hoc arbitrio & de auctoritate Capituli.

Item statuerunt quod Domini Canonici ad claves secreti pro tempore deputati dictas claves in capitulo generali Kalendæ omnium sanctorum apportare & remittere debeant indè capitulariter distribuuntur per ordinem consuetum videlicet una uni ex senioribus, alia ex junioribus Dominis Canonicis dempto sacristâ qui semper suam servet sine mutatione.

Item ordinarunt quod si aliquis Canonicus habens domum particularem promoveatur ad aliquam dignitatem pontificalem ubicunque fuerit, seu dignitatem vel officium in Ecclesia Gebennensi, cui dignitati vel officio sit domus connexa, tunc illa domus capitularis quam possidebat tempore promotionis tanquam vacans capitulo libera debeat remanere.

Item statuerunt quod quandocunque vacabit domus capitularis per mortem aut assecutionem dignitatis, vel officii, tunc illa domus per capitulum alicui Canonico Ecclesiæ illam haberi volenti, & de eadem plus offerenti quandiu fuerit canonicus & non ultra venda-tur & expediatur reservatis prærogativis seniorum qui in præmissis proferuntur.

Item ordinarunt, quod si Canonicus habens domum capitularem aliàm de novo vacantem habere voluerit, tunc primam domum infra dies, menses alteri Canonico vendere teneatur, quod si in dicta venditione morosus extitit lapso termino illa capitulo tanquam exhibita omnino requiratur.

Item statuerunt quod si à casu Canonicus non reperiatur domum sic vacantem habere voluerit eo tunc illa alicui honeste Ecclesiastico viro ad vitam dumtaxat vendi possit, & debeat nec in præmissis venditionibus claves domorum prædictarum emptoribus ipsarum expediri debeant, donec & quousque de pretiis earundem integre sit satisfactum.

Item ordinarunt quod quandocunque vacabit domus capitularis deputentur duo ex Dominis Canonicis qui audiant secrete illam habere volentem, & referant capitulo pretium oblatum, absque eo quod manifestetur offerens ad tollendum invidias odia vel favores.

Item statuerunt quod quandocunque vacabunt

ANNO 1484.

domus capitularis deputentur duo ex Dominis canonicis qui audiant secrete illam habere volentem, & referant capitulo pretium oblatum, absque eo quod manifestetur offerens ad tollendum invidias odia vel favores.

Item statuerunt quod quandocunque vacabunt domus capitulares habentes operatoria quæ possint conduci & locari illa nullatenus cum domo vendantur, sed retineantur & ad opus capituli locentur & tradentur.

Item ordinarunt quod nullus Canonicus domum suam capitularem vendere aut permutare possit in infirmitate constitutus si probabiliter dubitetur, quod sit in proximo vacatura & nisi vivat per tres menses ad se venditionis domus prædictæ pro tempore omnis suspicio tollatur.

Item statuerunt quod pecuniæ, seu pretia dictarum domorum pro medietate in acquirimentum ponantur, alia verò medietas inter illos Canonicos qui fuerint præsentes in civitate tempore mortis illorum per quos dictæ domus dicuntur vacare & intabulati vel in Kalenda illius mensis fuerint distribuantur.

Item ordinarunt quod nullus ex Dominis Canonicis de possessionibus quæ Ecclesiæ communes dicuntur habere nec tenere possit, & nisi unam quam dimittendo & non alias, alia recipere & tenere possit & sua quam dimisit alteri expediatur semper secundum ordinem de modo optationis præbendarum.

Item statuerunt quod quilibet ex Dominis Canonicis debeat ad minus habere unum equum, mulum, vel mulam adeo honestum, ut illum equitare possit cum honestate debita valoris ad minus viginti florenorum ita & taliter quod sine illo esse non possit ultra mensem sed illo vendito donato, aut alias alienato alium habeat ejusdem pretii vel majoris quantitatis.

Item cum nullus missori probri quem scit indubitanter concubinam habere, audire debeat, nec etiam concubinario celebranti assistere, aut ab ipso sacramenta Ecclesiastica recipere ipsi Domini Canonici ordinarunt, quod nullus ex Dominis Canonicis Vicariis seu habilitatis Capellanis, Altaristis aut de choro Ecclesiæ habituatis concubinam sive focariam habeat de actu venereo suspectam quod si secus quis fecerit, & super iis vel altero ipsorum fuerit infamatus, vel si notorium, aut manifestum & domum dicti Canonici vel alterius de choro habituati cujuscunque dignitatis aut præeminentiæ existant ipsa mulier sic suspecta frequentaverit, tunc talis si Canonicus fuerit & in horis divinis, seu Canonicis interfit, etiamsi non celebret distributiones quotidianas nullatenus lucretur, nec in illis in toto vel in parte portionem recipiat, sed pro absente reputetur donec & quousque de dicto crimine se emendaverit, si verò inferior Canonico fuerit ab interessentia chori & Ecclesiæ, ac habitu privetur, nec ad celebrandum aut cantandum alicubi admittatur supra quorum probatione examen per deputatos à Capitulo sufficiat seu notorietas & infamia laborans.

Item statuerunt quod quilibet ex Dominis Canonicis postquam debitam residentiam per annum fecerit fructusque suæ præbendæ receperit teneatur & debeat in ipsa Ecclesia facere & fundare unum anniversarium viginti quinque librarum Gebennensis quod si mortue præventus non fecerit ejus hæredes & bona possidentes ad illud faciendum omnino teneantur, & omnia ejus bona remaneant capitulo obligata & hypothecata donec & quousque præmissa fuerint completa.

Item ordinarunt quod quilibet ex Dominis Canonicis ubi voluerit in quacunque parte Ecclesiæ demptis & exceptis choro & sancta sanctorum suam possit eligere sepulturam.

Item statuerunt quod sacrista Ecclesiæ habeat lectum Canonici defuncti pro medietate & pro alia medietate habeat Rector parvæ fabricæ, & matricularius qui potest redimi si fuerit Præpositus, vel cantor pro sex florenis, si vero simplex Canonicus pro quatuor florenis.

Item prædictus matricularius habeat in solidum armutiam & luminare.

Item ordinarunt quod nobiles laici cives Burgenses & honesti mercatores pro remedio animarum suarum usque ad sexaginta solidos annuales; Altarienses verò Capellani & alii viri nobiles Ecclesiastici usque ad triginta solidos similes ipsi Ecclesiæ sanctæ Legatum facientes possint sibi & valeant in eadem eligere sepulturam videlicet à capellis sanctæ crucis & sanctæ Catharinæ usque ad portam majorem prædictæ Ecclesiæ.

Item statuerunt quod oblationes quæ fiunt in luminaribus sepulturarum prædictarum, de facibus vel intorsitiis corpore defuncti in Ecclesia existente tres partes fabricæ pertineant & quarta matriculario sibi per Rectorem fabricæ distribuenda, quod si corpus præsens non fuerit, aut fiat alia solemnis pro principibus, vel aliis commemoratio tunc matricularius in eadem nihil percipiat; alia verò quæcunque emolumenta ex prædictis sepulturis vel commemorationibus provenientes continuo cedant Rectori fabricæ sine quacunque diminutione.

Item ordinarunt quod quando aliquis ex Dominis Canonicis diem suum claudat extremum, corpus suum intra chorum cum habitu completo & ordinato per probos deferatur super quo corpore unus pannus Ecclesiæ honestus per operarium ponatur pro quo panno quinque solidos fabricæ ejus hæredes solvere teneantur.

Item ordinarunt quod quotiescunque aliqui per venerabile capitulum vel hebdomadarium ad aliquod beneficium sive quamcumque capellaniam in Ecclesia Gebennensi instituentur præstare debeant juramenta debitum officium secundum fundationem dictorum officiorum & capellaniarum facere & adimplere, nec non debitam residentiam in choro facere saltem solemnibus duplicibus & novem lectionum interessendo in divinis maxime in primis vesperis matutinis missa magna & ultimis vesperis cum completoriis cum choristis cantando & psalmodiendo & ad præmissa per substractionem anniversariorum vel fructuum suorum beneficiorum primo per Dominum Cantorem & in defectu ipsius per venerabile capitulum compellantur.

Item statuerunt quod si ex fundatione Capellæ Rector ejusdem ad aliquas missas teneatur ibi celebrandas, tunc dictus Rector infra annum ad Sacerdotium promoveri teneatur, etsi fundatio ad hoc arctaverit illam sub pœna juris observare teneatur.

Item ordinarunt quod nulli ad titulum Capituli mandetur ad sacros ordines promoveri quibus eo tunc ad sustentandum, aut beneficiandum dictum capitulum eisdem obligatur & raro providetur.

Item statuerunt quod Rectores vel Altaristæ Ecclesiæ Gebennensis ad residentiam capellarum suarum ex ipsarum fundatione obligati omnino debeant & teneantur residere missasque in illis celebrare vel celebrari facere, ac omne aliud debitum persolvere juxta fundationis & tabulæ, ut præmittitur ordinationem, quod si à talibus servitiis vel officiis, ut supra eis incumbentibus vel injunctis justo impedimento cessante per tres menses continuos cessaverint, vel à civitate absentes fuerint nullis per ipsos ad dictis capellis

ANNO 1484.

serviendum

ANNO 1484. serviendum deputatis ipsis capellanis per venerabile capitulum ad quod providere spectat, priventur & aliis idoneis qui possint & velint deservire Rectoribus libere conferantur.

Item ordinarunt quod quandocunque aliquis cujuscunque gradus, status, aut conditionis extiterit aliquam capellam in Ecclesia Gebennensi fundaverit, tunc collatio ipsius omnimoda & pleno jure quandocunque vacabit ad capitulum pertineat absque alterius cujuscunque auctoritate superioris requisitione, sicut in aliis omnibus pridem fundatis à longo tempore extitit observatum, super quo tamen ad voluntatem fundatoris pro primo rectore dispensari possit.

Item statuerunt quod omnes capellani sive Rectores N. instituti vel instituendi per venerabile capitulum in capellis Ecclesiæ Gebennensis teneantur & debeant suas constitutiones capellarum sub nomine capituli receptæ juxta formam subscriptam & morem in talibus consuetum sub signeto Secretarii & sigillo ipsius capituli nos capitulum Gebennensis notum facimus universis harum nostrarum testimonio litterarum quod nos attendentes altare seu capellam N. fundatam & dotatam in Ecclesia nostra Gebennensi per N. vacantem de præsenti per mortem N. ultimi Rectoris ejusdem ipsius altare & capellam ut præmittitur vacans & quocunque modo vacare dignoscantur cum ipsis juribus & pertinentiis ad nominationem viri venerabilis Domini N. Concanonici nostri nunc hebdomadarii in officio cantoriæ nostræ Gebennensis Ecclesiæ conferimus & concedimus per præsentes N. sufficienti & idoneo ad regimen ipsius altaris & capellæ obtinendum, in ipsis altari & capella eundem instituentes & ipsum in Domino salubriter gubernando ponentes, & etiam inducentes ipsum N. in possessionem prædictorum altaris & capellæ cum ipsis juribus & pertinentiis tenore præsentium qui quidem N. nobis ad sancta Dei Evangelia juravit in prædictis altari & capella ac choro nostræ Ecclesiæ bene, & fideliter deservire ut decet per se vel per alium servitorem & in festis solemnibus duplicibus & novem lectionum in matutinis, missa magna & vesperis in choro personaliter interesse continue juraque præfata altaris & capellæ manutenere, bona non alienare & alienata pro posse ad statum debitum reducere & statuta Ecclesiæ facta, & fienda observare suo posse.

Dat. Gebennensis & item ut devote & ordinate altarium missæ seu capellarum Ecclesiæ ac alia officia chori celebrentur & dicantur ordinarunt fieri tabulam juxta consuetum per Dominum Cantorem in loco publico chori tenendam de missis prædictis per ordinem celebrandis de officio Cantoris seu hebdomadario ad beneficia conferenda; ac aliis omnibus officiis in choro fiendis secundum quam seu descriptionem ipsius, ipsi Rectores capellarum per ordinem celebrare debeant hebdomadarius beneficia conferre & cæteri alia officia chori ut decet adimplere, & si quis in præmissis defecerit ultra pœnas descriptas arbitrio Domini Cantoris puniatur, & corrigatur, quod si negligens fuerit capitulum suppleat.

Item quia Domini Canonici pro negotiis capituli & manutenentiis ne jurium rerum temporalium ipsius pro quibus à Dominis temporalibus multipliciter sunt infestati, & inquietati, ita quod divino officio interdum ut decet vacare non possunt, statuerunt quem ad modum temporibus retroactis extitit ordinatum quod in futurum sint in ipsa Ecclesia octo Vicarii perpetui inclusis duobus fundatis per Dominum Guillermum Chonerat quondam Canonicum Gebennensem qui sint de legitimo matrimonio procreati & actu probi & erunt majores in Ecclesia post Canonicos & nuncupabuntur octo perpetui Vicarii seu habilitati Ecclesiæ Gebennensis & privilegiis prærogativis ac honoribus gaudebunt Canonicisque totius divini cultus & officii Ecclesiæ, in se habebunt duo Vicarii per dictum Dominum Guillermum, fundati fuerunt aggregati & adjuncti sex aliis ordinatis per capitulum in omnibus sine differentia quacunque.

ANNO 1484.

Item ordinarunt quod dicti octo Vicarii seu habilitati imposterum quotiescunque locus alicujus vel aliquorum vacabit per capitulum ponantur assumantur, & constituantur, ita quod honestiores & magis commendati & compositi in vita & moribus gravioresque in verbo & in incessu ac sufficientiores in officio divino & habentes organa vocis melius disposita ad cantandum qui ubicunque sic reperientur & commode haberi poterunt assumantur & recipi debeant.

Item statuerunt quod dicti octo Vicarii, vel habilitati continuo interesse debeant & sine intermissione sint in omnibus & singulis horis in Ecclesia Gebennensi celebrandis & psallendis nocturnis pariter & diurnis etiam in omni officio Beatæ Mariæ Virginis & mortuorum quod se facturos in sua prima assumptione, & receptione, solemniter intrare tenebuntur.

Item ordinarunt dictos habilitatos esse installatos videlicet quatuor in dextra parte chori superioris & alios quatuor in sinistra juxta ordinem suæ receptionis ut qui primò fuerit assumptus præcedat sedeatque primus in dextra parte in quarta sede chori superioris incipiendo à parte magni altaris & alii mediate sequentes recepti; id idem servabitur in sinistra parte chori & in tribus stallis præcedentibus utriusque chori erunt Canonici præbendati.

Item statuerunt quod duo ex dictis habilitatis primo recepti teneantur & debeant principiare, & intonare omnes psalmos in omnibus & singulis horis nocturnis & diurnis quilibet in choro suo prout fit in Ecclesia Metropolitana matrice Viennensis & qui in parte dextra erit primus, vocabitur Succentor, qui verò in sinistra Scholasticus. Succentor autem in dexta parte tenebitur incipere missas omnes per circuitum anni exceptis festis duplicibus & solemnibus quæ inchoari debent per duos Cantores in medio chori, & hymnos, antiphonas & Responsoria in processionibus quibuscunque principiare debeat ipse Succentor, & quotiescunque vacabit locus dictorum Succentoris, & Scholastici dictum capitulum de ipsis habent providere & si quis dictorum Vicariorum legitime fuerit præpeditus officium suum alius ex ipsis supplere poterit.

Item ordinarunt quod in posterum dicti octo Vicarii vel habilitati possint debeant & teneantur supplere vices canonicorum tam in missis dicendis in majori & minori vivorum & defunctorum lectionibus & responsoriis officii diei & mortuorum quàm in aliis omnibus ad quæ vel in quibus ipsi Canonici quomodocunque possint teneri exceptis Epistola & Evangelio & in lectionibus matutinarum quæ per Dominos Canonicos diebus solemnibus secundum descriptionem tabulæ dicentur, quando tredecim candelæ accenduntur & officiant Præpositus & Cantor, & quando Episcopus vel Prælatus Ecclesiæ celebrabit, & tunc in Epistola & Evangelio Canonici in missâ officiare tenebuntur.

Item statuerunt per capitulum deputati aliquem ex dictis habilitatis vel aliis habituatis qui jurare expresse in capitulo tenentur fideliter defectus dictorum Vicariorum & altarienſium

residentium

ANNO 1484. residentium in choro debentium scribere & notare, nulli quovis modo partendo qui pro labore suo tertiam partem defectuum recipiat, residuum cedat cellario & qui præsens non fuerit nihil lucretur nisi sit infirmus, sed perdat tantum de suo proprio quantum illa hora esset lucraturus & cum quolibet singulis mensibus computabit & defectus procuratori tradet qui de lucratis eis habebit satisfacere.

Item ordinarunt quod non obstante ordinatione prædicta de missis per habilitatos dicendis in majori altari vel minori possit & libere valeat in iisdem missam celebrare Canonicus præbendatus, si ex devotione moveatur quandocunque voluerit sitque eo tempore illud emolumentum quod assequebatur per prius sine quacunque diminutione percipiat eo casu quo officium missæ esset eidem ascriptum in tabula videlicet pro qualibet magna missa duodecim denarios, alias non nec alteri committere possit.

Item statuerunt quod quicunque Doctorum Vicariorum & duorum altaristarum defuerit in missa dicenda in majori altari vel minori Evangelioque vel quis tota pro missa perdat quatuor solidos pro Evangelio, vel Epistola duos & hæc super universariis percipiantur.

Item ordinarunt quod si contigerit aliquem octo habilitatorum esse altaristam in Ecclesia Gebennensi propter præsentes ordinationes non eximatur à celebratione missarum in suis altaribus fundatarum.

Item statuerunt quod nullus ad aliquod beneficium in Ecclesia Gebennensi admittatur nisi de habitu ipsius Ecclesiæ fuerit tempore admissionis quod si secus factum fuerit illud Domino sit irritum & inane.

Item ordinarunt quod in dicta Ecclesia sint, & perpetuò esse debeant sex parvi innocentes clericuli chori nuncupati, talesque recipiantur, & affirmantur per capitulum, investianturque & habituentur, si non sint prius habituati per Cantorem prout fieri est consuetum qui de legitimo matrimonio sint procreati; facundi sine difformitate, quæcunque organa vocis bene dispositа ad cantandum habentes & qui in choro ac Ecclesia deservire debeant quandiu puberes fuerint & usque ad plenam pubertatem videlicet ætatis decem, & octo annorum donec notabiliter mutent vocem ad ipsos quoque pertineat officium ceroferarii & gestare candelabra in missis & processionibus atque aliis horis quibus portari consueverunt.

Item statuerunt quod duo ex dictis clericulis singulis diebus feriatis esse debeant in matutinis, missa & vesperis & aliis horis canonicis ad antiphonas ante psalmos intonandos versiculos responsoriorum & alios in horis suis versiculos dicendum atque Benedicamus in fine & requiescant in pace in officio mortuorum ut est consuetum, diebus verò novem lectionum duplicium & solemnium omnes maxime in matutinis, missa, & vesperis interesse debeant.

Item ordinarunt quod perpetuo esse debeat unus magister per capitulum deputatus sufficiens & idoneus ad præfatos innocentes instruendum in cantu lectura brevibus longis & accentu debito, atque eos imbuendum in bonis gestis & moribus, sitque de eis sollicitus & singulis diebus post vesperas debeat audire ab illis quid in crastinum habent officiare ea quæ tunc debent cantare & facere si perfecte sciant, & illos qui nescient, seu alias offenderint cum discretione corrigere.

Item cum maximè Reverendus in ipso pater Dominus Episcopus Gebennensis pro tempore exiſtens minusque officiarii ejusdem venerabiles capitulum & Dominos illius cononicos omnimodam jurisdictionem non habebant statuerunt quod quotiescumque ipse Dominus Episcopus vel ejus officiarii qualiscunque suam adversus ipsos venerabiles capitulum Dominosque Canonicos alterumve eorumdem voluerint potestatem exercere ultra quam sua in eos jurisdictio se extendet tanto ac eo casu ipsi venerabiles, capitulum Dominique Canonici tandiu possint ac debeant, impune à divinis cessare & cessari facere protinus officiis donec ab hujusmodi exercitio potestatis omnino abstinuerint, & res fuerint pristino statui restitutæ.

Item ut omnis materia tollatur dubitandi super præmissis & jam conditis statutis ordinarunt quod si aliqua inter ipsa statuta tam edita quàm edenda contrarietas, vel in aliquo diminuta, aut nimis ampla vel obscura seu dubia reperiantur quod ipsum venerabile capitulum ad sonum campanæ congregatum tales, dubia & obsuritates declarare, emendare, corrigere, nec non diminutis addere, ac superflua tollere possit & valeat, suisque declarationibus, decisionibus, emendationibus & correctionibus omnes quorum interest stare debeant, manere ac omnia justa declarata observare.

Item quia plura sunt negotia quàm vocabula adeo ut legis negotiis omnibus vix valeant providere, statuerunt quod si in omnibus ac singulis circa regimen Ecclesiæ per præmissa statuta tam in ceremoniis quàm in quibuscunque aliis non fuerit sufficienter & legitime provisum & provisio in aliquo esset quovismodo necessaria tunc recurratur & recursus haberi debeat ad illud quod in casu simili servatur in Ecclesia Metropolitana Viennensi secundum cujus statuta talis defectus qui fuerit suppleatur.

Item ut nullus amplius materiam habeat vagandi per varia & diversa statuta ordinarunt quod omnes ac singuli Domini Præpositi Cantores & Canonici nec non Altaristæ, Capellani, Choristæ & habituati & cæteri quos præmissa statuta concernunt tam præsentes quàm futuri illa teneantur & debeant in posterum servare quantum erit possibile & de illis servandis juramentum præstare aliis quibuslibet statutis extravagantibus & in diversis libris quomodolibet descriptis ex nunc penitus retroactis & amplius non servandis quibus nec aliquam ab inde fidem præstari voluerunt, sed illa omnino per præsentes statuta, ac ordinationes revocarunt & annullarunt, revocantque & annullant istis solis præsenti & supra scriptis in robore permansuris.

Quæ quidem capitula & ordinationes supra scriptæ numero centum, & quinquaginta inclusо earum exordio cum hac conclusione in præfato Venerabili capitulo in quo præsentes aderant reverendi ac venerabiles *Guillermus de Fitigniaco* Præpositus. *Petrus de Viriaco. Petrimandus de Saconay. Franciscus de Saconay de Charonesonay. Petrus de Lonay. Antonius de Villiaco decretorum Doctor Apostolicus Prothonotarius. Philippus de Compeisto Apostolicus Prothonotarius. Martinus de Biolea. Joannes de sancto amore. Joannes de Lornay Apostolicus Prothonotarius. Guillermus de Gregres. Ludovicus de Lornay. Richardus de Rossillione. Andreas de Grossets, & Jeronimus de sancto Michaele*, Juris utriusque Doctor Canonici prædictæ Cathedralis Ecclesia sancti Petri Gebennensis fuerunt discrepanter concluſæ, & per me *Guillermum Fagesauyer*, Civem Gebennensem Apostolicum, ac Imperialem Notarium Ducalemque Sabaudiæ & ejusdem

ANNO 1484.

venerabi-

ANNO 1486.

venerabilis capituli secretarium in forma qua supra de mandato Prænominatorum Reverendorum ac venerabilium Dominorum Præpositi, & Canonicorum præsentium suis, ac cæterorum Reverendorum & Venerabilium Dominorum Canonicorum absentium ejusdem Capituli ac futuræ in illo totius posteritatis nominibus redactæ & signo meo assueto die vigesima quarta mensis Septembris anno Domini currente millesimo quatercentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Sixti PP. iiij. anno tertio decimo manualiter subsignatæ in testimonium veritatis eorum omnium, ac singulorum sub appositione utriusque sigillorum ejusdem Capituli.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, approbationis, comminationis, suppletionis & concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Pontificatus nostri anno primo.

II.
Ex Arch. Angl. Rimer Tom. XII. pag. 297.

Bulla super Successione in Regno Angliæ approbatoria, & contra Rebelles excommunicatoria; anno 1486.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit, inter curas multiplices, quibus rerum negotiorumque varietatibus continuè premitur, ad ea ex debito Pastoralis Officii sibi commissi sollicite intendere debet, per quæ inter Catholicos Principes eorumque Vasallos & subditos pacis, & quietis coadjuvante Domino conservetur amœnitas, & quæ his contraria sunt, ac scandala producunt per suæ Vigilantiæ studium radicitus extirpentur, prout personarum locorum & temporum qualitate pensata, id in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo Filii nostri Henrici VII. Angliæ Regis illustris, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Elizabetæ claræ memoriæ Eduardi IV. dicti Regni olim Regis Primogenitæ, Nobis expositio quod ipsi, ad submovendum contentiones, quæ de Regno ipso fuerant inter eorum Prædecessores de Lancastria de qua Henricus ipse Rex, & Eboracensis inclitis domibus, & familiis dicti Regni, de qua Elizabet, præfati originem trahebant, quarum occasione in Regno ipso grandia scandala retroactis temporibus exorta fuerant, desiderabant invicem matrimonium contrahere. Sed quia quarto & quarto consanguinitatis, & forsan affinitatis gradibus invicem conjuncti erant, eorum desiderium hujusmodi in ea parte adimplere non poterant dispensatione Apostolica desuper non obtenta, Nos, tunc cupientes perpetuæ tranquillitati paci & quieti dicti Regni, quemadmodum decet pium, & communem Patrem & Pastorem, omnium Christianorum providere, ac discordiis, quæ in eo Regno diu inter descendentes ex Domibus prædictis, cum maximo ipsius Regni detrimento, viguerant, finem imponere, illudque futuris dissensionibus occurrendo pacatum & quietum perpetuis temporibus reddere, ac Christiani Sanguinis effusionem evitare cum eisdem Henrico Rege & Elisabetha, ut hujusmodi consanguinitatis & forsan affinitatis impedimentis non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & in eo postquam contractum foret remanere liberè & licitè possent, per alias nostras litteras gratiosè dispensavimus, suscipiendam ex hujusmodi matrimonio prolem legitimam nuntiando. Cum autem sicut accepimus, Henricus Rex præfatus, quanquam non modo jure belli ac notorio & indubitato proximo successionis Titulo, verum etiam omnium Prælatorum, Procerum, Magnatum nobilium totiusque ejusdem Regni Angliæ Plebis Electione & Voto, nec non Decreto statuto & ordinatione ipsius Angliæ Regni trium statuum in ipsorum Conventu, Parliamento nuncupato, propter hoc publicè & generaliter celebrato, Jus ipsius Regni Angliæ ad ipsum Henricum VII. Angliæ Regem suosque Hæredes suo ex corpore procreandos indubitanter de Jure pertineret eidemque delatum foret. Ad omnes tamen discordias & dissensiones, quæ olim inter illustres Lancastriæ & Eboracensem Domos prædictas viguerant tollendas atque in perpetuum abolendas, ac pro firma & perpetua pace in eodem Regno observanda ad præcipuam & specialem ipsorum trium statuum dicti Regni requisitionem, assenserit eandem Elizabetham Principissam, immortalis famæ Regis Eduardi præfati primogenitam & veram hæredem, ducere habereque in uxorem, dummodò primitus à nobis opportuna dispensatio super impedimentis prædictis obtinerent. Nos qui una cum Venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus omnia & singula supra dicta paterna caritate considerantes non solum super matrimonio hujusmodi inter Henricum Regem & Elizabetham Principissam præfatos ut præfertur contrahendo, ex causis supra dictis, per dictas nostras litteras dispensavimus, sed etiam Prolem suscipiendam ex eo ad succedendum eisdem Regi & Elizabethæ legitimam nuntiavimus, prout in ipsius dispensationis litteris Apostolicis plenius continetur, motu proprio, non ad Henrici Regis, aut Elizabethæ prædictorum aut alterius pro nobis super hoc oblatæ, petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate & ex certa nostra scientia, hujusmodi dispensationem nec non matrimonium, illius vigore prædictæ contrahendum, seu, cujusvis alterius dispensationis desuper à sede Apostolica, vel illius pœnitentiaria aut Legatis, sive Nunciis, ad id facultatem ab eadem

ANNO 1486.

sede habentibus, forsan obtentæ, pro tempore contractum, quarum quidem litterarum nostrarum, & aliarum prædictarum dispensationum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur habere volumus pro expressis, ligitimamque liberorum successionem, ac etiam declarationem pronunciationem, & decretum Parliamenti, tam super titulo ipsius Henrici Regis, quàm super successione liberorum ac hæredum suorum nec non omnia alia & singula præmissa auctoritate Apostolica præsentium tenore confirmamus & approbamus, ac robur perpetuæ & inviolabilis vere firmitatis obtinere eadem auctoritate pronuntiamus, decernimus atque declaramus supplemusque omnes & singulos defectus, tam juris, quàm facti, si qui forsan intervenerint in eisdem aut aliquo præmissorum. Monemusque, & requirimus, motu scientia, & auctoritate prædictis omnes & singulos dicti Regni incolas & ejusdem Henrici Regis subditos, cujuscumque gradus, status, seu conditionis existant, etiamsi Ducali, vel majori dignitate præfulgeant, eisque, & cuilibet eorum districte præcipiendo inhibemus, ne ipsi, aut aliquis eorum novos tumultus, occasione juris succedendi hujusmodi, vel quocumque quovis quæsito colore, aut quacumque alia causa, in eodem Regno per se, vel alium seu alios movere seu moveri facere, dispensationi, declarationi, & decreto hujusmodi, aut paci & tranquillitati ipsius Angliæ Regni contraveniendo quovis modo præsumant, sub excommunicationis & majoris anathematis pœna. Quam omnes & singuli hujusmodi tumultus novos excitantes vel excitari facientes atque pacem & Regni præfati tranquillitatem posthac nequiter perturbantes aut prædictis contravenientes ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc cujuscumque, ut præfertur dignitatis status, gradus, seu conditionis existant, etiam si Ducali aut majori præfulgeant dignitate, eo ipso incurrant, eosque incurrere & illius vinculo innodatos & involutos ipso facto esse eisdem motu scientia & auctoritate volumus, statuimus, decernimus, atque declaramus. A quo quidem excommunicationis & Anathematis vinculo ab aliquo quàm sede Apostolica præfata, aut cui ipsa sedes id specialiter & specificè commiserit, præterquam in mortis articulo constituto, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Et si, quod Deus avertat, contingat ipsam Elizabetham, prole ex dicto Henrico Rege non susceptà, vel susceptà non tamen tunc superstite, decedere ante ipsum Regem, eo casu prolem ex ipso Rege Henrico & alia quacunque ejus legitima uxore, ab eo superducenda, in omni jure hæreditario Regni hujusmodi juxta ante dictum ipsius Parliamenti Decretum, & hujusmodi nostrum, illius approbationem, & confirmationem super hujusmodi Decreto, & aliis prædictis, ut præmittitur, factam succedere debere similibus motu, scientia, & auctoritate decernimus & declaramus. Et ne in hujusmodi eventum, quispiam prolis præfatæ successionem hujusmodi, quovis quæsito colore, impedire aut impediendum novos tumultus in eodem Regno per se vel alios excitare, vel excitari facere, vel procurare præsumat, sub præfatis censuris, & pœnis, quas omnes & singuli novos tumultus ut præfertur, ex quacunque causa in contrarium excitantes, aut excitari facientes, eo ipso incurrant, & à quibus ab alio quàm sede prædicta, & cui sedes ipsa id specialiter commiserit absolvi nequeant, præterquam in mortis Articulo constituti, pari motu scientia, & auctoritate prohibemus. Et quoscunque, tam Principes, quàm dicti Regni incolas præstantes opem & succursum, eidem Henrico Regi, ejusve descendentibus in eodem Regno successoribus Angliæ Regibus, contra eorum Rebelles, aut aliqua contra præmissa quovis pacto molientes, eisdem motu scientia & auctoritate benedicimus, & illis, quos sic faciendo in tam justa causa decedere continget, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam & remissionem elargimur. Et nihilominus universis, & singulis Episcopis Monasteriorum Abbatibus Metropolitanis, & aliarum Cathedralium, & Collegiatarum Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Parochialiumque, & aliarum Ecclesiarum Rectoribus, sive Vicariis perpetuis, Prioratuum & Domorum cujusvis etiam mendicantium ordinum Prioribus & Guardianis, & quibuscumque aliis Ecclesiasticis Personis exemptis & non exemptis similibus motu scientia, & auctoritate, sub interdicti ingressus Ecclesiæ in Episcopos, & superiores, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnâ in inferiores ab eis, eo ipso per eos si non paruerint incurrenda, mandamus quatinus ipsi & quælibet eorum, cum pro parte præfati Henrici Regis hæredum & successorum suorum hujusmodi quorumcunque fuerint desuper requisiti, contravenientes hujusmodi & novos tumultus excitantes in Ecclesiis suis, & aliis locis publicis inter missarum, & aliorum divinorum officiorum solemnia, nec non aliis temporibus congruis, totiens quotiens requisiti fuerint, excommunicatos, & Anathematizatos esse, & hujusmodi sententias & censuras incurrisse publicè nuntient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctiùs evitari, ac legitimis super his habendis servatis Processibus, censuras & pœnas hujusmodi iteratis vicibus aggravent, Contradictores quoslibet & rebelles per censuram Ecclesiasticam & alia Juris remedia appellatione postpositâ, compescendo invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus ordinationibus Apostolicis, censuris quoque per nos & sedem præfatam privilegiis & litteris Apostolicis, quibus illa etiam si de eis eorumque totis tenoribus, seu quævis alia expressio habenda esset, & in eis caveretur expresse quod illis non intelligeretur unquam derogatum, nisi dum & quotiens sub certis inibi expressis modo & forma contingeret derogari præsentibus, pro expressis & insertis habentes quoad præmissa specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscunque, seu si eisdem Episcopis, Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, Rectoribus, Vicariis perpetuis, Prioribus, Guardianis, & aliis Ecclesiasticis Personis ac Ducibus, & aliis prædictis vel quibusvis communiter vel divisim à dicta sit

ANNO 1486.

sede

ANNO 1486.

sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Pronuntiationis, Constitutionis, Declarationis, Suppletionis, Monitionis, Requisitionis, Inhibitionis, Voluntatis, Statuti, Decreti, Prohibitionis, Benedictionis, Concessionis, Mandati, & Derogationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo octuagesimo sexto, sexto Calendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

III. Ex ibid. pag. 313.

Bulla de matrimonio inter Henricum septimum & Elizabetham Filiam Eduardi Quarti: anno 1486.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

REdemptoris & Domini nostri Jesu Christi, qui ut humanum genus propter primi parentis lapsum Deo patri reconciliaret in Crucis ara mortem subire, & tandem ad cœlos ascensurus, pacem discipulis suis testamento relinquere dignatus est, vices licet immeriti tenentes in terris, ea quæ sacrorum Canonum temperato rigore pro fidelium quorumlibet, potissime dignitatis & prosapiæ prærogativa fulgentium perpetua pace, & quiete, ac animarum salute, & ut fideles ipsi, suppressis quibusvis contentionum & dissidiorum fomentis, pacis & quietis amœnitatis fruantur, provide sedis Apostolicæ auctoritate facta, & concessa cognoscimus, ne in dubietatis scrupulum prolabantur, sed perpetuo, firma & illibata persistant, uberiori ejusdem sedis munimine roboramus, prout rerum & personarum qualitatibus inspectis, cognoscimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem cum carissimus in Christo filius noster Henricus septimus Angliæ Rex, & carissima in Christo filia Elizabetha Regina, & primogenita claræ memoriæ Eduardi Quarti dicti Regni nuper Regis, illustres quarto & quarto consanguinitatis gradibus invicem conjuncti, pro pace in eorum Regno Angliæ nutrienda & confovenda, invicem matrimonialiter copulari desiderarent. Venerabilis Frater noster Jacobus Episcopus Imolensis noster & sedis prædictæ in Angliæ præfato & Scotiæ Regnis cum potestate Legati de latere Orator, & Commissarius, vigore quarumdam aliarum nostrarum litterarum per quas inter cætera eidem Jacobo Episcopo cum duodecim personis, quarto affinitatis vel consanguinitatis gradibus invicem se attingentibus & desiderantibus invicem matrimonialiter copulari, ut matrimonia inter se contrahere, & in eis sic contractis etiam remanere possent, dispensandi, prolemque per eos suscipiendam legitimam decernendi, facultatem concessimus; cum eisdem Henrico Rege, & Elizabetha Regina, ut impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante, matrimonium inter se contrahere, & in eo postquam contractum foret licitè remanere possent, dispensavit, prolem ex hujusmodi inter eos tunc contrahendo matrimonio suscipiendam, legitimam decernendo, prout in ipsius Jacobi Episcopi litteris ejus sigillo munitis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri. Postmodum verò ut accepimus Henricus Rex & Elizabetha Regina præfati litterarum Jacobi Episcopi & dispensationis hujusmodi obtentu, matrimonium, inter se per verba legitimè de præsenti contraxerunt, & cum solemnitatibus in dicto Regno Angliæ observari solitis solemnizarunt, & tandem carnali copula consummarunt. Cum autem, sicut similiter accepimus, Henricus Rex & Elizabetha Regina præfati cupiant præmissis, pro eorum subsistentia firmiori, robur nostræ confirmationis adjici. Nos, qui Regis pacifici vestigia imitando inter fideles quoslibet, præcipuè præclari generis sublimitate conspicuos, ex quorum votivo successu plurimorum dependet salus fidelium, pacis & tranquillitatis commoda supremis desideriis affectamus, ut Henricus Rex & Elizabetha Regina præfati, liberè & quiete, absque aliquo conscientiæ scrupulo, in hujusmodi sic per eos contracto matrimonio perpetùo permanere valeant, & ne imposterum de viribus ipsius matrimonii per quempiam hæsitari contingat providere volentes, motu proprio, non ad ipsorum Henrici Regis & Elizabethæ Reginæ, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra deliberatione & voluntate, obtentam per eos, à dicto Episcopo & Nuncio dispensationem prædictam, & prout illam concernunt omniaque & singula in ejusdem Episcopi litteris prædictis contenta & inde secuta quæcunque auctoritate Apostolica, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, tenore præsentium, confirmamus & approbamus, ac plenum firmitatis robur obtinuisse & obtinere, ipsumque matrimonium legitime contractum fuisse, & legitime fore in omnibus & per omnia perinde ac si cum eisdem Henrico Rege & Elizabetha Regina, ut impedimento prædicto non obstante, invicem matrimonialiter copulari, & in contracto postmodum per eos matrimonio remanere possent, suspiciendam ex illo prolem legitimam nuntiando aliàs juxta dictarum litterarum Episcopi præfati continentiam atque formam ab initio per nos dispensatum fuisset, & quæ in præmissis à dicto Episcopo facta fuerunt à nobis immediate, nostroque proprio ore processissent, motu, scientia, & auctoritate similibus decernimus supplemusque omnes & singulos defectus tam juris, quàm facti, ac etiam

ANNO 1486.

ANNO 1487.

solemnitatis forsan omissæ, si qui forsan intervenerint in eisdem. Eosdem Henricum Regem & Elizabetham Reginam ac matrimonium ipsum per eos contractum, Redemptoris præfati, ac Beati Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate benedicentes. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, constitutionis, suppletionis, benedictionis, & voluntatis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo, octuagesimo sexto, Decimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

IV. ibidem pag. 324.

Commissio Archiepiscopo Cantuariensi pro absolutione Tumultuantium: anno 1487.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantaurienſi, ſalutem & Apostolicam Benedictionem.

APostolicæ sedis indefessa clementia lapsis, ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus, personis libenter se propitiam, & benignam exhibere, & dum id humiliter petierint suæ pietatis gremium aperire consuevit. Dudum siquidem, pro conservanda pace, & quiete in Regno Angliæ, & ex certis aliis tunc expressis causis, per alias nostras litteras, motu proprio, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica monuimus & requivisimus omnes & singulos dicti Regni incolas & carissimi in Christo Filii nostri Henrici septimi Angliæ Regis illustris subditos, cujuscumque gradus, status, seu conditionis existerent, etiamsi Ducali vel majori Dignitate fulgerent, eisque & cuilibet eorum, districte præcipiendo inhibuimus ne ipsi aut aliqui eorum novos tumultus occasione juris succedendi in dicto Regno, vel quovis quæsito colore aut quacunque alia causa in eodem Regno per se vel alium, seu alios movere seu moveri facere, aut paci & tranquillitati dicti Regni contravenire quovis modo præsumerent sub excommunicationis & majoris anathematis pœna, quam omnes & singuli hujusmodi tumultus novos excitantes vel excitari facientes, atque pacem & Regni præfati tranquillitatem perturbantes, aut prædictis contravenientes, ex tunc, cujuscunque, ut præfertur dignitatis, status, gradus, seu conditionis existerent, etiamsi Ducali, aut majori præfulgerent dignitate, eo ipso incurrerent eosque incurrere, & illius vinculo innodatos, & involutos ipso facto esse, eisdem motu, scientia, & auctoritate voluimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus. A quo quidem excommunicationis & anathematis vinculo, ab alio quam sede præfata, aut cui sedes ipsa id specialiter & specifice committeret, præterquam in mortis articulo constituti nequirent beneficium obtinere, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem sicut præfatus Rex nobis nuper exponi fecit, aliqui ex prædictis monitis, qui hujusmodi excommunicationis sententiam incurrerunt, desiderent, pro serenitate conscientiarum suarum ab illa absolvi, pro parte ejusdem Regis nobis fuit humiliter supplicatum ut ipsos, & eorum singulos ab hujusmodi excommunicationis sententia absolvi mandare, aliasque eis & eorum statui in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, attendentes quod præfatæ sedis exuberans clementia cum humilitate petentibus veniam non consuevit denegare, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus quatinus per te, vel alium, seu alios idoneos, quos ad hoc duxeris eligendos, super quo tuam conscientiam oneramus omnes & singulos excommunicationis sententia hujusmodi innodatos, qui id humiliter petierint, ab illa auctoritate nostra, hac vice duntaxat absolvas in forma Ecclesiæ consueta; injunctis eis inter alia, sub virtute præstandi juramenti, quod de cætero talia non committent nec ea committentibus præstabunt auxilium, consilium, vel favorem, ac pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda: Non obstantibus præmissis ac Apostolicis, nec non bonæ memoriæ Ottonis & Ottoboni, olim in dicto Regno ejusdem sedis Legatorum, ac in provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, octavo Id. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1488.

V. Ex. Arch Angl. Rimer Tom. XII. pag 332.

Bulla contra Hibernicos Prælatos qui Lambertum Symnell prætenſum de jure, de Facto in Regem coronarunt: anno 1488.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Caſſelenſi, & Tuamenſi Archiepiſcopis, ac Clochorenſi, & Oſſorienſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmani Pontificis providentia circumſpecta ad ea libenter intendit, per quæ exceſſus & crimina per Eccleſiaſticas perſonas præſertim Pontificali dignitate prædictas, quæ omni debent carcere macula vitiorum & alios eorum bonis operibus & exemplis ad bene vivendum & ſuis Principibus obediendum inducere & à rebellionibus ac ſeditionibus præcavere, debitè puniantur, ut alii, hujusmodi exemplo ducti, à ſimilibus de cætero ſtudeant abſtinere. Nuper ſiquidem ad noſtrum non ſine maxima animi noſtri perturbatione pervenit auditum, quod Venerabiles Fratres noſtri Octavianus Armachanenſis, & Valterius Dublinenſis, Archiepiſcopi, ac Johannes Midenſis & Modernus Darenſis Epiſcopi, neſcitur quo Spiritu, niſi maligno, ducti, monitionibus, mandatis, & inhibitionibus per nos contra novos tumultus in Regno Angliæ moventes, ſeu moveri facientes, aut paci, & tranquillitati dicti Regni contravenientes, nec non cariſſimo filio noſtro Henrico ejusdem Regni Regi illuſtri & Hiberniæ Domino inobedientes ſibique Rebelles, Factis, ac Sententiis, Cenſuris, & pœnis contra eos promulgatis, contemptis, proprio poſtergato honore, Deique Timore poſtpoſito Hoſtibus & Rebellibus præfati Regis adhærere, ac opem conſilium, auxilium & favorem præſtare non erubuerunt, quinimo, quod pejus & abominabilius eſt, ad magis perturbandum quietem & tranquillitatem dicti Regni quemdam puerum, de illegitimo thoro natum, & quem Filium quondam Ducis clarentiæ fore falſo confingebant, in ipſius Regni Regem auſu temerario quamvis de facto erexerunt & coronarunt, quem præfatus Rex, Victoria potitus jam in manibus ſuis habuit, Crimen læſæ Majeſtatis committendo, nec non ſententias cenſuras, & pœnas prædictas damnabiliter incurrendo, in non modicum ejusdem Regis præjudicium, & detrimentum, pacis & quietis Regni & ſui Dominii Hiberniæ prædictorum perturbationem animarum ſuarum periculum, dignitatis Pontificalis opprobrium pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum. Nos igitur, volentes deſuper, antequam majora ſcandala ſequantur, prout ex debito Paſtoralis tenemur Officii, debitè providere, & eosdem Archiepiſcopos, & Epiſcopos, juxta ſuorum exigentiam demeritorum comperta veritate, punire.

Fraternitati veſtræ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatinus vos, vel duo veſtrum per vosmetipſos, de præmiſſis omnibus auctoritate noſtra vos ſecretè diligenter informetis & inquiratis. Et quicquid deſuper comperitis, id totum nobis per proceſſum veſtrum, veſtris, vel duorum veſtrum ſigillis ſignatum, ad nos per proprium nuncium quem quantocius deſtinabitis fideliter ſignificare curabitis. Ut exinde, omnibus diligenter examinatis, de Conſilio fratrum noſtorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſecundum Canones & Decreta Sanctorum Patrum contra eosdem Archiepiſcopos & Epiſcopos debitè procedere poſſimus. Super quibus omnibus & ſingulis vobis, quoad hoc, plenam, liberam, & omnimodam harum ſerie concedimus facultatem. Non obſtantibus Apoſtolicis, nec non in provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus cæterisque contrariis quibuscunque. Vos autem in hujusmodi negotio ita accurate, diligenter, fideliter & prudenter, prout de vobis confidimus vos gerere ſtudeatis, quod apud nos, & hanc ſanctam ſedem non immerito poſſitis commendari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo, octuageſimo ſeptimo, non. Januarii, Pontificatus noſtri anno quarto.

ANNO 1488.

ANNO 1488.

VI. Ex ibid. P. 341.

Bulla contra tumultus excitantes super Jure succedendi in Regno Angliæ: anno 1488.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SEdis Apostolicæ Providentia plurimum circumspecta intenta saluti animarum CHRISTI fidelium, ac Paci, quieti, & tranquilitati Catholicorum Regum & Principum, Regnorumque, & Dominiorum eorundem conservationi dubia quæ ex ordinatis propterea per eam pro tempore oriuntur dilucidat & declarat, & sic ordinata ampliat & extendit prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem ad obviandum Bellis & dissensionibus quæ in Regno Angliæ, retroactis temporibus, occasione Juris succedendi in eodem Regno inter Prædecessores carissimi in Christo filii nostri Henrici septimi Regis, & carissimæ in Christo filiæ nostræ Elizabethæ Reginæ Angliæ illustrium, humani generis hoste procurante, diù viguerant inter cætera, motu proprio, & ex certa nostra scientia, per alias nostras litteras, monuimus, & requisivimus, omnes & singulos dicti Regni incolas, & ejusdem Henrici Regis subditos cujuscumque gradus, status & conditionis existerent, etiamsi Ducali vel majori dignitate præfulgerent, ejsque & cuilibet eorum districtè præcipiendo, inhibuimus, nè ipsi aut aliquis eorum novos tumultus, occasione dicti Juris succedendi in dicto Regno, vel quovis quæsito colore, aut quacunque alia de causa, per se vel alium seu alios movere seu moveri facere, aut paci & tranquillitati ipsius Regni contravenire quovis modo præsumerent, sub excommunicationis & majoris Anathematis pœna. Quam omnes & singuli, hujusmodi tumultus novos excitantes vel excitari facientes, ac Pacem & Regni præfati tranquillitatem perturbantes, aut prædictis contravenientes, ex tunc eo ipso incurrerent, eosque incurrere & illius vinculo innodatos & involutos ipso facto esse eisdem motu & scientia volumus, statuimus, decrevimus, & declaramus. A quo quidem excommunicationis & anathematis vinculo ab ullo quàm sede prædicta, aut cui ipsa sedes id specialiter, & pacificè committeret, præter quam in mortis articulo constituti nequirent absolutionis beneficium. Et quoscunque tam Principes exteros, quàm dicti Regni Incolas præstantes opem & succursum eidem Henrico Regi ejusque descendentibus in eodem Regno successoribus Angliæ Regibus, contra eorum Rebelles, aut aliqua contra præmissa quovis pacto molientes, eisdem motu & scientia benediximus, & illis quos sic faciendo in tam justa causa decedere contingeret, plenam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem elargiti fuimus. Deputatis etiam super his executoribus, qui tales publicarent & facerent ab aliis publicari, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas prædictas iteratis vicibus aggravarent. Prout in eisdem litteris, quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus insereretur, haberi volumus pro sufficienter expresso pleniùs continetur. Cum autem, sicut accepimus, à nonnullis revocetur in dubium an in monitione, requisitione, inhibitione, & litteris prædictis includantur Hiberniæ, & aliorum locorum temporali Dominio dicti Regis subjectorum, extra tamen Regnum prædictum consistentium, Incolæ monitioni, Requisitioni, & Inhibitioni prædictis non parentes? Vereanturque Rex & Regina prædicti nè Ecclesiasticæ Personæ Regni & Dominiorum prædictorum, in prædictis litteris non inclusæ, hujusmodi novos tumultus & perturbationes excitent & faciant ac procurent ab aliis excitari. Nos, Quibus ex Pastorali Officio præcipue conservandæ Pacis & quietis inter Populos & Regna Christiana cura incumbit, super his debitè providere, ne fidelium animæ aliquorum perversorum suasione censuris & pœnis prædictis illaqueatæ remaneant, hujusmodi ambiguitatis dubium summovere, & ne Ecclesiasticæ Personæ prædictæ ad ea quæ secularibus Personis interdicta sunt impunè prorumpant, providere volentes, motu simili, non ad eorundem Regis & Reginæ, aut ad alicujus alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex simili scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium, declaramus Hiberniæ, & aliorum locorum & Dominiorum dicto Regi subjectorum extra dictum Regnum consistentium Incolas seculares, qui hujusmodi novos tumultus, occasione dicti juris succedendi, in eisdem Regno, & Dominiis, vel aliàs movere & excitare non verebuntur, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis, conditionis, vel Præeminentiæ sint vel fuerint, in prædictis monitione, requisitione, inhibitione, & litteris inclusos esse, & illos ex eis, qui monitioni, requisitioni, & inhibitioni prædictis non paruerint excommunicationis, & anathematis sententiam prædictam incurrere debere, & eosdem executores ac ab eis deputatos subexecutores excommunicatos & anathematizatos publicè nunciare, & ad censuram earumdem aggravationem contra eos procedere, & alia eis demandata facere posse juxta litterarum earumdem continentiam atque formam, & sic nostræ intentionis esse, ac per quoscunque Auditores & Judices etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa judicari & interpretari debere, sublata eis, & cuilibet eorum quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, eis-

ANNO 1488.

dem

ANNO 1488.

dem motu, scientia, & auctoritate decernimus. Ac easdem monitionem Requisitionem, & inhibitionem ad personas Ecclesiasticas, etiam cujusvis ordinis, Religiosas exemptas non exemptas in praefatis Regno & Hiberniae, ac illis Dominiis ipsius Regis constitutas, cujuscunque status, Gradus, Ordinis & Conditionis existant, etiamsi Episcopali, vel alia quavis etiam majori Ecclesiastica dignitate praefulgeant, similibus motu, scientia & auctoritate extendimus, & extendendo easdem Ecclesiasticas Personas & quamlibet earum dicta auctoritate pari modo monemus, requirimus & inhibemus eisdem, ne novos tumultus hujusmodi suscitare movere, seu jam motos fovere nutrire, & manutenere, seu quempiam ad illos incitare, neve paci & tranquilitati ipsius Regni & Dominiorum ejusdem Regis, etiam extra Regnum ipsum consistentium, contravenire, quovis modo praesumant, sub interdicti ingressus Ecclesiae per Episcopos & superiores ab eis, & excommunicationis ac anathematis latae sententiae poenâ per alios inferiores ab eis qui contravenerint eo ipso incurrenda, ita ut si Episcopali & majori dignitate Ecclesiastica fungentes sub hujusmodi interdicto per decem dies permanere non formidaverint, ex tunc, lapsi Diebus eisdem à suarum Ecclesiarum regiminibus suspensi existant, & si suspensionem eandem per viginti dies, praefatos decem dies immediatè sequentes, animo quod absit, sustinuerint indurato excommunicationis, & majoris anathematicis sententia, prout & alii inferiores innodati sint & esse censeantur eo ipso. Non obstantibus praemissis ac Apostolicis, nec non bonae memoriae Ottonis & Ottoboni olim in dicto Regno Angliae ejusdem Sedis Legatorum, ac in Provincialibus, & Sinodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & Ordinationibus, necnon omnibus illis quae in litteris praedictis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque, & quia difficile foret praesentes & alias litteras praedictas, ad singula quaeque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus & eadem auctoritate decernimus quod illarum transumptis, manu publici notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae aut curiae Ecclesiasticae munitis, ea prorsus in judicio & extra, & alias ubilibet fides adhibeatur quae praesentibus & aliis litteris praedictis adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, constitutionis extensionis, monitionis, requisitionis, Inhibitionis, voluntatis, & decreti, infringere &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo, quadringentesimo, octuagesimo sexto, X. Calendas Junij, Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1490.

Bulla Innocentii VIII. pro receptione Antonii Championis nominati ab illo ad Ecclesiam Gebennensem: an. 1490.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis populo Civitatis & Diœcesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie siquidem venerabilem fratrem nostrum Antonium Episcopum Gebennensem à vinculo quo Ecclesiae monstis regalis, cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & apostolicae potestatis plenitudine absolvimus, & ad Ecclesiam Gebennensem tunc certo modo vacantem de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica transtulimus, ipsumque eidem Ecclesiae Gebennensi praefecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem dictae Ecclesiae Gebennensis sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Quocirca universitatem vestram monemus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis mandantes, quatinus eundem Antonium Episcopum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devote susscipientes & debita honorificentia prosequentes, ejus monitis & mandatis salubriter & humiliter intendatis, ita quod ipse Antonius Episcopus in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo nonagesimo, non. Novembris, Pontificatus nostri anno septimo.

9. Novemb. 1490.

B. Bagarethus.



ADDENDA

ADDENDA.

Anno 1095.

URBANUS SECUNDUS.

Addenda pag. 6. ex Labbe Concil. Tom. 10. pag. 511.

Institutio Cruciatæ contra Turcas in Concilio Senonensi, anno 1095.

Synodalis Concio URBANI PAPÆ II.

NOstis fratres dilectissimi, & vestram nosse id expedit caritatem, quomodo humani generis reparator pro nostra omnium salute carnem assumens, & homo inter homines conversatus, terram promissionis, quam pridem Patribus promiserat, propria illustravit præsentia, & assumptæ dispensationis operibus, & crebrâ simul miraculorum exhibitione reddidit specialiter insignem: id enim, & veteris, & novi penè in omnibus syllabis docet series Testamenti. Quadam sanè dilectionis prærogativa certum est eam dilexisse, ita ut eam orbis partem, imo particulam, hæreditatem suam dignatus est appellare, cum ejus sit omnis Terra, & plenitudo ejus, unde per Isaiam ait *hæreditas mea Israel*, & item *vinea Domini Sabooth Domus Israel est*, & licet totam in partem præcipuam sibi dedicaverit ab initio, peculiarius tamen urbem sanctam sibi adoptavit in propriam, testante Propheta, qui ait: *Diligit Dominus Terras Sion super omnia tabernacula Jacob*, de qua glorioſa dicuntur, videlicet, quod in ea docens passus, & resurgens Salvator salutem operatus est in medio Terræ. Ad hoc à Seculis est præelecta, ut tantorum esset conscia, & cella familiaris mysteriorum electa nimirum, quod ipse qui elegit testatur dicens: *& de Jerusalem Civitate, quam elegi, venit nobis Salvator.* Quam etsi, peccatis inhabitantium id exigentibus justo judicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit Dominus, & duræ Jugum servitutis ad tempus eam sustinere passus sit, non tamen arbitrandum est, quod eam quasi à se repudiatam abjecerit, cùm rescriptum sit: *Flagellat Dominus omnem Filium, quem recipit*: illi verò thesaurizat iram, cui dicitur: *Recessit zelus meus à te, jam amplius non irascar tibi*: Dilexit ergo eam, nec imperuit erga eam, dilectionis fervor, cui dicit: „ Ejus corona gloriæ in manu Domini, „ & diadema Regni in manu Dei tui, & non „ vocaberis amplius desolata, sed vocaberis „ voluntas mea, quia complacuit Domino in „ te. „ Hæc igitur salutis nostræ cunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter, & captivatis liberæ filiis, extremas imponit conditiones, quibus versa vice merito servire tenebatur.

Isaia 19. Isaia 5. Psalm. 116. Heb. 12. Ezech. 16. Isaia 62.

Sed quid scriptum est? *Ejice Ancillam, & filium ejus*: Saracenorum gens impia, & mundanarum sectatrix traditionum, Loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, jam à multis retro temporibus violenter premit tyrannide: Subactis fidelibus, & in servitutem damnatis, ingressi sunt canes in sancta, prophanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum servit in luto, & in latere regale Sacerdotium, princeps Provinciarum facta est sub tributo civitas Dei cujus non liquefiat anima? cujus non tabescant præcordia, iis ad animum recurrentibus? Quis hæc siccis oculis audire potest fratres carissimi? Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes ejecit, & mentes, ne Domus Patris ejus fieret spelunca latronum, factum est sedes Dæmoniorum, idipsum enim, & Matthathiam sacerdotem magnum, sanctorum Progenitorem Macchabæorum, ad zelum accendit commendabilem, sicut ipse testatur, dicens. *Templum Domini quasi vir ignobilis, vasa gloriæ ejus adducta sunt captiva*, civitas regis regum omnium, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur invita deservire. Sanctæ resurrectionis Ecclesiæ, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, fædatur spurcitiis eorum, qui resurrectionis non habebunt participium, sed stipula ignis eterni perennibus deputabuntur incendiis. Loca venerabilia divinis deputata mysteriis, quæ Dominum susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, stabula Jumentorum. Laudabilis Populus, cui benedixit Dominus exercituum, sub angariarum & sordidarum præstationum pondere gemit fatigatus, rapiuntur eorum filii, matris Ecclesiæ cara pignora, ut gentium immunditiis deserviant, & nomen Dei vivi abnegent, vel ore blasphement sacrilego, compelluntur: aut impia detestantes imperia cæduntur, gladiis more bidentium, sanctis martyribus sociandi. Non est Sacrilegis locorum differentia, non est personarum respectus. In sanctuariis occiduntur Sacerdotes, & Levitæ, coguntur virgines fornicari, aut per tormenta perire, nec matronis ætas maturior suffragatur.

1. Mach. 2.

Væ nobis, qui in hanc tam periculosi temporis descendimus miseriam, quam in spiritu prævidens electus à Domino David rex fidelis deplorat, dicens: „ Deus venerunt gentes „ in hæreditatem tuam, polluerunt templum „ sanctum tuum, & item: Populum tuum „ humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexa- „ verunt, quid, domine, irascéris in finem, „ accendetur, velut ignis ira tua? Ubi sunt „ misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Verum „ ne est quod dicitur: non obliviscetur miseri- „ reri Deus, non continebit in ira sua miseri- „ cordias suas? recordare Domine quid acciderit nobis, intuere, & vide opprobrium no- „ strum. Væ nobis, ut quid nati sumus vide- „ re corruptionem Populi nostri, & contritio- „ nem Civitatis sanctæ, & sedere illic, cum „ dantur in manibus inimicorum sancta. „ Vos igitur dilectissimi armamini zelo Dei, accingimini unusquisque gladio suo super femur suum potentissimè. Accingimini, & estote filii potentis: melius est enim nobis mori in Bello, quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum. Si quis zelum Legis Dei habet, adjungat se nobis, subveniamus fratribus nostris, *dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum*, egredimini, & Dominus erit vobiscum, arma, quæ cæde mutua illicitè cruentastis, in hostes fidei, & nominis Christiani convertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia, & cætera, qualia qui agunt regnum Dei

Psalm. 75. - 93. - 75.

Psalm. 2.

ANNO 1095.

non desistebunt, hoc Deo beneplacito redimite obsequio, ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocastis, celerem indulgentiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, & deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur, & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum injungimus, ut fratribus nostris, & cælestis Regni cohæredibus (omnes enim invicem sumus membra, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi) qui Hierosolymis, & in finibus ejus habitant, afflictioni, & laboribus compatientes, infidelium insolentiam, qui sibi regna, principatus, & potestates subjicere contendunt, debita compescatis animadversione, & illis totis viribus occurratis, quibus est propositum nomen delere Christianum. Alioquin futurum est ut in proximo Ecclesia Dei jugum indebitæ perferens servitutis, fidei sentiat dispendium, prævalente Gentilium superstitione. In quanta enim positi sint afflictione noverunt ex nobis nonnulli, qui hæc, quæ loquimur occulta conspexerunt fide, & præsens illorum per manum Petri viri venerabilis, qui præsens est ad nos delata docet epistola. Nos autem de misericordia Dei, & Beati Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum externæ mercedis se non dubitent habituros. Interim verò eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione, & Beatorum Petri, & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab universis inquietationibus tam in rebus, quàm in personis statuimus manere securos. Si verò quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit, per Episcopum Loci excommunicatione feriatur, & tandiù sententia ab omnibus observetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè satisfiat.

Episcopi verò, & Presbyteri, qui talibus formiter non restiterint, officii suspensione mulctentur, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant.

ADDENDA *pag.* 30. Ex Act. Titres &c. du Clergé de France Tom. II. pag. 172.

Mandat Archiepiscopo Senonensi, quod vetet Monachis, Canonicis, & Regularibus excommunicare, & ab excommunicatione absolvere, nisi facultatem exhibuerint authenticam, undè eis hoc liceat: anno . . . . .

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Senonensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.

SI quando postulatur à nobis quod juri conveniat & Ecclesiasticæ consonet honestati, petentium desideriis facilem debemus impertiri assensum eorumque vota effectu prosequente complere; ea propter tuis justis postulationibus inclinati authoritate tibi Apostolica indulgemus, *ut monachos & canonicos & alios* Religiosos qui in Diœcesi tua excommunicatos absolvunt vel excommunicant absolutos, nisi scriptum authenticum unde hoc liceat exhibuerint ab hujusmodi præsumptione appellatione remota authoritate nostra compescas. Datum velleti XIV. Kal. Julii.

Sigillatum uno Sigillo in plumbo, quod continet hæc verba: Lucius P. P. III. cum duabus effigiebus & his literis S. P. A. S. P. &c.

Exemplar supra scriptum cum illius archetypo in archivio Archiepiscopatus Senonensis existente composuit Jocobus le Riche, Clericus authoritate Apostolica & Archiepiscopali Senonensi Notarius dicti archivi claviger & custos, Senonis degens die vigesima prima mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

Le Riche.

ADDENDA *pag.* 41. Ex Cod. 128. Bibl. Colbert. Descr. V. Cl. Stef. Baluzius.

Epistola contra Falsatores, & contrà Censores malignos.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

UNiversis Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis, nec non & universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis. Pridem eo Bullæ nostræ confracto typario, quò Apostolorum Petri, & Pauli capita signabantur, aliud ut cunque consimile fecimus continuò subrogari, nè ob bullæ defectum personis & negotiis ex vacatione dispendium immineret. Porrò quia subrogatum hujusmodi corpulentiores solito eorumdem capitum effigies exprimebat; dum per hoc discrepabat notabiliter à priori, aliud postmodum, cujus impressione præsentes Literæ muniuntur, aptius in opus bullandi perpetuum fecimus, repositio in otuum sic altero, alterius opificis ministerio fabricari, donec corruptione, seù vetustate defecerit, non mutandum. Verum quia Falsariorum pernicioſa subtilitas, si parum vigilet cauta prudentia ex adverso, ex mutatione prædicta præsumeret fortasse malignandi materiam, & moliendi sibi nova nequitiæ instrumenta; perspicaciori est consideratione oculo providendum, ut si letalis sibi ipsi & toti corpori suo manus falsis incudibus simile quicquam effigiare tentaverit intrà pestilentes proprii latibuli officinas id per transumptam de veris exemplaribus speciem, fallere nequeat oculos inspectoris arguti, vel evadere ad communis utilitatis incommodum severi Judicis ultionem. Quocirca mandamus, quatinus contrà litterarum nostrarum falsarios manus sollicitæ indaginis porrigentes, iniquitates ipsorum satagatis ad perfectum odium invenire; ità quod hæc radix quæ per suffragia maligni temporis pullulavit, disciplinalis falcis acumine succidatur. Cum aliquibus vestrum apostolicas litteras contingerit præsentari, circà præsentantis personam, maximè si privilegium, vel litteras super concessionibus, vel indulgentiis, quæ à nobis non nisi de certa scientia conceduntur, vel committuntur, obtulerit; diligens consideratio habeatur, utrum ex illius opinione, vel meritis aliquis in ejus actionibus siniſtræ suspensionis scrupulus oriatur. Deindè qui literas hujusmodi receperit, eas in Bullâ filo, cartâ, stilo dictaminis, scripturâ, formâ, & aliis, in quibus notari, vel deprehendi falsitas potest, circumspiciat diligenter: & si certum in illis falsitatis apparuerit argumentum, reprobentur protinùs tanquam falsæ, & contrà impetratores earum, vel scientèr utentes eisdem ad incarcerationem, & alias pœnas juxtà rigorem canonum procedat exacta diligentia Prælatorum, contradictores, si & ipsi noluerint Canonicam effugere disciplinam; proviso ut literis ea bulla quam subrogabimus,

priori

ANNO .....

ANNO 1225.

priori confrictæ ſignatis nullatenùs derogetur. Ità tamen, quod ſi ſuper earundem literarum aliquibus de veritate Bullæ contigerit rationabiliter dubitari, per ſubtilem collationem aliarum ſimilium, de quibus non dubitatur, ad illam hujuſmodi hæſitatio ſinè difficultate qualibet dirimatur. Ut autem aliquibus ſupèr hoc de culpa, vel negligentia impetrantis nullum frivolum defenſionis vel excuſationis pallium relinquatur; volumus, & diſtrictè præcipimus ut ſinguli Prælatorum ſubditos ſuos propoſito eis publico commonitionis edicto præmuniant, & informent per literas Apoſtolicas quibus uti diſponunt, & quas de aliorum quàm noſtris, vel illorum, qui ad illud deputati noſcuntur officium manibus receperunt apud ſe ipſos adhibito, ſi opus fuerit Peritorum conſilio, diſcutiant diligenter, & eas tunc in publicum proferant, cum diſtricto fuerint judicio approbatæ. Si verò eas intellexerint reprobas, eas ſtatim deſtruant, vel reſignent quod poſtquam eis publicè uti cœperint, ipſas contingerit argui falſitatis; ſciant ſibi ſeram ignorantiam, ſi tunc eam prætenderint, quominùs canonicæ pœnæ ſubjaceant, nullatenùs profuturam. Caveant autem ſinguli, ne quod ad medelam cogitavimus in hac parte, per abuſum tendat ad noxam: quia ſi nobis obviantibus ſceleri falſitatis, aliqui ex hoc materiam ſumpſerint in perſonas, vel negotia malignandi, hanc gravem malitiæ culpam, quæ facilè poterit deprehendi, non dimittet Apoſtolicæ diſciplinæ ſeveritas impunitam.

ADDENDA *pag.* 44. Ex Baluzii Miſcellaneorum Lib. 2. pag. 255.

Ludovicum VIII. Francorum Regem hortatur Albigenſes Regno exterminare: anno 1225.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei cariſſimo in Chriſto Filio Ludovico illuſtri Regi Franciæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm Reges & Principes Chriſtiani propter Eccleſiam matrem ſuam, ex qua ſpecialiter nati ſunt, & quam à Chriſto, ut eam temporibus ſuis foveant, ſuſcepere fovendam, Deo teneantur reddere rationem, grave nimis debes gerere ac indignum quod intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigenſibus, hæretici manifeſtè ac intrepidè impugnant Eccleſiam, fidem Chriſtianam evacuant, & dilacerant ipſum Chriſtum. Certè Nabuchodonoſor Rex decrevit, dicens: *Quicunque locutus fuerit blaſphemiam in Deum Sidrach, Miſach, & Abdenego, in interitu erunt, & domus eorum in diſperſione.* Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Iſrael blaſphemari; commotus, tu Regum Chriſtianiſſime, devotiſſimorum Principum ſucceſſor, & hæres, cum quo devotio Chriſtiana convaluit, evacuari fidem noſtram, lacerari Chriſtum, & Eccleſiam diſſipari à talibus patieris? Denique ſi poteſtates ſeculi & rectores raptores perſequuntur & fures, tu, qui regni ſolium obtines, terram tuam hæreticis, qui animas pretioſiores cunctis ſubſtantiis furantur & rapiunt, non purgabis? ſanè præceptum à Domino legitur: „Si audieris in una ex civitatibus quas Domi„nus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic „dicentes, eamus, & ſerviamus diis alienis „quos non noſtis, pones illos in ore gladii & igne civitatem incendes. Nimirum etſi pro immenſis in hoc ſæculo beneficiis Deo, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum ut pro ipſo in fidei ſubverſores, à quibus blaſphematur, animoſus inſurgas, & pro catholica puritate, quam de partibus illis attendentes dæmoniorum doctrinis ejeciſſe noſcuntur viriliter te opponas, porro non abſque dolore cordis & gravi mentis amaritudine recolere poſſumus quod cum ad ſtirpandum inde peſtem hæreticam multis ſit perſonarum & rerum diſpendiis laboratum, penè omnia in confuſionem antiquam, populi Chriſtiani peccatis exigentibus, ſunt reducta, & ille qui felicibus invidet actibus, ſic armavit in Antichriſti præambulos partes ſuas ut diffundentibus illis intrepidè ac latiùs pravi dogmatis ſui virus, verendum eſt plurimum ne ipſorum veneno regnum tuum in fide ac devotione præ aliis radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Eccleſiam, tanquam in principalem partem concuſſam, nova perſecutio excitetur. Multò ergo deſiderio expectantes ut per te Catholicorum Principum ſucceſſorem impiis eorum conatibus celeriter obvietur, ne illud modicum terræ, quod adhuc tenent Catholici, amittatur, & peſtis hujuſmodi regnum Franciæ maculet, cui iam apertè ſuos extendendo laqueos appropinquat, Celſitudinem regiam monemus, rogamus, & obſecramus in Domino quatenus zelo, ut decet, fidei & devotionis accenſus, oblatis Deo tuæ coronationis primitiis, cauſam hujuſmodi, quæ Chriſti eſt, tibi per quem poſt Deum poſſe feliciùs agi æſtimatur, aſſumas, pro certo ſciturus quod ſuper hoc licet multum Romana Eccleſia laboraverit, non ſolum ſpirituale, ſed temporale auxilium in perſonis & rebus quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati ſumus adhuc & laborem aſſumere & conſilium, & auxilium impertiri. Cum autem hoc negotium ſummæ pietatis ſe ingerat, & ex eo videatur agi etiam cauſa tua, quod peſtis ipſa loca iam tibi vicina venenat, citò, cariſſime fili, Chriſto, & Eccleſiæ potenter & patenter, prout dominus tibi poſſe tribuit, in hac parte ſuccurras. Nam poteſtatem propterea ſuſcepiſti, ut per ſe perſecutores Eccleſiæ temporaliter, quod ipſa non poteſt facere conterantur. Eo quidem ſi, prout confidimus, Chriſti & fidei orthodoxæ opprobria in te cadunt, ut zelum, ſicut potes, habeas tantam injuriam vindicandi, quod quippe Regis honori expedit, ne defectui tuo tantam fidei ſubverſionem contingeret imputari, ſperamus in eo qui pueri propoſitum provehit, & conſilium diſſipat peccatorum, quod negotium in manu tua proſperabitur, & magnitudo tuæ devotionis, & fidei contritis hæreticis clarius eluceſcat. Ceterùm cùm, ſicut intelleximus, nobilis vir Amalricus Comes Toloſanus quicquid juris habet in terra tibi ſit offerre paratus in dominio tuo illud recipias, à te ac hæredibus tuis liberè deinceps, & quietè jure perpetuo poſſidendum. Ad hoc pro certo noveris quod Raymundum Toloſanum Comitem, & Filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, revertuntur, ſed contumaciter in ſua malitia perſeverant. Venerabiles verò Fratres noſtros Archiepiſcopum Bituricenſem, & Lingonenſem & Sylvanetenſem Epiſcopos, qui de tuo regno exiſtunt, & tibi favorabiles credimus & devotos, & tui non dubitamus honoris exiſtere Zelatores, ſpecialiter propter hoc ad tuam duximus præſentiam deſtinandos; quibus ſolita benignitate ſuſceptis, oblatam tibi per eos, quibus in virtute obe-

ANNO 1227.

dientiæ hujusmodi onus injunximus, nostram & Ecclesiæ petitionem tam necessariam affectuosè ac efficaciter studeas exaudire.

Datum Laterani, decimo nono Kalendas Januarii, Pontificatus nostri: Anno octavo.

ADDENDA *pag.* 48. Ex Act. Ang. Tom. I. pag. 297.

Institutio Festivitatis Beati Edwardi: Anno 1227.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Angliam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

UT notam faciat filius hominum potentiam suam Dominus & Gloriam magnificentiæ Regni sui, nonnumquam electos suos, quos in hac vita justificat & coronat, in patria signanter honorat, dans eos miraculis corruscare, dum, omni perfidiâ confutatâ, roboratur fides catholica, spes erigitur, & caritas dilatatur.

Quare Christi fideles quos taliter ipse clarificat, pio complectentes amore, devotione debent celebri venerari, ut, in sanctis sanctificantem suppliciter honorantes, illius propitiationem & istorum suffragia salubriter mereantur.

Ex literis siquidem fælicis recordationis Alexandri Papæ, prædecessoris nostri, nobis exhibitis extitit declaratum, quod, tàm claræ memoriæ Henrico Anglorum Rege, quàm omnibus Prælatis Angliæ qui tunc erant ei supplicantibus humiliter, & instanter, ut Beatum Eduardum glorioſum quondam Regem Anglorum ascriberet Sanctorum Catalogo in Ecclesia militanti, quem attestantibus miraculorum suorum insignibus, in triumphanti regnare minimè dubitant, ipse diligenti cum Fratribus deliberatione præhabita, & libro miraculorum inspecto, quibus ipsum in mortali carne viventem, & exutum ab ea Dominus multipliciter illustrarat, visisque literis Innocentii Papæ, cui idem successerat, & receptis testimoniis supplicantium, quamvis negotium tàm arduum non frequenter soleat, nisi forte in solemnibus Conciliis de more concedi, de Fratrum tamen consilio juxta votum, & desiderium petentium, prædictum sanctum inter Beatos Confessores censuit numerandum, dirigens Universis Ecclesiarum Prælatis Angliæ monita, & mandata, ut veneratione debita prædictum colerent Confessorem. Nuper autem venerabilis Frater noster Cantaurienſis Archiepiscopus suis nobis literis humiliter supplicavit, ut supplentes quod à prædicto prædecessore nostro omissum videtur, mandaremus Festum ejus solenniter celebrari, quem glorioſus Deus in sanctis suis, adhuc miraculis clarificat glorioſis.

Ne igitur videatur quodammodo ipsius gloriæ derogari, quem digne glorificari possibilitas humana non sufficit, cum reputandum sit in Canonizatione Festi celebratio fore concessa, universitatem vestram monemus attentè per Apostolica scripta mandantes, quatenùs ipsius sancti Festum annua celebratione colentes, pro nobis, & vobis ejus apud Deum suffragia suppliciter imploretis.

Datum Laterani quinto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Primo Filis Sericis Flavi rubrique coloris.

ANNO 1243.

I. ADDENDA *pag.* 51. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 417.

Quod Angliæ Reginæ Devotionis gratiâ possit ingredi Oratoria, & Clausura Religiosorum cum decem mulieribus: anno 1243.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimæ in Christo Filiæ Reginæ Anglorum Illustri salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ILla Personam tuam prærogativa prosequimur gratiæ specialis, quod preces tuas, præsertim quæ in se opus continent pietatis libenter admittimus, quantum cum Deo, & Nostra possumus honestate.

Tuæ itaque devotionis precibus inclinati præsentium tibi Auctoritate concedimus, ut, cum interdum causa devotionis ad nonnulla Cistercienſium, & aliorum Religiosorum Monasteria Regni Angliæ divertere te contingat, liceat tibi cum decem bonis, & honestis mulieribus, orationis causa, oratoria, & clausura ingredi eorumdem, consuetudine aliqua, vel statuto confirmato per sedem Apostolicam, seù firmitate alia non obstante.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani septimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno primo.

Plumbeo sigillo pendente à filis Sericis flavi, rubrique coloris.

De Beneficio Absolutionis Regni impendendo.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Bonifacio Electo Cantaurienſi salutem, & Apostolicam benedictionem. Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Angliæ devotis precibus inclinati, præsentium tibi Authoritate concedimus, ut si quando pro violenta injectione manuum in Clericos, & Personas Ecclesiasticas contigerit incidere in Canonem Sententiæ promulgatæ, impendas ei per te, vel per alium vice tua juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium vice nostra, & injungas illi, quod de Jure fuerit injungendum. Quod si fuerit gravis, & enormis excessus ipsum nequaquam absolvas absque sedis Apostolicæ licentia speciali, præsentibus post quadriennium minimè valituris.

Datum Lateran. septimo Kal. Maji Pontificatus nostri Primo.

Plumbeo sigillo pendente à Filo Canabeo.

ANNO 1243. II. Ex Arch. Rymer Tom. I. pag. 418.

Solemnizatio Festi Edvvardi in Ecclesia universali celebranda: anno 1243.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archibresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos Litteræ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam Benedictionem.

UT notam faciat Filiis Hominum Potentiam suam Dominus, & gloriam magnificentiæ Regni sui, nonnumquam electos suos, quos in hac vita justificat, & coronat in Patria signanter honorat, dans eis miraculis coruscare, dum omni perfidia confutata, roboratur Fides Catholica, spes erigitur, & caritas dilatatur.

Quare Christi fideles quos taliter ipse clarificat pio complectens Amore, devotione debent celebri venerari, ut in sanctis sanctificantem suppliciter honorantes, illius Propitiationem, & istarum suffragia salubriter mereantur.

Ex litteris siquidem felicis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri nobis exhibitis, extitit declaratum, quod piæ memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, tàm claræ memoriæ Henrico Anglorum Rege, quam omnibus Prælatis Angliæ, qui tunc erant ei humiliter supplicantibus, & instanter, ac Beatum Eduardum glorioſum quondam Regem Anglorum ascriberet Sanctorum Catalogo in Ecclesia militanti, quem attestantibus miraculorum suorum insignibus in triumphanti regnare minimè dubitant.

Ipse diligenti eum fratribus deliberatione præhabita, & libro miraculorum inspecto, quibus ipsum in mortali carne viventem, & exutum ab ea Dominus multipliciter illustrarat. Visis quoque Litteris Innocentii Papæ cui idem Alexander successerat, & receptis Testimoniis supplicantium, quamvis negotium tàm arduum non frequenter soleat, nisi forte in solemnibus Conciliis de more concedi, de fratrum tamen consilio juxta actum, & desiderium petentium, prædictum sanctum inter Beatos Confessores censuit numerandum, dirigens universis Ecclesiarum prælatis Angliæ monita & mandata, ut veneratione debita prædictum colerent Confessorem.

Idem quoque prædecessor noster Gregorius, Bonæ memoriæ Cant. Archiep. sibi humiliter supplicante, ut supplens quod à prædicto Alexandro videbatur omissum, mandaret Festum ejusdem Confessoris solemniter celebrari, quem Glorioſus Deus in sanctis suis adhuc miraculis clarificat glorioſis, dedit supra dictis Prælatis suis litteris in mandatis, ut ipsius Festum cujus celebratio reputanda est in canonizatione fuisse concessa, celebratione annua colere procurarent.

Cæterum quod Carissimus in Christo Filius noster Rex Anglorum illustris, nobis nuper suis literis supplicavit, ut sicut in omnem terram sonus miraculorum ejusdem glorioſi Confessoris exivit, sic natales ipsius quos Non. Januarii, & Festum Translationis quod tertio Idus Octobris celebri veneratione in Anglicana Ecclesia præcoluntur, in universali mandaremus Ecclesia celebrari: Nos attendentes quod humana possibilitas, digne glorificare non sufficit Divina Bonitas tanta gloria sublimavit, universitatem vestram monemus attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus festa prædicta annua celebritate colentes pro nobis, & vobis ejusdem Confessoris apud Deum suffragia suppliciter imploretis.

Dat. Lateran. 4. Kal. Junii Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1245.

Bulla de Pluralitate Beneficiorum: anno 1245.

III. Ex Archiv. Rymer. Tom. I. P. 437.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis per Regnum Angliæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm sedes Apostolica illo affectu Anglicos prosequatur, ut ipsos inter alios ejus filios, & multiplici favore proponat attollere, ac specialis dono gratiæ honorare, magno desiderio cupimus eosdem Anglicos devotionis studio insistere perseveranter, ac laudabiliter exercitio proficere bonitatis, ut accepti, & digni merito inter cæteros habeantur.

Hinc est quod universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs vestrarum civitatum, & Dioc: Clericos, & eos, qui ascribi desiderant militiæ Clericali (præsertim nobilium, & magnatum filias) attentis, & sedulis exhortationibus inducatis, ut honestati morum, Scientiæ literarum, & virtutum cultui intendant ferventer, studentes omni diligentia se gratos, & idoneos exhibere, ac sedis prædictæ gratiam, aliorumque benevolentiam, probitatis meritis vendicare. Nos enim parati sumus Clericis Regni Angliæ, benè meritis, provisionis Ecclesiasticæ dexteram liberaliter aperire, ac etiam cum illis quos velut Nobiliores, & probiores ampliori gratia noverimus esse dignos super beneficiorum pluralitate honorificè dispensare. Dat. Lugdun. tertio Non. Augusti, Pontificatus Nostri Anno tertio sub Filo Canabi.

Quod universi Ecclesiarum Patroni in Regno Angliæ possint ad Ecclesias in quibus habent Jus-patronatus liberè præsentare absque contradictionis obstaculo: Anno 1245.

IV. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. I. pag. 437.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

FErvens Anglorum meretur devotio, ut eos Apostolica sedes tanquam speciales Filios Brachiis maternæ affectionis amplectens, & favore ipsos muniat opportuno, ac efferat gratiæ privilegio potioris.

Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, volentes jura vestra illæsa servari universitati vestræ ut ad Ecclesiastica beneficia, in quibus jus Patronatus habetis, cum ea vacare contigerit, præsentare illis ad quos eorumdem beneficiorum spectat collatio, personas idoneas, quæ velint & possint in eis utiliter deservire, absque cujuslibet contradictionis obstaculo liberè, prout ad vos pertinet, valeatis, auctoritate præsentium indulgemus.

ANNO 1246.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre;

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. Lugdun. tertio Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno tertio.

Plumbeo ſigillo pendente à filis Sericis flavi rubeique coloris.

V. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1246.

Bulla continens Privilegium Abbati Britolienſi conceſſum, ut in Feſto S. Conſtantiani in adventu Domini poſſint Monachi cantare in Miſſa *Gloria in excelſis Deo*, & *Ite Miſſa eſt*: anno 1246.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Abbati & Conventui Monaſterii de Britolio Belvacenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

QUoties à nobis petitur quod laudi Divini nominis convenire dignoſcitur: animo nos decet libenti concedere, & piis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri. Ex parte ſiquidem veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum Feſtum beati Conſtantiani Confeſſoris, cujus corpus in veſtro Monaſterio requieſcit, nonnunquam in adventu Domini celebrari contingat, & in Feſto ipſius ad dictum Monaſterium propter miracula evidentia, quæ Dominus ipſius ſancti meritis frequenter operatur, ibidem cauſſa devotionis fidelium Chriſti conveniat multitudo, cantandi *Gloria in Excelſis Deo*, & *Ite Miſſa eſt* in celebratione Miſſæ dicti Feſti vobis licentiam largiri dignaremur. Nos igitur veſtris poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, vobis hujuſmodi licentiam auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni 15. Kal. Octob. Pontificatus noſtri anno quarto.

Quod Abbates Ciſtercienſis Ordinis nullum ex Fratribus Prædicatorum recipiant: an. 1247.

VI. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1026.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Univerſis Abbatibus, & Conventibus Ordinis Ciſtercienſis ad quos literæ iſtæ pervenerint ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm olim felicis recordationis Gregorius Papa Prædeceſſor noſter de Religioſorum finibus omnem turbationis materiam amputare deſiderans, vobis in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandaverit, prout in regiſtro ipſius Prædeceſſoris continentur expreſſe, ut nullum de ordine Fratrum Prædicatorum prætextu alicujus Indulgentiæ, niſi priùs ſedis Apoſtolicæ, vel Prioris ſui petitâ licentiâ & obtentâ, in veſtrum admitteretis conſortium, & receptos ad ſui reſumptionem habitûs remittere curaretis: Vos, ſicùt accepimus, non ſolum admiſſos reſtituere contemſiſtis ad plenum, verum etiam plures poſtmodum ex ipſis Fratribus præter formam à dicto Prædeceſſore noſtro vobis impoſitam, non absque inobedientia uitio recepiſtis. Volentes igitur, ut ejusdem Prædeceſſoris noſtri mandatum, ut pote pluribus ſalutiferum, & Seminarium pacis firmiter obſervetur à vobis: Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs omnes, quos de ordine prædicto vos, vel Anteceſſores veſtri contrà mandatum hujusmodi recepiſtis, ad priores ipſorum ſinè difficultatis obice remittentes, ſtudentes à receptione talium propter quietem ordinis utriusque, de cetero abſtinere. Alioquin ne hoc per aliquorum inſolentiam impedire contingat, Venerabilibus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis locorum veſtrorum Diœceſanis noſtris damus literis in mandatis, ut eos qui ex vobis hujusmodi mandato Apoſtolico noluerint humiliter obedire, ad id monitione promiſſa, per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota compellant: indulgentia ſedis Apoſtolicæ contratia non obſtante.

Datum Lugduni 8. Kal. Junii Pontificatus noſtri anno quarto.

ANNO 1250.

VII. Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. I. pag. 452.

Bulla continens Indulgentias Cruce-ſignatis conceſſas, & mandatum de prædicanda Cruce: anno 1250.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus Fratribus Cantuarien. & Eboracen. Archiepiſcopis; & Ciceſtren. Exonien. & Meneven. Epiſcopis; ac dilectis Filiis Priori prædicatorum, & Miniſtro minorum Fratrum, Provincialibus Angliæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

FIliorum dextera Pia Mater Sancta Romana Eccleſia jugiter lamentatur, quia Domus cœleſtis Panis Mons Sion unde Lex exiit: Civitas Regni magni de qua multa dicta ſunt glorioſa: Terra, quam Dei Filius fuſo pro nobis ſuo ſanguine, conſervavit, Regni robur, & Pulcritudinem perdidit: Flet, quia quondam libera, ſub impiæ Tirannidis Jugo ſervit; Luget quia ubi pacem multitudo cœleſtis militiæ cecinit, ibi preſſura Gentes immundiſſimæ ſcandala, ſimultates, & ſchiſmata ſuſcitavit; ac innovans excidia plurimorum, miſit ad venerabilia manum ſuam Sacerdotis, & Sacrorum Ordinem, pias Leges, & ipſius Naturæ jura relegans à Templo Domini; diverſis ibidem ſpurcitiis, & abominationibus introductis.

Et ideò in ſuis deciſa Sabbatis obſorduit quaſi polluta menſtruis, inter hoſtes illa noſtris olim promiſſa Patribus Sanctorum Patrum noſtrorum Patria, & hæreditas Domini, terra ſancta, quam Salvator Noſter ad exhibenda ibidem Myſteria humanæ redemptionis elegit; Ubi confuſione contempta, ſputo conſperſus, cæſus colaphis, flagellis affligtus; coronatus ſpinis coram Pilato ſiſti, tamquam multorum reus criminum, pertulit crucifixus ad ultimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido ſpiritum pro conditionis humanæ viribus reparandis, curſum præſentis vitæ ſaturatus injuriis conſummavit.

Hic

ANNO 1250.

Hic est, ut repetamus altiùs, qui de Paterno solio gloriæ, cœlis mirabiliter inclinatis ad nostræ mortalitatis ima descendens, non dedignatus est Deus homo, creator creatura fieri, suscipere Dominus formam Servi, ut qui non poteramus per nostram Justitiam sperare veniam, consecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes verò Christi Divinitatis consortium felicitatis æternæ participium sortiremur; quis igitur poterit ei, qui tot bona nobis contulit negare subsidium.

Propterea sedes Apostolica illius Terræ miserabilem statum, & conditionem considerans emittit luctus, multiplicat fletus, & inter singultus, & suspiria vix respirans clamat ad proximos, recurrit ad notos, & exponit Domesticis Fidei Salvatoris instantiam, qui sine intermissione singulos Fideles ad tirocinium suum vocat, & necessitatem urgentissimam Terræ Sanctæ, quæ nisi (quod absit) his temporibus de Paganorum manibus liberetur, vix poterit postea de ipsius recuperatione sperari.

Attendite itaque universi Catholici, quàm ignominiosam sit locum illum salutis nostræ primordium coinquinari spurcitiis? Et tanto tempore ab immundissimis gentibus contrectari? Consideret quilibet, quam detestabile sit latgitori omnium claudere dexteram? & non succurrere Salvatori? & apparebit apertè, quod nec ad profligandum hujusmodi opprobria, nec ad impendenda ei, qui omnia largitur auxilia est ipsius Fidelibus dormiendum. Nonne crimine læsæ Majestatis involvitur, qui temporali Domino inter inimicos posito negat auxilium? ejusque Terram ab hostibus non defendit. Undè cum plus sit divinam quàm humanam lædere majestatem, non debet aliquis ad succurrendum Deo vivo Domino Jesu Christo excitantis Tubæ sonitum, vel hortantis vocis præconium expectare, sed sine interpellatione currere, ut non tàm pœnam effugiat, quàm Regni cœlestis mereatur fieri particeps, & cohæres.

Consurgite strenui Angliæ Pugiles, Domini Athletæ Divini, ac milites redemptores ad tàm sanctum laudabile opus more progenitorum vestrorum, qui ferventiores in necessitatibus existebant, virium vestram extrema conflantes armemini protinùs crucis Galea contra eos qui sancta sanctorum coinquinant, & abominationes in ea, & immunditias introducunt.

Festinate dum tempus habetis, & est manus Domini contra illos, ne fortè avertatur ab eis, propter fidelium segnitiem, furor ejus, quia tunc non esset tutum cum eis congredi, nec cum tanta multitudine dimicare.

Considerate quæsumus, ut sitis in hujusmodi negotio promptiores, quod carissimus in Christo Filius noster Rex Angliæ Illustris, zelo Fidei, ac devotionis accensus assumpto crucis signaculo, postpositis regalibus, opibus, & fastigiis dignitatum, ad transfretandum in Terram sanctam potenter, & magnificè prout decet tantum Principem, se accingit.

Undè ut sitis una cum eo hujusmodi momentanei laboris participes, & æterni præmii non expertes exsurgite viriliter, apprehendentes arma, & scutum ad ulciscendum illius injuriam, qui probra nostra diluit, se ipsum in cruce pro Nobis vivam hostiam immolavit. Et ut ad ideo libentiùs, & animosiùs intendatis, quo exinde bona spiritualia, quæ temporalibus præferenda sunt perceperitis potiora, Nos de omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, & illa quam Nobis Deus licèt indignis ligandi, atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in propriis Personis subierint, & expensis plenam suorum peccatorum veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum: Eis autem, qui non in propriis Personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinarint, & illis similiter, qui licèt in alienis expensis in propriis tamen Personas accesserint; Et eis, qui quartam, seu majorem partem proventuum, & obventionum de redditibus suis pro subsidio dictæ Terræ eidem Regi, cum iter transmarinum arripuerit, vel collectoribus deputatis ad opus ipsius erogaverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, & concedimus esse particeps juxtà quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius Terræ de bonis suis decimam, vel aliam partem dicto Regi, tempore sui Passagii, vel ad opus ipsius, collectoribus ministrarint, aut circa prædicta Consilium, vel auxilium impenderint opportunum, & qui pro eodem negotio authoritate nostra prædicaverint verbum crucis.

Volumus etiam cruce signatos illo privilegio, eaque immunitate gaudere, quæ in generali Cruce signatorum indulgentia continetur; Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, creditores ipsorum, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant de plano, & absque solemni strepitu, veritate cognita, ecclesiastica præcipimus districtione compelli.

Quod si quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum, sub forma prædicta, simili cogi animadversione mandamus. Judæos verò ad restituendas usuras ea, qua convenit, præcipimus censura compelli, & donec illas remiserint, fidelium eis communio denegetur. Presbyteris autem, & Clericis qui assumpto, vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi; Et Clericis Parochiales Ecclesias habentibus, qui fideliter tantum transmiserint per Bellatores idoneos, quantum expenderent si personaliter illuc irent, præsentium auctoritate concedimus, ut proventus Beneficiorum suorum, quos perciperent tempore passagii, vel missionis, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis integrè percipiant per triennium, ac si personaliter in Ecclesiis in quibus Beneficia ipsa obtinent residerent; & si necesse fuerit eos per idem tempus vendere, vel pignori valeant obligare, non obstante ipsarum Ecclesiarum contraria consuetudine, vel statuto, Juramento, vel confirmatione sedis Apostolicæ, aut quacumque firmitate alia roboratis, vel literis Apostolicis de quibus specialem, & expressam oporteat in præsentibus fieri mentionem, seù etiam quod ipsorum aliqui de non impetrandis aliquibus indulgentiis, vel non utendis impetratis, vel concessis juramento præstito promiserunt. Et tàm cruce signatos, quàm cruce signandos, post quàm receperint signum crucis cum uxoribus; familiis, & omnibus Bonis ipsorum, sub Apostolicæ sedis protectione suscipimus; eisque nihilominùs indulgemus, ut extra suos diœceses Authoritate literarum Apostolicarum sedis, vel legatorum ejus, nequeant ad Judicium evocari; statuentes ut Bona ipsorum ex tunc integra maneant, & quieta, donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur.

ANNO 1250.

Archiepiscopi

ANNO 1250.

Archiepiscopi verò, & Episcopi diocesani & eorumdem cruce signatorum, nec non & Archidiaconi, & eorum officiales nostra freti Authoritate non permittant eosdem cruce signatos contrà protectionis, & indulgentiæ nostræ tenorem, ab aliquibus indebitè molestari: Molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiastica appellationem postposita compescendo.

Præterea volumus, & præsentium Authoritate concedimus, ut Clerici, & Laici cruce signati, & cruce signandi Regni Angliæ Decimas non ratione Ecclesiarum pacificè detinentes fructus earum hactenùs perceptos in Terræ sanctæ subsidium convertere valeant propter seipsos, vel eidem Regi, cum transfretare voluerit, secura conscientia exhibere.

Quo circa discretioni vestræ propter Apostolica scripta mandamus quatenus vos Fratres Archiepiscopi, & Episcopi propter vestras civitates, & Diœceses, ac Provincias, & totum Regnum Angliæ proponatis, & proponi faciatis per alios, quos ad hoc idoneos noveritis, verbum Crucis; eos ad id si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compellendo.

Et ut Fideles Christi liberiùs, & ferventiùs currant ad verbum Domini audiendum, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad vestram, & illorum quibus id commiseritis solemnem prædicatione accesserint in qualibet civitate, Villa vel Oppido, in qualibet convocatione, seù stationem, decem, vel viginti, seu triginta, vel quadraginta, seù sexaginta dierum indulgentiam, vos, & illi, quibus officium prædicationis committendum duxeritis, largimini proùt videritis expedire.

Ut autem nihil omnino desit ad commissum vobis officium exequendum, absolvendi juxtà formam Ecclesiæ manuum injectores in Clericos, seculares, & Personas religiosas, ac incendiarios, & excommunicatos pro decima, vel vigesima deputata pacis, & Fidei, ac ejusdem terræ negotio, non soluta, nec non sacrilegos, fortilegos, & eos, qui contrà Apostolicæ sedis, vel Legatorum ipsius sepulcrum Domini visitarunt.

Illos quoque qui in Partibus Albigensibus, hereticis contrà Catholicos auxilium impenderunt (dummodo heretici, vel eorum credentes non sint) ac eos qui portaverunt Ferrum, Arma, lignamina, & merces prohibitas Saracenis, vel aliàs contra Christianos dederunt eis consilium, auxilium, vel favorem.

Nec non Clericos, qui excommunicationis sententias incurrerunt per Legatos sedis Apostolicæ in concubinarios promulgatas, & illos Clericos in Prælaturis dignitatibus, vel Personatibus constitutos, & Ecclesiarum Rectores, & Religiosos quoslibet, qui contrà constitutiones Ecclesiæ leges, vel Physicam audierunt.

Ac dispensandi cum irregularibus, quos præmissa occasione, vel prò eo quod fortè excommunicati, vel suspensi aliàs, irregularitatem aliquam incurrant, dùm tamen cruce signati existant, vel recipiant signum crucis, vel propriis expensis alios pro se miserint bellatores, vel juxtà qualitatem Culpæ, & facultates suas congruam ad arbitrium vestrum de facultatibus propriis miserint portionem, nisi adeò gravis, & enormis excessus fuerit manuum injectorum, quod merito debeant ad sedem Apostolicam destinari.

Ac reconciliandi Pœnitentes, dummodo sint cruce signati, vel recipiant signum crucis; Et alia vota Peregrinationis, & abstinentiæ, commutandi in votum hujusmodi Pietatis, & dispensandi cum Clericis, qui occasione hujusmodi irregularitatem aliquam incurrerunt.

Plenum vobis concedimus facultatem; proviso tamen, quod prædicti manuum injectores, & incendiarii injuriam, & damna passis satisfaciant competenter, & debitores decimæ, ac vicesimæ debitam satisfactionem impendant. Si verò aliqui eorundem legitimo fuerint impedimento detenti, eis redimendi votum crucis, & vobis recipiendi hujusmodi redemptiones nomine ipsius Regis, ac absolvendi eos à voto prædicto, & indicendi ferias diebus prædicationis juxtà vestræ discretionis arbitrium libera sit de nostra commissione facultas.

Volumus etiam, & mandamus, ut pecunia per nos, & alios deputandos à vobis, ob causas prædictas Authoritate sedis Apostolicæ recipienda, vel colligenda inposterum eidem Regi cum iter transmarinum arripere voluerit, vel mandato ipsius pro subsidio Terræ sanctæ integrè assignetur; dummodo non sit alio Authoritate sedis Apostolicæ deputata.

Et illi qui pecuniam hujusmodi promiserint solvere, vel etiam tenebuntur ad solutionem ipsius, per censuram Ecclesiasticam per vos, vel per alios compellantur.

Cæterum vos & illi quibus verbum hujusmodi commiseritis prædicandum, Rectores Ecclesiarum Regni ejusdem, & prædictarum Civitatum, & Diœcesium, moneatis diligenter, & efficaciter inducatis eos ad id si necessè fuerit per censuram Ecclesiasticam compellendo, ut ipsi, cum Parochianis suis ad audiendum verbum crucis devotè, ac reverenter accedant; & in ipsis prædicationibus vestris ubi expedire videritis harum literarum tenorem legatis, & faciatis legi cum debita reverentia, & exponi.

Ceterum quia sicut accepimus prædicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus vobis, & aliis per quæstuarios impeditur, nè ipsi negotio impedimentum, vel obstaculum aliquod ingeratur, quæstuariis universis, si qui præsentes fuerint proponendi aliquid Populo, dum à vobis proponitur verbum crucis licentiam pœnitùs interdicere procuretis, temeritatem eorum, qui contra præsumpserint, per censuram eamdem appellatione postposita compescendo.

Nè vero os Bovi trituranti claudatur liceat vobis filii Prior, & Minister in eodem officio laborantibus si expedire videritis pro quinque evectionibus, & totidem Personis ad hoc necessariis procurationes recipere moderatas; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Præcipimus autem, ut tam vos, quàm illi quibus hujusmodi officium commiseritis, qui vobiscum authoritate funguntur, ità sitis universi, & singuli in præmissis exequendis solliciti, quod sine dilatione, absque ullo mandato, nec expectet unus alium, exequamini ea fideliter, & prudenter, ità tamen, quod executione hujusmodi alter alterum non impediat, nec perturbet.

Non obstantibus, si aliquibus, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non valeant à sede Apostolica sit indultum, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seù literis ab eadem sede obtentis, vel obtinendis, per quæ prædicta impediri vel differri possint, & de quibus specialem oporteat in præcedentibus fieri mentionem.

Dat. Lugdun. sexto Kal. Maji, Pontificatus Nostri Anno septimo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

ANNO 1250.

Bulla

ANNO 1252.

Bulla de Negotio Crucis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Centaurien. & Ebaracen. Archiepiſcopis, ac Hereforden. Elien. & Danelnen. Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Cariſſimo Filio noſtro Regi Angliæ Illuſtri ad exequendum magnificentius votum crucis, decimam Eccleſiaſticorum proventuum Regni Angliæ, ac aliarum Terrarum, quæ ſunt ipſius Jurisdictioni ſubjectæ, de veſtro, & aliorum Regni ejusdem aſſenſu duximus per triennium concedendam.

Fraternitati veſtræ præſentium Authoritate mandamus, quatenus poſtquàm ſtatutum fuerit ejus Paſſagium, & juratum, per biennium ante idem paſſagium, decimam ipſam, nec non redemptionis votorum, legata relicta, ſeù alio modo conceſſa in prædictis Regno, & Terris ſubſidio Terræ Sanctæ à tempore crucis ſignationis ipſius, dummodo aliis conceſſa, vel aſſignata non ſint, & alios per vos, quos ad hoc idoneos videritis de conſilio ipſius Regis fideliter colligentes, conſerveris ipſa in aliquibus tutis locis, aſſignaturi ea integrè prædicto Regi, cum iter arripuerit transmarinum.

Non obſtantibus aliquibus indulgentiis, privilegiis, ſeù literis in generali, vel ſpeciali ab Apoſtolica ſede obtentis, & quibuslibet aliis, per quæ id impediri, vel differri valeat, & de quibus ſpecialem oporteat præſentibus fieri mentionem, & conſtitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam Appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, quatuor, vel tres, aut duo veſtrum ea nihilominus exequantur.

Dat. Lugd. 2. Kal. Maji Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

VIII. Ex Act. Ang. Rymer. Tom. I. pag. 456.

Quod Fratres Prædicatores equitare poſſint: anno 1250.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio Regi Angliæ illuſtri ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CElſitudinis tuæ precibus benignum impertientes aſſenſum, Fratribus prædicatoribus & Minoribus, quos tecum duxeris ultra mare, equitandi, quotiens à te requiſiti fuerint, non obſtante contrario ſtatuto ſuorum ordinum, liberam concedimus facultatem.

Dat. Lugduni. 2. Kal. Maji, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

IX. Ex Act. Angl. Rymer Tom. I. pag. 470.

Bulla de Collectoribus Redemptionum votorum Cruce ſignatorum: anno 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Burdegaliæ, & Epiſcopo Vaſaten. ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm cariſſimo in Chriſto filio noſtro Regi Angliæ illuſtri cruce ſignato redemptiones votorum cruce ſignatorum, & obventiones, & legata ſeu relicta Terræ ſanctæ ſubſidio, in Regno Angliæ, & aliis Terris ejusdem Regis, ad opus Terræ ſanctæ duximus concedenda, certis ſuper his collectoribus d..... nonnulli Clerici & Laïci locorum ipſorum, quibus ſimilem gratiam, usque ad certas ſummas, antequam idem Rex ..... feceramus, ultra prædictam ſummam plurima perceperunt; fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ipſos, quod omnia, quæ ultra easdem ſummas ex prædictis percepiſſe noſcuntur, vobis ad opus ejusdem Regis cum integritate reſtituant, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatis.

Non obſtante ſi eis, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint, à ſede Apoſtolica ſit indultum; & quavis alia ipſius ſedis indulgentia, per quam id impediri ſeu differri valeat; & de qua, ejusque toto tenore, ac de verbo ad verbum ſimilem oporteat in præſentibus fieri mentionem; & conſtitutione de duabus dictis edita in Concilio generali.

Dat. Peruſii Non. Martii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Plumbeo ſigillo.

X. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. I. pag. 471.

De decima danda, de Maneriis Epiſcoporum & Prælatorum Regi Angliæ, in ſubſidium Terræ Sanctæ: an. 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis, collectoribus decimæ Eccleſiaſticorum Proventuum, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Regi Angliæ illuſtri, conceſſæ in ſubſidium Terræ Sanctæ, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſicut cariſſimus in Chriſto filius Rex Angliæ Illuſtris ſub nobis petitione monſtravit, nos ſibi uſque ad triennium decimam Eccleſiaſticorum Proventuum in ſubſidium Terræ ſanctæ in Regno Angliæ, Vallia, Hibernia, & Vaſconia, videlicèt in Terra ſua duximus concedendam. Nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii eorumdem Locorum Prælati conceſſionem noſtram interpretatione voluntaria reſtringentes aſſerunt eam extendi ad ſua Maneria non debere dictam decimam eidem Regi ſolvere de iis indebitè denegantes.

Nè igitur Rex præfatus per Interpretationem hujusmodi proviſionis noſtræ fruſtretur effectu, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs faciatis eidem dicta interpretatione repulſa de Maneriis eisdem decimam hujusmodi juxtà formam traditam exhiberi.

Datum Peruſii Id. Martii Pontificatus noſtri anno decimo.

Plumbeo ſigillo pendente à filo canabeo.

ANNO 1252.

X I.
Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. I. pag. 471.

De Querela facta per Clerum Angliæ de gravibus oppreſſionibus, Anglis illatis per Curiam Romanam, ratione proviſionum &c. anno 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis Regni Angliæ, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

HAbet Eccleſia Romana humeros communibus oneribus aſſuetos, & pronos ad ſublevanda gravamina ſingulorum: Habet & animum qui caritatis neceſſitudine ſuggerente quibuslibet non afflictionis cogitet conſilia, ſed medelæ, quam experiuntur aſſiduè in Apoſtolicæ ſedis uberibus non deeſſe, qui ejus implorare coguntur in neceſſitate præſidium diverſis laboribus fatigati.

Si qua ergo ſuper iis quæ ab eadem ſede pro tempore imponuntur aliquorum tamquam hæc eorum gravent obedientiam, querela ſubmurmurat facile paterna compatitur pietas, & ſuccurrit, quæ tamquam propriis afficitur incommodis proximorum.

Nuper ſanè per communes nuncios, quos ad noſtram præſentiam deſtinaſtis, fuit ex parte veſtra propoſitum coràm Nobis, quod Anglicana Eccleſia in Beneficiorum proviſionibus pro alienigenis intolerabiliter per ſedem Apoſtolicam eſt gravata in ejuſdem grave diſpendium, & ſcandalum Anglicorum; cum eædem Proviſiones ſummam quinquaginta millium marcarum annis ſingulis excedere aſſerantur, ſuper quo provideri per Apoſtolicæ ſedis clementiam iidem Nuncii veſtro nomine ſupplicarunt.

Novit Deus, conſcientiæ noſtræ teſtis, quod quibuslibet ejuſdem Eccleſiæ gravaminibus, ut intimis cordis noſtri viſceribus condolemus his maximè, quæ noſtris temporibus ſunt adjecta; Quia etſi ex merito devotionis qua Romanam Eccleſiam Anglicana ſemper coluiſſe recolitur, onera ſibi quibuſcumque temporibus ingeſta nos premant, ipſiuſque gemitus ex quibuſcumque nobis cauſis expreſſi, animam noſtram amaritudine compaſſionis afficiant, tamen quæ noſtris noſcuntur cauſam habuiſſe temporibus gravius nos conturbant.

Sed malitia fratrum noſtrorum temporum longam futuris ſeculis relictura memoriam, & maiorem poſteris, qui hæc acceperint illatura ſtuporem, quam percipiat ætas iſta ſenſibus præſentium exercitata malorum, nec non & importunitas plurimorum, aut temporis, aut cauſæ, aut perſonæ ſivè loci fulta ſuffragiis, nos ad multa, quæ diſplicent, nec habere debent conſequentiam interdum invitos, interdum parum voluntarios impulſerunt, qua ratione perpenſa, piis poteſt mentibus in multis ſalutem æquanimitas patientiæ ſuadere.

Quod autem aliquibus Clericis proviſionis Apoſtolicæ gratia in Regno Angliæ proſequentibus, poſt ſumptuoſos labores attritis multipliciter, & exhauſtis paterna ſumus miſeratione compaſſi, eis per aliquod providæ ordinationis, vel deciſionis compendium conſulendo.

Quod etiam quibuſdam quibus proviſionis noſtræ manus claudi non potuit, pro quibus interdum non ſolum ipſorum, verùm etiam Eccleſiarum, in quibus eis providendum videtur, interpellat utilitas à principio, ne ipſi damnoſa difficilis proſecutionis diſpendia patiantur per aliquam præventionis gratiam duximus præcavendum, quod quidem juſtiorem præſtare poteſt laudi materiam, quam querelæ, cum per hoc, & hominum obvietur malitiis, quod non ambigitur prudentis juſtitiæ opus eſſe.

Et non minùs interdum Eccleſiarum, quàm Perſonarum incommodis occurratur, quod laudabili eſt circumſpectionis conſilio aſcribendum, compertum eſt enim per quot malorum incommoda, per quot difficultatum anfractus Clerici hujuſmodi diſtrahantur, quam quam acceptos ipſos efficiat in gratia, & judicio conſequendis, aut meritum proprium, aut alienus favor, aut reverentia mandatorum.

Vota igitur veſtra vobis ſuper hoc prædictorum nunciorum ſupplicationibus intimata, in pectoris noſtri ſecreto colligimus diligenti meditationis examine digerenda, & nobis modos, per quos honeſtè à prædictis proviſionum oneribus Anglicana relevari poſſit Eccleſia recolentibus diligenter, hoc remedium relevationis occurrit, ſi ſuper eo cum cogitationibus noſtris conveniant ſenſus veſtri ut ait.

Aliquorum de Clericis Italicis per ſedem Apoſtolicam in Regno Angliæ beneficia conſecutis, prout vobis videbitur uſque ad ſummam octo millia marcarum in bonæ voluntatis patientia proviſionibus toleratis (quoniam, nec poſſumus, nec debemus privare quemquam, ſine cauſa legitima jure ſuo, qui ſumus omnibus injuſtitiæ contrà injuriam defenſores) cogendo cæteros, quibus in eodem Regno, & Apoſtolicæ Sedis authoritate proviſum, ad perſonalem reſidentiam in ſuis beneficiis faciendam, & ſuſceptionem ordinum, ſicut beneficia ipſa requirunt, ac privandos eisdem beneficiis reſidere, aut ordinari contumaciter recuſantes, eaque aliis, qui hæc implere velint, & valeant conferendi libera ſingulis veſtrum in ſuis Dioceſibus à ſede Apoſtolica poſſibilitas, cui nulla obſtet obtenta, vel obtinenda indulgentia concedatur.

Nos inſuper, qui pluribus hactenùs annis ità ceſſavimus à beneficiis in Regno Angliæ conferendis, ut ferè nulli, vel pauciſſimi debeant, aut poſſint ſe dolere gravatos, deinceps ab iis noſtræ poteſtatis plenitudinem taliter curabimus continere, quod ſinguli benignitatem apoſtolicam ſentiant vobis in multa honorificentia detuliſſe, & nihilominus de prædicta octo millium marcarum ſumma, ſi unquam tolerabiliter fieri poterit, adimemus, ut caritati veſtræ uberiùs ſatisfiat.

Nec volumus, aut intendimus, quod hujuſmodi octo millium marcarum ſumma in poſterum ad conſequentiam detrahatur, ut uſque ad eam Anglicana Eccleſia per ſedem Apoſtolicam gravari debeat in proviſionibus faciendis, vel manere gravata; ſed propoſiti, ac deſiderii noſtri eſſe ſcitote, ut eadem Eccleſia à proviſionibus factis etiam intrà ſummam eamdem, in qua etiam duximus æquanimiter tolerandas, taliter releveturs; & à faciendis in poſterum ſic habeatur immunis, quod ſuper iis nulla eidem ſuppetat ratio gemitus, aut querelæ.

Hoc fiat tempore noſtro, prout Vita nobis comes fuerit, & ad hoc præſtiterit in rebus humanis diſpoſitio Divina favorem; fiet quoque pleniùs ſucceſſorum noſtrorum Deo dante, temporibus, pro ut illis Deus inſpirabit, & pleniorem dabit exequendi hujus propoſiti facultatem.

ANNO 1252.

Itaque

ANNO 1252.

Itaque si hoc, quod super præmissa supplicatione nostra excogitavit attentio, vobis videatur acceptum, id nobis per vestras communes literas declararetis, ut in effectum congruum animi nostri conceptio, secundum communem approbationis nostræ libitum, proferatur; Et ut super hoc meliùs procedatur, singuli vestrum Clericorum nomina beneficia in suis Diecesibus ea provisione prædictæ sedis obtinentium, & quam summam secundum extimationem communem attingat beneficia singulorum, nobis studeant fideliter intimare.

Datum Assisii undecimo Kal. Junii Pontificatus nostri anno decimo.

XII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii p. 240. Mant.

Ad Comitem Pictavensem super tractatu cum Fratre ejus Comite Provinciæ, de transferendo in hunc Regno Siciliæ, tamquam Romanæ Ecclesiæ aperto: an. 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUia nonnunquam ardua negotia desiderant longum tractatum, mirari non debes aliquatenus, nec moveri, si tantus tractatus, qui habitus est inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium, nobilem virum *Carolum, Comitem Provinciæ fratrem tuum*, super dando sibi Regno Siciliæ, ad eandem Ecclesiam legitime devoluto, non est adhuc, ut desideratur, hinc inde diversis impedimentis emergentibus, consummatus; maximè cùm non referat, quantacunque sit in agendis dilatio, si feliciter terminentur, soleantque cum quodam augmento venire, si protrahantur non malitiosè, sed inevitabiliter concupita. Verum cum nos & fratres nostri diu super hoc diligenti deliberatione præhabita, jam in personam ejusdem comitis, quam ad id præeligimus, concordemus, sperantes firmiter & pro certo tenentes, quod per ipsum, in quem non tam nostra, quàm aliorum fere omnium, quos tangit negotium, vota concurrunt, quique, veluti filius dexteræ, pacis Princeps & matutinus lucifer expectatur, quiescet orbis, tumultuosa quassatio Ecclesiæ tranquillitatem recipiet & prosperabitur, ut ipsamet hæc omnia, sicut toto credimus corde, desiderat negotium terræ sanctæ: Dilectum filium magistrum Albertum notarium nostrum ad tuam & ipsius præsentiam cum pleno mandato consummandi prædictum negotium, & faciendi omnia, quæ ad illud pertinent, de fratrum nostrorum consilio, destinamus; cui tanquam tui & ejusdem Comitis honoris & commodi Zelatori, adhibeas in omnibus, quæ tibi ex parte nostra dixerit, plenam fidem. Rogamus itaque devotionem tuam attentius & hortamur, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatenus considerato clementer quam magnifice, quàm utiliter quamque virtuosè dictus Comes Deo & Ecclesiæ ac toti Christianitati, hujusmodi onus & honorem suscipiendo, deservit; cum per hoc, summota turbatione Seculi, quam ipsius regni opulentia nutrit, tranquillitas desiderata proveniat, intendatur ad laudem Domini latius & salubriter futuris periculis occurratur, nec præsumatur, quod eum ad id temporalium rerum cupiditas, sed solus Zelus Domini & fervor fidei ac devotionis inducant; præfatum Comitem tua magnificentia moneat & inducat, ut idem regnum, ei & in ipso tibi desideranter oblatum, pro Divina & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia, cum humilitate ac hilaritate recipiat, ut de terreno ad cœleste, ac de temporali corona pervenire, propitiante illo, cujus in hac parte negotium agitur, valeat ad æternam; Sciturus pro certo, quod universa & singula, quæ super his cum eo præfatus notarius ordinabit, adimplebimus & servabimus immutabiliter, sine aliqua diminutione prout per eum fuerint ordinata.

Datum Perusii, Non. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo; Sigillatum sub plumbo cum cordula canabis.

ANNO 1255.

I. ADDENDA *pag.* 53. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 553.

Ad Henricum Angliæ Regem quod præstet juramentum fidelitatis Romanæ Ecclesiæ nomine Edmundi Filii sui pro Regno Siciliæ: anno 1255.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Angliæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm Nos Regnum Siciliæ, & totam terram, quæ est citra Farum, usque ad confinia Terrarum Ecclesiæ Romanæ carissimo in Christo Filio, nostro Edmundo illustri Regi Siciliæ, nato tuo duxerimus concedenda, prout in Apostolico Privilegio confecto exinde pleniùs continetur.

Ac inter alia in eodem Privilegio habeatur expressè quod tu, ipsius Edmundi nomine, nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, pro præfatis Regno, & Terra, juramentum Fidelitatis sub forma in ipso Privilegio contenta præstabis.

Et in manibus illius, quem ad hoc specialiter mittimus, nobis, & ipsi Ecclesiæ pro eodem Edmundo ligium homagium facies.

Ac formam juramenti hujusmodi seriatim per tuas Patentes literas sub tuo sigillo & ipsius Edmundi Bulla aurea nobis mittes.

Nosque Venerabilem Fratrem Nostrum Bononien. Episcopum propter hoc, & pro recipiendis obligationibus, & pro universis aliis, quæ in præfato privilegio declarantur ad te specialiter destinemus.

Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus hujusmodi Juramentum Fidelitatis nobis, & successoribus nostris, ac Romanæ Ecclesiæ præstes.

Et in ejusdem Episcopi manibus Nobis, & prædictæ Ecclesiæ pro ipso Edmundo ligium homagium facias.

Ac formam Juramenti hujusmodi seriatim per tuas patentes literas nobis sub tuo sigillo, & prædicti Edmundi aurea Bulla transmittas. Dat. Neapoli ipf. Kal. Junii Pontificatus nostri, anno primo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

ANNO 1255.

II. Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. I. pag. 893.

Conditiones ſub quibus Siciliæ Regnum conceditur Edmundo Filio Henrici Regis Angliæ: anno 1255.

ALEXANDER QUARTUS,

Cariſſimo in Chriſto Filio Edmundo Illuſtri Regi Siciliæ &c. ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ASſueta Sedis Apoſtolicæ circumſpectio habens in ſua liberalitate Providentiæ ſtudium, attentè propenſat quibus dexteram aperiat largitatis ut ampliori erga illos munificentia exuberet, qui potioribus circa eam fulgere meritis dignoſcuntur. Undè quia ſemper inclitum genus tuum puritate Fidei, devotionis ſinceritate ſedulique proſequutione ſervitii erga Romanam Eccleſiam matrem ſuam excellenter effulſit. Idcirca ipſa, quæ prompta in gratia, in dono benivola, copioſa in præmio, & in retributione magnifica invenitur, majoribus genus ipſum cupit ampliare beneficiis, & altioribus honoribus ſublimare, ut quanto abundantiùs de materni dulcedine uberis auxerit, tanto in ipſius matris beneplacitis vehementiùs delectetur.

Sanè dilectus Filius Magiſter Albertus Notarius Noſter Apoſtolicæ ſedis legatus Tibi, & hæredibus tuis, ſicut ex parte tua nobis relatum extitit Regnum Siciliæ, ac totam terram, quæ eſt citra Farum, usque ad confinia Terrarum Eccleſiæ Romanæ, cum omnibus juribus honoribus, diſtrictibus, & pertinentiis ſuis (excepta civitate Beneventana cum ipſius Juribus, & pertinentiis univerſis) in Feudum de ſpeciali Authoritate, ac mandato Felicis recordationis Innocentii Papæ quarti Prædeceſſoris noſtri conceſſit, ſalvis libertatibus, & immunitatibus Eccleſiarum prædictorum Regni, & Terræ tàm in electionibus, quàm in aliis ſpectantibus ad eadem.

Idem verò Prædeceſſor ut aſſeris conceſſionem hujusmodi ſupplendo defectum, ſi quis in ea fuerat de plenitudine Poteſtatis, Authoritate Apoſtolica confirmavit tibi, Regnum, & Terram præfata in Feudum de novo concedens, proùt in ipſius literis pleniùs dicitur contineri.

Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati conceſſionem, & confirmationem hujusmodi ſub conditionibus infra ſcriptis ratas, & gratas habentes, ipſas de Fratrum noſtrorum approbamus conſilio, & aſſenſu, & ſub eisdem conditionibus illas Authoritate Apoſtolica innovantes, Regnum, & Terram prædicta, cum omnibus Juribus, & pertinentiis ſuis de Fratrum ipſorum Conſenſu, tibi, & hæredibus tuis utriusque ſexus in Feudum ſub eisdem conditionibus perpetuo concedimus, & etiam confirmamus.

Conditiones autem ſunt iſtæ quod tu, & hæredes tui Regnum, & Terram præfata nullatenùs dividetis, ſed ſemper illa unus tantùm, ſub ipſis conditionibus immediatè, ac in capite ab Eccleſia Romana tenebit, & tàm tu, quàm ipſi hæredes nobis, & ſucceſſoribus Noſtris canonicè intrantibus, ac Eccleſiæ Romanæ fidelitatis præſtabitis ſacramentum, & ligium homagium facietis ſecundum formam inferiùs annotatam, & ſingulis ipſis ſucceſſoribus, & eidem Romanæ Eccleſiæ renovabitis, tàm ipſum homagium, quàm hujusmodi ſacramentum.

Quolibet verò Anno in Feſto Beat. Petri, & Pauli Apoſtolorum, vel infrà ipſius Feſti octavas, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, tu, tuique hæredes pro prædictis Regno, & Terra, duo millia unciarum boni, & puri Auri de Tarenis ad pondus Romanum cenſus nomine Romanæ Eccleſiæ perſolvetis.

Quandocumque autem Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit aſſeruerit Eccleſiam indigere, tu, & hæredes tui pro præfatis Regno, & Terra requiſiti ab eo ad urbem in Patrimonium Beati Petri & Eccleſiæ, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in omnes alias Terras Eccleſiæ per Italiam trecentos Milites, Equis, & Armis benè, & decenter paratos, & munitos, in obſequium, & ſubſidium ipſius Eccleſiæ transmittetis per tres menſes integros in veſtris ſumptibus, & ſtipendiis ſemel tamen in Anno in ſervitio ejusdem Eccleſiæ moraturos, menſibus ipſis à die quo iidem Milites dictum Regnum egreſſi fuerint, per vulgares dietas, & ſolitas computandis.

Omnes quoque Eccleſiæ de Regno, & Terra prædictis, tàm cathedrales, quàm aliæ regulares, & ſeculares, nec non & univerſæ Eccleſiaſticæ Perſonæ illis libertatibus, & immunitatibus omnino gaudebunt, quæ ipſis competunt ſecundum canonicas ſanctiones; ità quod circa easdem Eccleſias, & Perſonas, tàm in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quàm omibus aliis Romanus Pontifex, & Romana Eccleſia Jurisdictionem, & Authoritatem omnimodam liberè exercebunt, ſalvo tibi, tuisque hæredibus Jure patronatus, ſi quod Reges Siciliæ, ſeù ejusdem Regni, & Terræ Domini hactenùs in aliqua vel aliquibus Eccleſiarum ipſarum conſueverunt habere; in tantùm tamen in quantum Eccleſiarum Patronis in hac parte canonica inſtituta concedunt.

Univerſæ inſuper Eccleſiæ de præfatis Regno, & Terra tàm regulares, quàm ſeculares de plano ad omnia bona immobilia ipſis ablata, ſeù occupata ab aliis in quorum poſſeſſione ipſas fuiſſe conſtabit reſtituentur ad plenum, ſuper aliis verò de quorum poſſeſſione non ſtatim conſtare poterit fiet eis abſque difficultate, ac dilatione juſtitiæ complementum.

Porro tu, & ſinguli Hæredes tui nobis, & ſingulis ſucceſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ, quando Juramentum præſtabitis fidelitatis, jurabitis, vos ad hæc ſpecialiter obligatos, quod numquam per vos, vel per alios, ſeù quocumque modo procurabitis, ut in Regem, vel Imperatorem eligamini Romanorum, & ſi electionem ad Imperium de vobis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni aſſenſum præſtabitis, nec intromittetis vos de Regimine Imperii ullo modo. Quod ſi tu, vel aliqui hæredum ipſorum ſtudentibus, vel procurantibus vobis ad Imperium electi fueritis, & præbueritis aſſenſum electioni taliter factæ de vobis, ſi hoc verum, & manifeſtum fuerit, vel ſi poſt talem electionem, & conſenſum de Imperii Regimine vos manifeſtè intromiſeritis, eo ipſo à Jure prædictorum Regni, & Terræ cadatis ex toto, ipſaque pœnitus amittatis. Si autem electioni factæ non procurantibus aut etiam procurantibus vobis conſenſeritis, & ut huic electioni, vel Juri renuntietis omninò, & quod de Imperio vos nequaquam intromittatis admoniti infrà quatuor menſium ſpatium, poſt monitionem hujuſmodi tali Juri non renuncia-

ANNO 1255.

veritis

ANNO 1255.

veritis, vel de ipso Imperio vos intromiseritis quoquo modo ex hoc ipso suis præmissis Regno, & terra, & eorum prorsùs Jure privati: si verò ad te vel ipsos hæredes non poterit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicèt, quod moneri commodè non possitis, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, sive dicto, sufficiet pro ea publica super hoc ipsius Romani Pontificis monitio, & solemnis, ità quod si infra sex Menses post illam non renunciaveritis, vel de Imperio vos quomodolibet intromiseritis, ex hoc ab omni Jure prædictorum Regni, & Terræ cadatis, cæterum si contigerit aliquem de tuis hæredibus, qui deberet in Regno, & Terra prædictis de Jure succedere in Romanorum Imperatorem eligi, vel assumi nullatenùs possessionem eorumdem Regni & Terræ nanciscatur, vel habeat, nec se de illorum cura, Dominio, vel Regimine per se, vel per alios aliquatenùs intromittat, nisi priùs Imperio, & omni Juri sibi competenti in illo prorsùs renuntiet, & ipsius Imperii regimen nec de Jure illud, nec de facto gerens, vel retinens, omnino dimittat, nullo umquam ipsum tempore resumpturus: alioquin cadat ab omni successione, ac jure, quæ in eisdem Regno, & Terra sibi competeret ipso facto, ita quod Regnum, & Terra præfata ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plenè, & libere devolvantur.

Si autem tu, aut aliquis tuorum hæredum contra hæc veneritis, sitis eo ipso excommunicationis sententia, quam ex nunc proferimus innodati, & insuper respersi, & notati labe, ac reatu perjurii maneatis, cum nostra perpetua, & firma voluntas existat, ut numquam Regnum Siciliæ uniatur, vel jungatur Imperio, videlicèt, quod unus, & idem, & Romanorum Imperator, & Siciliæ Rex existat.

Civitatem quoque Beneventanam cum omnibus libertatibus, immunitatibus, privilegiis, tenimentis, districtibus, Juribus, & pertinentiis suis Romana semper habebit, sibique retinebit Ecclesia, & tu, tuique hæredes ad ipsius reædificationem & reparationem exhibebitis vos favorabiles, benevolos, & benignos, & nullum in hoc prorsùs impedimentum præstabitis, aut obstaculum opponetis, incolis etiam ejusdem civitatis, & totius sui districtus per te, ac hæredes ipsos fidantiæ remittentur, & renovabitis insuper eis privilegia, cum super hoc ab Ecclesia, vel ab ipsis fueritis requisiti, & in cunctis suis libertatibus & immunitatibus eadem plenè conservabitur civitas; Ità quod Beneventani per totum Siciliæ Regnum liberè ire, morari valeant, & redire, ac negociationes, & mercimonia exercere, nec eis aliqua specialis servitus imponetur. Sylvas etiam lapides Arenam, seù Puteolanam aliaque materialia, & quæque necessaria ad reparationem civitatis ejusdem, tu, tuique hæredes, ut citiùs, & commodiùs reparari valeat liberaliter exponetis.

Universi autem comites, Barones, & Nobiles, ac omnes civitates, & specialiter Neapolitan. & Capuan. cunctaque Castra, Villæ, ac alia loca de Regno, & Terra prædictis, & omnes omninò Regnicolæ per te, tuosque hæredes in bono regentur statu, ipsisque boni usus, jura, & bonæ consuetudines servabuntur.

Centum millia verò librarum, quæ præfatus prædecessor tibi ad prosecutionem Negotii ejusdem Regni concedere, vel mutuare promisit, ut dicitur, Nobis, & Ecclesiæ Romanæ, tuo, & hæredum tuorum Nomine omnino dimittes, faciendo pactum, & sufficientem Cautelam de illis à te, vel ipsis hæredibus ulteriùs non petendis.

Verùm Carissimus in Christo filius noster Illustris Rex Angliæ Pater tuus tuo nomine nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ pro præfatis Regno, & Terra Juramentum fidelitatis sub forma inferiùs contenta præstabit, & in manibus illius, quem ad hoc specialiter destinamus, nobis, & ipsi Ecclesiæ pro te ligium homagium faciet, & formam Juramenti hujusmodi seriatim per suas Patentes literas sub suo sigillo, & tua Bulla aurea nobis mittet: Tu verò cum ad ætatem quindecim annorum perveneris, Juramentum, & homagium hujusmodi personaliter renovabis; forma autem juramenti hæc est.

Ego plenum, & ligium Vassalagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Siciliæ, & tota terra, quæ est citra farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, & Domino meo Papæ Alexandro, suisque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione; Consilium verò quod mihi credituri sunt per se, aut per nuncios suos, sive per literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam, & si scivero fieri, vel procurari, seù tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse meo impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo; Papatum Romanum, & Regalia S. Petri tàm in Regno Siciliæ, quàm alibi existentia adjutor eis ero ad retinendum; & defendendum, & recuperandum, & recuperata manutenendum contrà omnem hominem, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

In optione quoque, & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ vel te, & hæredes tuos vocare ad præstandum, & faciendum personaliter sacramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc tibi, & hæredibus ipsis tutum locum statuant, & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seù alium, qui vice Romani Pontificis Sacramentum juxtà formam quæ superius est expressa, & homagium recipiat destinare.

Cæterum donationes, concessiones, confirmationes, & privilegia à prædicto prædecessore, vel à nobis cum subscriptionibus fratrum nostrorum facta dilectis Filiis Nobilibus Viris Bertoldo, Oddoni, & Ludovico Fratribus Marchionibus de Houmbourch, firma ipsis, integra, & illibata manebunt, iidemque tenebuntur in bono statu, & eis concessa sibi libertates, gratiæ, cæteraque alia servabuntur, ac omnia donata, confirmata, & concessa eis à sede Apostolica per te confirmabuntur ipsis, & de novo etiam per tua Privilegia concedentur, ac privilegiorum Apostolicorum quæ super his habent, confirmatio eis, & de verbo ad verbum renovatio per te fiet.

Recti autem redditus horum omnium (exceptis senescalcia ejusdem Regni, & ipsius senescalciæ redditibus in Apostolico privilegio expressis, ac mille quingentis unciis auri annuis eidem Bertoldo Marchioni quoad vixerit concessis) summam, seu valentiam quatuor

ANNO 1255.

millium unciarum auri annis singulis non transcendant.

Nolumus tamen si forte de iis tanta summa prædictis Marchionibus non proveniat annuatim, quod occasione hujus expressionis possint aliquid petere, ultra donata, & confirmata hujusmodi: vel concessa, pro quibus si quidam tibi, & hæredibus tuis ad servitia in Apostolicis expressa privilegiis teneantur eisdem etiam Marchionibus de damnis, de quibus ipsis satisfacere promisimus, nos ad hoc, & Romanam Ecclesiam obligantes, satisfactionem ad quam te obligabis impendes.

De donationibus verò, & concessionibus ab eodem prædecessore, vel à nobis de fratrum nostrorum consilio factis dilecto filio nobili Viro Comiti Casectan. simile per te fiet, & servabitur, ità tamen, quod redditus ex iis provenientes, duarum millium unciarum auri annuatim valentiam non excedant.

Sanè prædictus Rex Angliæ Pater, & dilectus filius nobilis Vir Oodouardus frater tui, ac plures de Proceribus, & consiliariis ipsorum, & tuis jurabunt, quod procurabunt pro posse, ac bona fide laborabunt, & facient, quod postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum fidelitatis pro prædicto Regno, & terra Roman. Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ præstabis, ac propter hoc ligium, & homagium facies, & jurabis, & servabis quæcumque supra circa Articulos de Imperio continentur, & omnia promissa, prout scripta sunt superiùs, & expressa concedes, & approbabis, & acceptationem eorum, ac promissionem de servandis iis omnibus renovabis. Et præfatus insuper Rex pater tuus tuo nomine, ac tu etiam modo super horum omnium approbatione, acceptatione, concessione, ac promissione de ipsis servandis, de recognitione, quod Regnum, & terram prædicta sub præfatis conditionibus recipitis, & tenetis à Romana Ecclesia facietis, & concedetis nobis, & ipsi Ecclesiæ privilegia, & tu cum ad prædictam quindecim annorum ætatem veneris, similia super hiis privilegia iterato, & de novo concedes. Etsi forte quod absit, infra eamdem ætatem decesseris, hæres tuus hæc omnia, si minor quindecim annis extiterit similiter faciet. Si verò major, vel quindecim annorum fuerit infra sex menses post decessum tuum, ista peraget, & complebit; quia quæ in iis, circa te suprà, & infrà dicimus, circa tuum etiam hæredem intendimus, & volumus esse dicta. Quod si per eumdem Regem Patrem tuum tuo nomine, ac per te omnia, & singula supradicta approbata, concessa, & acceptata, & Privilegia super his facta, & per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Cantaurien. & Hereforden. ac Elien. Episcopos, & dilectos Filios Abbatem Vestmonasterii, Joannem Mansel Præpositum Bedeuacen. ac Nobiles Viros Rodulphum filium Nicolai, Bertrandum de Olivel, & Rogerium de Torquelin, vel aliquos ex eis, aliis nequeuntibus, vel nolentibus interesse, ordinata, & stabilita, & per eundem Regem, & te admissa, & recepta sub illorum, & ipsius Regis ac tuo sigillis infra Kal. Decembris proximo venturas non fuerint supradictæ approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio, quas tibi & hæredibus suis sub præmissis conditionibus facimus, nullius penitùs sint valoris, sed vacuæ prorsùs, & inanes existant, ità quod tibi, & hæredibus tuis in præfatis Regno, & terra nullum omnino jus tribuant, nullumque asserant commodum vel effectum, salvo tibi, & hæredibus ipsis omni Jure, sibi quod tibi, & eis competit ratione præfatæ concessionis de Authoritate, ac mandato prædecessoris à memorato Notario, & etiam ratione prædictarum confirmationis, & concessionis ab eodem prædecessore nostro factam tibi, & ipsis hæredibus, sicut dicis, ac salvis etiam nobis, & Ecclesiæ Romanæ omni Jure, ac defensione, quæ nobis, & ipsi Ecclesiæ competunt contrà illas. Prædictos enim Archiepiscopum, Episcopum clien. Abbatem Rodulphum, Bertrandum, & Rogerium loco dilecti filii nostri D. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, & dilecti filii Electi Lugdunen. Præfati Magistri Alberti Notarii nostri, & Nobilium Virorum Thomæ de Sabaudia Comitis Petri de Sabaudia, & quondam Petri Cavepore Archidiaconi Villen. quia istorum, & prædictorum Episcopi Hereforden. & Joannis Mansel arbitrium in opponendis in hoc negotio conditionibus dictus Rex Pater tuus olim tuo nomine acceptavit, duximus de assensu ipsius Hereforden. tui, & ejusdem Regis Procuratoris, & Nuntii subrogandos pro eo quod prædictus Petrus Cavepore erat jàm mortuus, & reliqui propter nimiam distantiam non possent commode, vel facilè infrà Kal. ipsas in Anglia convenire.

Si autem cum ad jam dictam ætatem quindecim annorum perveneris, & sacramentum fidelitatis Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ non exhibueris, & ligium eis homagium non feceris, & non juraveris ea quæ circa capitula de Imperio superiùs sunt expressa, & præmissa omnia de novo non acceptaveris, & concesseris, & privilegia super iis non renovaveris, vel non feceris iterato post quàm requisitus de iis per sedem Apostolicam fueris, & post requisitionem hujusmodi per sex mensium spatium expectatus eo ipso ab omni Jure prædictorum Regni & Terræ cadas totaliter, & penitùs illa perdas.

Sub præfatis igitur conditionibus eundem Hereforden. Episcopum, Nuntium, & Procuratorem tuum tuo nomine de Regno, & terra prædictis per annulum de consilio, & assensu fratrum nostrorum investivimus, quem in signum hujus investituræ tibi duximus destinandum, possessionem prædictorum regni, & terræ sub eisdem conditionibus procuratores assignantes eidem, & ab ipso postmodum recipientes tuo nomine possessionem eamdem, quam utique pro te interim retinemus, ut cum per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine, ac per te præmissa acceptata, & approbata fuerint, & per præfatos Archiepiscopum, & alios ordinata, & stabilita, secundum modum superiùs declaratum, & postquam etiam ea, quæ de expensis, & aliis inferiùs dicuntur, & experimuntur adimpleta extiterint, eadem Possessio ad te, tuosque hæredes liberè revertatur.

Verum postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, & prædictis assenseris, ipsaque acceptaveris, si ante nihilominus per Regem prædictum, & te approbata, & per nominatum Archiepiscopum, & alios ordinata, & firmata ut præmissum est fuerint, Romana Ecclesia tibi, & hæredibus tuis si per vos de hoc extiterit requisita, concessionem de præfatis Regno, & terra de novo faciet sub conditionibus antedictis, illæ tamen, quæ poterunt interim totaliter, & finaliter adimpleri de ipsis fuerit medio tempore plenariè satisfactum, ità quod prò eis nihil ampliùs exigi possit, vel debeat in futurum minimè inferentur.

ANNO 1255.

Denique

ANNO 1255.

Denique nominatus Rex pater tuus omnes expensas ab Ecclesia pro negotio d. Regni Siciliæ factas hactenùs, quæ ascendunt usque ad summam centum, & triginta quinque millium, & quingentarum, & quadraginta, & unius Marcarum bonorum, novorum, & legalium Sterlingorum, in qua utique summa viginti millia Marcarum Sterlingorum similium nobis, & fratribus nostris ex liberalitate oblata regia includuntur plenè restituet & persolvet, ac insuper de damnis, expensis, & interesse, ac aliis, quæ hac occasione intervenient plenam satisfactionem impendet. Hujus autem summæ solutio ità fiet videlicet, quod idem Rex decem millia Marcarum de prædictis viginti millibus usque ad festum Nativitatis Dominicæ proximo venturum; Alia verò decem millia postmodum usque ad sequens festum S. Michaelis nobis, & eisdem fratribus exhibebit, & si forte in ipso festo S. Michaelis dictus Rex deputabit, & statuet aliquos idoneos, & sufficientes Mercatores acceptos nobis, qui pro prædictis residuis, & ultimis decem millibus se nobis, & eisdem fratribus obligent, & principales in iis constituant debitores, iidem Mercatores, si voluerint dilationem usque ad aliud Festum Dominicæ Nativitatis primo sequens post idem Festum S. Michaelis pro prædictis residuis, & ultimis decem millibus persolvendis habebunt. Totam verò aliam summam expensarum factarum Rex ipse infrà annum computandum à Festo Beati Michaelis proximo futuro persolvet integrè vel concedet, seù deputabit Mercatores sufficientes, & idoneos, scilicet Senen. vel Florentin. seù Bononien. vel alios de Italiæ partibus Ecclesiæ Romanæ devotos, ità quod ipsis contenti simus, qui se sufficienter, & specialiter obligabunt ad solvendum hujusmodi summam infra terminum ipsum Nobis, & Ecclesiæ Romanæ, vel illis, quibus mandaverimus eam solvi, & se in eadem summa Nobis, & ipsi Ecclesiæ debitores constituent principales.

Reservamus autem Nobis, & in nostra voluntate, ac potestate remanet dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis de consilio, vel sine consilio fratrum nostrorum prædicto Rege, & te, ac alio etiam quocunque cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni juris solemnitate supra dictas approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem, quas tibi, & hæredibus tuis, sub condictionibus facimus suprascriptis vacuas omnino esse, nullumque robur, vel valorem habere, aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas, & irritas nuntiare, si præfatus Rex dicta ultima decem millia Marcarum, saltem in his ultimis Terminis non persolverit, si forte ipsa omiserit solvere in primo Termino, eorum solutioni præfixo ità quod post hujusmodi pronuntiationem, seù irritationem nostram, vel dictum præfatæ approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio nullius sint, vel habeantur efficaciæ, vel momenti salvo tibi, & tuis hæredibus jure si quod vobis competit ratione concessionis à supradicto Notario, & obtentu confirmationis, & concessionis à præfato prædecessore factarum tibi, & ipsis hæredibus, sicut dicis, omni jure, ac defensione, quæ nobis, & Ecclesiæ contrà tales concessiones, & confirmationem competunt, salvis semper manentibus, & illæsis.

Idem autem Rex veniet, vel transmittet Capitaneum cum militia competenti, secundum negotii qualitatem, quod si non venerit, nec taliter miserit in prædicto termino videlicet usque ad annum computandum à Festo beati Michaelis proximo futuro, in nostro reservamus beneplacito, sine approbatione, innovatione, concessione, & confirmatione prædictis simili modo procedere, & proferre, nequaquam tamen veniat, vel mittat, nec prædictum Regnum Siciliæ, nec possessionem ipsius recipiat, nisi priùs de præfatis tota summa, & viginti millibus marcarum, juxta præscriptum modum satisfecerit infrà terminos videlicet supra dictos, quod si venerit, vel miserit, satisfactione primitùs de iis omnibus plene facta prædictæ approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio habeant firmitatem, dictumque tuo nomine recipiat Regnum, & possessionem ejusdem, dummodo, & alia omnia, & singula supra scripta approbata concessa, & acceptata, ordinata, & stabilita infrà præfatum ad hoc terminum priùs extiterint, sicut superiùs plenius est expressum, & memoratus Odouardus frater tuus, ipsius Regis primogenitus, primo fecerit, quod ab eo faciendum erit, ut inferiùs continetur.

Si verò Rex ipse ante confirmationem ejusdem negotii debitum, quod absit, carnis persolverit, prædictus Odouardus dictum negotium efficaciter prosequetur, & idem Rex procurabit, & faciet, quod præfatus Odouardus se ad id specialiter obligabit. Quod si ad hoc se non obligaverit, & non fecerit in hac parte, ea quæ super iis facere Rex ipse deberet, ut supra narratur, in nostra remanet potestate pronunciare super approbatione, & aliis prædictis, sicut superiùs est præmissum. Et nihilominùs si præfatus Rex, præmissa omnia non solverit, vel de illis non satisfecerit, ut dictum est suprà, vel si non venerit, nec miserit, aut si idem Odouardus prædicta non fecerit, ipse Rex, & ejus hæredes super pecunia quam supra dictus Episcopus Hereforden. Procurator, & Nuntius suus mutuo ejus recepit nomine, & pro negotii prosecutione persolvit: & super pecunia etiam, quam deinceps idem Rex pro eodem exhibebit negotio nullam contra Nos, & Ecclesiam, seu quemquam alium repetitionem habebunt, nec aliquam actionem, sed ex toto illas amittent, eritque dictus Rex eo ipso excommunicationis vinculo innodatus, & totum Angliæ Regnum Ecclesiastico suppositum interdicto. Ministrabit quoque dictus Rex pro posse suo ex nunc Ecclesiæ ad prosequendum idem negotium expensas faciendas usque ad præmissum terminum, scilicèt usque ad annum à Festo S. Michaelis Archangeli proximo venturo, & ad id se, filios, ac hæredes suos, nec non & Regnum Angliæ, & omnia alia bona sua specialiter obligabit, & si ultra id, quod ipsi ministraverit Ecclesia, sumptus aliquos vel expensas in acquisitione, vel conservatione Regni Siciliæ vel terrarum ipsius fecerit pro hujusmodi sumptibus, & expensis terram monasterii Casinen. terram laboris terram Principatus Basilicatam, & terram Beneventan. liberè, ac pacifice ipsa tenebit Ecclesia pignori obligatas; Nec idem Rex, neque tu Ecclesiam ipsam super iis Terris molestabitis aliquatenus, vel turbabitis, donec de hujusmodi sumptibus, & expensis fuerit eidem Ecclesiæ ab ipso Rege, vel à te plenariè satisfactum. Et si Ecclesia ipsa ultrà fructus, & proventus, quos de prædictis Terris percipiet aliquos sumptus fecerit in tenendis, & defendendis, & conservandis eisdem ipsas propter hoc etiam tenebit quousque plenè sibi de talibus sumptibus satisfiet, & nihilominus idem

ANNO 1255.

Rex

ANNO 1255.

Rex ſe ad reſtituendum Eccleſiæ iſtos ſumptus, quos ipſa pro acquiſitione, & conſervatione Regni, & pro tenendis, & defendendis prædictis terris faciet ſufficienter, & ſpecialiter obligabit ſe, ſuumque Regnum, ejus terras noſtræ, ac ſedis Apoſtolicæ Jurisdictioni quoad hæc totaliter ſupponendo.

Proventus verò, ac obventiones qui de præfato Regno Siciliæ medio tempore ad manus Eccleſiæ pervenient tibi vel cui volueris deductis ex inde neceſſariis expenſis integrè perſolventur. Sed ſuper quantitate, ſeù valore horum proventuum & obventionum, ac etiam fructuum & proventuum dictarum terrarum ſoli dicto noſtro ſtabitur, & adhibebitur firma fides, nec exigetur, vel requiretur ſuper hoc alia certitudo.

Cæterum reſervamus Nobis quod prout utilitas, & neceſſitas exegerit, donationes, & conceſſiones in Regno aliquibus de ipſo, de quibus expedire viderimus conſcio eo, qui pro prædicto Rege, vel pro te apud ſedem Apoſtolicam, vel in Regno ipſo remanſerit, facere interim valeamus.

Porro ſi cum Manfredo quondam Principe Tarentin. & aliis Emulis, & Hoſtibus ipſius Regni aliquam compoſitionem vel concordiam, ſeù conventionem fecerimus tibi nihilominus, & tuis hæredibus Jus, in eodem Regno Siciliæ remaneat ſemper ſalvum, nec per compoſitionem concordiam, & conventionem hujusmodi Juri tuo aliquatenus derogetur.

Hæc autem omnia, & ſingula placuerunt præfato Epiſcopo Hereforden. tuo, & ipſius Regis Nuntio, & Procuratori, & in his plena, & ſtabili voluntate conſenſit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, inn ovationis, conceſſionis, & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Locus Monogrammatis.

Sanctus Sanctus
Petrus Paulus
Alexander
Papa IIII.

Domine ſervum tuum in Bonum ſuſcipe.

Ego ALEXANDER Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Epiſcopus.

Ego frater Johannes tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego frater Hugo tituli Sanctæ Sabinæ Presbiter Cardinalis.

Ego Ricardus ſancti Angeli Diacon. Cardinalis.

Ego Octavianus Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Willielmus Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis.

Dat. Neapoli per manum Guillielmi Magiſtri Scolarum Parmen. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii, quinto idus Aprilis, indictione decima, tertia incarnationis Dominicæ Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ quarti Anno Primo.

Sub filis Sericis flavi rubeique coloris.

ANNO 1257.

III.
Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1086.

Ad Magiſtrum Generalem, Prioresque Ordinis Prædicatorum; quod dati in ſocios quibusdam Prælatis poſſint corrigi, & ad ordinem revocari: anno 1257.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Prioribus provincialibus, eorumque Vicariis Ordinis Prædicatorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

SAcræ Religionis veſtræ fama clariſſima eſt ab univerſis, & ſingulis ipſam profitentibus mente vigili conſervanda, ſed ab illis potiſſimè, quos pro cauſis legitimis oportet aliquando ſe de ſuis conventibus ſicut obedientiæ virtus exigit abſentare. Sanè nonnulli ex fratribus ordinis veſtri, qui venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis quandòque in ſociis deputantur, illa, prout accepimus, præſumunt ſæpè committere, quæ in ejusdem ordinis ſcandalum, & in ſuarum vergunt periculum animarum. Cùm itaque ſuper hæc per ſedem Apoſtolicam deceat ſalubriter provideri, nos devotioni veſtræ, præſentium auctoritate concedimus, ut ſinguli veſtram illos ex Fratribus eisdem, de quibus auctoritate literarum ſedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus dictis Archiepiſcopis, vel Epiſcopis, vel quibuscunque aliis eſt proviſum, aut contigerit in poſterum provideri, corrigere, ac etiam, non obſtante conditione aliqua poſſint ad eundem ordinem revocare. Monemus tamen vos, & hortamur, quod ſi poſtmodum iidem Archiepiſcopi, & Epiſcopi apud vos, vel aliquem veſtrum pro habendis in ſocietate ipſorum aliis idoneis fratribus duxerint inſiſtendum, eorum in hac parte deſiderio annuatis, dummodò id vobis conveniens, & expediens videatur. Ceterum per literas Apoſtolicas jam obtentas, vel in poſterum obtinendas, quæ de præſentibus plenam, & expreſſam non fecerint mentionem, nullos de fratribus ipſius ordinis præfatis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in ſocios teneamini deputare, niſi hoc honeſtati ordinis, & illorum ſaluti videritis expedire.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem &c.

Datum Viterbii 5. Idus Junii Pontificatus noſtri anno tertio.

IV.
Ex Arch. Angl. Rymer Tom. I. pag. 716.

Edwardo Primogenito Regis Angliæ invaſionibus Tartarorum reſiſtendi poteſtatem largitur: anno 1260.

ALEXANDER QUARTUS,

Dilecto filio, Nobilo Viro Edvvardo primogenito cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Regis Angliæ illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CLamat in auribus omnium, eosque, quos animorum torpor non hebetat in attentionis vigilantiam excitat horrendi præconii tuba terribilis, quæ fide rerum atteſtantium invaleſcens adeò certo ſono generalis

cladis

ANNO 1260.

cladis bella prænunciat, quibus flagellum iræ cœleſtis in manu immanium Tartarorum, quaſi ex abditis erumpentium inferi finibus premit, & conterit orbem terræ, ut jam non oporteat Populum Chriſtianum ad cognoſcenda hæc, quaſi adhùc ambigua, certiori relatu aures arrigere; Sed eum, ut ingruenti, & publicè feſtinanti providè occurrat periculo admonere.

Cum enim iidem Tartari dicentes, quod totam Terram eis obtinendam tradidit Deus cœli, quem utique non noverunt, jam omnibus orientis Partibus occupatis, & populis conculcatis, jàm Saracenorum duritia, quæ multorum temporum Bella tulit extrema pene deſolatione concuſſa, jam Principali eorum Civitate Baldach, Damaſco, atque Alapia, cum plurimis aliis famoſis eorumdem Regionibus captis hoſtiliter, & everſis, nec non, & Calipho Infidelitatis ipſorum Principe, ac maximè Populi ejus multitudine poſtquam eos, ut dicitur in deditionem receperant interemptis ad Regni Jerlimitan. fines pervenerint, eosque impetant invadendos Chriſtiano Regno Armeniæ, Antiochia, & Tripoli, famoſis Chriſtianorum urbibus, proh pudor! ſuo nomine ſubjugatis, cumque à Parte ſeptentrionali, per Ungariam, atque Poloniam, Imperio Romano conterminas, ubi, proh dolor! non parum Chriſtiani ſanguinis profuderunt, valida in populis illarum partium cæde bachati hoſtilem attentent aditum in Europam, ubi fortia Chriſtiani capita conterere cogitant, & Regum Tronis everſis ſedibusque Potentium, ſibi totius orbis aſcribere Monarchatum.

Potiùs eſt contrà incumbentia è vicino periculo de opportunis remediis cogitandum, quàm eorum certior, & ſerior enunciatio expetenda, omnis igitur eſt ſecuritatis, ac tarditatis ignavæ ſubmovenda ſocordia, quæ periculorum improvidos ad perniciem præparat, & diſponit, & urgentiſſimo attentionis ſtimulo eos præcipuè convenit excitare, qui præſunt, ne ſub manu eorum repentina invadat calamitas homines inerti negligentia ſoporatos, quia ruina malorum imminentium, priùs interdum, quàm in ſolicitudinis curam evigilent, obruuntur; Quemadmodum prædictis Sarracenis, aliisque innumeris nationibus, quas deſtitutas Prudentiæ Conſilio, & indignas cœleſti Præſidio, prædictorum Tartarorum invaſit oppreſſio, noſcitur contigiſſe.

Palàm eſt enim, quod peſtilentior pernicies, & pernicioſior peſtis ad quieſcentes ingreditur, & ſecuros; Et Deum tempto imminente periculo, qui illud in præſumptuoſa cœleſtis auxilii confidentia, negligit humanæ providentiæ remediis prævenire.

Nos igitur attendentes in eorumdem Tartarorum manu adverſus Peccata humani generis divinæ indignationis ſævire flagellum, quæ tamen erga fideles magnum oſtendit pietatis indicium, dum Nobis illud imminere noluit improviſum; ſed ut divinæ placationis antidoto, & Providentiæ Conſilio excludi valeat diù antè proviſum: ac de Clementis Dei Miſericordia confidentes, quod ſi viſitaverit in virga iniquitates ſuorum, & peccata eorum in verberibus diſciplinæ, miſericordiam ſuam tandem non abſcidet ab eis.

Cogitavimus cùm Fratribus noſtris, quemadmodum à Nobis expoſtulat ſpeculæ Paſtoralis officium, cui licèt immeriti præſidemus, contrà idem flagellum utilia ſalutis remedia ordinare, & quidem pro talis neceſſitatis tàm univerſalis articulo, videbatur non ſolum Eccleſiaſticorum, ſed, & ſecularium Principum, & fidelium populorum generale concilium convocandum, ut de communi omnium diſcrimine, ac proviſionis opportunæ remediis, ad quæ ſolas eccleſiæ vires liquet non poſſe ſufficere intentis ſingulorum ſenſibus, communis deliberatio haberetur.

Hæc etenim cauſa neminem præterit communiſſima omnium, & privatiſſima ſingulorum, quia etſi tangat maximè maximos (à quibus primum ordini ſolet inſtantis cujusque deſolationis initium, ut cæteri faciliùs velut acephali, & diſperſi ad perniciem adducantur.) Unumquemque talem ſpecialiter de univerſitate contingit, ruinam, & ſtatum, mortem, & vitam continens ſingulorum. Nam apud eosdem Tartaros Patrocinium nulli præſtat fortunæ conditio, vel ſexus infirmitas, aut ætatis miſeratio ſeù reverentia dignitatis, qui non quorumdam, ſed omnium exitia, & exterminia moliuntur, nulli pacti federis fidem ſervant, quam quidem habere nequeunt infideles, propter quod dum ſimulant ſe ad Chriſtianos privatæ affectionis habere propoſitum, hoc ipſo magis eſt Chriſtianis aſtutæ fraudolentiæ illorum laqueus, quem hujusmodi ſimulationis Pallio ſubtegunt præcavendus, quia eos ſubtilioribus dolis ſupplantare conantur, quos invenire credunt ad repugnantiam fortiores.

Verùm quia ipſis Tartaris nequitiæ ſuæ propoſito vigilanter inſtantibus dilationis diutinæ non capit res iſta diſpendium, & absque longi temporis tractu gravaminibus perſonarum rerumque detrimentis, convenire nobiſcum univerſitas concilii non valeret; Neceſſitati, qua generalitas premitur de prædictorum conſilio fratrum ad præſens duximus hoc compendio conſulendum, ut in ſingulis Regnis, atque provinciis fideles moneantur attendere cauſas illas propter quas præcipuè ad Sarracenos, & alias nationes cum eisdem Tartaris, peſtis deſolationis intravit.

Offenſam videlicet altiſſimi Domini Dei noſtri, cujus contrà ſe ſubjectæ à perfidis Nationes perfidiæ Judicium irritarunt.

Defectum inſuper humanæ providentiæ, qui eis ſegnitia, inertiaque ſepultis, & varia ad invicem ſeditione dejectis oppottuna remedia defenſionis ademit, quatinus ipſi fideles de alienis periculis ſumpta cautela, medelis contrariis à malis imminentibus præſerventur.

Propter quod cariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Regem Anglorum illuſtrem per literas noſtras ſub certa forma rogamus attentiùs, & hortamur, ut habito colloquio cum Baronibus, & Magnatibus Regni ſui adverſus tàm diræ cladis perniciem fidelibus imminentem curet manſuetudinis Regiæ pietate proſpicere quo modo, quo ordine, quibusque conſiliis ad reſiſtendum eisdem Tartaris, confluentur in unum vires populi Chriſtiani.

Denique ſuper omnibus deliberatione habita diligenti, usque ad octavam Apoſtolorum Petri, & Pauli Apoſtolorum proximo futuram, quoniàm profuſus tempus rei neceſſitas, absque periculo non admittit ad ſedem Apoſtolicam deſtinet Nuncios ſuos, viros providos, & prudentes, per quos nobis ſuper his regiæ circumſpectionis voluntas, & conſilium innoteſcant, & quorum communicato conſilio, Apoſtolica ſedes providè diſponat, & ordinet quidquid in tàm arduæ neceſſitatis negotio, publicæ ſalutis utilitas ſuadebit.

Quocircà Nobilitatem tuam monemus rogamus, & hortamur attentè, per Apoſtolica tibi

ANNO 1260.

ANNO 1261.

scripta mandantes quatenus cum tua interfit de tàm communi cogitare discrimine, quo utique tangeris, tamquam egregia portio universi eidem Regi super præmissis, quod circà prædictum negocium publicè expedire cognoveris, sano studeas consilio Deum, & universalem causam habens præ oculis suadere.

Dat. Lateran. 15. Kal. Decembris Pontificat. nostri anno sexto.

Plumbeo sigillo à filo Canabeo.

I. ADDENDA *pag.* 53. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 731.

Bulla Regi Angliæ super gravaminibus illatis Hiberniæ Clericis per Ministros Romanæ curiæ: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio Regi Anglorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

PRæ ceteris rebus quibus Christiana Regna fundantur soli diùs ea statuit status Ecclesiasticæ libertatis.

Propterea cum de illo præservando in terra tuæ Ditioni subjecta, & præsertim in civitate, Dioc. & Provincia Dublinen. ubi status ipse novæ malignitatis adinventionibus, prout intelleximus injuriosè deprimitur admonemus.

Advertere debet regalis providentia sibi non tàm aliena, quàm propria, imo communia commoda suaderi, & quoties illos, qui eumdem statum in suis Juribus, aut interdum in favore tui nominis (non tamen tuæ ut credimus pietatis motum, sed propriæ voluntatis impetum prosequentes) illidant vigore discretionis Ecclesiasticæ cohibemus, intelligas tunc non lædi, sed geri salubriter in tutela fidei curam tuam.

Sanè, ad audientiam Apostolatus Nostri pervenit, quod in civitate Dioc. & Provincia supra dictis de antiqua, & approbata, & hactenùs pacificè observata consuetudine, & obtentum, ut Venerabiles Fratres Nostri Dublinen. Archiepiscopus, ejusque suffraganei, & officiales ipsorum, ac alii Judices Ecclesiastici eorumdem civitatis, Dioc. & Provinciæ (ad quos de hujusmodi consuetudine causarum cognitio pertinet) de causis quas super pecuniarum summis, seù possessionibus inter Laicos sibi subditos verti contingit, possint cognoscere dummodo pactum firmatum fide, vel juramento intervenerit inter partes.

Et si aliquis Laicus conqueritur coram illis, quod quisquam Laicus eorum subditus ipsum super aliquo crimine diffamaverit, iidem super hoc de hujusmodi consuetudine judicant, & cognoscunt.

Clerici quoque injuriatores suos Laicos consueverunt à tempore cujus memoria non existit coram Ecclesiasticis judicibus convenire.

Sed Justiciarii, & Ballivii tui in Hibernia, quominùs Archiepiscopus suffragenei officiales, & Judices prædicti de hujusmodi causis cognoscant, & judicent contrà justitiam impedire præsumunt; prohibentes (quod nequiùs est) nè Clerici Clericos in causis pecuniariis, aut Ecclesiarum Rectores super aliquibus cappellis ad Ecclesias ipsas spectantibus, aut super decimas aliarum Ercleiarum Rectores coram Judice Ecclesiastico convenire præsumant.

Iidem etiam judiciarii, & Ballivi, non permittunt quod condemnati legitimè per Archiepiscopum, suffraganeos, & alios prædictos, aut alios Judices, etiam à sede Apostolica delegatos, propter contumaciam, vel offensam in aliqua pecuniæ quantitate ad solvendam condemnationem hujusmodi compellantur, sive quod Archiepiscopus, suffraganei, vel alii prædicti cognoscant de causis usurariis, vel puniant usurarios secundum Canonica instituta, seù quod de usuris, adulteriis, aut aliis criminibus inquirant; prout ad eorum officium noscitur pertinere de Jure, ac consuetudine supra dicta.

Porrò si inter Virum, & uxorem per Ecclesiasticum Judicem celebrato divortio coram eo super dote restituenda quæstionem oriri contingat, prædicti Judiciarii, & Ballivi, ne dictus judex virum ad restituendam dotem mulieri compellat, prohibent pro suæ libito voluntatis, quamquam cognitio causarum hujusmodi ad Ecclesiasticum Judicem pertinere noscatur, tàm de hujusmodi consuetudine, quàm de jure.

Præterea si aliqui cives, vel Burgenses in aliqua civitate, vel Burgo, aliquam domum, vel fundum, aut prædium Urbanum, ad eos pertinentes (qui Burgasia vulgariter appellantur) alicui Ecclesiæ sive religioso loco in ultima voluntate legant pietatis obtentu, præfati Judiciarii, & Ballivi, ne Judex Ecclesiasticus executores testamentorum civium, & Burghesium eorundem ad exequendam in hac parte voluntatem extremam testamentorum ipsorum compellat, prout de præfata consuetudine est obtentum impediunt minùs justè.

Cæterum si aliqui Laici ascripti Electæ (qui Betagii vulgariter appellantur) aliqua de Bonis suis Ecclesiasticis, vel religiosis, aut piis locis legant pietatis intuitu in voluntate sæpe dicti Judiciarii, & Ballivi inpediunt, ne per ipsos Archiepiscopum suffraganeos, & judices, sicut de præfata consuetudine obtenta est in hoc voluntas Testatoris executioni mandetur.

Ad hæc si dictis Archiepiscopo suffraganeis, & Judicibus inhibeas ne ulteriùs procedant in aliqua causa de qua cognoscere inceperint, iidem Judiciarii, & Ballivi ipsos pro eo, quod de causa inceperunt cognoscere etiamsi hujusmodi inhibitioni paruerint puniri præsumant pæna pecuniaria, & interdum carceri mancipare.

Insuper prælibati Judiciarii, & Ballivi Archiepiscopum suffraganeos & officiales prædictos, si per inquisitionem factam super hoc contrà eos eos constiterit, quod ipsi cognoverint de aliquibus causis, quæ non fuerunt matrimoniales, vel Testamentariæ, pecuniaria pœna mulctare, & interdum eosdem in carcere detinere præsumunt.

Quod si aliquem Judicem Ecclesiasticum occasione alicujus quæstionis quæ vertitur coràm eo, contingat in aliquem Laicum exigente justitia, excommunicationis sententiam promulgare, Laicus ipse eidem Judici per dictos Justiciarios, & Ballivos exhibere procurat ne in hujusmodi causa procedat.

Post inhibitionem autem hujusmodi dictus Laicus non vitatur tamquam excommunicatus prohibentibus in prædictis Justiciarii, & Ballivis.

Cum igitur regalem magnificantiam in suis libertatibus, & antiquis consuetudinibus foveamus libenteri, & quantum cum Deo possumus toleremus; quia Deo, ut nobis pari vice respondere te convenit Serenitatem Regiam regandam duximus attentiùs, & hortandam quatinus prædictos Judiciatios, &

ANNO 1261.

Ballivos

ANNO 1263.

Ballivos à Violatione libertatis Eccleſiaſticæ, nec non ab uſurpatione Iurium Divinorum præcipuè in præmiſſis (ad quorum tutelam Diſtributor Regnorum omnium temporali gladio te accinxit) ac moleſtatores perſonarum Eccleſiaſticarum Regali Authoritate compeſcas.

Preces & exhortationes noſtras taliter impleturus quod exinde ſalvatorem tuum, qui Eccleſias ſuas proprii Sanguinis pretio libertate donavit, tibi, tuæque Proli, & Regno propitium habeas, & Nos in his, quæ ſublimitati veſtræ utilia ſunt, & placita reddamur exinde meritò promptiores.

Et quia timemus ne tu, niſi cortigas hæc, noſque tecum, ſi illa diſſimulaverimus incorrecta, in durius ſeveritatis Divinæ Iudicium incidamus, quod hi, qui terram iudicant, debent, (ò Rex) potiſſimum formidare, Venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Drunimorens. & Dilecto Filio Priori Fratrum Prædicatorum de Ponte Armachan. Dioc. per Noſtras damus literas in mandatis, ut (ſi eſt ita) dictos Iudiciarios, & Ballivos, quod Archiepiſcopum Suffraganeos, & Iudices ſupra dictos de præfatis cauſis libere cognoſcere, & eas exequi patiantur, prout eis de Iure competit, & conſuetudine ſupra dicta, & à qualibet ſuper præmiſſis eorum, & aliarum Eccleſiarum, Perſonarum Civitatis, Dioceſis, & Provinciæ prædictarum, indebita moleſtatione præmiſſa, per Cenſuram Eccleſiaſticam Appellatione poſtpoſita compellant.

Sub Plumbeo Sigillo pendente à Filo Canabeo.

Datum Viterbii 1. Idus Novembris, Pontificatus Noſtri anno primo.

II. Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. I. pag. 762.

Citatio Ricardi Romanorum Regis ad ſedem Apoſtolicam ſuper controverſia Electionis inter ipſum, & Alfonſum Caſtellæ Regem : anno 1263.

URBANUS QUARTUS,

Ricardo in Romanorum Regem Electo.

QUi Cælum Terramque regit is nimirùm Cœli novit ordinem, & in Terris poteſt cœleſtis ponere originis rationem.

Is exempla de ſuperioribus ad inferiora derivans, ſicut in Firmamento Cæli duo luminaria magna conſtituit, ut Mundum vicibus ſuis illuſtrent, & ſic & in Terris maxima dona ſua, Sacerdotium videlicet, & Imperium ad plenum ſpiritualium, mundanorum regimen ad firmamentum Eccleſiæ militantis inſtituens, utriusque poteſtatis ità diſcrevit officia, ut eorum officioſa diverſitas nulla ſibi adverſitate diſſentiat; Sed in Commiſſi executione Regiminis, ex officii debito in Voti unitate concordet, & ipſorum procul dubio, profutura concordia alterutrius fulta præſidiis, ac utriusquemutuis fota favoribus opus Juſtitiæ liberiùs operetur Pacem Mundo pariens, tranquillitatem inducens, & nutriens unitatem.

Imperium ſiquidem ad ſalutem Sacerdotali Authoritate dirigitur, & ipſius adjutum ſuffragiis, ſedatis procelloſis interdum imminentium tempeſtatum turbinibus, tranquillum redditur, & quietum.

Sacerdotium verò pium, ac tutum debet habere Refugium Imperialem Manſuetudinem, cum ſua Veneratione conjunctam, ut Imperii Romani faſtigium, & ejus culmini præſidens, ſpecialis Advocati, & Defenſoris præcipui circà Eccleſiam gerat officium, & in ipſius fortitudine brachii defenſentur Eccleſiæ libertates, & jura manuteneantur, ipſarum extirpentur hæreſes, cultus Chriſtianæ Fidei amplietur, & inimicis conſternatis ejuſdem in pacis pulchritudine ſedeat populus Chriſtianus, & in requie opulenta quieſcat.

ANNO 1263.

Verùm Humani generis inimicus, Pacis impatiens, amator litium, diſcordiæ ſeminator, utriusque profectibus invidens claræ memoriæ Villielmo Romanorum Rege rebus humanis exempto inter te & Cariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Regem Caſtellæ, ac Legionis Illuſtrem in Romanorum Regem electum, circa obtinendam ejusdem Imperii dignitatem contentionis materiam ſuſcitavit, ut vobis circa hoc contendentibus, careret Imperialis regiminis commodis Orbis Terræ, & tanti Brachii, tàm utilis, tàm neceſſarii, tàm clari, carentiam, ex ipſius Imperii vacatione diutina, moleſtam, admodum, & nocivam, damnoſa experientia Eccleſia prædicta ſentiret.

Sentit utique, ſentit Mater Eccleſia tàm Populi ſibi commiſſi, quàm ſuam gravem de hujusmodi contentione jacturam; evenit namque perverſorum audacia, & ipſorum abundante malitia, dùm eodem vacante Imperio, ipſi Eccleſiæ defenſionis debita ſuffragia ſubtrahantur, liberiùs peccatis inſiſtitur, hæreſes pullulant, ſcandala ſuſcitantur, multiplicantur cædes, & ſtrages, injuriæ invaleſcunt, in perſecutionum turbinibus Petri navicula fluctuat, & interdum, qui fidelium ipſius cenſeri nomine gloriantur in Arcum perverſum fideli debitum non verſando, converſi, eam in ſuis juribus injuriosè impetunt, & moleſtant, illa nunc denegando pro libito, nunc illicitè occupando.

Propter quod eadem Eccleſia non immeritò hujusmodi vacationem deplorat imperii, & de Animarum periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens ſuſpiria, ingemiſcit.

Ex eo inſuper quàm durè? quàm graviter? materna ejus viſcera quatiuntur, quod ipſa tàm charos Filios, tàm inclitos Principes in ſuo ſentiens utero collidentes, prudenter advertit tuam, & prædicti Regis potentiam, in Chriſto blaſphemos, & inimicos Nominis Chriſtiani, potenter, & magnificè more ſolito exercendam in proprium, & grande Domeſticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari.

Hæc ergo, & alia incommoda diſſentionis hujusmodi eadem Eccleſia Materno penſans affectu, in iis auxilii ſui dexteram non ſubſtraxit, ſed vigilavit attentiùs, attentione ſollicita vigiliter intendit, multaque ſollicitudine pervigil laboravit, ut diſcriminibus tantis occurreret, teque, ac ipſum Regem à diſcordiarum diſpendiis præſervaret.

Et licet inter vos Iudicis Partis aſſumere non ſine cauſa diſtulerit, præſertim, cum tàm tui, quàm ipſius Regis nuncii in recordationis Felicis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, noſtra, & Fratrum præſentia noſtrorum conſtituti ſuper prædictis Iudiciorum Apoſtolicæ ſedis examen expreſſe uſque ad hæc tempora declinarint.

Dilationem tamen hujusmodi illa etiam utilitatis utriusque Partis conſideratio, &

ANNO 1263.

paternæ pietatis cautela, pro vobis consilium capiens, persuasit, ut vestris animis ad hoc habilitatis, interim ad reformanda inter vos amicitiæ fœdera congruentia tempora captarentur, & remedia promptiora pararentur.

Per quæ discordiæ occasione sublata, vos glutinum solidæ caritatis uniret, ac in vestræ soliditate concordiæ, quam tractatus, qui super hoc inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui Principis Ducatu pacifico, daretur eidem sabatismus Imperio; & sedatis scandalis, ipsius subditi quietis optata jucunditas proveniret, pestis exterminaretur hæretica, animarum pericula vitarentur Ecclesia, cæsareo munita præsidio, ab hostibus erepta, de persecutorum incursibus respiraret, ac eorum, qui sub stimulatæ fidelitatis audacia, nocent fidentiùs, temeraria nocendi confidentia refrenata, suorum jurium integritate gauderet.

Hæc quidem hactenus expectavimus anxii hæc desideravimus anxia expectatione diutiùs in his prædecessoris nostri, & fratrum nostrorum sollicitudo non defuit, secundum Apostolicæ circumspectionis judicium de contingentibus nil omittens.

Et quamquam, ut Votis Nostris satisfiat in hac parte, hujusque non fuerit ex alto concessum, tamen ad id semper nostra suspiravit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur, non proponentes à ceptis desistere, quin circa negotium hujusmodi, sub spe illius, qui facit magna, & inscrutabilia, qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis semitas intendamus, quidquid per Nuncios, & Procuratores partium coràm Nobis novissimè his diebus propositum, petitum fuerit, & responsum.

Et quidem Venerabilis Frater noster Laurentius Episcopus, & dilectus filius Villelmus Archidiaconus Roffen. ac Robertus de Baro (Procuratores, & Nuncii tui, à te plenariam potestatem habentes, ut in nostro Consistorio tua proponerent negotia, & peterent cum solemnitate, qua conveniret, vocationem tuam solemniter ad coronam, ac universa, & singula circa hæc gererent, agerent fideliter, ac procurarent, quæ per vestros Nuncios, ac Procuratores ad hoc specialiter deputatos legitimè possent agi peti, & etiam procurari) coràm Nobis, & eisdem fratribus proponere curaverunt quasdam consuetudines, circà electionem novi Regis Romanorum (in Imperatorem postea promovendi) apud Principes vocem in hujusmodi electioni habentes, qui sunt septem numero, pro jure servari, & fuisse hactenus observatas à tempore cujus memoria non existit.

Secundum quas infrà annum, & diem post quam vacat Imperium talis debet electio celebrari, quacumque parte ipsorum Anni, & diei, quam ad hoc iidem Principes duxerint deputandam.

Et ad Archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum aliorum, altero nequeunte, vel forsitan non volente pertinet ad electionem ipsam celebrandam diem præfigere, ac cæteros Electores Principes convocare: Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ipsis die præfixa convenientibus, apud oppidum de Frankenford intùs, vel extrà ipsum oppidum, quod dicitur Frankeferde (loco quidem ad hoc deputato specialiter ab antiquo) ad electionem ipsam procedi potest, & debet secundum morem ipsius Imperii approbatum.

Et electione taliter celebrata, electus si electioni consenserit apud Aquisgranum per dies aliquot facta mora infra annum, & diem post celebrationem eamdem quando electus voluerit per Colonienſem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, injungatur, consecretur, & etiam coronetur.

Quo facto cuilibet via præcluditur contrà electionem, vel electum jam Regem Romanorum effectum dicendi aliquid, vel etiam opponendi, sed idem electus, prædictus prædicto modo inunctus consecratus, & coronatus pro Rege habetur: Et ei, tamquam Regi debent à subditis juramenta præstari, assignari civitates, oppida, castra, & specialiter castrum de Treveles, ac aliqua Jura Imperii infrà annum, & diem à tempore coronationis ejusdem; Ità quod si qui de Vassallis Imperii ei homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint civitates, castra, & alia supradicta, illis, quæ ab Imperio tenent sint eo ipso privandi.

Et si votis Principum ad quos spectat eligere ad eligendum convenientium, divisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, vel ad prædictum Comitem Palatinum, tamquam ad hujusmodi discordiæ judicem est recursus habendus; ni forsan super electione, vel coronatione hujusmodi suborta discordia, per appellationem, vel querelam prædictorum Principum ad Examen sedis Apostolicæ (quo casu ipsius est in tali causa cognitio) deferatur.

Intelligitur autem is electus esse concorditer in quem vota omnium Electorum Principum, vel saltem duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur.

In discordia verò is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito electio celebratur, & in termino de communi consensu dictorum Principum non statuto, quem si forsan prædicti Principes infrà annum, & diem à tempore vacantis Imperii, concorditer statuant, licèt non exprimant, quod ipsum peremptorium esse debeat, terminus tamen ab eis præfixus taliter peremptorius reputatur.

Porrò iidem Procuratores iis, & aliis quibusdam prælibatis consuetudinibus, adjecerunt, quod vacante Imperio Romano, die per omnes prædictos Principes, pro celebranda Regis Romani in Imperatorem postea promovendi electione, statuto in octavis Epiphaniæ anno Domini millesimo, quinquagesimo sexto apud memoratum oppidum Franckeford quinque tantum de dictis Principibus tùm per se, tùm per alios.

Videlicèt Bonæ Memoriæ Colonienſis Archiepiscopus pro se, & Bonæ Memoriæ Maguntinus Archiepiscopus, ea vice, in hoc commiserat vices suas, & dilectus filius nobilis Vir Comes Palatinus, apud Franckeford.

Bonæ memoriæ verò Treverenſis Archiepiscopus, & dilectus filius Nobilis Vir Dux Saxoniæ intrà dictum oppidum convenerunt.

Cumque iidem Treverenſis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ præfatum Archiepiscopum Colonienſem, & Comitem, nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, super hoc sæpiùs requisiti, dicti Archiepiscopus Colonienſis, & Comes, attendentes ex lapsu temporis periculum imminere, si forsan non fieret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptoriè constituta, præsertim cum de anno, & die post vacationem Imperii, quindecim dies solummodo supererent (infrà quos nullo modo potuissent, propter locorum distantiam, & alias facti circumstantias præfati Principes iterum convenire) cum

ANNO 1263.

prælatis

ANNO 1263.

prælatis, Ducibus, & aliis ibidem præsentibus deliberatione præhabita de ipsorum communi Consilio, & assensu, ad electionem procedere decreverunt.

Et tandem præfatus Colonien sis pro se, ac dictis Maguntino, cujus vices gerebat, & Comite præsente, ac consentiente divino nomine invocato te in Regem Romanorum elegit, & mox electionem hujusmodi Magnatum, & aliorum astantium copiosæ multitudini publicavit.

Cui electioni, per carissimum in Christo Filium Nostrum Regem Bohemiæ illustrem post paucos dies, consensu præstito, demum tu ad tuorum Electorum, & aliorum Imperii Optimatum, qui propter hoc ad te in Angliam accesserunt instantiam, & requisitionem instantem eidem electioni, post diligentem super hoc tractatum habitum, consensisti.

Ac personaliter Alemanniæ Regnum ingressus, & moram apud Aquisgranum quantum decuit faciens, nec inveniens resistentem, postmodum fuisti per sæpedictum Colonien sem Archiepiscopum, (ad cujus id spectabat officium) consecratus inunctus, coronatus, ac intronizatus Regio nomine in sede Magnifici Caroli, nullo se inibi coronationi tuæ realiter, aut verbaliter opponente.

Recepisti quoque homagia magnati Regni ejusdem, ac fidelitatis etiam Juramenta, obtinuisti ornamenta, & insignia Imperialia, quibus Rex Romanorum solet ornari, dum Romæ inungitur, & consecratur per manus summi Pontificis, & sacrum Imperii susc ipit Diadema, & sine quibus aliquis ad inunctionem, coronationemque hujusmodi, nec solet, nec debet admitti, reddita insuper tibi fuerunt quamplurima oppida, castra, villæ, ac jura Imperii tamquam Regni, tuque ipsius Regni possessionem adeptus, ipsam tenes, & per sex annos adeptam tenuisti.

Ex his autem Procuratores tui arguere nitebantur, cum memorati Trevirensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, recusando dicto die præcedente, reliqui verò, non veniendo ad terminum concorditer assignatum, se ab electione reddiderint ea vice, tu ab omnibus Principibus, vel saltem ab iis in quos totaliter jus eligendi reciderat, censeri debes electus.

Et pro certo, & indubitato ponentes Jus in Regno, & Imperio supra dictis, tibi electo prædictis consuetudinibus observatis, ubi, & à quibus id fieri debuit, & nulli alii acquisitum, ac Regium nomen, & Imperii diadema indubitatè deberi, supplicaverunt instanter, & humiliter petierunt tibi hujusmodi nomen ascribi.

Maximè cum ante dictus prædecessor id tibi de fratrum suorum consilio adscripsisset, te in eisdem Regno, & Imperio quibuslibet aliis præferendo, sicut per ipsius literas ostendere nitebantur, teque per Nos inungendum, consecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem advocatum, ac Defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema de Nostris susc ipiendum manibus sine dispendio alterioris moræ vocari, & apostolicum tibi favorem impendi; præsertim cum, non tantùm major Pars Principum prædictorum, imò omnes, (excepto Nobili Viro Marchione Brandeburghensi, qui etiam paratus est tibi obedire, ut iidem Nuntii proponebant) electioni de te factæ consentiant, & tibi tàm ipsi, quàm alii Magnates Alemaniæ generaliter tamquam suo Regi obediant, & intendant.

Petitionem suam illa indubitatata sicut asserunt in Imperio, & jure munitam, consuetudine fulcientes, qua dicunt electo in Regem Romanorum secundum solitum morem Imperii, ubi, & à quibus debet, & postmodum per supradictum Colonien sem Archiepiscopum inuncto, consecrato, & coronato, eo ipso Regium nomen acquiri, & si electæ personæ impedimenta non obvient, vocando sine dilatione aliqua per summum Pontificem ad coronam, ad id non solum morem Imperii approbatum, sed etiam quondam, felicis recordationis Innocentii Papæ Tertii Prædecessoris Nostri decretalem Epistolam allegantes.

Ac dicentes per contradictionem memorati Regis Castellæ, vel electionem quæ de ipso facta dicitur, petitionem non debere aliquatenus impediri, cum secundum prædictas consuetudines, sit ei jàm cujuslibet contradictionis via præclusa, & electio ipsius nulla fuerit ipso jure, utpote post annum, & diem contrà easdem Imperii consuetudines, & terminum ad hoc statuto de communi Principum prædictorum consensu, transacto, & post electionem tuam legitimam non cassatam, à solo nominato Treverensi, qui (propter nova pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus) nulla omnino forma servata in Camera ejusdem Treverensis Archiepiscopi contemptis aliis Principibus, clandestinè attentata, cum nullam ab eisdem Principibus super hoc potestatem haberet, quam, si etiam ab aliquibus habuisset (sicut quædam pro altera exhibitæ literæ innuebant) formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem literarum ipsarum ad exitam diem se tantummodo extendebant, non eligendo ipsa die minimè observavit.

Ex parte verò supra dicti Regis Castellæ (per venerabiles Fratres nostros Garsium Sylvensem, & Fratrem Dominicum Abulensem Episcopos, ac dilectum filium magistrum Joannem Cappellanum Nostrum Archidiaconum Compostellanum, ipsius Procuratores, Actores & Negotiorum gestores Generales, & speciales omnes in solidum, ità quod occupantis non sit melior conditio, mandatum habentes ab ipso ad petendum pro eo, & suo nomine à Nobis, & prædictis Fratribus Nostris coronam Imperii, & assignari sibi diem ad recipiendum ipsam, & ad agendum, respondendum, defendendum, & tractandum jura sua, & Imperii, & quidquid honori ejus expedire viderent, sive in ordinario, sive in extraordinario judicio ageretur) fuit e contrà propositum, quod prædictus Dies Octabanum Epifaniæ non ad eligendum, sed ad tractandum super electione facienda Regis, & Imperatoris, & ad assignandum diem ad celebrandum electionem eamdem, non per omnes, sed quosdam ex ipsis Principibus extitit assignatus.

Qua die præfati Treverensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, pro se ac dilecto filio nobili viro Marchione Brandenburghensi, qui eidem Treverensi Archiepiscopo vices suas commiserat, nec non, & Procurator memorati Regis Bohemiæ ad prædictum Oppidum tamquam viri pacifici accesserunt.

Supradicti verò Colonien sis Archiepiscopus, & Comes cum ingenti Armatorum multitudine ad loca circumvicina ipsius oppidi advenientes requisiti per Treverien sem Archiepiscopum Ducem, & Procuratorem prædictos (qui eorum impressionem verisimiliter formidabant) ut idem oppidum intrarent cum societate decenti, de assignando die ad electionem celebrandam,

ANNO 1255.

proùt terminus exigebat (si ad hoc essent habiles) una cum ipsis pacificè tractaturi, non solùm id facere contempserunt, verum etiam proprii prosecutores Arbitrii præsumpserunt te in Regem Alemanniæ, non sine multo contemptu aliorum Principum nominare.

Memorati autem Treverensis Archiepiscopus, Dux, & Procurator, nominationem hujusmodi attendentes penitùs esse nullam.

Præsertim cum Colonensis Archiepiscopus pro eo, quod in bonæ memoriæ P. Sancti Gregorii ad velum aureum Diaconum Cardinalem tum legatum in Alemanniæ Partibus manus injecerat, ac Venerabilem Fratrem Nostrum Padebornensem Episcopum detineret captivum, propter quod per eumdem etiam Legatum excommunicatus extitit.

Comes verò propter Clericorum, & religiosorum cædes, & notarias captiones, & quia contra sententiam felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris Nostri quondam Friderico olim Romanorum Imperatori, & Conrado nato ejus præstiterat publicè consilium, auxilium, & favorem erant ipsius electionis tempore tàm à Canone, quàm ab homine variis excommunicationibus innodati, & Moguntinus Archiepiscopus cujus idem Colonensis Archiepiscopus se vices gerere asserebat in vinculis teneretur; propter quod carens arbitrii libertate, præstare non potuit proùt jura exigunt liberum in electione consensum, nec etiam facto præstitit ad electionem celebrandam.

Certum terminum statuerint subsequentem Dominicam Passionis, quo quidem termino usque ad proximam Dominicam Palmarum continuato de die in diem, & memorato Maguntino, (tunc à vinculis liberato) Colonensi Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentibus interesse, dictus Trevirensis Archiepiscopus (à Rege Bohemiæ Duce, & Marchione sibi super hoc potestate commissa) dictum Regem Castello suo, & illorum nomine publicè, & solemniter in eodem oppido de Franckenford Dei Nomine invocato Romanorum Regem, & Imperatorem elegit, & electionem ipsam omnibus astantibus publicavit. Idemque Rex Castellæ (ipsa electione sibi per quam plures Magnates Imperii ad ipsum propter hoc in Hispaniam accedentes) postmodum præsentata, electioni consensit eidem.

Ex præmissis sanè iidem Procuratores, & Nuntii prælibati Regis Castellæ dicentes electionem ipsam ubi, & à quibus debuit celebratam legitimè allegabant electionem eamdem impediri non potuisse per tuam, quæ sicut dicunt nulla extitit ipso jure.

Nàm cum prædictus dies Octavarum non ad eligendum, sed ad tractandum de statuto die ad electionem celebrandam novi Regis fuerit non per omnes prædictos Principes, sed per aliquos ex eis, ut præmittitur, assignatus, (qui etiamsi ad eligendum statutum fuisset per majorem partem eorumdem Principum, minoris Partis non obstante contradictione mutari, & prorogari potuit, & extitit prorogatus) constat electionem de te maximè per pauciores de ipsis Principibus excommunicatos ipso die Octavarum factam nullam penitùs extitisse.

Excommunicationem etiam contrà memoratum Archiepiscopum Treverensem objectam, & consuetùdinem, quæ de celebranda tempore vacantis Imperii infra annum, & diem Regis Romanorum electione præponitur, ac alias omnino negantes, allegabant, quod si veritate hujusmodi propositio fulciretur, electio tua, quæ quindecim diebus de ipso tempore adhuc existentibus celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset, cum non licuerit minori parti majore contempta diem ultimam ipsius temporis prævenire.

Per quæ apparere dicebant quod electores ejusdem Regis Castellæ nolendo die illo eligere, non fuerunt eligendi jure privati, nec si etiam, ut pars adversa proponit, ad minorem partem renuissent exire: Nam cum infrà prædictum oppidum de Franckeford Romani Regis, & Imperatoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium coarctare majorem.

Adjecerunt, præterea inunctionem, consecrationem, coronationem, ac possessionem prædictas (quam quidem possessionem omninò negabant) & cætera pro parte tua inducta, (cum ex electione tua, quæ ut prædicitur nulla extiterat secuta fuerint) tamquam nulla nullum potuisse suo munimentum afferre, aut ejusdem Regis Castellæ tum præjudicium generare; subjungentes Colonienses Archiepiscopum supra dictam consecrationem, vel inunctionem, seu coronationem, quæ jus tribuant, dare non posse, nisi ei, qui à majori, & saniori parte prædictorum Principum est electus, alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Colonensis Archiepiscopus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare posset.

Quod autem de literis Prædecessoris Nostri supradicti Alexandri præmittitur, (in quibus tibi Regium nomen dicebatur ascriptum, teque in prædictis Regno & Imperio aliis fuisse prælatum) multipliciter confutabant.

Tam, quia quoties coràm ipso Prædecessore Alexandro, ac Fratribus suis de Imperii negotio agebatur, idem prædecessor Alexander publicè asserebat, quod super eodem negotio nihil in dicti Regis Castellæ præjudicium attentaret (quod etiam ipsi Regi Castellæ, per literas per quondam A. de Ferentino suum Cappellanum, & nuntium intimavit) propter quod prædictæ pro te inductæ literæ merito sunt suspectæ, nec credendæ de ejusdem Prædecessoris Alexandri conscientia emanasse.

Tùm etiam quia, si de ipsius conscientia, & Fratrum suorum consilio processissent, cum injuriosæ sint debent meriro revocari.

Undè iidem Regis Castellæ Procuratores, & Nuntii, electionem, de ipso factam electione tua prædicta, & iis, quæ pro te fuerunt objecta, nequaquam obstantibus, fore legitimam, utpote celebratam à majori parte ipsorum Principum (quos iidem Procuratores, & Nuntii variare non potuisse allegant, & variasse non credunt (imò fictione juris ab omnibus) cum alii utpote inhabiles electioni non potuerint, vel saltem noluerint in loco solito, & tempore debito interesse) ac ipsum potiorem in prædictis Regno, & Imperio arguentes, cum instantia postularunt ipsi Regi Castellæ consuetam facerem, videlicet, quod quando aliqui ad Imperium in discordia Principum eliguntur, sedes Apostolica illum, qui electus est à parte maiori, personæ impedimentis cessantibus, denunciat electum canonice, ac Regem nominat, & ei favorem præstat, illique terminum ad recipiendum coronam assignat, etiam si alter taliter electorum Regni possessionem præsumpserit occupare (sicut in electionibus Lotarii, & Conradi, & Othonis, & Philippi, ac aliorum plurium observatum fuisse dicebant) ad

ANNO 1255.

hoc

ANNO 1255.

hoc prædictam decretalem Epistolam inducentes.

Eisdem autem præfati Regis Castellæ Nuntiis petitioni prædictæ super debita Justitia exhibenda porrectæ insistentibus, Nos memoratum Roffensem Episcopum, & alios tuos Procuratores, de prædictorum Fratrum Consilio, duximus requirendos, si vellent super præmissis subire tuo nomine nostrum, & Apostolicæ sedis examen. Qui habito consilio, responderunt, quod cum sis Princeps Catholicus Ecclesiæ Romanæ devotus, ipsam Caput Christianitatis, & Fidei, tuamque Matrem, & Dominam recognoscens, nec intendas illius declinare Judicium in quibus illud subire debes, & de Jure teneris, & in Imperio jus habens, ac Regni Alemanniæ, & ejus Iurium possessionem obtineas, parati erant in quantum prædicti Mandati quod à te habebant, se vires extendunt, prò se, ac tuo nomine, tamquam prò Rege vero, ac legitimo possessore Judicium nostrum, & Ecclesiæ Romanæ subire si quis appareret, qui te super præmissis velit impetere aut aliquid quocumque modo proponere, per quod tibi possit aliquod præjudicium generari.

Salvis semper in omnibus, & per omnia iurisdictione, potestate, officio, authoritate, dignitate, honore, ac libertate Sacri Romani Imperii, ejusque Principum ad quos specialiter spectat Romani Regis electio, & quibus præjudiciare non intendebant, vel alias quomodolibet derogare, petitionem tuo præmissam nomine nihilominus reperentes.

Ecce Fili carissime dum ad petitionem Justitiæ ab una parte proceditur, nec ab altera judicio ceditur, sed per ipsorum Regum concordiam, & concordem supra dicti ordinationem Imperii desiderata quietis nobis serenitas arridet, in Iudiciorum inquietos anfractus ingerimur, & expetitæ Iustitiæ instantia in ipsorum nos fluctus impellit.

Ecce! Pacem expectavimus, & non venit, petivimus bona, & turbatio strepitus judicialis offertur.

Profecto non id desiderabat Ecclesiæ Imperiali auxilio relevanda necessitas, non id exigebant laceræ partes Imperii occupatricibus expositæ manibus direptorum, non id requirebat Christianitatis his temporibus miseranda conditio, quam intrinseca plusquam Tartaniæ feritatis affligunt; quibus potius debebatur, ut per tractatus pacificos Cæsarei Culminis acceleranda provisio in unitate capitis juribus redintegratis Imperii, contra tot discrimina provideret.

Nos itaque Pacis cogitationes solicitè cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia, & immensa virtute, sub quò curvantur qui portant Orbem, qui ventis imperat, & ad ejus nutus stat Spiritus procellarum, pacis tractatibus providimus insistendum.

Et ideo hinc indè propositis à nobis, & prædictis Fratribus Nostris in discussionem exactæ deliberationis inductis de ipsorum Consilio, tam ad magnificentiæ tuæ præsentiam, quàm ad ipsum Regem Castellæ Nuncios deliberavimus destinandos, qui vos ad pacem invitent.

Ad quod dilectum Filium Magistrum Guillelmum Cappellanum Nostrum Archidiacorum in Ecclesia Parisiensi, Virum utique providum Consilii maturitate conspicuum, à nobis, ac eisdem Fratribus plurimum merito suæ probitatis acceptum, de cujus industria, & Fidelitate, Nos, & ipsi Fratres planè confidimus ad tuam magnificentiam specialiter destinamus.

Et nihilominus cum simus omnes Justitiæ debitores, non debemus eam Personis denegare sublimibus, qui super ipsa etiam ab humilibus requisiti nostri partes officii non negamus te, ac eundem Regem Castellæ citandos decrevimus, & de sæpe dictorum fratrum consilio peremptoriè, præsentium tenore citamus ut, secundo die Maji primo venturi, Apostolico conspectui per Procuratores idoneos, te præsentes qui tuæ conscientiæ conscii legitimum, & plenum à te mandatum habeant ad pacis tractatum si Dominus dederit ineundum; & ad procedendum in ipso negotio, prout honori Ecclesiæ, ac pensata talis, & tanti conditione negotii, sine offensa judicis videbimus expedire.

Datum apud urbem veterem primo Kal. Septembris.

ANNO 1255.

III.

Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 769.

De Conditionibus à Rege, & Edmundo Filio non observatis, & de Regno Siciliæ alteri concedendo.

URBANUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, carissimis in Christo filiis H. illustri Regi Angliæ, & nobili viro Edmundo nato ejus salutem, & Apostolicam benedictionem.

NOn solum ad vestram, sed ad generalem, & publicam totius mundi credimus pervenisse notitiam, qualiter quondam Freder. olim Romanorum Imperator, ejusque Nati, & posteri Romanam Matrem Ecclesiam sub diversitate temporum vexaverunt.

Hi etenim, aliorum persecutorum excedentes Tirannidem gravioribus eam affecerunt injuriis, & oppressionibus durioribus afflixerunt, & velut in cædem, & exterminium ejus tendentes furoris arcum, & feritatis gladium amentes diris illam tribulavere flagellis, & usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt: Quoniam in hoc pravo genere patrum in Filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione sic imitatione operum nati genitoribus successerunt.

Et licèt Ecclesia eadem ubique locorum ad quæ persecutorum ipsorum se extendit potentia, crudelissimas eorum persenserit punctiones, in Regno tamen Siciliæ, quod ad ipsam Ecclesiam pertinet pleno jure, tanto duriores, & asperiores persecutiones pertulit ab eisdem, quanto liberiùs iidem Persecutores sunt in eo longis temporibus debachati, quantoque severiùs, & atrociùs inibi antè ipsius Ecclesiæ oculos uteri sui filios oppresserunt: Quia nec etiam Ecclesias, nec Personas Ecclesiasticas ipsius Regni, earumque jura, libertates, & Bona, Draconum illorum prætereire furores: sed in hæc eo excanduere ferociùs, quò quicquid ecclesiastico discernitur nomine abhorruerunt odio graviori.

Et ideo prædicta Ecclesia memorato Freder. & Conrado nato ipsius sublatis de medio, ad Regnum ipsum habens maternæ compassionis affectum, quia erant adhuc lacrimæ in maxillis ejus, & in vultu suo apparebat squalor diutinæ passionis, ardenti desiderio consurrexit, ut benignitatis suæ linteo lacrimas ipsas diluaret, & spualorem dextera propitiante

detergeret,

ANNO 1255.

detergeret, dictumque Regnum, ad optatæ salutis, libertatis solitæ, pacisque solidæ statum plene reduceret, ut illud in eo firma stabilitate favente Domino præservaret.

Verùm quia regnum ipsum cum omnibus districtibus, & pertinentiis suis, erat ad eamdem Ecclesiam ejusque dispositionem specialiter devolutum felicis recordationis Alexander Papa Prædecessor Noster dictum Regnum (pro cujus recuperatione ipsa Ecclesia importabilibus non parcendo sumptibus, ac multorum laborum minimè devitando tædia diutiùs laboravit, rem utique ipsi Ecclesiæ, inter cætera sua bona temporalia carissimam) Tibi fili Edmunde præferendo te in hoc universis Catholicis orbis terræ Principibus, liberaliter contulit sub certis conditionibus, atque pactis, prout in Apostolico Privilegio super hoc obtento pleniùs continetur.

Et quia sincera, & firma voluntas in dilectionis, & operis prosecutione cognoscitur (cum hujusmodi negotium propter ipsius Regni statum nondum tunc in toto tranquillum, multo indigeret consilio, & favore, magnamque requireret solertiam, & substentationis fulcimenta non modica, valida defensionis munimina, & indeficientis subsidii firmamentum) idem Prædecessor è diversis partibus magnificos instauravit exercitus, deputavitque legatos ad prosecutionem ipsius negotii, ut posset illud Domino adjutore perducere ad statum honorabilem, & quietum.

Cumque idem negotium laudabiliter convalesceret, & successibus prosperis firmaretur; tandem, (quia quorumdam Proditorum, qui eidem Ecclesiæ fraudolenter adhæserant faciente nequitia, inopinato casu extitit impeditum propter quod tanto festinantiùs erat eidem succurrendum negotio, quanto sibi propinquius imminebat confusio, & discrimen) dictus Prædecessor te fili Rex pluries requisivit, tibi cum instantia persuadens, ut quia prædicta Ecclesia erat ulterius ad ferendum tantum pondus penitùs impotens, ac multis, & gravibus debitis obligata, succursum cum omni festinantia præparares, ità quod omni difficultate, ac tarditate remota, copiosa, & strenua militia, cum idoneo capitaneo mitteretur pro conservatione quarumdem terrarum ipsius Regni, quæ adhuc in devotione ipsius Ecclesiæ persistebant, & per quas alias ejusdem Regni partes liber haberi poterat transitus, & processus.

Sed qualiter hæc, quæ memoratus prædecessor tibi, pro ejusdem negotii sustentatione ac promotione, persuasisse dignoscitur, fecerit non ignoras; qualiter etiam negotium ipsum adjuveris, ac super illo provideris, cunctis luce clariùs innotescit, cum nec tuas, nec aliorum curas, & vires ad hujus rei prosecutionem curaveris adhibere.

Quin imò sic ipsum negotium per te, ac tuos omissum extitit, quod eo tuis speratis, ac opportunis subsidiis non suffulto, prædictæ terræ, per quas residuum ipsius Regni recuperari poterat, adversarii ejusdem Ecclesiæ Manfredi, videlicet quondam Principis Tarentin. aggressibus paruerunt, qui postquam Regnum ipsum totaliter occupavit, sic protinùs in superbiæ altitudinem est elatus, & in sævitiæ acerbitatem obriguit, quod de virtute divina non tremuit, humanamque parvi pendit potentiam, & honorem Ecclesiæ, ac libertatem hominum dicti Regni tyrannide furibunda depressit.

De multiplicis enim necessitatis angusto in quo serpens iste latuerat ad affluentis opulentiæ amplitudinem famelicus, & sitibundus exiliens rabido cepit ore Regnum laniare præfatum, sicque in bona, & personas ipsius anxia exarsit ingluvie, quod hæc insatiabili rapacitate discerpens, illud proh dolor! ferus absorbuit in utrisque, nec sexum, nec ætatem, neque ordinem prætermittens.

Propter quod multoties dolorosè suspirat & lacrimatur amarè Apostolica sedes, quod Regnum juris, & proprietatis suæ earum, quippe sibi dira, & dura pharaonicæ oppressionis mole prosternitur, nec finitur pia, & leni consolationis apostolicæ dextera relevari.

Expectans enim, expectavit diutiùs, quod sublime regni Angliæ solium, cum strenua domus Gentis Anglicanæ potentia, quam dictus prædecessor in ipsius Regni collatione specialiter honoraverat, apprehenderet Arma, & scutum, & exurgeret in adjutorium matris suæ, dictumque negotium constanter assumeret: Et præfatam Ecclesiam liberando magnificè ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, ac extrahendo prædictum Regnum, ejusque populum de faucibus persequentes, jugum oneris ejus, & sceptrum exactans ejus magnificentiùs superaret.

Sed hujusmodi expectatio, & spes, quam in vobis sedis eadem posuit, nullum sibi prorsùs commodum attulit, vel profectum; quin imò sedes ipsa hujusmodi spe frustrata, multas, & innumerabiles propter hoc injurias, & ignominias pertulit, pluraque, & inextimabilia substinuit detrimenta.

Dictus namque Manfredus occupatione ipsius Regni Siciliæ non contentus, ad Anconitan. Marchiam, & quam plures alias terras de Patrimonio ipsius Ecclesiæ, & demum ad quamdam partem Tusciæ, quæ Romano Imperio subjacet, avidas, & occupatrices manus extendens, memoratam Ecclesiam diversis persecutionum generibus incessanter affligit: Adeò quod eadem Ecclesia multis malis afflicta diversis attrita molestiis, & variis flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare.

Quoniam ex hoc liberè pullulant heresis, cultus divini nominis dispendia minorationis incurrit, incendia urbium, castrorum depopulationes strages Christianorum, & quamplura alia abominabilia committuntur, quæ divinæ oculos majestatis offendunt, scandulum in Ecclesia commovent, & tremendum Ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant, & conculcant; nec potest ipsa Ecclesia invalescentibus ejusdem Manfredi viribus opportunum super iis remedium adhibere.

Nos igitur, postquam fuit nostris cervicibus jugum Apostolicæ servitutis impositum, diligentiùs attendentes, quod à prædicto Regno Siciliæ omne malum ipsius Ecclesiæ pandebatur, & causa periculorum hujusmodi procedebat, considerantes etiam, quod dicta Romana Ecclesia, per vos non potuit, neque poterat (quod inviti referimus) à suis calamitatibus, & ærumnis quantumcumque vos diutiùs expectaverit liberari, propter quod omnino expediebat, tàm nobis, quàm ipsi Ecclesiæ de præfato Regno Siciliæ aliter cogitare, necessario disposuimus in Animo Nostro de Regno ipso tractare, ac ordinare utiliter, prout expedire honori, & profectui prædictæ Ecclesiæ viderimus.

Cumque hujusmodi nostræ intentionis propositum producere vellemus, in actum tu Fili

ANNO 1255.

Rex

ANNO 1255.

Rex hoc intelligens in grave tulisti sicut accepimus, & molestum, de quo & vehementiorem admirationem in mente accepimus, quo pleniorem semper de te prædicta Ecclesia fiduciam habuit, quod in cunctis necessitatibus sibi potenter, & patenter assistere ipsiusque honorem, & commodum, non solum penes te, sed etiam penes alios affectuoso studio procurares, retroactis temporibus dinosceris id laudabiliter peregisse.

Quia ergo liberum est nobis, & ipsi Ecclesiæ de prædicto Regno Siciliæ disponere, ac juxta nostrum beneplacitum ordinare, cum conditiones, sub quibus Regnum ipsum à præfato prædecessore concessum extitit adimpletæ non fuerint, sicut nostis; Nos intendentes omnino urgente ad id nos necessitatis articulo (in quo est prædicta Ecclesiæ statu expedire viderimus, providere) Magnificentiam vestram de Fratrum nostrorum consilio rogandum duximus attentius, & hortandam in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatinùs præmissa omnia infra vestrorum claustra pectorum meditatione provida revolventes, & gerentes ad prædictam Ecclesiam super tot ejus angustiis, habito ad radicem veritatis in hac parte respectu filialis compassionis affectum nullum deinceps nobis, & ipsi Ecclesiæ super hujusmodi dicti negotio ingeratis impedimentum, nullumque contradictionis obstaculum opponatis, sed ab iis penitùs desistentes, non solùm permittatis Nos, & eamdem Ecclesiam libere de Regno ipso tractare, ac facere sicut viderimus faciendum, verum etiam, & verbis ostendatis, & literis, quod Vobis non displicet, immò placet si dicta Ecclesia super ipsius Regni negotio tractet cum aliquibus Mundi Principibus, suamque possit de ipso Regno conditionem facere meliorem.

Preces super hoc Apostolicas taliter impleturi, quod Regem Regum constituatis exinde vobis propitium, & benignum, & prædictam Romanam Ecclesiam reddatis propter hoc votis perpetuis temporibus in vestris opportunitatibus favorabilem adjutricem.

Et ecce Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Casentin. Virum utique expertæ providentiæ, ac examinatæ virtutis, cujus super his acquiescatis monitis, & exhortationibus propter hoc specialiter ad vos de ipsorum Fratrum consilio destinamus.

Datum apud urbem veterem quinto Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Plumbeo sigillo à Filo canabeo.

ANNO 1255.



INDEX
RERUM ET MATERIARUM,

Quæ in hoc Nono Volumine, ſive Continuationis Parte Tertia continentur.

A

Abbas.

ABbati Britolienſi conceditur ut in feſto S. Conſtantiani in adventu Domini gloria in excelſis cantetur, *Innocent. IV. conſt. 6. pag. 6. Addenda.*

Abbas S. Germani de pratis juxta Pariſios inquiſitor templariorum deputatur, *Clem. V. conſt. 12. p. 157.*

Abbas Monaſterii Majoris Turonenſis Romam petere debet ut ſe præſentet coram ſummo pontifice, *Bonif. VIII. conſt. 14. p. 122.*

Abbas Monaſterii S. Gertrudis habet poteſtatem recipiendi reſignationes & ſingulas annuas penſiones Beneficiorum, *Eug. IV. conſt. 16. p. 245.*

Abbas idem poteſt approbare Canonicos qui illi præſentantur, *ibidem pag. 245.*

Abbas S. Dyoniſii in Franciâ debet ſe præſentare coram ſummo Pontifice. *Bonif. VIII. conſt. 14. p. 122.*

Abbas Ciſtercienſis in carcerem conjicitur Mandato Franciæ Regis, *vid. Franciæ Rex.*

Abbas S. Evodii decem libras Viennenſes debet ſolvere, *Clem. IV. conſt. 5. p. 74.*

Abbas S. Petri de Turre quindecim libras Viennenſes debet ſolvere, *ibid. p. 74.*

Abbas Androynus ad Cardinalatum deſignatus recuſatur, *Innocent. VI. conſt. 3. p. 201.*

Abbas Affiginienſis monetur ut litteras Apoſtolicas Lovanienſibus conceſſas confirmet, *Bonif. IX. conſt. 1. p. 220.*

Abbas idem rogatur ut non permittat incolas Lovanii de Privilegiis moleſtari, *ibid. p. 220.*

Abbas Monaſterii Caſſinenſis debet uti pſalterio gallico & nolentes cogere per regularem diſciplinam, *Urb. V. conſt. 4. p. 206.*

Abbas poteſt alium Abbatem eligere & electum conſecrare, *Urb. II. conſt. 4. p. 4.*

Abbas Liparitanus quomodo eligendus, *Urb. II. conſt. 1. p. 2.*

Abbates Monaſteriorum dependentium à Cluniacenſi non eligi debent abſque licentia Cluniacenſis Abbatis, *Callixt. II. conſt. 5. p. 11.*

Abbates Ciſtercienſis Ordinis nullum ex fratribus prædicatorum recipere debent, *Innocent. VI. conſt. 7. p. 6. Addenda.*

Abbates præmonſtratenſes coram ſummo Pontifice citantur, *Bonif. VIII. conſt. 13. p. 122.*

Abbates quo in caſu decimam ſolvere debent. *vid. Decima.*

Abbatia, Abbatiſſa.

Abbatia de Alberconwey transfertur in alium locum, *Nicol. IV. conſt. 4. p. 102.*

Abbatiſſa Monaſterii Sonnenburg citatur coram ſummo Pontifice, & qua de cauſa, *Pius II. conſt. 6. p. 271.*

Abſolutio.

Abſolvuntur à juramento præſtito Colonienſi Archiepiſcopo Clerici & ſæculares Clivenſes, *Eug. IV. conſt. 18. p. 247.*

Abſolutio poteſt dari excommunicato qui non ſolverit partem tributi impoſiti, *Innocent. VI. conſt. 5. p. 202.*

Abſolutio conceditur Guillelmo okam & quænam ſit illius forma, *Clem. VI. conſt. 6. p. 199.*

Abſolutio poteſt dari à Cancellario Univerſitatis Pariſienſis Scholaribus & Magiſtris ejusdem univerſitatis, *Joh. XXII. conſt. 2. p. 225.*

Abſolutiones à fidelitate per Eugenium factæ nullæ declarantur, *Nic. V. conſt. 5. p. 257.*

Abſolutio conceditur tumultuantibus in Regno Angliæ, *Innocent. VIII. conſt. 4. p. 500.*

Abſolutio Regi Angliæ impendenda ab Epiſcopo Cantaurienſi, *Innoc. IV. conſt. 2. p. 4. Add.*

Abſolvendi ab excommunicatione poteſtatem non habent Monachi, *Luci. III. conſt. 1. p. 2. Adden.*

Accuſator.

Accuſatores Bonifacii citantur ut tueantur crimen hæreſeos illi objectum, *Clem. V. conſt. 9. p. 133.*

Acta.

Acta per neutralitatem facta, omnia confirmantur, *Eug. IV. conſt. 19. p. 247.*

Adam.

Adamo Guardiano Minoritæ reſtitui debent litteræ Apoſtolicæ ſub pœna capitis, *Joh. XXI. conſt. 12. p. 159.*

Adam Minorita in Scotiam tanquam Nuncius mittitur, *ibid. p. 159.*

Adam Minorita penitus rebus omnibus ſpoliatur, *ibid. p. 159.*

Adam Moleyus reddit litteras ſummi Pontificis Regi Angliæ, *Eug. IV. conſt. 5. p. 237.*

Adela.

Adelæ Comitiſſæ precibus Herleboldus ſub tutelâ Sedis Apoſtolicæ ſuſcipitur cum cunctis ſuæ Eccleſiæ Bonis, *Alex. II. conſt. 1. p. 1. f.*

Adjutor.

Adjutores eligi debent ad juvandum Rectorem Capellæ B. Mariæ, *vid. Capella.*

Adria.

Adriæ Regno nullus ſuccedere poteſt niſi ſit de legitimo matrimonio procreatus, *Clem. VII. conſt. 1. p. 10.*

Adriæ Regni Succeſſores non debent dividere Regnum, *ibid. pag. 210.*

Adriæ Regnum cum omnibus immunitatibus Ludovico traditur, *ibid. p. 210.*

Adriæ Rex electus ſi moriatur ſine hærede Regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam revertitur, *ibid. p. 210.*

Adriæ Regno ſuccedens fœmina nubat viro Eccleſiæ Romanæ devoto, *ibid. p. 210.*

Et ſi nubat alteri Romanus Pontifex poteſt contra procedere, *ibid. p. 210.*

Adriæ Regno ſuccedent Collaterales inferiores, *ibid. p. 210.*

Et qui ſuccedent debent eſſe ſubditi Eccleſiæ Romanæ, *ibid. p. 210.*

Adriæ Rex electus ſi moriatur ſine liberis unus ex ſtirpe Regia Franciæ Maſculus poteſt ſuccedere, *ibid. p. 210.*

Adriæ Regni pro ſucceſſione antefertur Mas fœminæ, *ibid. pag. 210.*

Adriæ Regno succedit potius Nepos patrui vel amitæ quàm nepos filii primogeniti, *ibid. p.* 210.
Adriæ Regis electi Mares vel fœminæ habent jus successionis, *ibid. p.* 210.
Adriæ Rex & successores debent præstare Juramentum fidelitatis, *ibid. p.* 211.
Et debet illud præstare infra sex menses vel infra annum, *ibid. p.* 211.
Adriæ Regis filii non debent emancipari nisi de Romani Pontificis licentia, *ibid. p.* 211.
Adriæ Rex si Imperator eligatur non debet consentire electioni, *ibid. p.* 211.
Adriæ Rex si Imperator eligatur debet renuntiare suo Regno vel filium sui Successorem statuere, *ibid. p.* 211.
Adriæ Rex nihil sibi debet acquirere de territorio urbis Romæ, *ibid. p.* 212.
Adriæ Regnum nunquam debet carere legitimo defensore, *ibid. p.* 212.
Adriæ Regni Successor si eligatur Imperator non potest acceptare successionem, *ibid. p.* 212.
Et si velit Regno succedere Imperio renunciet, *ibid. p.* 212.
Et si nolit renuntiare eo ipso jure suo cedit, *ibid. p.* 212.
Adriæ Rex nullam potestatem recipere debet in territorio urbis Romæ, *ibid. p.* 212.
Adriæ Rex nec occupabit nec occupari faciet patrimonium S. Petri, *ibid. p.* 212.
Adriæ Rex non potest regere Regnum ante ætatem octodecim annorum, *ibid. p.* 212.
Adriæ Rex non molestabit Romanam Ecclesiam, *ibid. p.* 212.
Et si Romanam Ecclesiam molestat eo ipso cadit Regno, *ibid. p.* 212.
Adriæ Regis Successores si Romanam Ecclesiam molestaverint excommunicationem incurrent, *ibid. p.* 212.
Adriæ Regno succedens fœmina non potest nubere Imperatori, *ibid. p.* 212.
Et si nubat, eo ipso cadit Regno Adriæ, *ibid. p.* 212.
Et si jam sit nupta Imperatori alter designandus est successor ratione habita affinitatis, *ibid. p.* 212.
Adriæ Regnum nullo modo potest uniri Imperio, *ib. p.* 212.
Et qui voluerit illud unire incurret pœnas spirituales, *ibid. pag.* 212.
Adriæ Rex nec ipsius Successores possunt succedere Regno Siciliæ, *ibid. pag.* 213.
Nec debet præstare auxilium faciendi guerram Regi Siciliæ, *ibid. pag.* 213.
Et illorum dissensiones si quædam fuerint sedabit Romanus Pontifex, *ibid. p.* 213.
Adriæ Rex tenetur præstare auxilium Romano Pontifici contra invasores patrimonii B. Petri, *ibid. p.* 213.
Adriæ Rex si guerram faciat Regi Siciliæ ecclesiastico subjacet interdicto, *ibid. p.* 213.
Nec debet inire confœderationem cum ullo Imperatore sub pœna excommunicationis, *ibid. p.* 213.
Adriæ Rex tenetur præstare numerum 300. Militum, *ibid. p.* 213.
Adriæ Rex nullas potest imponere Taillias Ecclesiis, *ibid. pag.* 214.
Adriæ Regni Clerici si exhibuerint pecuniaria servitia debent de novo exhibere, *ibid. p.* 214.
Adriæ Regni incolæ possunt liberè deferre ad Romanam curiam victus & alia id genus, *ibid. p.* 214.
Adriæ Regni Clerici non debent convenire coram judice sæculari pro criminali causa, *ibid. p.* 214.
Adriæ Rex Regnum obtinet iis conditionibus quibus ad Romanam Ecclesiam pertinet, *ibid. p.* 214.
Adriæ Regni incolæ possunt liberè pro negotiis ad Romanam curiam venire, *ibid. p.* 214.
Adriæ Regni Ecclesiastici possunt agitare causas coram ordinariis, *ibid. p.* 214.
Adriæ Regni Ecclesiæ debent gaudere omnibus privilegiis, *ibid. p.* 214.
Adriæ Rex tenetur restituere bona antea ablata Ecclesiis, *ibid. p.* 214.
Nec habebit ullam regaliam Ecclesiarum vacantium, *ibid. pag.* 214.
Et tamen potest exigere homagium bonorum Ecclesiarum, *ibid. p.* 214.
Adriæ Rex quotiescunque præstabit homagium fatebitur se illud habere ex plena liberalitate summi Pontificis, *ibid. pag.* 215.
Et debet permittere ut summus Pontifex moretur in aliqua civitate sui Regni, *ibid. p.* 215.
Tenetur etiam dare summo Pontifici quolibet triennio unum palofredum album, *ibid. p.* 215.
Adriæ Rex debet habere sufficientem catervam Balliſtrariorum, *ibid. p.* 215.
Et debet solvere quadraginta millia florenorum, *ib. p.* 215.
Et si non solvat illa infra sex menses excommunicationem incurret, *ibid. p.* 215.
Adriæ Regni Barones habebunt eadem privilegia ac antea, *vid. Privilegium.*

Albigenses.

Albigenses è Regno Franciæ exterminandi, *Honor. III. const.* 1. *p.* 3. *Adden.*

Alfonsus.

Alfonsus recipit quinquaginta millia florenorum argenti pro liberatione Caroli primogeniti, *Nic. IV. const.* 2. *p.* 100.
Alfonsus affeverare debet per regem Anglum quæ Carolo promisit, *ibid. p.* 101.
Alfonsus potest sibi sumere regna Caroli si non impleat conditiones præscriptas, *ibid. p.* 101.

Allodium.

Allodii terrarum Mathildæ Lothario Imperatori datur concessio, *Innoc. II. const.* 1. *p.* 16.

Altare.

Altaria S. Martini venalitate non debent distrahi, *Urb. II. const.* 4. *p.* 5.
Altare portatile permittitur Hugoni Comiti Rhutenensi, *Clem. IV. const.* 4. *p.* 73.

Ambrosius.

Ambrosius Theodosio Imperatori Ecclesiæ aditum interdicit, *Joan. XXI. const.* 19. *p.* 170.
Ambrosius Liparitanus abbas Episcopi loco eligitur, *Urb. II. const.* 1. *p.* 2.

Anagnia.

Anagniæ factum omnino irritatur & annullatur, *Clem. V. const.* 18. *p.* 147.

Anathematizatio.

Anathematizationes per Eugenium factæ nullæ censentur, *Nicol. V. const.* 5. *p.* 257.

Anconitanus.

Anconitano Episcopo facultas conceditur revocandi cuncta auximanorum bona ob adhæsionem Imperatori Frederico, *Innocent. IV. const.* 2. *p.* 48.
Anconitani de Commissis in Episcopum sceleribus arguuntur, excommunicatio illis etiam infligenda denunciatur nisi resipiscant, *Greg. IX. const.* 3. *p.* 46.
Anconitani excitantur ut auxiliares & firmanos insultibus prosequantur, *Greg. XI. const.* 5. *p.* 208.
Anconitanæ Ecclesiæ Canonicorum numerus decernitur, *Honor. III. const.* 3. *p.* 43.

Anglia.

Angliæ Rex non obtinet promotionem Abbatis, *vid. Abbas.*
Angliæ Rex monetur ut pacem ineat cum Philippo Francorum rege, *Bonif. VIII. const.* 6. *p.* 111.
Monetur etiam ut à maliloquis caveat, *ibid. p.* 111.
Angliæ Regi litteræ summi Pontificis deferuntur, *ibid. p.* 111.
Et ab eodem diligitur ob insignes virtutes, *ibid. p.* 111.
Angliæ Regis ob vim illatam S. Thomæ Cantaurienſi terræ Cismarinæ interdicuntur, *Alex. III. const.* 3. *p.* 26.
Angliæ Rex dono dat suum regnum Romanæ Ecclesiæ, *Innoc. III. const.* 5. *p.* 36.
Angliæ Ecclesiis singulis & Regno electio libera conceditur, *Innocent. III. const.* 7. *p.* 38.
Angliæ Regis pacta cum ejusdem Regni Baronibus damnantur, *Innocent. III. const.* 8. *p.* 39.
Angliæ Regina potest ingredi oratoria & claustra Religiosorum, *Innocent. IV. const.* 1. *p.* 4. *Adden.*
Angliæ Rex debet præstare juramentum fidelitatis Romanæ Ecclesiæ, *Alex. IV. const.* 1. *p.* 11. *Add.*
Angliæ Regi potestas conceditur resistendi invasionibus Tartarorum, *Alex. IV. const.* 4. *p.* 16.

Angliæ

Angliæ Rex invitatus ad Concilium Lugdunense pro expeditione Terræ sanctæ, *Greg. X. const.* 1. *p.* 38.
Angliæ Rex rogatur ut officiales resilire cogat, *Clem. V. const.* 14. *p.* 141.
Angliæ Regis inimici excommunicantur, *vid. excommunicatio.*
Angliæ Rex pacem inter Reges Siciliæ & Aragoniæ ponere debet, *Mart. II. const.* 4. *p.* 95.
Angliæ Rex reprehenditur quod pecuniam in subsidium terræ sanctæ collectam occupaverat, *ibid. p.* 95.
Angliæ Rex debet impedire aditum Civitatis Burdegalensis regibus Aragoniæ & Siciliæ, *ibid. p.* 95.
Angliæ Rex monetur ut sedula meditatione facta restituat pecuniam malo consilio occupatam, *Mart. II. const.* 5. *p.* 96.
Angliæ Rex malum exemplum præbet regibus catholicis, *ibid. p.* 96.
Angliæ Rex magna uritur infamia occupando pecuniam in subsidium terræ sanctæ, *ibid. p.* 96.
Angliæ Rex rogatur ut à fœdere Ludovici recedat, *Bened. XI. const.* 2. *p.* 180.
Angliæ Rex tanquam Vicarius Imperii homagia exigit, *ibid. p.* 180.
Angliæ Rex vicariatus officium pro Ludovico Imperatore suscipit, *ibid. p.* 180.
Angliæ Rex monetur quod excommunicationis sententia lata est in Ludovici fautores, *ibid. p.* 181.
Angliæ Rex cavere debet ne pœnam excommunicationis incurrat, *Bened. XI. const.* 3. *p.* 183.
Angliæ Rex Ecclesiam Cameracensem obsessam tenet, *ibid. pag.* 183.
Et eidem Ecclesiæ mala infert, *ibid. p.* 183.
Angliæ Rex invitatur ad pacem, *Ben. IX. const.* 4. *p.* 183.
Angliæ Rex rogatur ut non se intromittat rebus Ecclesiasti- in Vasconia tempore vacationis ecclesiarum, *Greg. X. const.* 5. *p.* 83.
Angliæ Rex rogatur ut coronationem proroget ne adventus ad Concilium impediatur, *ibid. p.* 83.
Angliæ Rex monetur ne utatur nomine & titulo Regis Franciæ, *Bened. XI. const.* 5. *p.* 84.
Angliæ Regi præcipitur ut Regnum Scotiæ deferat, *Bonif. VIII. const.* 6. *p.* 112.
Angliæ Regi præcipitur ut collectionem bonorum templariorum liberam sinat, *Clem. V. const.* 21. *p.* 150.
Angliæ Regi conceditur licentia ut possit tractare de pace cum excommunicatis. *Joh. XXI. const.* 11. *p.* 158.
Angliæ Rex rogatur ut Jordanus de Insula è carcere liberetur, *Joh. XXI. const.* 10. *p.* 158.
Et rogatur etiam ut nimiam severitatem senescalli vasconiæ reprimat, *ibid. p.* 158.
Angliæ Rex nec ejus filius verum habet Dominium in Siciliam, *Clem. IV. const.* 1. *p.* 54.
Angliæ Regi scribitur renunciatio Joannis XXII. *Mart. V. const.* 1. *p.* 225.
Angliæ Regis Diploma pro foro Ecclesiastico reprobatur, *Nic. IV. const.* 7. *p.* 105.
Angliæ Rex rogatur ut pacem ineat roboret ac firmet cum Philippo Francorum Rege, *Calest. V. const.* 1. *p.* 106.
Angliæ Rex Episcopos in carcere immerito detinet, *Clem. V. const.* 13. *p.* 138.
Angliæ Rex guerram in Scotia suscitat, *ibid. p.* 138.
Et etiam rogatur ut bona templariorum liberet, *ibid. p.* 138.
Et in celebrando parlamento votis Pontificis respondeat, *ibid. p.* 139.
Angliæ Rex ut rogatur insignes antecessores imitetur, *ibid. p.* 139.
Angliæ Rex timet Nuncios à summo Pontifice in suum regnum missos, *Clem. V. const.* 14. *p.* 140.
Angliæ Rex nihil potest mutare in regno suo in præjudicium sedis apostolicæ, *Innoc. III. const.* 9. *p.* 40.
Angliæ Rex monetur ut censum à quindecim annis debitum solvat, *Clem. V. const.* 14. *p.* 141.
Et ut à viris probis sumat Consilium, *ibid. p.* 141.
Angliæ Rex rogatur ut inducat Alfonsum Aragoniæ regem ad liberandum Carolum primogenitum regis Siciliæ, *Nicol. IV. const.* 1. *p.* 99.
Angliæ Rex multos nobiles Gallos in Britannia & Vasconia suppliciis afficit. *Clem. VI. const.* 3. *p.* 194.
Angliæ Rex non debet designare locum duello, *Mart. II. const.* 4. *p.* 94.
Angliæ Rex non debet pati ut Siciliæ & Aragoniæ reges, singulari pugnent certamine inter fines Vasconiæ, *ibid. p.* 94.
Angliæ Regis Vasalli nolunt inire pacem cum Francorum Rege, *Bonif. VIII. const.* 9. *p.* 114.
Angliæ Regis acta violenta non debent de jure subsistere, *Bonif. VIII. const.* 10. *p.* 115.
Angliæ Rex Alexandro Scotiæ regi auxilium exhibet, *ibid. p.* 115.
Angliæ Rex declarat in matrimonio Eduardi filii sui regnum Scotiæ esse omnino liberum, *ibid. p.* 115.
Angliæ Rex rogatur ut pristinæ libertati restituat Scotiæ prælatos, *ibid. p.* 116.
Angliæ Rex rogatur ut procuratores Romam mittat, *ibid. p.* 116.
Angliæ Regi præscribitur modus colligendi decimas, *Nicol. IV. const.* 5. *p.* 102.
Angliæ Rex rogatur ut sua mediatione Carolus Princeps Salernitanus è carcere liberetur, *Nicol. IV. const.* 3. *p.* 102.
Et etiam ut inclinet animum ad pacem, *Clem. VI. const.* 2. *p.* 193.
Angliæ Regi modus præscribitur ut templarios uno die capiat, *Clem. V. const.* 4. *p.* 126.
Et etiam monetur ut bona templariorum sibi sumat, *ibid. p.* 127.
Angliæ Rex recipit provisionem pro nepote suo, *Clem. V. const.* 1. *p.* 125.
Angliæ Rex rogatur ut Nunciis pontificis molestias non inferat, *Clem. V. const.* 2. *p.* 125.

Anicienſis.

Anicienses Canonici pauperes, debent servare antiquam observantiam circa officium Ecclesiæ, *Clem. IV. const.* 5. *pag.* 73.
Anicienses Clericuli sub pœna privationis superpellicei omnibus horis interesse tenentur, *ibid. p.* 73.
Anicienses Capellani & Vicarii pauperes singulis horis diurnis interesse tenentur, *ibid. p.* 73.
Anicienſis Clericus quilibet tenetur bis in hebdomada matutinis officiis interesse, *ibid. p.* 73.
Anicienſis Canonicus quilibet debet semel ad minus per diem chorum ingredi, *ibid. p.* 73.
Anicienſibus Clericis distributiones quomodo & quantum solvendæ, *ibid. p.* 74.
Anicienſibus Canonicis tertia pars absentium distribui debet, *ibid. p.* 74.
Anicienſis Magister hospitalis tenetur ratione Magisterii decem solidos podienses dare, *ibid. p.* 74.
Anicienses Canonici in dignitatibus constituti infra sex annos tenentur solvere viginti libras podienses, *ibid. p.* 74.
Anicienſibus Clericis quomodo distribuendæ vini potationes, *ibid. p.* 74.
Anicienſis Clericus non habens beneficium in Ecclesia tenetur solvere decem libras podienses, *ibid. p.* 74.
Anicienſis Ecclesia debet habere certum numerum Clericorum, *ibid. p.* 74.
Anicienſis præcentor non potest clergastrum facere donec attigerit vigesimum annum, *ibid. p.* 74.
Anicienses canonici existentes in choro non debent sedere ante epistolam, *ibid. p.* 74.
Anicienſis quilibet Canonicus bis saltem in hebdomada tenetur adesse matutinis processioni & missæ defunctorum, *ibid. p.* 74.
Anicienses officiatores debent ante finem classi chorum ipsum intrare, *ibid. p.* 74.
Anicienſibus canonicis debet fieri distributio ratione præbendæ, *ib. p.* 74.
Anicienſibus viris duobus idoneis detur census pro bajulis clericorum faciendis, *ibid. p.* 74.
Anicienſi choro servientibus pro matutinis debentur duo denarii podienses, *ibid. p.* 74.
Anicienſis Canonicus de novo factus nihil percipere debet de librationibus superpellicei excepta prima, *ibid. p.* 74.

Anicienſes Canonici in dignitate conſtituti debent ſolvere centeſimam partem omnium reditum, *ibid. p. 75.*
Anicienſium præbendarum vacantium fructus pro chori ſervitio applicandi ſunt, *ibid. p. 75.*
Anicienſis Eccleſiæ capitulum congregari debet ſono campanæ tribus vicibus, *ibid. p. 75.*
Anicienſium præbendarum dentur quoque ſex denarii podienſes diebus Domini Mercurii & Veneris, *ibid. p. 75.*
Anicienſibus canonicis non dentur diſtributiones pro miſſa ante decantatum Agnus Dei, *ibid. p. 75.*
Anicienſis eccleſiæ diſtributiones debent augmentari prout reditus augmentantur, *ibid. p. 75.*
Anicienſes clerici conſtituti in dignitate & habentes penſiones debent facere perſonalem reſidentiam, *ibid. p. 75.*
Anicienſium Canonicorum deliberationes debent ſtare majori & ſaniori parte capituli, *ibid. p. 75.*
Anicienſes Canonici debent ter ſaltem in hebdomada in capitulo convenire, *ibid. p. 75.*
Anicienſes Diaconi & Subdiaconi majori altari miniſtrantes duodecim denarios podienſes recipere debent, *ibid. p. 75.*
Anicienſes hebdomadarii debent officiare in majori altare juxta præceptum ſuccentoris, *ibid. p. 75.*
Anicienſis Canonicus quoties officiat in choro debet recipere ſex denarios podienſes, *ibid. p. 75.*
Anicienſis Canonicus nullo modo debet equitare per civitatem Anicienſem ſine cappa, *ibid. p. 76.*
Anicienſes Canonici cum habitu Eccleſiæ clauſtri limites transgredi non debent, *ibid. p. 76.*
Anicienſis Clericus quando celebrantur officia non debet ſedere in plano nec in capella, *ibid. p. 76.*
Anicienſes clerici antequam accipiant ſuperpellicium debent examinari an ſint idonei in legendo, *ibid. p. 76.*
Anicienſis Magiſter Scholarum debet eſſe Canonicus qui ſubjaceat capituli imperio, *ibid. p. 76.*
Anicienſis Clericus contra conclericum non debet præſtare auxilium extraneo, *ibid. p. 76.*
Et etiam non debet præſtare auxilium contra eccleſiam Anicienſem, ſed pro poſſe ſuo eam defendere, *ibid. p. 76.*
Anicienſis Clericus recipiens jus portandi ſuperpelliceum debet jurare fidelitatem capitulo, *ibid. p. 76.*
Anicienſi clerico nullum conceditur jus ſuperpellicei niſi natus ſit legitimo matrimonio, *ibid. p. 76.*
Anicienſes clerici non debent ſervire capellæ niſi qui tenentur chori ſervitio intereſſe, *ibid. p. 76.*
Anicienſis Clericus non poteſt habere duas præbendas, *ibid. pag. 76.*
Anicienſes Canonici debent modeſtè legere in choro nec extra chorum cum mulieribus confabulari. *ibid. p. 76.*
Anicienſes clerici concubinarii inventi, expelli debent ab altaris ſervitio, *ibid. p. 76.*
Anicienſis Canonicus niſi 25. annos natus non poteſt vocari ad electionem Epiſcopi, *ibid. p. 77.*
Anicienſis Epiſcopus debet committere ordinationem bonorum ſuorum ad duos viros bonæ famæ, *ibid. p. 77.*
Anicienſis Decanus electus tenetur ad Sacerdotium moveri, *ibid. p. 77.*
Anicienſis Decanus debet eſſe in ſacris conſtitutus, *ibid. p. 77.*
Anicienſis Decani jurisdictio ad quid exrendatur, *ibid. p. 77.*
Anicienſes diſtributiones in clauſtro factæ conſtituantur arbitrio canonicorum, *ibid. p. 77.*
Anicienſis Campanarius debet novem pulſare Campanas debitis diebus, *ibid. p. 77.*
Anicienſes Clerici non debent ferre publicè annulos, *ibid. pag. 77.*
Anicienſes Clerici non debent intrare tabernas, *ibid. pag. 77.*
Anicienſium clericorum habitus figura præſcribitur, *ibid. pag. 77.*

Anima.

Animæ purgatæ à corporibus vident Dominum facie ad faciem, *Joan. XXI. conſt. 22. p. 178.*

Annata.

Annatis non ſubjiciuntur beneficia quæ non excedunt valorem viginti quatuor florenorum, *Nicol. V. conſt. 3. pag. 254.*
Annatæ ſemel tantum in anno ſolvendæ, *ibid. p. 254.*
Annatæ eccleſiarum vacantium quomodo ſolvendæ, *ibid. p. 254.*
Annatæ ſolvuntur largiendo mediam partem fructuum, *ibid. p. 254.*

Anniverſaria.

Anniverſariis intereſſentes debent adeſſe vigiliis & miſſis & intrare in chorum ante inchotationem ſecundi pſalmi, *Bened. XIII. conſt. 13. p. 230.*
Anniverſaria in eccleſia Gebennenſi celebranda ut rememorantiæ ſummorum Pontificum, *ibid. p. 229.*
Anniverſaria facienda ſingulis annis à Capellanis, *vid. Capellani.*
Anniverſaria duodecim facienda in Eccleſia Gebennenſi, *ibid. p. 229.*

Antinacius.

Antinacius hæreticus juxta canones judicandus, *Joan. XXI. conſt. 8. p. 156.*

Antonius.

Antonius Champio recipiendus Epiſcopus in Eccleſia Gebennenſi, *Innoc. VIII. conſt. 7. p. 303.*

Aragonia.

Aragoniæ Rex eligitur filius Regis Franciæ ob præclaras animi dotes patris, *Mart. II. conſt. 4. p. 91.*
Aragoniæ Regnum ad filium ſecundogenitum Regis Franciæ transfertur, *ibid. p. 91.*
Aragoniæ Rex electus comitatum & regnum non debet dividere, *ibid. p. 92.*
Aragoniæ Regnum nulli Regno uniri poteſt, *ib. p. 92.*
Aragoniæ eccleſiis debent reſtitui bona quibus antea fruebantur, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex de novo electus cum Petro antiquo poſſeſſore ullam ſocietatem inire debet, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex præſtare debet ſingulis annis ſolvere quingentas libras parvorum Turonenſium, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex præſtare debet ſummo Pontifici juramentum fidelitatis, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex ſi non accuratè ſolvat ipſius Regnum eccleſiaſtico ſubjacet interdicto, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Eccleſiæ debent gaudere omnibus juribus & privilegiis ſecundum canonicas ſanctiones, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex debet conſecrari ab Archiepiſcopo Terraconenſi, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex debet coronam accipere ab Eccleſia, *ibid. pag. 93.*
Aragoniæ Rex ſi tertio anno cenſum non ſolverit è Regno cadit, *ibid. p. 93.*
Aragoniæ Rex negotium ſuſcipiendum non proſequens cadit Regno & comitatu, *ibid. p. 94.*
Aragoniæ Rex debet præſtare juramentum inter manus Terraconenſis Epiſcopi & illud renovare Eccleſiæ Romanæ, *ibid. p. 94.*
Aragoniæ Rex debet præſtare juramentum & ſub qua forma, *ibid. p. 94.*
Aragoniæ Regi conditiones imponuntur & quomodo? *Mart. II. conſt. 6. p. 96.*
Aragoniæ Rex ſententialiter Regno privatur, *ibid. p. 96.*
Aragoniæ Regis de novo eligendi facultas conceditur cardinali Presbytero, *ibid. p. 97.*
Aragoniæ Regem de novo eligendum multiplex ratio perſuaſit, *ibid. p. 97.*
Aragoniæ Regis electionis acta referuntur, *ibid. p. 97.*
Aragoniæ Regi Barones per nobilem virum de Nigella conſilia ſua declarant, *ibid. p. 98.*
Aragoniæ Regi annuunt Barones & propoſitum approbant, *ibid. p. 98.*
Aragoniæ Rex petit conſilium à Baronibus ſuis, *ibidem pag. 98.*
Aragoniæ Regis Barones ad palatium Regis quare conveniunt? *ibid. p. 98.*
Aragoniæ Regis mandato Cardinalis S. Cæciliæ occupat Aragoniæ Regnum, *ibid. p. 98.*

Archidiaconus.

Archidionus Narbonenſis Sicardus de Vauro ſummi pontificis capellanus templariorum inquiſitor, *Clem. V. conſt.* 13. *p.* 138.

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopi eligendi cum ſucceſſorum concilio, *Urb.* II. *conſt.* 6. *p.* 6.

Archiepiſcopus Colonienſis rebellis ſedi Apoſtolicæ extitit, *Eug.* IV. *conſt.* 17. *p.* 246.

Archiepiſcopus Colonienſis non debet conſecrare Imperatorem niſi de majori parte electum, *Urb.* IV. *conſt.* 11. *p.* 22. *Adden.*

Armarium.

Armaria facienda in capella B. Mariæ, *vid. Capella.*

Arma.

Arma Sarracenis ſuppeditantes excommunicationem incurrent, *vid. excommunicatio.*

Arma Sarracenis ullo modo ſuppeditanda & ſi civitates quædam ſuppeditent interdicto ſubjacent, *Nicol. V. conſt.* 13. *p.* 263.

Arma ſumenda ſunt in Amedeum ejusque ſequaces, *Nic. V. conſt.* 2. *p.* 251.

Arnaudus.

Arnaudus hæreticus juxta canones judicandus, *Joan. XXI. conſt.* 8. *p.* 156.

Auctoritas.

Auctoritas ſedis Apoſtolicæ honoratur & ſpernitur in miniſtris, *Clem. V. conſt.* 14. *p.* 140.

Auſculani.

Auſculani Eccleſiæ Romanæ jugum excutiunt, *Greg.* XI. *conſt.* 5. *p.* 208.

Auſtria.

Auſtriæ familia non commaculata ſcelere Sigismundi, *Pius* II. *conſt.* 6. *p.* 270.

Auſtriæ familia ſummopere & quare dilecta? *ibid. p.* 270.

Auximani.

Auximani Eccleſiæ anconitanæ damna reparare tenentur, *Innocent.* IV. *conſt.* 1. *p.* 48.

B.

Baccalaureus.

Baccalaurei pariſiis formati habent facultatem poſt quinquennium legendi biblia, *Eug.* IV. *conſt.* 15. *p.* 242.

Ballivi.

Ballivi non permittunt quod judicati per Archiepiſcopum ſolvant pecuniam, *Urb.* IV. *conſt.* 1. *p.* 18. *Adden.*

Ballivi Archiepiſcoporum non citandi coram officialibus, *ibid. p.* 18. *Adden.*

Barones.

Barones principis Salernitani nomine ſuo debent præſtare juramentum Alfonſo, *Nicol. IV. conſt.* 2. *p.* 101.

Bavaria.

Bavariæ Dux Ludovicus hoſtis Eccleſiæ acerrimus declaratur, *Joan.* XXI. *conſt.* 19. *p.* 167.

Bavariæ Epiſcopi articulos quosdam ad ſummum Pontificem mittunt, *ibid. p.* 168.

Bavariæ Epiſcopi, errores Maſſilii de padua damnarunt, *ibid. p.* 168.

Bavariæ dux Albertus rogatur ut ad dietam ſe transferat, *Eug. IV. conſt.* 11. *p.* 239.

Bavariæ Dux Albertus rogatur ut ſedi Apoſtolicæ faveat, *ibid. p.* 240.

Bartholomæus.

Bartholomæus de Burgash nuncius ad ſummum pontificem mittitur, *Clem. VI. conſt.* 3. *p.* 196.

Beghinæ.

Beghinæ debent tantum curare ut in ſilentio piis operibus vacent, *Joan. XXI. conſt.* 20. *p.* 174.

Beghinæ rectè viventes debent moneri ne ſe intromittant aliarum diſputationibus, *ibid. p.* 174.

Beghinæ rectè viventes nullo modo debent moleſtari, *ibid. p.* 174.

Beghinæ rectè viventes in Belgio cum aliis non ſunt puniendæ, *ibid. p.* 174.

Beghinæ malè viventes perpetùo abolendæ à ſummo Pontifice cenſentur, *Joan. XXI. conſt.* 20. *p.* 174.

Beghinæ velant errores fucata ſanctitate, *ibid. p.* 174.

Beghinæ opiniones fidei contrarias introducere & ſimplices in errorem inducere tentant, *ibid. p.* 174.

Beghinæ de ſumma trinitate ac de divina eſſentia in Alemannia diſputant, *ibid. p.* 174.

Beneficium.

Beneficia non obtinebunt nepotes Epiſcoporum quia adhærent Roberto de Brus, *Joan. XXI. conſt.* 9. *p.* 157.

Beneficia Regularia tradenda in commendam Cardinalibus, *Nic. V. conſt.* 3. *p.* 254.

Beneficia poſt tres menſes vacantia debent diſponi ab ordinario, *ibid. p.* 253.

Beneficiorum collationes à patronis faciendæ, *ibid. p.* 253.

Beneficiarii debent punctari in horis Canonicis, *Bened. XI. conſt.* 1. *p.* 179.

Beneficiorum redditus vendentes tenentur ſolvere decimam *Nic. IV. conſt.* 5. *p.* 103.

Beneficiorum redditus per ſeptennium percipere poſſunt Scholares Patavinæ Univerſitatis. *vid. Univerſitas.*

Beneficiales cauſæ traduntur Geraldo Pariſienſi Epiſcopo, *Joan. XXII. conſt.* 2. *p.* 224.

Beneficiis privantur clerici faventes ſocietati magnæ, *Urb. V. conſt.* 2. *p.* 204.

Beneficiorum privationes per Eugenium factæ nullæ declarantur, *Nic. V. conſt.* 5. *p.* 257.

Beneficiarii addicti Regis Francorum ſervitio tenentur ad reſidentiam, *Clem. VI. conſt.* 31. *p.* 191.

Beneficia per ſex menſes ab ordinariis poſſunt conferri, *Sixt. IV. conſt.* 1. *p.* 281.

Beneficia per ſex menſes à ſummo pontifice in Regno Galliarum poſſunt conferri, *Sixt. IV. conſt.* 1. *p.* 281.

Beneficiorum pluralitas clericis Angliæ permittitur, *vid. Diſpenſatio.*

Bohemia.

Bohemiæ Regno ejusque incolis affectio declaretur, *Eug. IV. conſt.* 3. *p.* 235.

Bohemici magnos errores profitentur, *Eug. IV. conſt.* 3. *p.* 235.

Bonetus.

Bonetus hæreticus juxta canones judicandus, *Joan. XXI. conſt.* 9. *p.* 158.

Bonifacius.

Bonifacii cauſa remittitur judicanda à ſummo Pontifice & qua de cauſa, *Clem. V. conſt.* 18. *p.* 146.

Bonifacius poſitus in profundo malorum incorrigibilis dicitur, *ibid. p.* 146.

Bonifacius dicitur per oſtium non intraſſe in ovile, ſed tanquam fur & latro, *ibid. p.* 146.

Bonifacius multis hæreſibus infectus probatur, *ib. p.* 143.

Bonifacii denunciatores judicio ſummi pontificis aſſentiunt, *vid. Denunciatores.*

Bonifacius Notarius primo Apoſtolicus deinde Cardinalis factus, *Clem. V. conſt.* 9. *p.* 134.

Bonifacius cancellariæ officium exercuit, *ibid. p.* 134.

Bonifacius Legationis officio functus in Regno Franciæ, *ibid. p.* 134.

Bonifacius in pontificem eligitur, *Bonif. VIII. conſt.* 1. *p.* 107.

Bonifacius parentibus orthodoxis oriundus, *Clem. V. conſt.* 9. *p.* 133.

Bordinus.

Bordinus hæreticus juxta Canones judicandus, *Joan. XXI. conſt.* 8. *p.* 156.

Brabantia.

Brabantiæ Dux ſtatuit annuas penſiones pro profeſſoribus univerſitatis, *Mart. V. conſt.* 1. *p.* 175.

Breve.

Breve Alexandri conceſſum Regi caſtellæ confutatur, *Urb. IV. conſt.* 2. *p.* 22. *Adden.*

Britanniæ nobiles nihil debent ſolvere de Terriago, *vid. Terriagium.*

Britannia.

Britanniæ Barones quæruntur de Clericis, *Clem. V. conſt.* 16. *p.* 142.

Britanniæ clerus quæritur de Comitibus & Baronibus, *ibid. pag.* 142.

Britanniæ Rectores poſſunt cogere hæredes coram judicibus eccleſiaſticis, *ibid. p.* 143.

Britanniæ altercationes inter clerum & nobiles de Terriagis, *ibid. p.* 143.

Britanniæ notarii facientes inventaria juramentum præſtare tenentur, *ibid. p.* 143.

Britanniæ Barones debent per compoſitionem lites ſuas dirimere, *ibid. p.* 143.

Britanniæ hæredes debent jurare coram parocho ſe revelaſſe bona mobilia defuncti, *ibid. p.* 143.

Britanniæ præpoſitus poſt mortem parrochiani debet facere inventarium, *ibid. p.* 143.

Britanniæ Rectores nihil debent exigere de paſtu nuptiali à non habentibus triginta ſolidos, *ibid. p.* 144.

Britanniæ Rectoribus dandi ſunt octo denarii poſt ſacramentum extremæ unctionis præſtitum, *ibid. p.* 144.

Britanniæ Barones pacta ſummi pontificis ſervanda recipiunt, *ibid. p.* 144.

Britanniæ Rectores nihil debent exigere de Arreragiis, *ibid. p.* 144.

Bulla.

Bulla Bonifacii octavi contra Regem Franciæ revocatur, *Bened. X. conſt.* 2. *p.* 125.

Bulla incipiens his verbis rem novam &c. in ſuo robore permanet, *Clem. V. conſt.* 18. *p.* 147.

Bulla incipiens his verbis unam ſanctam in integrum ſervanda, *ibid. p.* 174.

Bulla de non ſolvendis ſubſidiis principibus ſæcularibus malè interpretatur, *Boniſ. VIII. conſt.* 8. *p.* 113.

Bulla Pontificis nondum benedicti nec conſecrati valida, *Nic. V. conſt.* 4. *p.* 102.

Bulla Joannis XXII. incipiens his verbis vas electionis, eſt irrita & inanis, *Alex. V. conſt.* 1. *p.* 222.

Bulla Alexandri V. revocatur, *Joan. XXII. conſt.* 1. *pag.* 223.

Bulla Bonifacii octavi revocatur *Pius II. conſt.* 8. *p.* 276.

Burgundia.

Burgundiæ Dux à juramento Regi Angliæ præſtito non abſolutus dicitur, *Eug. IV. conſt.* 5. *p.* 237.

C

Calumnia.

CAlumniæ in Bonifacium vel in Regem Philippum omnino abolentur & tolluntur, *Clem. V. conſt.* 18. *p.* 148.

Cancellarius.

Cancellarius Eccleſiæ Romanæ quisnam eligitur? *Leo IX. conſt.* 1 *p.* 1. *f.*

Cancellarius Pariſinus, Joannes Gerſon poteſtatem accipit commutandi vota, *Joan. XXII. conſt.* 2. *p.* 224.

Cancellarius idem quamnam poteſtatem accipiat? *ibid. p.* 223.

Cancellarius idem poteſt largiri abſolutionem, *vid. Abſolutio.*

Canonicorum Statuta.

Canonicorum Gebennenſium ſtatuta quænam? *Innoc. VIII. conſt.* 1. *p.* 286.

Statuunt modum pulſandi Campanas diebus ſolemnibus, *ibid. p.* 287.

Statuunt modum ordinandi cantum in ſolemnitatibus, *ibid. p.* 287.

Statuunt modum pulſandi horas Canonicas ſecundum temporis diſtinctionem, *ibid. p.* 287.

Qua hora pulſandæ matutinæ à paſcha uſque ad feſtum B. Michaelis, *ibid. p.* 287.

Quod Campana ſecunda, pro idibus pulſetur in aurora, *ibid. p.* 287.

Quod officium primæ pulſetur hora ſeptima, *ibid. p.* 287.

Quod officium nonæ cum veſperis pulſetur tempore æſtuali hora ſecunda poſt meridiem, *ibid. p.* 287.

Quod ſi Canonicus in capitulo alium injuriis afficiat ex capitulo ejiciendus, *ibid. p.* 287.

Quod officium modo debito in choro cantetur, *ibid. pag.* 287.

Quod matutinæ totius anni dicantur de manè exceptis quatuor ſolennitatibus, *ibid. p.* 288.

Quod celebrans die Dominica debeat celebrare cum Diacono & Subdiacono, *ibid. p.* 288.

Quod celebrans graviter incedens debet procedere ad Altare, *ibid. p.* 288.

Quod parvus operarius ſumptibus fabricæ præparet incenſum, *ibid. p.* 288.

Quod matricularius Eccleſiæ hoſtiam & vinum miniſtret, *ibid. p.* 288.

Quod parvus operarius ornamenta ſuppeditet, *ibid. p.* 288.

Quod nullus Altaris miniſter calopedia portet, *ibidem pag.* 288.

Quod Diaconus graviter cantabit Evangelium, *ibidem pag.* 288.

Quod intrantes in chorum faciant reverentiam, *ibidem p.* 288.

Quod nullus extra chorum horas recitet, *ibid. p.* 288.

Quod nullus recitare debeat officium per celebrationem miſſæ, *ibid. p.* 288.

Quod nulli liceat confabulari per officium, *ibid. p.* 288.

Quod nullus in choro deambulet per officium, *ibidem p.* 288.

Quod quilibet canonicus maneat inſtallatus in choro receptionis ſuæ per officium, *ibid. p.* 288.

Quod nullus dormiat in choro per officium, *ibidem pag.* 289.

Quod nullus aſcendat in ſedes ſuperiores chori niſi ſit in ſacris ordinibus conſtitutus, *ibid. p.* 289.

Quod canonicus receptus antequam fructus percipiat ſolvere debet unam cappam de panno Sirico, *ibid. pag.* 289.

Quod nullus recipiatur canonicus niſi legitimæ ætatis & de legitimo matrimonio, *ibid. p.* 289.

Quod debet ſervari ordo recitandi officium & lectiones matutinarum, *ibid. p.* 289.

Quod pœnis afficientur qui non ſervant ordinem ſcriptum in tabula, *ibid. p.* 289.

Quod hebdomadarius non debet incipere officium niſi tribus lampadibus accenſis, *ibid. p.* 289.

Quod qui litem habet ſuper præbenda non poteſt recipere fructus ante finem litis, *ibid. p.* 289.

Quod quilibet receptus juramentum præſtet de ſtatutis ſervandis, *ibid. p.* 289.

Quod receptus ſolvere debet unum Bonetum de Eſcarlata, *ibid. p.* 289.

Quod nullus præter canonicos portet armutiam de variis griſis, *ibid. p.* 289.

Quod Canonicus inferior non faciat officium ſuperioris, *ibid. p.* 289.

Quod negotia ardua ſunt excipienda in loco capituli ordinato, *ibid. p.* 287.

Quod quisque debet dare vocem ſuam juxta ſuum ordinem, *ibid. p.* 287.

Quod capitula ordinaria ſunt pulſanda hora ſexta diebus Mercurii & Veneris, *ibid. p.* 287.

Quod debent celebrare miſſas ſuas circa horam capitularem, *ibid. p.* 287.

Quod officium primæ in Quadrageſima pulſandum eſt hora ſeptima usque ad horam nonam, *ibid. p.* 287.

Quod campana ſecunda poſt offertorium pulſanda, *ibid. p.* 287.

Quod in feſtis duplicibus intonetur prima antiphona matutinarum per primum clericulum, *ibid. p.* 290.

Quod ſecunda antiphona matutinarum cantetur per primum clericum ſecundi reſponſorii, *ibid. pag.* 290.

Quod tertia antiphona cantetur per intabulatum quarti reſponſorii, *ibid. p.* 290.

Quod

Quod quinta cantetur per lectorem tertiæ lectionis, *ibid. p.* 290.
Quod sexta per primum intabulatum ad quintum responsorium, *ibid. p.* 290.
Quod quarta antiphona de Laudibus cantetur per lectorem novæ lectionis, *ibid. p.* 290.
Quod septima matutinarum cantetur per primum intabulatum ad septimum responsorium, *ibid. p.* 290.
Quod octava matutinarum cantetur per primum cantorem octavi responsorii, *ibid. p.* 290.
Quod nona cantetur per secundum cantorem, *ibidem pag.* 290.
Quod prima antiphona matutinarum in festis solennibus intonetur per pueros ad candelabra intabulatos, *ibid. p.* 290.
Quod secunda matutinarum & de laudibus intonetur per magnos clericos, *ibid. p.* 290.
Quod tertia & quarta intonentur per intabulatos ad secundum responsorium, *ibid. p.* 290.
Quod nullus intret in chorum sine habitu consueto, *ibid. p.* 290.
Quod nullus intret in ecclesiam nudis tibiis, *ibid. p.* 290.
Quod nullus intret in chorum nisi prius fecerit primam residentiam, *ibid. p.* 290.
Quod facientes primam residentiam distributiones lucrentur, *ibid. p.* 290.
Quod nullus deambulet in medio navis ecclesiæ dum missæ celebrantur, *ibid. p.* 290.
Quod nullus habitum suum teneat in Ecclesia, *ibid. p.* 290.
Quod nullus intret processionem nisi post crucem, *ibid. p.* 290.
Quod Dominus Cantor ordinet processiones generales, *ibid. p.* 290.
Quod processio non exeat magnam portam clausstri pro funere alicujus, *ibid. p.* 290.
Quod in processionibus bini & bini incedant, *ibid. p.* 290.
Quod Canonicus creatus sub expectativa in processionibus incedat cum ultimo habilitato, *ibid. p.* 290.
Quod nomina canonicorum juxta ordinem in libro regulæ scribantur, *ibid. p.* 290.
Quod die S. Joannis canonicus deputatus cum choro processionaliter vadat ad prioratum S. Joannis, *ibid. p.* 290.
Quod omnes canonici nec nimis longas aut nimis breves vestes deferant, *ibid. p.* 290.
Quod nulli comam aut barbam nutriant, *ibid. p.* 290.
Quod nulli adsint sponsalibus more Laicorum, *ibid. pag.* 290.
Quod die epiphaniæ fiant tres Reges, *ibid. p.* 290.
Quod Rex illo die electus solvat viginti quinque florenos, *ibid. p.* 290.
Quod statuta non servantes puniantur, *ibid. p.* 290.
Quod Rectores instituendi præsententur Episcopo, *ibid. p.* 290.
Quod hebdomadarius particularis ad beneficia nominans nominatum Capitulo vel Episcopo præsentet, *ibid. p.* 290.
Quod quando vacabit cantoria vel sacristia per hebdomadarium instituendus capitulo præsentetur, *ibid. p.* 290.
Quod jus nominandi incipit in vesperis die Sabbathi, *ibid. p.* 290.
Quod nullus canonicus de novo receptus officium cantoris pro hebdomadario faciat, *ibid. p.* 290.
Quod canonicus absens sine licenria non intabuletur nisi post septimanam, *ibid. p.* 290.
Quod Canonici non intabulati non percipiant portiones Anniversariorum, *ibid. p.* 290.
Quod Canonici fungentes ministerio extra chorum tanquam præsentes reputantur, *ibid. p.* 290.
Quod capitulum non det licentiam pluribus canonicis, *ibid. p.* 290.
Quod præsentes Kalendis Mensis in Laudemiis portiones recipiant, *ibidem pag.* 290.
Quod absentes pro justis causis pro præsentibus reputantur, *ibid. p.* 290.
Quod nullus dispensetur de choro nisi sit commensalis Episcopo, *ibid. p.* 290.
Quod datur canonico scholari in universitate studendi facultas, *ibid. p.* 290.
Quod fructus canonici mortui non completa residentia fabricæ ecclesiæ applicentur, *ibid. p.* 290.
Quod si moriatur residentia completa fructus hæredibus dentur, *ibid. p.* 290.
Quod mortuo canonico potest succedere antiquior, *ibid. p.* 290.
Quod nullus canonicus alteri succedat nisi fecerit residentiam centum & duodecim dierum, *ibid. p.* 290.
Quod canonici possunt permutare præbendas, *ibid. pag.* 290.
Quod quilibet Canonicus refusiones quas capitulo debet solvat, *ibid. pag.* 290.
Quod de distributionibus quotidianis quæ inter præsentes fiunt absentes nihil percipiant, *ibid. pag.* 290.
Quod canonici de bonis suis nihil vendere possint, *ibid. p.* 290.
Quod claves debeant portari in capitulo generali Kalendis omnium sanctorum, *ibid. p.* 290.
Quod domus canonici ad quamdam dignitatem porrecti capitulo remaneat, *ibid. p.* 290.
Quod capitulum potest illam dare canonico seniori, *ibid. p.* 290.
Quod domus capitularis vacans potest vendi viro ecclesiastico, *ibid. p.* 290.
Quod nullus canonicus in infirmitate constitutus potest vendere domum suam, *ibid. p.* 290.
Quod pretium domus venditæ distribuatur inter canonicos, *ibid. p.* 290.
Quod quilibet canonicus debet habere equum aut mulum, *ibid. pag.* 290.
Quod nullus concubinario celebranti debet assistere, *ibid. p.* 190.
Quod nullus de Altaristis concubinam habeat de actu venereo suspectam, *ibid. p.* 290.
Quod si aliquis concubinam habeat privetur distributionibus quotidianis, *ibid. p.* 290.
Quod quilibet Canonicus post residentiam completam debet fundare unum Anniversarium, *ibid. p.* 290.
Quod si morte præventus non fundaverit tenentur fundare illius hæredes, *ibid. p.* 290.
Quod quilibet canonicus potest in ecclesia eligere sepulturam, *ibid. p.* 290.
Quod sacrista debet habere lectum canonici defuncti, *ibid. p.* 290.
Quod nobiles Laici solutis triginta solidis possunt eligere sepulturam, *ibid. p.* 290.
Quod tertia pars luminariorum defunctorum maneat pro fabrica, *ibid. p.* 290.
Quod cadaver Canonici defuncti ponatur in choro cum habitu completo, *ibid. p.* 290.
Quod electi ad aliquam capellaniam debent præstare sacramentum fidelitatis, *ibid. p.* 290.
Quod nullus titulo capituli sacros ordines suscipiat, *ibid. p.* 290.
Quod Altaristæ tenentur ad residentiam, *ibidem pag.* 290.
Quod capellæ de novo fundatæ electio pertineat ad capitulum, *ibid. p.* 290.
Quænam debeat esse forma constitutionum Capellanorum, *ibid. pag.* 290.
Quod cantor debet facere tabulam in qua servitores scribantur, *ibid. pag.* 290.
Quod sint in ecclesia octo vicarii perpetui de legitimo matrimonio procreati, *ibid. p.* 290.
Quod illi octo vicarii debent interesse omnibus horis, *ibid. p.* 290.

Quod illi vicarii debent intonare pſalmos, *ibid. p.* 290.
Quod illi vicarii poſſunt ſupplere vices canonicorum, *ibid. p.* 290.
Quod canonicus præbendatus poteſt miſſam celebrare in majori & minori altari, *ibid. p.* 290.
Quod vicarii abſentes à miſſa alta perdant quatuor ſolidos, *ibid. p.* 290.
Quod debeant eſſe ſex clericuli qui à capitulo veſtiantur, *ibid. p.* 290.
Quod duo ex illis clericulis diebus feriatis ſint in matutinis, *ibid. p.* 290.
Quod ſit quidam deputatus ad illos clericulos inſtituendum, *ibid. p.* 290.
Quod capitulum dubia dirimere valeat, *ibid. p.* 290.
Quod Epiſcopus non debet exercere jurisdictionem in canonicos ultra ſuam poteſtatem, *ibid. p.* 290.
Quod in dubiis conſulendus ſit uſus eccleſiæ Viennenſis, *ibid. p.* 290.
Quod capitulum omne teneatur ſervare ſupra dicta ſtatuta, *ibidem pag.* 290.

Canonici.

Canonici de novo Lovanii electi Abbati portenſi debent præſentari, *Eug. IV. conſt.* 16. *p.* 224.
Canonici eligendi favore indulti non obſtantibus aliis privilegiis, *Urb. VI. conſt.* 1. *p.* 216.
Canonici non debent eligi ante electionem illorum qui indultum habent, *ibid. p.* 216.
Canonici debent habere ſua ſtalla aſſignata in choro cum juris plenitudine, *ibid. p.* 216.
Canonici duo eligendi in eccleſiis cathedralibus hiberniæ & Angliæ, *ibid. p.* 216.
Canonicis carnotenſibus reſidentia præſcribitur. *vid. Reſidentia.*
Canonicis S. Petri quarta oblationum pars conceditur, *Eug. II. conſt.* 2. *p.* 19.
Canonici Regulares & Monachi ſoli non morari debent per oppida, *Clem. III. conſt.* 2. *p.* 33.

Canonicatus.

Canonicatuum ſexta pars eſt pro Magiſtris in medicina qui per quinquennium Theologiæ ſtuduerunt, *Nic. V. conſt.* 3. *p.* 254.
Canonicatuum ſexta pars eſt pro Doctoribus vel licentiatis, *ibid. p.* 254.
Canonicatus quindecim Lovanii inſtituti, debent conferri legentibus in Univerſitate, *Eug. IV. conſt.* 16. *p.* 244.
Canonicatus quindecim fundantur in eccleſia collegiata Lovanii, *ibid. p.* 243.

Cantor.

Cantoris vicariæ conferendæ illis qui ſciunt rectè legere & cantare, *Nic. V. conſt.* 3. *p.* 254.

Capella. Capellani.

Capellam in palatio conſtituendi facultas conceſſa Trencavello vice comiti Biterrenſi, *Eug. II. conſt.* 1. *p.* 19.
Capella B. Mariæ Rector & Servitores præſtabunt juramentum fidelitatis, *Bened.* XIII. *conſt.* 3. *p.* 231.
Capella B. Mariæ pecunia ſub tribus clavibus ſervanda, *ibid. p.* 231.
Capellæ B. Mariæ Archipresbyter ab Epiſcopo Gebennenſi eligendus, *ibid. p.* 226.
Capellæ B. Mariæ fundator Joannes de Brogniaco bona ſua præſentia & futura capellæ reliquit, *ibid. pag.* 226.
Capella B. Mariæ cum Archipresbytero cum duodecim capellanis fundatio confirmatur, *ibid. p.* 226.
Capella B. Mariæ Genevenſis habet pro dote quinque millia florenorum auri, *ibid. p.* 226.
Capella B. Mariæ debet habere tredecim Presbyteros in memoriam Domini Jeſu Chriſti & duodecim Apoſtolorum, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ Rector debet eſſe unus de collegio incorporatus Eccleſiæ Gebennenſi, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ fundator proſpicit animæ parentum, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ Rector moriens abſque Succeſſore electo capellani habent poteſtatem eligendi Rectorem infra decem dies, *ibid. p.* 227.
Et ſi infra decem dies non eligant poteſtas devolvitur ad capitulum Gebennenſe, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ Rector electus vel à ſervitoribus vel ab Epiſcopo debet eſſe de numero capellanorum, *ibid. pag.* 227.
Capellæ B. Mariæ Rector ſi fiat furioſus duo conſiliarii debent regere bona capellæ, *ibid. p.* 227.
Capellani Regentes bona capellæ B. Mariæ tenentur reddere rationem adminiſtrationis, *ibid. p.* 227.
Capellani B. Mariæ & clericuli ad nutum Rectoris eligendi, *ibid. p.* 227.
Capellani B. Mariæ debent eſſe idonei & bonæ famæ, *ibid. pag.* 227.
Capellani B. Mariæ mutari poſſunt & debent reſidere in ipſa eccleſia, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ Archipresbyter electus Jacobus Bochardi, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ Rector ante mortem ſuam debet unum de duodecim conſervitoribus nominare, *ibid. p.* 227.
Capella B. Mariæ funditus de novo conſtructa ubi ſita? *ibidem p.* 227.
Capellæ B. Mariæ dantur quinque millia florenorum in memoriam quinque plagarum Chriſti, *ibid. p.* 227.
Capellæ B. Mariæ Archypresbyter uno cedente capellano alium eligit, *ibidem p.* 228.
Capellani B. Mariæ in perpetuum eliguntur, *ibidem p.* 228.
Capellani primi B. Mariæ quinam primi eliguntur & à quonam? *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ debent memoriam facere de Clem. Papa, *ibid. p.* 228.
Capellæ B. Mariæ hebdomadarius die Lunæ celebrabit miſſam de mortuis, *ibid. p.* 228.
Et die Martis miſſam celebrabit de Angelis, *ibid. p.* 228.
Et die Mercurii miſſam celebrabit de Trinitate, *ibid. p.* 228.
Et die Jovis miſſam celebrabit de S. Spiritu, *ibid. pag.* 228.
Et die veneris de ſancta cruce, *ibid. p.* 228.
Et die Sabbathi miſſam celebrabit de B. Maria virgine, *ibid. p.* 228.
Capellæ B. Mariæ hebdomadarius celebrabit officium de feſtivitate quando feſtivitas occurret, *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ poſt correctionem non ſe emendantes penitus amoveantur, *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ peccantes ab Archipresbytero monendi, *ibid. p.* 228.
Capellani debent celebrare tres miſſas qualibet hebdomada, *ibid. p.* 228.
Capellani debent celebrare unam miſſam altam ſeu cum cantu, *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ debent facere tredecim Anniverſaria ſingulis annis, *ibid. p.* 228.
Capellani debent facere ſuam ſeptimanam unusquisque ſuo ordine, *ibid. p.* 228.
Capella B. Mariæ debet habere tres hebdomadarios, *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ hebdomadarii quot miſſas & quo ordine debent celebrare, *ibid. p.* 228.
Capellæ B. Mariæ Rector prima hebdomada celebrabit magnam miſſam, *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ miniſtrabunt altari cum Archipresbytero & quo ordine? *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ antiquiores poſt Rectorem miſſas baſſas prima hebdomada celebrabunt, *ibid. p.* 228.
Capellæ B. Mariæ ſervitores quemnam ordinem debent ſervare, *ibid. p.* 228.

Capellæ B. Mariæ defunctorum missæ quomodo celebrandæ, *ibid. p.* 228.
Capellæ B. Mariæ officium quomodo celebrandum, *ibid. p.* 228.
Capellæ B. Mariæ hebdomadarius post missam facere debet stationem cum aqua benedicta, *ibid. p.* 228.
Capellani B. Mariæ tenentur adesse missæ altæ & intrare in chorum ante dum cantetur Kyrie eleison, *ibidem p.* 229.
Capellanis B. Mariæ distributiones quomodo fieri debent, *vid. Distributiones.*
Capellæ B. Mariæ hebdomadarius missam altam celebrans qualibet die habet duodecim denarios, *ibid. pag.* 229.
Capellæ B. Mariæ Archipresbyter sex habet denarios quando celebrat, *ibid. p.* 229.
Capella B. Mariæ debet habere unam campanam ad pulsandum, *ibid. pag.* 229.
Capellæ B. Mariæ Rector eliget canonicum qui missam defunctorum quolibet mense celebrare debet, *ibid. pag.* 229.
Capellæ B. Mariæ Rector debet computare ac reddere computum fructuum coram sex antiquioribus capellæ, *ibid. p.* 230.
Capellæ B. Mariæ Rector non reddens computum puniendus; & quomodo? *ibid. p.* 230.
Capella B. Mariæ debet habere armaria quorum erunt tres claves servandæ à tribus capellanis, *ibid. p.* 231.
Capellæ B. Mariæ traduntur ornamenta & quomodo servanda? *ibid. p.* 231.
Capellanus infirmus emolumenta eadem percipit, *ibid. p.* 231.
Capellæ B. Mariæ Rector debet fovere charitatem inter fratres, *ibid. p.* 231.
Capellæ B. Mariæ Rector accipit decem florenos auri suprà alios, *ibid. p.* 230.
Capellani B. Mariæ debent eodem modo vivere ac capellani Anicienses, *ibid. pag.* 230.
Capellani B. Mariæ eligendi potius ex diœcesi quàm ex aliis locis, *ibid. pag.* 230.
Capellæ B. Mariæ Rector adjuvari debet duobus coadjutoribus, *ibid. p.* 230.
Capellæ B. Mariæ fundator omnia bona sua concedit, *ibid. p.* 230.
Capellani B. Mariæ debent recitare officium completum B. Mariæ, *ibid. p.* 230.
Capellæ B. Mariæ si reditus augeantur debent augeri librationes, *ibid. p.* 230.
Capella Regia interdicto non supponenda, *Clem. VI. const.* 22. *p.* 190.
Capellani Regis Francorum possunt recitare officium ad usum ecclesiæ Parisiensis, *Clem. VI. const.* 29. *p.* 191.

Capitulum.

Capitulum B. Mariæ ad aulam Comitis habet jus eligendi vicarium amovibilem, *Paul. II. const.* 3. *p.* 239.
Capitulum Gebennense mortuo Episcopo quamnam potestatem habeat? *Mart. V. const.* 1. *p.* 226.

Cardinalis.

Cardinales septem Presbyteri creantur in ecclesia Colonienſi, *Leo IX. const.* 1. *p.* 1. *f.*
Cardinales Celestini quinti Bonifacium octavum successorem eligunt, *Bonif. VIII. const.* 1. *p.* 107.
Cardinales Eduardo Regi Angliæ amorem paternum testificantur, *Bonif. VIII. const.* 1. *p.* 108.
Cardinales monent Eduardum Regem Angliæ de electione Bonifacii, *ibid. p.* 108.
Cardinalium numerus non debet esse gravis ecclesiæ, *Nic. V. const.* 3. *p.* 252.
Cardinales de omni parte ecclesiæ debent assumi, *Nic. V. const.* 3. *p.* 252.
Cardinales debent esse Doctores in Theologia aut in jure canonico non civili, *ibid. pag.* 252.
Cardinales non debent esse nepotes cujusdam cardinalis viventis, *ibid. p.* 252.
Cardinales non debent esse alicujus criminis nota respersi, *ibid. p.* 252.
Cardinales non debent eligi per auricula vota sed eum consilio cardinalium, *ibid. p.* 252.
Cardinales non debent esse de numero mendicantium uno excepto, *ibid. p.* 252.
Cardinales possunt habere in commendam Monasteria, *Nic. V. const.* 3. *p.* 254.
Cardinales infligunt convicia Cardinalibus Adriani & S. Mariæ magnæ, *Clem. V. const.* 14. *p.* 159.
Cardinali nuncius mittitur ad sedandam discordiam inter Reges Angliæ & Franciæ, *Greg. XI. const.* 1. *pag.* 206.
Cardinalis Joannes Nuncius mittitur Eduardo Angliæ Regi, *ibid. p.* 206.

Carolus.

Carolus Magnus potest auferre Musiva & Marmora Palatii Ravennatis, *Hadr. I. const.* 1. *p.* 1.
Carolus debet facere homagium Alfonso per castellanos castrorum, *Nic. IV. const.* 2. *p.* 100.
Carolus ante liberationem suam obsides primogenitos Baronum & Magnatum ponit, *ibid. p.* 100.
Carolus debet promittere cum juramento quod pacem inibit cum Alfonso, *ibid. p.* 101.
Carolus infra annum facere tenetur quod ecclesia firmabit, *ibid. p.* 101.
Carolus debet redire in carcerem Alfonsi nisi adimpleat conditiones, *ibid. p.* 101.
Caroli primogeniti ante deliberationem patris debent prorogare & firmare treugas quæ sunt inter Regem Francorum & Alfonsum, *ibid. p.* 101.
Caroli captivitas summum Pontificem molestat, *Nic. IV. const.* 3. *p.* 102.
Carolus Romanorum Imperator ligam facit cum ducibus Schismaticis, *Urb. VI. const.* 2. 217.

Castella.

Castellæ Rex non habendus Rex Romanorum, *Urb. IV. const.* 2. *p.* 21. *Adden.*

Castellanus.

Castellanis mortuis substituuntur alii obsides qui idem ac prædecessores tenentur præstare Sacramentum, *Nic. IV. const.* 2. *p.* 100.

Causa.

Causæ Personatuum ab Episcopo judicandæ, *Joan. XXII. const.* 2. *p.* 224.
Causæ quæ ad forum ecclesiasticum non pertinent non debent judicari in curia Romana, *Nic. V. const.* 3. *p.* 254.
Causæ non tractandæ in curia Romana nisi quæ ad eam pertinent, *Nic. V. const.* 3. *p.* 254.
Causæ beneficiales per deputatos judicandæ, *Sixt. IV. const.* 1. *p.* 282.

Celestinus.

Celestinus quintus ignarus officii pastoralis dicitur, *Bonif.* VIII. *const.* 2. *p.* 108.
Celestini Privilegia revocantur ut malè concessa, *ibid. p.* 108.
Celestini litteræ gratiosæ examini cardinalium subduntur, *ibid. p.* 108.
Celestini acta irritantur ut pote non rectè facta, *ib. p.* 108.
Celestinus devictus instantiâ plurimarum fecit diversa minus dignè, *ibid. p.* 108.
Celestinus dicitur seductus per captiosam astutiam aliquorum, *ibid. p.* 108.
Celestinus pontificatum abdicat, *Bonifac.* VIII. *const.* 1. *p.* 107.

Cella.

Cella quatuor coronatorum pro hospitio conceditur Theodorico Trevirensi Archiepiscopo, *Bened.* VII. *const.* 1. *p.* 12.

Censor.

Censores maligni merito damnantur, *Innocent.* III. *const.* 1. *p.* 2. *Adden.*

Censura.

Censuræ per neutralitatem latæ irritantur & cassantur, *Eug.* IV. *const.* 19. *p.* 248.

Censuræ ab Archiepiscopo colonienſi latæ suspenduntur & revocantur, *Eug.* IV. *const.* 17. *p.* 246.

Censuræ inflictæ occasione schismatis irritæ decernuntur, *Nic. V. const.* 5. *p.* 257.

Censuris omnibus absolvuntur qui adhæserunt concilio Basileensi, *Eug. IV. const.* 19. *p.* 249.

Census.

Census sex centorum seifatorum per singulos annos à quonam solvendus, *Innocent.* II. *const.* 4. *p.* 18.

Census generalis totius Regni Siciliæ quantus sit? *Clem. IV. const.* 2. *p.* 60.

Civitas.

Civitas Gebennensis ecclesiastico subjacet interdicto si summo Pontifici parere renuat, *Sixt. IV. const.* 5. *p.* 285.

Civitati Romanorum benevola erga summum Pontificem declaratur, *Alex.* III. *const.* 1. *p.* 24.

Clericus.

Clerici Angli queruntur de gravibus oppressionibus curiæ Romanæ, *Innocent, IV. const.* 13. *p.* 10. *Adden.*

Clerici Jurati non possunt propter participationem cum excommunicatis majori excommunicatione excommunicari, *Clem. VI. const.* 15. *p.* 188.

Clerici Narbonenses debent adesse horis Canonicis & concubinas pellere, *Bened. XI. const.* 1. *p.* 179.

Clerici Narbonenses bona fabricæ dissipant, *ibid. p.* 179.

Clerici Narbonenses concubinas publicè tenent, *ibid. p.* 179.

Clerici Narbonenses continentiæ jugum damnabiliter excutiunt, *ibid. p.* 178.

Clericorum Gallorum epistola qua testantur se Regi decimas præstare velle, *Nic. V. const.* 2. *p.* 114.

Clerici sæculares quorum reditus annui summam sex marcarum argenti non excedunt Angliæ Regi decimam non solvent, *Nic. IV. const.* 5. *p.* 103.

Clericus plura habens beneficia decimam Regi Angliæ solvere tenetur, *ib d. p.* 103.

Clerici Franciæ Regni quomodo tractandi? *Innoc. VI. const.* 2. *p.* 200.

Clerici Colonienses à Juramento præstito absolvuntur. *vid. Absolutio.*

Clerici fideles à devotione mendicantium abstrahunt, *Alex. V. const.* 1. *p.* 222.

Clerici Angli possunt possidere licitè omnes dignitates & omnia beneficia, *Greg. XI. const.* 2. *p.* 207.

Clerici sæculari potestate nullum constringere valent, *Urb.* II. *const.* 5. *p.* 5.

Clerici Franciæ Regni possunt à quocunque Episcopo ordines suscipere, *Clem. VI. const.* 18. *p.* 191.

Cluniacenſis.

Cluniacenses Laici & Presbyteri debent tantum ire ad conventum Abbatis Cluniacensis Romani Pontificis, *Callixt.* II. *const.* 1. *p.* 11.

Claustralis.

Claustrales domus nec dandæ nec locandæ Laicis, *Urb.* III. *const.* 3. *p.* 32.

Collectæ.

Collectæ quædam dicendæ in missis Capellæ B. Mariæ celebrandis, *Bened.* XIII. *const.* 3. *p.* 228.

Collegium.

Collegia Recluſarum & Beghinarum sub tutela summi Pontificis recipiuntur, *Urb. IV. const.* 1. *p.* 53.

Collegia eadem commendantur Decano Leodienſi, *Urb. IV. const.* 2. *p.* 53.

Comes.

Comes Palatinus Judex discordiarum in electione Regis Romanorum, *Urb. IV. const.* 2. *p.* 20. *Adden.*

Comes Carolus in Regem Romanorum eligendus proponitur, *Clem. V. const.* 7. *p.* 132.

Comes Pictavensis Regno Siciliæ potest succedere & in quo casu? *Clem.* IV. *const.* 2 *p.* 60.

Comes Gebennensis debet solvere Episcopo quadraginta libras, *Hadr.* IV. *const.* 2. *p.* 21.

Comes Gebennensis bonus advocatus sub Episcopo esse debet, *Hadr. IV. const.* 2. *p.* 21.

Commiſſarii.

Commissarii dantur templariis, *vid. Templarii.*

Commissarii deputantur ad curandos proventus beneficiorum, *Clem. VI. const.* 32. *p.* 192.

Commotio.

Commotiones timendæ inter subditos Franciæ Regis & Henrici, *Clem. V. const.* 17. *p.* 125.

Compoſitio.

Compositæ lites ad suum cuique tribuendum, *Greg. VIII. const.* 1. *p.* 32.

Compositiones inter Episcopum & Comitem Gebennensem confirmantur, *Hadr. IV. const.* 2. *p.* 20.

Compositio inter Regem & Papam concordata, *Greg. XI. const.* 2. *p.* 200.

Concilium.

Conciliuſn Metense Latrocinium Ephesinum dicitur illiusque acta cassantur, *Nic. I. const.* 1. *p.* 1. *a.*

Concilium Generale Lugdunense assignatur, *Greg. X. const.* 1. *p.* 78.

Concilium Basileæ non potest continuari ob infirmitatem summi Pontificis, *Eug. IV. const.* 1. *p.* 234.

Concilium Basileense qua de causa penitus dissolvitur, *Eug. IV. const.* 3. *p.* 235.

Concilium ex Basilea Bononiam transfertur & quibus de causis? *Eug. IV. const.* 3. *p.* 236.

Concilii Basileensis Patres monentur ut Bononiam veniant ob adventum Græcorum & ob unionem cum illis faciendam, *Eug. IV. const.* 4. *p.* 238.

Concilium Provinciale Narbonense celebrandum pro reformandis vitiis, *Urb. V. const.* 3. *p.* 205.

Concilium Provinciale Narbonense mandatur, *ibid. p.* 205.

Concilio Basileensi adhærentes & postea recipientes absolvuntur à perjurii reatu, *Eug. IV. const.* 20. *p.* 248.

Concilium habet potestatem in caput & in membra Ecclesiæ, *Felix V. const.* 6. *p.* 258.

Concilia Basileæ & Lausanæ habita nulla censeri debent, *Nic. V. const.* 5. *p.* 257.

Concilii Basileensis decreta ab Alberto Rege acceptantur, *Eug. IV. const.* 20. *p.* 249.

Concilii Basileensis decreta ab Alberto Rege acceptata possunt observari in Germania usque ad futuram modificationem, *Eug. IV. const.* 20. *p.* 249.

Concilium Generale convocatur ad probanda Bonifacii crimina, *Clem. V. const.* 18. *p.* 145.

Concilium provinciale convocandum pro judicanda causa templariorum, *Clem. V. const.* 11. *p.* 137.

Concilia provincialia singulis trienniis celebranda, *Joan. XXII. const.* 3. *p.* 225.

Concluſio.

Conclusiones Joannis de Polliaco damnatæ, sunt satis veræ: hæc propositio damnatur, *Alex. V. const.* 1. *p.* 222.

Concordatum.

Concordatum Nationis Germanicæ circa electiones & investituras Episcoporum & Abbatum inter Imperatorem Henricum quintum & summum Pontificem, *Callixt.* II. *const.* 6. *p.* 14.

Concordatum non observat Ludovicus & ideo summus Pontifex conqueritur, *Sixt.* IV. *const.* 2. *p.* 282.

Concordia.

Concordia inter Ducem Britanniæ & Carolum de Bloys facienda desideratur, *Innoc. VI const.* 4. *p.* 201.

Concordia à summo Pontifice facta cum Germanis per quinquennium tantum duratura, *Nic. V. const.* 4. *p.* 255.

Conſœderatio.

Conſœderationes cum hæreticis nullæ haberi debent, *Urb. VI const.* 2. *p.* 217.

Con-

Confœderationes illicitæ & nullæ declarantur si factæ sint ad fovendum dissidium inter Regem Angliæ & Robertum de Brus, *Joan. XXI. const.* 5. *p.* 154.
Confœderationes factæ cum Petro Aragoniæ Rege irritæ declarantur, *Mart.* II. *const.* 2. *p.* 90.
Confœderationes factas cum Principibus hæreticis non tenentur servare principes qui illas fecerunt, *Urb.* VI. *const.* 2. *p.* 217.

Confessio. Confessor.

Confessiones audiendi & absolvendi licet mendicantes habeant populus non habet potestatem accedendi. hæc propositio damnatur, *Alex. V. const.* 1. *p.* 222.
Confessio mendicantibus facta est dubitabilis & incerta, *ibid. p.* 222.
Confessor fratri admisso in formâ dudum, tenetur eadem peccata in numero iterum curato confiteri, *ibid. p.* 222.
Confessiones audiendi potestatem generalem Papa non potest concedere, *ibid. p.* 221.
Confessi mendicantibus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata confiteri, *Joan.* XXI. *const.* 15. *p.* 153.
Confessor potest dare licentiam in exercitu vescendi carnibus, *Clem.* VI. *const.* 7. *p.* 186.
Confessor potest mutare vota & juramenta Regis & Reginæ Francorum, *ibid. p.* 186.
Confessor potest dispensare de jejuniis de consilio medicorum de abstinentiâ carnium, *ibid. p.* 187.
Confessor potest indulgere Regi & Reginæ Francorum plenam remissionem peccatorum in mortis articulo, *Clem.* VI. *const.* 12. *p.* 187.
Confessio debet fieri proprio sacerdoti vel parocho, *Alex. V. const.* 1. *p.* 221.

Confirmatio.

Confirmatio Compositionis inter Episcopum & Comitem Gebennensem, *Hadr.* IV. *const.* 2. *p.* 20.
Confirmatio quorumlibet donorum quæ Ecclesiæ Gebennensi fecerat Fredericus Imperator, *ibid. p.* 20.
Confirmatio donorum quæ Godefridus primus Henricus primus & Godefridus secundus fecerant templariis, *Luc.* III. *const.* 3. *p.* 30.
Confirmatio sententiæ lata per Robertum & Hugonem de controversiis tum temporis existentibus, *Urb.* III. *const.* 1. *p.* 30.
Confirmatio sententiæ contra Comitem Gebennensem, *Luc.* III. *const.* 5. *p.* 30.
Confirmatur titulus Regius Rogerio Siciliæ Regi concessus, *Innoc.* II. *const.* 5. *p.* 17.

Confraternitas.

Confraternitatis Flandro Belgicæ statuta confirmantur, *Nic. V. const.* 1. *p.* 251.
Confraternitas septem capitulorum inita à capitulis Flandro Belgicis, *ibid. p.* 250.

Conservator.

Conservatores possunt concedi capitulo ecclesiæ cathredralis, *Bonif.* VIII. *const.* 3. *p.* 109.
Conservatores non possunt aliis committere vices suas, *ibid. p.* 109.
Conservatores extra diœcesim quosdam ad judicium evocare non valent, *ibid. p.* 109.
Conservatores possunt concedi cuilibet Ecclesiæ postulanti, *ibid. p.* 109.
Conservatores possunt personaliter ferre denuntiationes sententiarum, *ibid. p.* 109.
Conservatores possunt tantum cognoscere de negotiis sibi commissis, *ibid. p.* 109.
Conservatores ab Apostolica sede concessi debent esse canonici ecclesiæ cathedralis, *ibid. p.* 109.

Consuetudo.

Consuetudines à Lovanienfibus observatæ confirmantur, *Bonif.* IV. *const.* 1. *p.* 226.

Constantinus.

Constantinus Imperatator sedem Imperialem Sylvestro Papæ cessit, *Joan.* XXI. *const.* 19. *p.* 169.
Constantinus Imperator testatur B. Petrum esse Christi vicarium in terris, *Joan.* XXI. *const.* 19. *p.* 168.
Constantinus Imperator sanxit quod Clerici à Judicibus Laicis non debent judicari, *ibid. p.* 170.

Contradictor.

Contradictores indultum habentibus per censuram ecclesiasticam compescendi, *Urb.* VI. *const.* 1. *p.* 216.

Conventio.

Conventiones factæ cum principibus hæreticis etiam juramento firmatæ nullius esse roboris declarantur, *Urb.* VI. *const.* 4. *p.* 218.

Corona.

Corona Imperii recusatur Castellæ Regi, *Urb.* IV. *const.* 2. *p.* 21. *Addenda.*

Cossa.

Cossa Balthassar in consistorio sedi Apostolicæ renuntiat, *Mart. V. const.* 1. *p.* 225.

Crimen.

Crimen notorium non opus habet longa citatione, *Greg. X. const.* 2. *p.* 81.

Cruciata.

Cruciata instituitur contra Turcas in Concilio Senonensi, *Urb.* II. *const.* 1. *p.* 1. *Addenda.*

Crux.

Cruces fulgentes in plerisque partibus apparuerunt, *Clem.* VI. *const.* 3. *p.* 197.
Crucis negotium confirmatur. bona relicta ad quem usum applicari debeant docetur, *Innoc.* IV. *const.* 9. *p.* 9. *Add.*
Cruce signati licet omnium criminum rei per pœnitentiam reconciliandi, *Innoc.* IV. *const.* 8. *p.* 8. *Addend.*
Cruce signati qui antea Albigensium fautores fuerunt ab hæreseos crimine absolvuntur, *ibid. p.* 8. *addenda.*
Cruce signati à multis criminibus absolvuntur, *ibid. p.* 8. *addenda.*
Cruce signatorum decimæ in subsidium Terræ sanctæ convertendæ, *ibid. p.* 8. *addenda.*
Cruce signati Clerici percipiunt per bellum reditus Beneficiorum, *ibid. p.* 8. *addenda.*
Cruce signati à nemine debent molestari, *ibidem pag.* 8. *addenda.*
Cruce signatis conceduntur quædam privilegia, *vid. privilegium.*
Crux prædicanda mandatur, *Inn.* IV. *const.* 8. *p.* 6. *addenda.*
Cruce signatorum Redemptiones colligendæ, *Inn.* IV. *const.* 11. *p.* 9. *addenda.*

Curia.

Curiam Regiam sequentes possunt eligere confessarium, *Clem.* VI. *const.* 27. *p.* 191.
Curiam Regiam sequentes censentur esse in suâ Ecclesiâ parochiali, *ibid. p.* 190.

Cyprus.

Cypri Reginæ Regi Franciæ commendatur, *Pius* II. *const.* 4. *p.* 266.

D

Decima.

Sylvæ quarum lignum venditur juxta quantitatem pretii solvent decimam, *Nic.* IV. *cons.* 5. *p.* 103.
Clericus qui facit deservire beneficium decimam solvet de proventibus beneficii, *ibid. p.* 103.
Monachi non solvent decimam de Pitanciis nec de exenniis liberaliter factis, *ibid. p.* 103.
Pascua & herbagia decimam solvent, *ibid. p.* 103.
Decimam debent qui pro justa mercede bonum acceperunt, *ibid. p.* 103.
Decimam debent illi in quorum favorem facta est venditio bonorum, *ibid. p.* 103.
Bona prioratuum vendita juxta æstimationem decimam solvent, *ibid. p.* 103.
Loca ex quibus obtinetur pensio vel firma annua decimam solvere debent, *ibid. p.* 103.
Distinguendi reditus locorum ut solvatur decima, *ibidem p.* 103.

Stagna etiam quæ piſces habent decimam ſolvent, *ibid. p.* 103.
Loca etiam in quibus fit venatio, ſi vendantur decimam ſolvant, *ibid. p.* 103.
Decimam debent Monaſteria quæ propria habent bona, *ibid. p.* 104.
Decimam debent Prælati qui per procurationem bona poſſident, *ibid. p.* 104.
Decima ſolvetur pro benedictionibus & oblationibus, *ibid. p.* 104.
Decimam non ſolvent expenſæ officialium, judicum in veſtibus, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvent furna & molendina, *ibid. p.* 104.
Decima ſolvetur accuratè ab omnibus. Ad id inſtituuntur Viſitatores, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvendo non debent fieri expenſæ villarum tuendarum in guerris, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvet qui obligatur ære alieno, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvent clerici exules, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvendo debent expendi fructus & reditus, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvent Clerici non perſonarum ſed officiorum ratione, *ibid. p.* 104.
Decimam non ſolventes poterunt excommunicari, *ibid. p.* 104.
Decima non ſolvetur de Eleemoſynis fabricis Eccleſiarum factis, *ibid. p.* 104.
Decima ſolvetur non ipſis rebus quæ percipiuntur, ſed in pecunia numerata, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvent Abbates juxta dictamen Conſcientiæ, *ibid. p.* 104.
Decima ſolvetur moneta uſitata in locis in quibus ſunt fructus, *ibid. p.* 104.
Decimam renuentes ſolvere non cogentur ſæculari poteſtate, *ibid. p.* 104.
Decima ſolvetur ad illos qui deputati ſunt, *ibid. p.* 104.
Decimæ ſubjecta ſunt bona quæ conſiſtunt in jurisdictione mero imperio regalibus, *ibid. p.* 104.
Rector parochialis deducet in ſolutione decimæ ſalarium Capellanorum, *ibid. p.* 104.
Decimam ſolvent fabricæ Eccleſiarum, *ibid. p.* 104.
Decima debet colligi ſecundum verum valorem & per perſonas à ſede Apoſtolica deputatos, *conſt. 6. p.* 105.
Decimam ſolvent Eccleſiaſtici pro bonis quæ percipiunt de ſepulturis, *conſt. 5. p.* 105.
Decimam non ſolvent ordinis Templi Hieroſolymitani Sanctæ Mariæ &c. *ibid. p.* 105.
Decima ſolvetur de fructibus arborum & hortorum, *ibid. p.* 105.
Decima ſolvetur de diſtributionibus quæ fiunt in choro, *ibid. p.* 105.
Feudum decimarum quomodò ordinandum, *Hadr. IV. conſt. 2. p.* 21.
Cluniacenſium decimæ nec augeri nec minui debent, *Calixt. II. conſt. 1. p.* 11.
Decimæ quas ſolvunt Canonici S. Martini in uſus pauperum debent collocari, *Urb. II. conſt. 5. p.* 5.
A Templariis nullo modo exigendæ, *Alex. III. conſtit. 2. p.* 25.
Danda in ſubſidium terræ Sanctæ, *Innoc. IV. conſt. 12. p.* 9. *Adden.*
Non in regno Angliæ impoſitæ declarantur, *Bened. XI. conſt. 2. p.* 180.
Percipi debent in Britannia tempore ſtatuto & juxta conſuetudinem, *Clem. V. conſt. 16. p.* 143.
Decimæ impoſitæ à Prælatis regni Franciæ non ſolvendæ ſunt abſque mandato ſummi Pontificis, *Bonif. VIII. conſt. 11. p.* 116.
Decimæ in regno Angliæ impoſitæ non ad Scotiæ Regnum extenduntur, *Bonif. VIII. conſt. 10. p.* 115.

Declaratio.

Declaratio ſuper innocentia Philippi Regis, Eccleſiæ Archivis ſervanda reponitur, *Clem. V. conſt. 10. p.* 147.

Defuncti.

Defunctorum miſſæ, *vid. Miſſæ.*

Denuntiator.

Denunciatores Bonifacii ſummi Pontificis ſententiæ acquieſcunt, *Clem. V. conſt. 18. p.* 147.

Deodatus.

Deodatus Michaël Hæreticus juxta Canones judicandus, *Joan. XXI. conſt. 13. p.* 156.

Diaconus.

Diaconi criminis rei cenſuris canonum ſubmittuntur, *Urb. II. conſt. 4. p.* 4.

Dieta.

Dieta Francofurti coacta ad eligendum Imperatorem, *Eug. IV. conſt. 12. p.* 240.
Dieta apud Norimbergam ordinatur, *Eug. IV. conſt. 11. p.* 240.

Diſcordia.

Diſcordia inter Reges Angliæ & Franciæ ſedanda, *Greg. XI. conſt. 1. p.* 206.

Diſpenſatio.

Diſpenſationes conceſſæ per neutralitatem confirmantur, *Eug. IV. conſt. 19. p.* 284.
Diſpenſationes ſuper defectu ætatis ultra trieunium non concedendæ, *Nicol. V. conſt. 3. p.* 255.
Diſpenſationes in favorem Henrici Septimi confirmantur, *Innoc. VIII. conſt. 3. p.* 299.
Diſpenſationes de pluralitate Beneficiorum conceduntur, *Innoc. IV. conſt. 4. p. 5. Adden.*

Diſſenſio.

Diſſenſiones inter Eduardum Regem Angliæ & nobilem virum Robertum de Brus oriuntur, *Joan. XXI. conſt. 1. p.* 151.
Diſſenſiones inter Eduardum Angliæ Regem & Robertum de Brus impediunt negotium terræ ſanctæ, *Joan. XXI. conſt. 5. pag.* 154.

Diſtributio.

Diſtributiones quomodo faciendæ Canonicis intereſſentibus Anniverſariis Capellæ B. Mariæ, *Bened. XIII. conſt. 3. p.* 229.
Diſtribuuntur cuilibet Canonico duodecim denarii, *ibid. p.* 229.
Et cuilibet Presbytero ſex, *ibidem pag.* 229.
Et cuilibet Clerico tres, *ibid. pag.* 229.
Et Archipresbytero & celebranti octodecim, *ibid. p.* 229.

Diviſio.

Diviſio Regum Aragoniæ & Siciliæ cruce ſignatis funeſtiſſima, *Mart. II. conſt. 4. p.* 95. *vid. Crux.*

Drocenſis

Joannes Comes aſſerit crimina Bonifacio objectata eſſe vera, *Clem. V. conſt. 18. p.* 145.

Drogo.

Drogo Vicarius ſedis Apoſtolicæ in Gallia & Germania declaratur, *Serg. II. conſt. 1. p. 1. a.*

Ducatus.

Ducatus Clivienſis à poteſtate ſpirituali Archiepiſcopi Colonienſis eximitur, *Eug. IV. conſt. 17. p.* 246.

Dux.

Dux Bedfordienſis rogatur ut deputatos ad Concilium Bononiæ indictum mittat, *Eug. IV. conſt. 3. p.* 234.

E

Eccleſia.

Eccleſiæ Turonenſis jura confirmata, *Urb. II. conſt. 5. §. 1. & ſeqq. p.* 4.
Eccleſia Salernitana honoratur reliquiis SS. Fortunati Gaji & Antherii, *Urban. II. conſt. 6. p.* 6.
Eccleſia longo regimine deſtituta, *Bonifac. VIII. conſt. 1. p.* 107.
Prolixa vacatio Eccleſiæ multa ſecum trahit incommoda, *Bonif. VIII. conſt. 1. p.* 107.

Ecclesiæ Romanæ sedes vacat per liberam cessionem Petri de Morrono, *Bonifac. VIII. const.* 1. *p.* 107.
Ecclesia S. Nicolai de Midalton Bartholomæo Rectori conceditur unà cum cæteris beneficiis, *Bonifac. VIII. const.* 2. *p.* 108.
Ecclesiæ compostellanæ mores reformandi, *Paschal.* II. *const.* 3. *p.* 8.
Ecclesiæ Bornhemensis regimen Affligemiensibus committitur, *Calixt. II. const.* 3. *p.* 12.
Ecclesiæ Toletanæ Complutensis Parochia conceditur, *Calixt.* II. *const.* 5. *p.* 14.
Ecclesia Januensis in Metropolim erigitur, *Innocent.* II. *const.* 2. *p.* 16.
Ecclesiæ Marsnensis immunitatis confirmatio & substitutio Monachorum loco Canonicorum, *Innocent.* II. *const.* 3. *pag.* 17.
Ecclesia S. Pancratio de Leuves non debet solvere pensiones, *Cæl.* III. *const.* 3. *p.* 34.
Ecclesiæ Fiscanensi monasterio subjectæ non subjiciuntur interdicto, *Cæl.* III. *const.* 2. *p.* 34.
Ecclesia non debet solvere subsidia Principibus sæcularibus, *Bonif.* VIII. *const.* 8. *p.* 113.
Ecclesiæ Reformatio jamdiu concupita & meditata, *Eug.* IV. *const.* 2. *p.* 234.
Ecclesiæ Flandro-Belgicæ societatem ineunt ut privilegia sua tueantur, *Nic. V. const.* 1. *p.* 250.
Ecclesiarum Collegiatarum præbendæ non debent conferri nisi graduatis, *Nic. V. const.* 3. *p.* 254.
Ecclesiæ Parochiales non debent conferri nisi graduatis, *Nic. V. const.* 3. *p.* 254.
Ecclesia una. fides ipsius una, *Nic. V. const.* 11. *p.* 261.
Ecclesiæ fundantur & construuntur in Oriente, *Nic. V. const.* 13. *p.* 262.
Ecclesiæ Glasguensi Pastor conceditur, *Joan. XXI. const.* 14. *pag.* 162.
Ecclesia Brixinensis ubi sita. Privilegiis multis donata est, *Pius II. const.* 6. *p.* 268.
Ecclesiæ nullum caput Christus dimisit. hæc propositio damnatur, *Joan. XXI. const.* 19. *p.* 168.
Ecclesiæ temporalia subsunt Imperatori & tamquam sua potest accipere. hæc propositio damnatur, *Joan. XXI. const.* 19. *p.* 168.
Ecclesia non potest punire punitione coactiva, nisi concedat hoc Imperator, *Joan. XXI. const.* 19. *p.* 171.
Ecclesia Parochialis S. Gaugerici Valencenensis unitur Capitulo B. Mariæ, *Paul.* II. *const.* 2. *p.* 278.
Ecclesiæ Colonienſis Canonicatus non ignobilibus conferendi sunt, *Sixt. IV. const.* 3. *p.* 283.
Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, *vid. Privilegium.*

Electio.

Electio ad Imperium quo tempore debet celebrari, *Urb. IV. const.* 2. *p.* 20. *Add.*
Electiones in Cathedralibus canonicè faciendæ, *Nic. V. const.* 3. *p.* 253.
Electiones canonicè factas Papa confirmare debet, *ibid. Nicol. V. const.* 3. *p.* 253.
Electiones in monasteriis factæ super quibus recursus non habetur ad sedem Apostolicam, non debent à summo Pontifice confirmari, *ib. Nicol. V. const.* 3. *p.* 253.

Engildruda.

Engildruda filia Mu&tifredi anathematizatur, *Nic. I. const.* 1. *p.* 16.

Episcopus.

Episcopi non debent solvere talias Laicis absque expressa sedis Apostolicæ licentia, *Bonifa.* VIII. *const.* 5. *p.* 110.
Episcopi Gallici recipiunt potestatem collationis beneficiorum, *Bened. X. const.* 2. *p.* 125.
Episcopi Angli centum millia florenorum offerunt, *Inn.* VI. *const.* 5. *p.* 202.
Episcopi habent vocem definitivam in vita & moribus in Concilio Generali, *Eugen.* IV. *const.* 1. *p.* 234.
Episcopi juramento sunt astricti non remanere Basileæ, *ibid. p.* 234.
Episcopus Cantuarienſis rogatur ut Prælatos circumstantes ad eundum Bononiam inducat, & dominos temporales ad illuc mittendum procuratores, *ibid. p.* 234.
Episcopi Basileæ congregati nec jus nec auctoritatem Concilii generalis habent, *ibid. p.* 234.
Episcopi Gallicani fidem Catholicam defendunt & doctrinæ lumen propagant, *Pius* II, *const.* 4. *p.* 266.
Episcopi Gallicani multum honorantur à S. P. *ibidem pag.* 266.
Episcopus Tridentinus censuras contemnens citatur coram S. P. *Pius* II. *const.* 6. *p.* 271.
Episcopus Gebennensis filium Magnerii Comitis aufert, *Hadr.* IV. *const.* 2. *p.* 21.
Episcopi Turonensis provinciæ hortantur ad ferendas suppetias Balduino, *Innoc.* III. *const.* 2. *p.* 35.
Episcopo Genevensi facultas conceditur interdictionis in omnes eum persequentes, *Innoc.* IV. *const.* 5. *p.* 49.
Episcopus celebrans coram Rege seu Regina Franciæ potest conferre unum annum & quadraginta dies indulgentiæ, *Clem.* VI. *const.* 11. *p.* 187.
Episcopi Theutgardi complices pari damnatione tenentur astricti, *Nicol.* I. *const.* 1. *p.* 16.
Episcopi Hiberniæ arguuntur de tolerata inter subditos hæresi, *Hon.* III. *const.* 1 *p.* 41.
Episcopale munus interdictum Berardo Episcopo Matisconensi ob injurias cluniacensi monasterio illatas, *Callixt.* II. *const.* 2. *p.* 12.
Episcoporum adhærentium Roberto de Brus posteritas usque ad quartam generationem inhabilis ad beneficia declaratur, *vid. Beneficium.*
Episcopi adhærentes Roberto de Brus beneficiis privantur, *Joan.* XXI. *const.* 9. *p.* 157.
Episcopus Wigornienſis rogatur ut inducat Regem Angliæ ad reformandos excessus Officialium suorum, *Clem. V. const.* 11. *p.* 135.
Episcopus Paduanus habet potestatem approbandi & reprobandi simul Scholares Universitatis, *Clem.* VI. *const.* 5. *p.* 198.
Episcopi Angliæ in carcere detenti, *vid. Anglia.*
Episcopo Genevensi potestas concessa cogendi per censuras suæ Ecclesiæ clericos ut sacris initientur, *Innoc.* III. *const.* 1. *p.* 35.
Episcopus Gebennensis recipit potestatem eligendi Archipresbyterum capellæ S. Mariæ, *vid. Capella.*
Episcopi Basileæ remanent & nolunt pergere Bononiam, *Eugen.* IV. *const.* 1. *p.* 234.
Episcopus Cantuarienſis ad Concilium Bononiæ celebrandum invitatur, *Eugen.* IV. *const.* 1. *p.* 233.
Episcopo Trajectensi nuntiatur quod Ducatus Clivensis ab omni spirituali potestate Archiepiscopi Colonienſis eximitur, *Eugen.* IV. *const.* 17. *p.* 246.
Episcopis mandatur ut sub pœna excommunicationis Bononiam pro celebrando Concilio veniant, *Eug.* IV. *const.* 3. *p.* 236.
Episcopo Trajectensi conceditur facultas procedendi contra rebelles Ecclesiæ & fautores Amadæi, *Eug.* IV. *const.* 17. *p.* 246.
Episcopus Trajectensis potest privare fautores Amadæi beneficiis, dignitatibus &c. *Eug.* IV. *ibid. p.* 246.
Trajectensis Episcopus potest conferre beneficia in alia Diœcesi vacantia, *ibid. p.* 246.
Trajectensis Episcopus potestatem recipit conferendi sacros Ordines in Diœcesi Colonienſi, *Eugen.* IV. *const.* 17. 16. *p.* 246.
Episcopus Trajectensis recipit potestatem jurisdictionem episcopalem exercere in aliena Diœcesi, *ibid. p.* 246.
Episcopo Gebennensi permittitur ut virum in visitanda diœcesi sibi sumat, *Clem. V. const.* 3. *p.* 126.
Episcopis Galliæ permittitur ut decimas colligant ex bonis ecclesiasticis in subsidium regni, *Bonifac.* VIII *constit.* 7. *pag.* 112.
Episcopus Brixinensis inter Principes Imperii collocatur, *Pius* II. *const.* 6. *p.* 268.

Episco-

Episcopus Brixinensis ab Imperatore accipit Regalia, *Pius II. const. 6. ibid. p. 268.*
Episcopus Brixinensis advocatus est Comes Tirolis, *ibid. p. 268.*
Episcopum Brixinensem & Sigismundum inter Imperatorem quomodo oriuntur discordiæ, *ibid. p. 268.*
Episcopo Brixinensi suam Diœcesim visitanti adversatur Sigismundus, *ibid. p. 268.*
Episcopus Brixinensis Saltzburgiensis ecclesiæ suffraganeus est, *ibid. p. 268.*
Episcopo Brixinensis sicarii à Sigismundo parantur, *Pius II. const. 6. p. 269.*
Episcopus Brixinensi ab omni obligatione solutus declaratur, *Pius II. const. 7. p. 274.*
Episcopo Toletano Pallium conceditur, *Callixt. II. const. 5. p. 14.*
Episcopus Toletanus Hispaniarum primatus respici debet, *Callixt. II. const. 5. ibid. p. 14.*
Episcopalis potestas conceditur Guichardo in populum insulam Augiam habitantem, *Urb. II. const. 4. p. 4.*

Epistola.

Epistola Philippi Regis Franciæ, *vid. in V. Franciæ Rex.*
Epistola Episcoporum Theutgardi complicium quid contineat, *p. 16.*
Epistola Concilii Basiliensis ad PP. missa qua monentur de nuncio mittendo, *Eugen. IV. const. 8. p. 238.*
Epistola Concilii Basilienfis PP. missa qua debent habere fiduciam legatis S. P. *Eugen. IV. const. 7. ibid. p. 238.*

Error.

Errores Joan. de Polliaco nemo docere nec defendere debet, *Joan. XXI. const. 15. p. 163.*
Errores Joannis de Polliaco examinantur in Consistorio, *Joan. XXI. const. 15. p. 163.*
Errores Joannis de Polliaco damnantur, *ibid. p. 163.*
Errores rejicit & respuit ipse Joannes de Polliaco, *ibid. p. 163.*
Errores Joannis de Polliaco. Papa non potest generalem audiendi potestatem confessiones concedere, *Joan. XXI. ibid. p. 163.*
Errores Joannis de Polliaco recensentur, *ibid. p. 163.*
Errores Joannis de Polliaco. Stante statuto omnes utriusque Sexus Parochiani tenentur confiteri proprio Sacerdoti, *ibid. p. 163.*
Errores Græcorum extirpandi perdurant, *Eugen. IV. const. 3. p. 235.*

Esus.

Esus carnium permittitur Regis Francorum Confessario, *Clem. VI. const. 25. p. 190.*

Excommunicatio.

Excommunicatio Polygamorum & Episcoporum qui cum illis communicant, *Urb. II. const. 2. §. 2. & seqq. p. 2.*
Excommunicatum Philippum Francorum Regem nullus Episcopus debet absolvere neque cum illo communicare, *Urban. II. const. 3. §. 3. & seq. p. 3.*
Subjacent castella in quibus remanet Carnotensis Episcopus, *Urban. II. const. 2. p. 3.*
Excommunicatio in Henricum Regem & Ravennatensem hæresiarcham confirmatur. Clericorum ab Episcopis excommunicatis ordinatio examinanda ad generalem Synodum remittitur, *Urb. II. const. 4. §. 2. & seq. p. 4.*
Excommunicationis gradus quinam sint & quomodo servandi, *ibid. p. 4.*
Excommunicationem incurrunt qui Simoniam non vitant, *Urban. II. const. 5. p. 5.*
Excommunicati à Pontifice non debent recipi in communionem, *Pasch. II. const. 2. p. 7.*
Excommunicationis vinculo solvitur Philippus Francorum Rex, ipseque flagitium illicitæ copulæ coram Archiepiscopis penitus abjurat, *Pasch. II. const. 4. §. 1. & seq. pag. 8.*
Excommunicationem incurrunt Perturbatores privilegiorum, *Alex. II. const. 1. p. 18.*
Excommunicatio Fulconis Andegavensis Comitis confirmatur, *Honor. II. const. 1. §. 1. & seq. p. 15.*
Excommunicationis Anathemate feriuntur qui S. Pontificis decreta contemnunt, *Nicol. I. const. 1. p. 16.*
Excommunicationem generalem incurrunt Barones Angliæ ob negatum fidelitatis præstitæ debitum, *Innocent. III. const. 9. p. 40.*
Excommunicatio Gaufredi Comitis Ruscinonensis ob adulterium, *Hadr. IV. const. 1. §. 1. & seq. p. 20.*
Excommunicationem specialem incurrunt Barones Angliæ qui Joannem Anglorum Regem cruce signatum persequuntur, *Innoc. III. const. 10. p. 41.*
Excommunicatio Britanniæ Ducis confirmatur. Terræ ejus interdicuntur illiusque vasalli à debita fide, nisi resipiscat absolvuntur. *Gregor. IX. const. 1. p. 44.*
Excommunicatio non potest fieri in Henricum Hugonis filium ab ullo judice sedis Apostolicæ, *Clem. IV. const. 6. pag. 78.*
Excommunicati declarantur qui præceptis Martini non obtemperant, *Martin. II. D. IV. const. 1. p. 88.*
Excommunicationis Sententiæ in Regem Aragoniæ latæ non possunt ab ullo deleri, *Mart. II. D. 4. const. 2. p. 90.*
Excommunicationi subjacent Prælati Religiosi si Petro Aragoniæ Regi faveant, *Martin. II. D. 4. constit. 2. pag. 90.*
Excommunicationis potestas impertitur Cardinali Presbytero Sanctæ Cœciliæ, qua potest excommunicare Regem Angliæ & Officiales Burdigalenses, *Martin. II. const. 2. p. 95.*
Excommunicationem incurrunt qui talias ab Ecclesiasticis exigunt, *Bonif. VIII. constit. 5. p. 110.*
Excommunicationem incurrunt universitates quæ in his culpabiles sunt, *ibid. p. 110.*
Excommunicationem incurrunt Reges & Principes qui decimas ab Ecclesiasticis exigunt, *ibid. p. 110.*
Excommunicationem incurrunt qui consilium & favorem præstant illis qui exigunt decimas ab Ecclesiasticis, *ibid. p. 110.*
Excommunicationem incurrunt qui proventus Ecclesiasticos occupare volunt, *ibid. p. 110.*
Excommunicationem incurrunt Prælati solventes Laicis talias, *Bonifac. VIII. const. 5. p. 111.*
Excommunicationem nemo solvere potest præter in mortis articulo, absque sedis Apostolicæ authoritate, *ibid. p. 111.*
Excommunicationem incurrunt observantes petentes Romam, *Bonifac. VIII. const. 13. p. 119.*
Excommunicationem incurrunt Ecclesiastici Gallici à Philippo Rege recipientes beneficia, *Bonifac. VIII. const. 13. pag. 120.*
Excommunicatio declaratur contra complices violentiæ factæ Bonifacio, *Bened. X. const. 1. p. 124.*
Excommunicationes latæ à Bonifacio in Regem & Regnum Galliæ nullæ declarantur, *Clem. V. const. 18. p. 147.*
Excommunicationem incurrunt qui occupant bona Templariorum, *Clem. V. const. 20. p. 150.*
Excommunicationem incurrunt inimici Regis Angliæ, *Joan. XXI. const. 2. p. 152.*
Excommunicationem incurrunt Invasores Regni Angliæ, *ibid. p. 152.*
Sententia excommunicationis promulganda in non servantes Treuegas, *Joan. XXI. const. 5. p. 154.*
Excommunicationem incurrunt Invasores Regni Angliæ, *Joan. XXI. const. 6. p. 155.*
Excommunicationem incurrunt fautores Invasorum Regni Angliæ, *ibid. p. 155.*
Excommunicationem incurrunt qui conantur invadere Angliam & Hyberniam, *ibid. p. 155.*
Excommunicationem latam in Invasores Regni Angliæ nemo potest solvere nisi in mortis articulo & qua conditione, *ibid. p. 155.*
Excommunicationis sententia promulganda circa loca maritima in invasores Angliæ, *ibid. p. 155.*

Excom-

Excommunicationem incurrer Robertus de Brus si nolit parere monitis summi Pontificis. *Joan. XXI. const. 3. p. 153.*
Excommunicationem incurrunt qui forinsecis guerrarum turbinibus perturbant Angliæ Regem, *Joan. XXI. const. 6. p. 155.*
Excommunicationem incurrunt qui à Regis Anglorum obedientia se subducunt, *ibid. p. 155.*
Excommunicationem incurrunt qui Regnum Angliæ invito Rege cum armis vel sine armis intrare præsumunt, *ibid. p. 155.*
Excommunicationem incurrunt qui præstant auxilium vel consilium invasoribus Regni Angliæ, *ibid. p. 155.*
Excommunicationem incurrit Robertus de Brus ob fractionem treugarum, *Joan. XXI. const. 9. p. 157.*
Excommunicatio solemnis in Robertum de Brus declaranda præscribitur, *Joan. XXI. const. 12. p. 160.*
Excommunicatio lata in Robertum de Brus servanda in Regnis finitimis, *Joan. XXI. const. 12. p. 161.*
Excommunicationem incurrunt qui in Regno Angliæ detinent bona fratribus hospitalis S. Johannis concessa, *Joan. XXI. const. 16. p. 165.*
Excommunicationem incurrunt qui usurpant Vicariatum Imperii Romani, *Joan. XXI. const. 17. p. 166.*
Excommunicatio solemniter publicanda à Graulcelmo Cardinali, *Joan. XXI. const. 13. p. 161.*
Excommunicationem incurrunt qui audent invadere Hiberniam, *ibid. p. 161.*
Excommunicationem incurrunt qui cum armis aut sine armis Hiberniam intrant, *ibid. p. 161.*
Excommunicationem incurrunt qui præstant occultum favorem invasoribus Hiberniæ, *ibid. p. 161.*
Excommunicationem incurrunt qui præstant auxilium Invasoribus Hiberniæ, *ibid. p. 161.*
Excommunicationem incurrunt qui per alios Hiberniam invadi fecerunt, *Joan. XXI. const. 13. p. 162.*
Excommunicationem incurrunt qui obediunt usurpatoribus Vicariatus Imperii, *Joan. XXI. const. 17. p. 166.*
Excommunicatio major quid sit & ad quid se extendat, *Joan. XXI. const. 19. p. 172.*
Excommunicationem incurrunt quicumque recipiunt Michaëlem de Cesenna & ei favorem præstant, *Joan. XXI. const. 21. p. 177.*
Excommunicationem incurrunt qui Ministro de Cesenna tamquam Ministro obediunt, *ibid. p. 177.*
Excommunicationem incurrunt præstantes favorem Societati magnæ, *Urb. V. const. 2. p. 204.*
Excommunicationem incurrentes Suppositi Universitatis à Cancellario possunt absolvi, *Joan. XXII. const. 2. p. 225.*
Excommunicati non vitandi nisi sit sententia publica, *Nic. V. const. 3. p. 255.*
Excommunicationes per Eugenium latæ irritæ declarantur, *Nicol. V. const. 5. p. 257.*
Excommunicationem incurrunt qui suppeditant arma Sarracenis, *Nicol. 5. const. 13. p. 263.*
Excommunicationem incurrunt Rebelles in Decretum summi Pontificis in favorem Regni Angliæ, *Innoc. VIII. const. 2. p. 298.*
Excommunicandi potestatem non habent Monachi nec Canonici, *Luc. III. const. 1. p. 2. addenda.*
Excommunicationem incurrunt qui treugas non servant, *vid. Treuga.*
Excommunicationem incurrunt qui præstant auxilia Templariis, *vid. Templarii.*

Executores.

Executores debent neminem aggravare contra suspensionem privilegiorum Regni Franciæ, *Bonif. VIII. constit. XI. p. 117.*
Executoribus obversantur officiales & Ministri, *vid. Officiales.*

Exercitus.

Exercitui in Palestina militanti gratulatio & ad cœpta prosequenda adhortatio, *Pasch. II. const. 1. p. 7.*
Exercitus Christiani in Turcas Dux generalis declaratur *Fridericus, Pius II. const. 5 p. 267.*

F

Fabricius.

Fabricius Petrus hæreticus juxta canones judicandus, *Joa. XXI. const. 8. p. 156.*

Falsator.

Falsatores meritò damnantur, *Inn. III. const. 1. p. 2. addenda.*

Fautor.

Fautores discussionum Angliæ & Scotiæ quibus pœnis subjaceant, *Joa. XXI. const. 9. p. 157.*

Felix.

Felix quintus quare renunciat summo Pontificatui in Concilio Lausanensi. *Felix V. const. 6. p. 258.*

Festivitas.

Festivitas beati Eduardi instituitur, *Greg. IX. const. 1. p. 4. addenda.*
Festivitas beati Eduardi in Ecclesia universali celebranda, *Inn. IV. const. 3. p. 5. addenda.*

Filius.

Filii in adulterio procreati spurii perpetuò habendi, *Hadr. IV. const. 1. p. 20.*

Florentini.

Florentini puniuntur de excessibus commissis, *Greg. XI. const. 3. p. 207.*
Florentini contra libertatem Ecclesiæ excessus committunt, *ibid. p. 207.*

Fœdus.

Fœdus inter summum Pontificem & Rempublicam Venetam quid contineat, *Paul. II. const. 4. p. 281.*

Forma.

Forma Juramenti fidelitatis Regis Adriæ, *Clem. VIII. const. 1. p. 211.*
Forma Juramenti quod debet præstare Siciliæ Rex electus, *Alex. IV. const. 2. p. 13. addenda.*

Francia.

Franciæ Rex non pati debet usuras in suo Regno. *Inn. III. const. 6. p. 38.*
Franciæ Regnum præ cæteris charum summo Pontifici, *Bonif. VIII. const. 8. p. 113.*
Franciæ Barones nolunt inire pacem cum Rege Angliæ, *Bonif. VIII. const. 9. p. 114.*
Franciæ Regis Philippi crimina in summum Pontificem denunciantur, *Bonif. VIII. const. 12. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus criminibus denuntiatis in summum Pontificem assentitur, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus appellat ad Concilium Generale cum comitibus, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus Stephanum de columna Ecclesiæ hostem in suo Regno excipit, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus temerè ad Concilium appellat, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus ob vindictam excommunicationis irascitur, *ibid. p. 117.*
Franciæ Regis Philippi debet animadverti injustitia, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus crimen hæreseos summo Pontifici objicit, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus infensus est summo Pontifici ob redargutionem criminum, *ibid. p. 117.*
Franciæ Rex Philippus Sennacheribo æquiparatur ob superbiam, *ibid p. 117.*
Franciæ Rex Philippus benignè exceptus à Pontifice ante excommunicationem, *Bonif. VIII. const. 13. p. 118.*
Franciæ Rex Philippus Clerum & Ecclesiam Gallicanam mulctat, *ibid. p. 118.*
Franciæ Rex Lotharius à Nicolao Pontifice excommunicatur, *ibid. p. 18.*
Franciæ Regi Philippo pœnæ excommunicationem subsequentes imponuntur, *ibid. p. 118.*
Franciæ Regi Philippo mittuntur litteræ à Jacobo de Normannis Pontificis notario, *ibid. p. 118.*
Franciæ Rex Philippus Cericos Simoniacos excipit, *ibid. p. 118.*

Franciæ Rex à Zacharia quondam excommunicatus quomodo se gessit, *ibid. p.* 118.
Franciæ Rex Philippus Abbatem Cistercienſem in carcerem mittit ob negationem adhæſionis appellationi, *Bonif. VIII. conſt.* 13. *p.* 119.
Franciæ Rex Philippus prælatos vetat ne Romam petant, nec cum Romano Pontifice ullum commercium habeant, *ibid. p.* 119.
Franciæ Rex Philippus debet timere Cenſuras Canonum, *ibid. p.* 119.
Franciæ Regi Philippo mittuntur SS. Marcellini & Petri Cardinales, *ibid p.* 119.
Franciæ Rex Philippus oblatam abſolutionem contemnit, *ibid. p.* 119.
Franciæ Rex Philippus eandem ſententiam meretur ac quondam Juſtinus Imperator, *ibid. p.* 119.
Franciæ Rex Philippus petentibus Romam obverſatur, *ibid. p.* 119.
Franciæ Rex Philippus in caſtellis ſervat Religioſos italos, *ibid. p.* 119.
Franciæ Regi Philippo excommunicato non pertinent collationes beneficiorum, *ibid. p.* 119,
Franciæ Regem Philippum commaculant Syrenes, *ibid. p.* 120.
Franciæ Rex Philippus ſummo Pontifici ſubeſt quoad ſpiritualia & temporalia, *ibid. p.* 120.
Franciæ Rex Philippus recipiendo columnam excommunicationem non veretur, *ibid. p.* 120.
Franciæ Regis Philippi ſubditi à fidelitate abſolvuntur, *ibid. p.* 120.
Franciæ Rex Philippus non debet credere illis qui perſuadere conantur ſe non ſubeſſe ſummo Pontifici, *Bonif. VIII. conſt.* 14. *p.* 121.
Franciæ Rex Philippus accuſatur quod gravat Eccleſias & Eccleſiaſticos, *ibid. p.* 121.
Franciæ Rex Philippus delinquendi licentiam in conſuetudinem deducit, *ibid. p.* 121.
Franciæ Rex Philippus metas & terminos ſibi poſitos excedit, *ibid. p.* 121.
Franciæ Rex Philippus recuſat omnes Judices, *ibid. p.* 121.
Franciæ Rex Philippus ad ſuum judicium pertrahit bona immobilia quæ non ſunt ſui Juris, *ibid. p.* 121.
Franciæ Rex Philippus non permittit ut nec Monachi nec Eccleſiaſtici liberam exerceant juriſdictionem, *ibid. p.* 121.
Franciæ Rex Philippus Lugdunenſem Eccleſiam penitus opprimit, *ibid. p.* 122.
Franciæ Rex Philippus reditus & proventus annales Eccleſiarum cathedralium per abuſum ſibi ſumit, *ibidem pag.* 122.
Franciæ Rex Philippus non permittit Eccleſiaſticis ut bona mobilia de Regno extrahant, *ibid. p.* 122.
Franciæ Regi Philippo multoties denuntiata ſunt ſcelera, *ibid. p.* 122.
Franciæ Regni theologi debent comparere coram ſummo Pontifice, *ibid. p.* 122.
Franciæ Rex Philippus monetur ut procuratores Romam mittat pro ſuâ cauſâ tuendâ, *ibid. p.* 122.
Franciæ Rex Philippus non debet mittere procuratores qui ſuæ cauſæ faveant, *ibid. p.* 122.
Franciæ Regis Philippi Epiſtola curioſa & ſanæ mentis digna, *ibid. p.* 123.
Franciæ Regi Philippo objicitur detentio Terræ ſanctæ, *ibid. p.* 123.
Franciæ Rex Philippus in priſtinum ſtatum reſtituitur, *Ben. X. conſt.* 2. *p.* 124.
Franciæ Regi Philippo remittitur poteſtas collationis beneficiorum, *ibid. p.* 125.
Franciæ Rex Philippus monetur ut mittat procuratores electoribus Germanis, *Clem. V. conſt.* 7. *p.* 132.
Franciæ Rex Philippus rogatur ut ad Comitem Luxemburgenſem ſcribat, *Clem. V. conſt.* 5. *p.* 133.
Franciæ Regi Philippo ſcribitur quod non poteſt fieri tractatus cum Republicâ venetâ pro Imperio Conſtantinopolitano, *Clem. V. conſt.* 8. *p.* 133.
Franciæ Rex Philippus non avaritiâ ſed Zelo Templarios perſequitur, *Clem. V. conſt.* 12. *p.* 136.
Franciæ Regi Philippo teſtatur ſuum deſiderium pro concordia cum Henrico ſeptimo Rege Romanorum ſtabiliendâ, *Clem. V. conſt.* 17. *p.* 145.
Franciæ Rex Philippus argumenta ad probanda Bonifacii crimina adhibet, *Clem. V. conſt.* 18. *p.* 145.
Franciæ Rex Philippus petit ut convocetur generale Concilium ad diſquirenda Bonifacii crimina, *Clem. V. conſt.* 18. *p.* 146.
Franciæ Rex Philippus non mandavit ut aggreſſio in Bonifacium fieret, *ibid. p.* 146.
Franciæ Rex Philippus à comitibus Baronibus, Univerſitatibus, Eccleſiaſticis Regni ſui in Bonifacium movetur, *ibid. p.* 146.
Franciæ Rex Philippus rejicit acta Guillelmi de Nogareto diſplicentia Bonifacio, *ibid. p.* 146.
Franciæ Rex Philippus rogatur ut cauſam Bonifacii ſummo Pontifici judicandam tradat, *ibid, p.* 146.
Franciæ Rex Philippus nullatenus audiendus aſſeritur contra Bonifacium, *ibid. p.* 146.
Franciæ Rex Philippus Bonifacium diu tanquam patrem coluit, *ibid. p* 146.
Franciæ Rex Philippus ſummi Pontificis judicio acquieſcit, *Clem. V. conſt.* 18. *p.* 147.
Franciæ Rex Philippus de aggreſſione ac diſperſione & amiſſione theſauri inſons declaratur, *ibid. p.* 147.
Franciæ Regis & Regni famæ in integrum ſervandæ modus præſcribitur, *ibid. p.* 147.
Franciæ Rex Philippus innocens declaratur judicio ſedis Apoſtolicæ, *ibid. p.* 147.
Franciæ Barones & omnes ſubditi in priſtinum Statum omninò reſtituuntur, *ibid. p.* 148.
Franciæ Rex ad pacem invitatur, *Bened. XI. conſt.* 4. *p.* 183.
Franciæ Regnum fæmineam lineam non admittit, *Bened. XI. conſt.* 5. *p.* 184.
Franciæ Rex poteſt eligere ſuum confeſſorem, *Clem. VI. conſt.* 5. *p.* 186.
Franciæ Rex poteſt facere celebrare in locis interdictis, *Clem. VI. conſt.* 4. *p.* 186.
Franciæ Rex rogatur ut Regi Majoricarum parcat, *Clem. VI. conſt.* 3. *p.* 186.
Franciæ Reginæ Joannæ gratiæ aguntur quod ipſa abrogavit ſententiam in Cardinales latam, *Clem. VI. conſt.* 2. *p.* 185.
Franciæ Rex poteſt facere celebrare ſuper altare portatile in præſentiâ ſui exercitus, *Clem. VI. conſt.* 10. *p.* 187.
Franciæ Rex poteſt ingredi Monaſterium incluſarum, *Clem. VI. conſt.* 9. *p.* 187.
Franciæ Rex poteſt facere celebrare ante diem circa diurnam lucem, *Clem. VI. conſt.* 14. *p.* 188.
Franciæ Regis liberi ſub patriâ poteſtate exiſtentes à nemine poſſunt excommunicari. *Clem. VI. conſt.* 13. *p.* 188.
Franciæ Rex Philippus principi populi maledicit, *Bonif. VIII. conſt.* 12. *p.* 117.
Franciæ Rex poteſt eligere confeſſarium qui eum abſolvat ſi excommunicationis ſententiam incurrerit, *Clem. VI. conſt.* 18. *p.* 189.
Franciæ Rex poteſt compenſare eleemoſynis ea quæ debet reſtituere, *Clem. VI. conſt.* 20. *p.* 189.
Franciæ Rex poteſt eligere confeſſarium qui illi poſſit largiri indulgentiam, *Clem. VI. conſt.* 21 *p.* 189.
Franciæ Rex tenetur ſolvere tributum Centum millia florenorum Regi Angliæ, *Inn. VI. conſt.* 5. *p.* 201.
Franciæ Rex rogatur ut hæreticos Delfinatus viennenſis penitus deleat. *Greg. XI. conſt.* 4. *p.* 208.
Franciæ Regis Caroli opera eccleſia ſchiſmate laborans pacem conſequitur, *Nic. V. conſt.* 11. *p.* 260.
Franciæ Rex Carolus Nuntium mittit ad ſummum Pontificem, *ibid. p.* 260.

Franciæ Reges semper tutati sunt Sedem Apostolicam contra Longobardos, *ibid. p.* 160.
Franciæ Rex Carolus curat ut res Ecclesiæ Romanæ incolumes permaneant, *ibid. p.* 260.
Franciæ Rex Carolus quædam postulat contra canones, *ibid. p.* 260.
Franciæ Rex Carolus agitantes Ecclesiam silentio compescit, *ibid. p.* 260.
Franciæ Rex Ludovicus Pragmaticam Sanctionem tollere decernit, *vid. Pragmatica Sanctio.*
Franciæ Episcopi, *vid. Episcopi.*
Franciæ Regis innocentiæ declaratio, *vid. declaratio.*
Franciæ Ecclesiastici excommunicantur, *vid.* excommunicatio.

Franciscus.

Franciscus de Badonis Hæreticus juxtà canones judicandus, *Joan.* XXI. *const.* VIII. *p.* 156.

Frater.

Fratres Prædicatores benignè excipiendi ab Episcopis pro Ministerio Evangelico, *Greg.* IX. *const.* II. *p.* 46.
Fratres Prædicatores, licet degant apud Principes suis superioribus obedire debent, *Innoc.* IV. *const.* III *p.* 49.
Fratres Prædicatores non possunt invitis superioribus consentire ad electionem de se factam ad Episcopatum, *Innoc.* IV. *const.* VI. *p.* 50.
Fratres Prædicatores prælatis suis tenentur confiteri, *Alex.* IV. *const.* II. *p.* 51.
Fratres Prædicatores possunt uti liberè suis observantiis in qualibet diœcesi, *Alex.* IV. *const.* III. *p.* 52.
Fratres Prædicatores habent facultatem equitandi, *Inn.* IV. *const.* X. *p.* 9. *addenda.*
Fratrum Prædicatorum Magister Generalis potest revocare Religiosos, qui adsunt prælatis, *Alex.* IV. *const.* III. *p.* 16. *addenda.*
Fratres Prædicatores non possunt manere apud Prælatos, *Alex.* IV. *const.* VI. *p.* 55.
Fratres Prædicatores prioratûs S. Mariæ Magdalenæ eximuntur ab omni potestate & jurisdictione ordinarii, *Bonif.* VIII. *const.* IV. *p.* 110.
Fratrum Prædicatorum idem prioratus sub tutelâ Sedis Apostolicæ recipitur, *ibid. p.* 110.
Fratres Prædicatores S. Maximini obtinent prioratum & Monasterium in quo requievit corpus S. Mariæ Magdalenæ, *ibid. p.* 110.
Fratres Prædicatores, si eligantur Episcopi non possunt acceptare electionem absque facultate superiorum, *Joan.* XXI. *const.* VII. *p.* 155.
Fratrum Cruciferorum hospitalis Bononiensis ordo confirmatur, *Urb.* III. *const.* II. *p.* 31.
Fratres Cruciferi decimas non solvere debent, *ibid. p.* 31.
Fratres Cruciferi possunt ad conversionem recipere personas liberas, & à sæculo fugientes, *ibid. p.* 31.
Fratrum Cruciferorum nemo ab hospitali extrudere potest, *ibid. p.* 31.
Fratres Cruciferi Clerici obedientiam tenentur præstare priori, *ibid. p.* 31.
Fratrum Cruciferorum domi excommunicationi non subjacent absque manifestâ causâ, *ibid. p.* 31.
Fratres Cruciferi præter unam libram Ceræ nulli Prælato aliquid solvere debent, *ibid. p.* 31.
Fratres Cruciferi possunt oratoria erigere & Cemetaria fabricare, *ibid. p.* 31.
Fratres Cruciferi possunt recipere Chrisma & dedicationes Ecclesiarum à quolibet Episcopo, *ibid. p.* 31.
Fratrum Cruciferorum domos aut Ecclesias nullus perturbare audeat, *ibid. p.* 31.
Fratres Prædicatores possunt à superioribus designari ad audiendas confessiones, *Mart.* II. *const.* III. *p.* 9.
Fratres hospitales S. Joannis Jerosolymitani bona temploriariorum accipiunt, *vid. Templarii.*
Fratres hospitales S. Joannis Jerosolymitani templariorum recipiunt privilegia, *vid. Templarii.*
Fratrum hospitalium S. Joannis Jerosolymitani bona detinentur invitâ excommunicatione, *Joan.* XXI. *const.* XVI. *p.* 165.
Fratribus hospitalis S. Joannis Jerosolymitani recusantur bona Templariorum, *Joann.* XXI. *const.* XVI. *p.* 164.
Fratres hospitalis S. Joannis Jerosolymitani possunt sibi sumere bona Templariorum in Angliâ, *Clem.* V. *const.* XXI. *p.* 150.
Fratres hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, malè habentur à Baronibus Angliæ, *Joan.* XXI. *const.* XVI. *p.* 164.
Fratres hospitalis S. Joannis Jerosolymitani succedunt bonis Temploriariorum, *ibid. p.* 164.
Fratres de ordine mendicantium ordinem damnabiliter polluunt, *Joan.* XXI. *const.* IV. *p.* 153.
Fratres de ordine mendicantium pacem turbant, *ibid. p.* 155.
Fratres de ordine mendicantium jura regalia impugnant, *ibid. p.* 153.
Fratres de ordine mendicantium ad rebellionem subditos inducunt, *ibid. p.* 153.
Fratres de ordine mendicantium accensum ignem rebellionis nutriunt, *ibid. p.* 153.
Fratres de ordine mendicantium rebellionem in hibernià prædicant, *ibid. p.* 153.
Fratres de ordine mendicantium suscitata adaugent scandala, *ibid. p.* 153.
Fratribus de ordine mendicantium conceditur facultas Sacramenta administrandi, *Alex.* V. *const.* I. *p.* 221.
Fratribus de ordine mendicantium conceditur facultas munia Parochialia obire, *ibid. p.* 221.
Fratres de ordine mendicantium nisi sint approbati non debent audire confessiones, nisi à superiore, *ibid. p.* 221.
Fratribus mendicantibus permittitur ubique Evangelia prædicare, *ibid. p.* 221.
Fratres de ordine mendicantium possunt petere à Parocho tertiam partem vel quartam pro sepulturâ factâ in Ecclesiis, *Urb.* VI. *const.* III. *p.* 218.
Fratres mendicantes non debent prædicare, quando Episcopus concionatur, *ibid. p.* 218.
Fratres de ordine mendicantium non debent prædicare solemniter ad alias Parochias nisi à Parochis fuerint invitati, *Urb.* VI. *const.* III. *p.* 217.
Fratres de ordine mendicantium non debent facere sermonem in suis Ecclesiis eodem tempore quo Parochus, *ibid. p.* 217.
Fratres de ordine mendicantium non debent administrare Sacramentum pœnitentiæ in Ecclesiis Parochialibus absque licentiâ Parochi, *ibid. p.* 217.
Fratres de ordine mendicantium non debent absolvere pœnitentes absque licentiâ proprii Sacerdotis, *ibid. p.* 217.
Fratres de ordine mendicantium excommunicantur nisi pareant monitis summi Pontificis, *Joan.* XXI. *const.* IV. *p.* 154.
Fratres de ordine mendicantium canonicè puniendi, *ibid. p.* 154.
Fratres minores possunt uti liberè suis observantiis in quâlibet diœcesi, *Alex.* IV. *const.* 3. *p.* 52.
Fratrum minorum Generalis non potest recipere fratres prædicatores, *Alex.* IV. *const.* IV. *p.* 52.
Fratres minores non debent recipi ad professionem ante annuam probationem, *Alex. const.* V. *p.* 52.
Fratri minoritæ Michaëli committitur causa judicanda, *Joan.* XXI. *const.* VIII. *p.* 255.
Fratrum minorum quidam Theologi Hæreticâ labe respersi, *Joan.* XXI. *const.* VIII. *p.* 156.
Fratrum minorum quidam Theologi juxtà canonicas sanctiones judicandi, *Joan.* XXI. *const* VIII. *p* 156.
Fratrum minorum quidam Theologi in errorem alios trahere conantur, *ibid. p.* 156.
Fratres minores queruntur de Clericis docentibus errores Joannis de Polliaco, *Alex.* V. *const.* I. *p.* 222.
Fratrum Minorum Generali conceditur facultas absolvendi ok mum, *Clem.* VI. *const.* VI. *p.* 199.
Fratres minores Bacalaurei Parisiis formati Cancellario se præsentare debent, *Eug.* IV. *const.* XV. *p.* 242.
Fratres B. Mariæ de monte Carmelo queruntur de Clericis docentibus errores Joannis de Polliaco, *Alex. V. const.* I. *p.* 222.

Fratres eremitæ S. Auguſtini queruntur de Clericis docentibus errores Joannis de Polliaco, *ibid. p.* 222.
Fratres mendicantes non ſunt nec unquam fuerunt paſtores ſed fures latrones & lupi, hæc propoſitio damnatur, *ibid. p.* 222.
Fratres hoſpitalis B. Mariæ regulam tertii ordinis S. Franciſci ſequuntur, *Clem. VI. conſt. IV. p.* 198.
Fratribus hoſpitalis B. Mariæ traditur regula ſervanda B. Auguſtini, *ibid. p.* 198.

Fredericus.

Fredericus Eugenium Jeſu Chriſti vicarium agnoſcit, *Eug. IV. conſt. XIX. p.* 247.
Fredericus Imperator non iraſciter contra innocentem qui eum excommunicaverat, *Bonif.* VIII. *conſt.* XII. *p.* 118.

G

Gaucelinus.

Gaucelinus Cardinalis pro reformatione pacis in Hiberniam mittitur, *Joa.* XXI. *conſt.* XII. *p.* 158.
Gaucelinus Cardinalis nuncius Roberto de Brus cauſam miſſionis exponit, *Joa.* XXI. *conſt.* XII. *p.* 159.

Geneva. Genevenſes.

Genevæ Bannum ad Epiſcopum pertinet, *Hadr.* IV. *conſt.* I. *p.* 21.
Genevenſes rogantur ut recipiant Epiſcopum Joannem de Campois. *Sixt.* IV. *conſt.* IV. *p.* 283.

Germani.

Germani uti poſſunt liberè decretis Concilii Baſileenſis. *Eug.* IV. *conſt.* XX. *p.* 249.

Girandius.

Girandius vincentius hæreticus juxta canones judicandus. *Joa.* XXI. *conſt.* VIII. *p.* 156.

Graduatus.

Graduatus anteponendus non graduato, *Nic.* V. *conſt.* III. *p.* 254.
Graduati beneficium tantum unicum poſſunt adipiſci, *ibid. p.* 254.

Gratia.

Gratiæ Sedis Apoſtolicæ poſſunt revocari, *Bonif.* VIII. *conſt. p.* 116.
Gratiæ expectativæ quid ſint & quomodo largiendæ, *Nic.* V. *conſt.* III. *p.* 253.
Gratiæ expectativæ conceduntur in Regno Galliarum & in Delphinatu, *Sixt.* IV. *conſt.* I. *p.* 281.

Guido.

Guido de Monte forti Henricum de Alamania occidit in templo, *Greg.* X. *conſt.* II. *p.* 79.
Guido abſentiæ ſuæ cauſas exponit & legitimas probat, *Greg.* X. *conſt.* II. *p.* 80.
Guidonis procurator cauſam ſuam ſuſcipere recuſat, *ibid. p.* 80.
Guido aſſerit ſe citatum fuiſſe ad locum non tutum, *Greg.* X. *conſt.* II. *p.* 80.
Guido queritur quod Rex Angliæ quoſdam induxit ut eum occiderent, *ibid. p.* 80.
Guido objicit quod Rex Angliæ publicè ſe jactavit quod nunquam effugeret manus ſuas, *ibid. p.* 80.
Guido affirmat quod Rex Angliæ per ſuos fautores pendente citatione hoſtiliter in eum invaſit, *ibid. p.* 80.
Guido dicit ſe comperiſſe quod Rex Angliæ quoſdam familiares corrupit ut eum occiderent, *ibid. p.* 80.
Guido refert & contendit Regem Angliæ exercitum contra ipſum præparaſſe, *ibid. p.* 80.
Guido objicit Regi Angliæ quod cum armatis in eum congreditur. *ibid. p.* 80.
Guido de Monte forti ob ſacrilegum facinus in forma citatur, *ibid p.* 80.
Guido per fratrem ſuum Amauricum ſalvum conductum poſtulat, *ibid. p.* 80.
Guido ab homicidio & ſacrilegio excuſatur à fratre Amaurizo, *ibid. p.* 80.
Guido cauſam ſuam ad futurum Concilium defert, *ibid. p.* 80.
Guido perpetuâ uritur infamia ob ſacrilegum facinus patratum, *ibid. p.* 81.
Guidonis abſentiæ cauſæ allegatæ licet quædam ſint veræ confutantur, *ibid. p.* 81.
Guidoni omnis poteſtas jurisdictio & adminiſtratio interdicitur, *ibid. p.* 82.
Guidoni obedientes Regiones eccleſiaſtico ſupponuntur interdicto, *ibid. p.* 82.
Guidonis Vaſſallis ſacramenta interdicuntur excepto baptismo infantibus, *ibid. p.* 82.
Guido privatur omnibus tertiis & Eccleſiis quas habet in feudum, *ibid. p.* 82.
Guidonis pœna ad poſteros ſuos extenditur, *ibid. p.* 82.
Guidonis poſteri uſque ad quartam generationem non poſſunt obtinere dignitates eccleſiaſticas, *ibid. p.* 82.
Guido forbannitur & diſcretioni omnium traditur, *ibid. p.* 82.
Guidonis Captura omnibus provinciarum præſidibus commendatur, *ibid. p.* 82.
Guido ab omnibus rejici vel captari debet ſub pœnâ excommunicationis vel interdicti, *ibid. p.* 82.
Guidoni nullus præſtare debet auxilium vel conſilium, *ibid. p.* 82
Guidoni nemo ſocietatem vel confederationem præſtare debet ſub quovis colore, *ibid. p.* 82.
Guidonis Vaſſalli abſolvuntur à fidelitate, *ibid. p.* 82.
Guidonis complices & fautores in commiſſione flagitii excommunicantur, *ibid. p.* 82.
Guido à pœna excommunicationis non poteſt abſolvi niſi tantum in mortis articulo, *ibid. p.* 82.
Guidoni mulieres quæ favorem præſtiterint poſſunt abſolvi ab excommunicatione per diœceſanos, *ibid. p.* 82.
Guidonis inſignis pœnitentia, *Greg.* X. *conſt.* III. *p.* 82.
Guido traditur in carcerem modo congruenti & tuto, *ibid. p.* 82.
Guido cordis ad colla ligatus ſeminudus obviavit pontifici ad veniam poſtulandam, *ibid. p.* 83.
Guido S. Pauli quid probare velit Juramentis præſtitis, *Clem.* V. *conſt.* XVIII. *p.* 149.
Guido de Janvilla hoſpitale propriis ſumptibus conſtruit, *Clem.* VI. *conſt.* IV. *p.* 198.

Guillelmus.

Guillelmus de Nogareto quare mittitur ad Bonifacium, *Clem.* V. *conſt.* XVIII. *p.* 146.
Guillelmus de Nogareto tenetur transfretare perſonaliter in ſubſidium terræ ſanctæ, *Clem.* V. *conſt.* XIX. *p.* 148.
Guillelmus de Nogareto abſolutionem recipit ſe ſubmittendo gravi pœnitentiæ, *ibid. p.* 148.
Guillelmus de Nogareto tenetur pergere ad limina B. Jacobi Compoſtellani, *ibid. p.* 148.
Guillelmus de Nogareto tenetur viſitare domum B. Mariæ de valle viridi de rupe amatorâ, *ibid. p.* 148.
Guillelmus de Nogareto tenetur viſitare Eccleſias S. Egidii carnotenſis & de Monte majori, *ibid. p.* 148.
Guillelmus de Nogareto tenetur viſitare domum Anicienſem de Bolonio ſuper mare, *ibid p.* 148.
Guilleimus de Amantio hæreticus, juxta Canones judicandus, *Joa.* XXI. *conſt.* VIII. *p.* 156.
Guillelmus de Berton quare mittitur ad ſummum Pontificem *Inn.* VI. *conſt.* II. *p.* 200.

H

Habitus.

Habitus nec nimis breves nec nimis longi ferendi. *vid. canonici.*
Habitum nemo tenere debet in eccleſiâ. *vid. ibid.*
Habitus completus debet dari canonico defuncto, *vid. Canonici.*
Sine habitu conſueto nullus debet intrare in eccleſiam. *vid. canonici.*

Hæreſis.

Hæreſis Bohemicorum tanquam peſtis damnatur, *Eug. IV. conſt.* III. *p.* 235.
Hæreſis Bohemicorum pullulat & uſque ad portas Baſileæ ſe extendit, *ibid. p.* 235.

Hæreticus.

Hæretici Joannes de Janduno & Maſſilius de Paduâ debent carceribus tradi, *Joan. XXI. conſt. XIX. p.* 173.

Hæretici in Delfinatu Viennenſi quotidiè augeſcunt, *Greg. XI. conſt. IV. p.* 208.
Hæreticos Delfinatus viennenſis tuetur Gubernator Delfinatus, *ibid. p.* 208.
Hæreticus Joannes Barravius judicandus juxta canones, *Joa. XXI. conſt. VIII. p.* 156.
Hæreticus Joannes Aſpa juxta canones judicandus, *ibid. p.* 156.
Hæreticus Joannes Raymundus etiam pænâ mulctandus, *ibid. p.* 156.

Hebdomadarius.

Hebdomadarii quidnam præſtare debent in capellâ, *B. Mariæ, vid. Capella.*
Hebdomadarius particularis ad Beneficia nominans nominatum Capitulo vel epiſcopo præſentet. *vid. Canonici.*
Hebdomadarii mortui nullus vices ſuppleat niſi in finem hebdomadæ, *vid. canonici.*

Henricus.

Henricus Rex Romanorum poteſt conferre Regnum Arelatenſe & viennenſe cuilibet principi ſæculari. *Clem. V. conſt. XVII. p.* 145.
Henricus Patriarcha Conſtantinopolitanus Smyrnæ occiditur, *Clem. VI. conſt. III. p.* 197.

Hibernia.

Hiberniæ invaſores excommunicantur, *vid. excommunicatio.*
Hiberniæ prælati damnantur quod Lambertum de facto coronarunt, *Inn. VIII. conſt. V. p.* 301.
Hiberniæ clerici multa gravamina patiuntur, *Urb.* IV. *conſt. I. p.* 18. *adden.*

Hora.

Horis omnibus debent intereſſe vicarii præbendati. *vid. canonici.*

Hoſpitale.

Hoſpitali B. Mariæ conceditur Sacerdos pro curâ animarum, *Clem.* VI. *conſt. III. p.* 198.
Hoſpitale B. Mariæ duas libras ceræ tenetur ſolvere Cameræ ſedis Apoſtolicæ. *Clem.* VI. *conſt.* IV. *p.* 198.
Hoſpitale B. Mariæ multa Privilegia à Bonifacio recipit. *Clem.* VI. *conſt.* IV. *p.* 198.

Hoſtia.

Hoſtia miraculoſa Duci Brabantiæ mittitur. *Eug. IV. conſt.* IV. *p.* 236.
Hoſtia miraculoſa Divione aſſervatur, *ibid. p.* 256.

I

Imperator.

Imperator non poteſt Papam inſtituere nec deſtituere, *Joa.* XXI *conſt.* XIX. *p.* 169.
Imperatores ante Conſtantinum magnum non elegerunt papam. *ibid. p.* 169.
Imperatores amittunt privilegium quo electioni Summi Pontificis aderant. *ibid. p.* 170.
Imperatoris electionem confirmandi jus habet ſummus Pontifex. *Eug.* IV. *conſt.* XII. *p.* 240.
Imperatoris electio confirmanda in Concilio Ferrarienſi. *Eug.* IV. *conſt.* X. *p.* 239.
Imperator eligendus qui Eccleſiam Romanam protegere ſciat & poſſit, *Eug.* IV. *conſt.* X. *p.* 239.
Imperatoris electio poſt longam & maturam deliberationem facienda, *ibid. p.* 239.
Imperator Sigismundus Sacramentis munitus moritur, *ibid. p.* 239.
Imperator electus ab Archiepiſcopo Colonienſi conſecrandus. *Urb.* IV. *conſt.* II. *p.* 20. *addenda.*
Imperator oratores ſuos Bononiam mittere promittit. *Eug.* IV. *conſt.* III. *p.* 236.
Imperator Sigismundus Baronibus Pragæ commendatur. *Eug.* IV. *conſt.* IX. *p.* 258.

Imperium.

Imperii electio pertinet ad Archiepiſcopum Moguntinum. *Urb.* IV. *conſt.* II. *p.* 20. *addenda.*
Imperii electores Eugenii obedientiam amplectuntur. *Eug.* IV. *conſt.* XIX. *p.* 247.

Indulgentia.

Indulgentiæ conceduntur celebrantibus feſtum B. Mariæ de nive in Provincia Rothomagenſi. *Nic.* V. *conſt.* XII. *p.* 261.
Indulgentiæ ab obitu Gregorii XI. revocantur & annullantur, *Nic.* V. *conſt.* III. *p.* 255.
Indulgentiæ non nimium concedendæ ne vileſcant. *ibid. p.* 255.
Indulgentia conceditur centum dierum omnibus Regni Franciæ incolis. *Clem.* VI. *conſt.* XXX. *p.* 191.
Indulgentia unius anni conceditur Regi Francorum. *Clem.* VI. *conſt.* XXIII. *p.* 190.
Indulgentiæ conceduntur Cruce ſignatis, *Inn.* IV. *conſt.* VIII. *p.* 7. *addenda.*
Indulgentiæ conceduntur viſitantibus Capellam B. Mariæ, *Bened.* XIII. *conſt. I. p.* 273.

Indultum.

Indultum habentes poſſunt præſtare juramentum ſolitum per procuratores, *Urb.* VI. *conſt. I. p.* 216.
Indultum habentes debent eligi ante illos qui legatorum litteras habent, *ibid. p.* 216.

Innocentius.

Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicat. *Joa.* XXI. *conſt.* XIX. *p.* 170.

Inquiſitio.

Inquiſitio in Delfinatu Viennenſi conſtituitur. *Greg. XI. conſt.* IV. *p.* 208.

Inquiſitor.

Inquiſitores templariorum, *vid. templarii.*

Inſula.

Inſula Caſtri Rabei Rhodo eſt vicina, *Nic.* V. *conſt.* VII. *p.* 259.
Inſula Caſtri Rabei Alfonſo Aragoniæ Regi conceditur. *Nic.* V. *conſt.* VII. *p.* 259.

Interdictum.

Interdictum non debet promulgari abſque authoritate Apoſtolicâ in terris Regis Franciæ, *Clem.* VI. *conſt.* XIX. *p.* 189.

Intonatio.

Intonationes pſalmorum à vicariis præbendaris fieri debent, *vid. Canonici.*
Intonationes Antiphonarum quomodo faciendæ, *vid. ibid.*

Invaſor.

Invaſor Regni Angliæ excommunicatur, *vid. excommunicatio.*

S. Joannes.

S. Joannis Prioratus quo tempore viſitandus, *vid. Canonici.*
Joannes de ripis pœnitentiarius quid agat in trengis, *Clem.* VI. *conſt.* III. *p.* 196.
Joannes de Thoreſby cum Litteris ad ſummum Pontificem mittitur, *Clem.* VI. *conſt.* III. *p.* 198.
Joannes de Grilliaco nuncius mittitur ad ſummum Pontificem, *Clem.* VI. *conſt.* III. *p.* 194.
Joannes Dux Normanniæ quid aſſerat ſummo Pontifici, *ibid. p.* 195.
Joannes de Janduno renuit ſe præſentare coram Summo Pontifice, *Joa.* XXI. *conſt.* XIX. *p.* 172.
Joanni de Janduno Hæretico declarato nemo debet præſtare auxilium, *ibid. p.* 173.
Joannes de Janduno docet Chriſtum ſolvendo tributum Cæſari neceſſitate coactum ſolviſſe, *ibid. p.* 168.
Joannes de Janduno dogmatizat in Bavariâ, *ibid. p.* 167.
Joannes de Polliaco articulos ſuos tanquam errores revocat, *Alex.* V. *conſt. I. p.* 222.
Joannes de Polliaco comperit ſuos articulos doctrinam non ſanam continere, *ibid. p.* 222.
Joanni de Polliaco præcipitur ut propriæ vocis oraculo articulos ſuos revocet, *ibid. p.* 222.
Joannes de Cabreſpino canonicus Narbonenſis nuncius mittitur, *Urb.* V. *conſt. I. p.* 205.
Joannes Bochardi Archypresbyter Electus Capellæ B. Mariæ, *vid. Capella.*

Judæus.

Judæi damnantur quod novas Synagogas in Bituriâ conſtituant, *Honor.* III. *conſt.* II. *p.* 42.

Judex.

Judicis est, locum judicii definire non partis, *Greg.* X. *const.* II. *p.* 81.

Judicium.

Judicia Pontificis Romani semper justissima, *Pius* II. *const.* VI. *p.* 268.

Jurisdictio.

Jurisdictio Metropolitanorum per neutralitatem læsa omnino restituitur, *Eug.* IV. *const.* XIX. *p.* 248.

Jus.

Jus nominandi ad Beneficia quo tempore incipiat, *vid. Canonici.*

Justinianus.

Justinianus Imperator quid asserat de inæquali potestate Sacerdotum, *Joan.* XXI. *const.* XIX. *p.* 171.

L

Lancastria.

Lancastriæ Dux Joannes minatur Comitatum Provinciæ invadere, *Urb.* V. *const.* I. *p.* 203.

Laurentius.

Laurentio à Sigismundo misso silentium imponitur, *Pius* II. *const.* VI. *p.* 273.

Laurentius à Sigismundo missus Pontificem illudit, *ibid. p.* 273.

Leprosia.

Leprosiæ quæ habent reditus decimam Angliæ Regi non solvent, *Nic.* IV. *const.* V. *p.* 103.

Liber.

Libri scripti in Sedem Apostolicam damnantur, *Eug.* IV. *const.* XIV. *p.* 242.

Liga.

Ligæ factæ cum Hæreticis nullæ censeri debent, *Urb.* VI. *const.* II. *p.* 217.

Lites.

Lites per neutralitatem factæ omninò extinguuntur, *Eug.* IV. *const.* XIX. *p.* 248.

Lotharius.

Lotharius Rex legitimam uxorem dimittens damnatur, *Nic.* V. *const.* I. *p.* I.

Lovanium.

Lovanium multis refertum commodis ad studii incrementa, *Mart.* V. *const.* I. *p.* 175.

Ludovicus.

Ludovicus Imperator B. Petrum Apostolorum principem vocat *Joan.* XXI. *const.* XIX. *p.* 169.

Ludovici Imperatoris nuncii non adsunt electioni Papæ Hadriani, *ibid. p.* 170.

Ludovicus Imperator Hæreticos fovet & tuetur, *Ben.* XI. *const.* III. *p.* 182.

Ludovicus Imperator non amplius censendus, *Bened.* XI. *const.* II. *p.* 181.

Ludovicus Imperator anathemate percutitur, *ibid. p.* [illegible].

Ludovicus Imperator Petrum de Corbariâ antipapam statuit, *ibid. p.* 180.

Ludovicus Imperator diadema ab antipapæ manibus recipit, *ibid. p.* 180.

Ludovicus Imperator Romam intrans Schisma suscitare conatur, *Bened.* XI. *const.* III. *p.* 182.

Ludovicus Dux Turonensis in Regem Adriæ eligitur, *Clem.* VII. *const.* I. *p.* 210.

Ludovicus Ebroicensis quid Sacramentum præstando asserat? *Clem.* V. *const.* XVIII. *p.* 145.

Luminare.

Luminarium defunctorum tertia pars manet pro fabricâ, *vid. Canonici.*

Lusitania.

Lusitaniæ Rex Christi nomen usque ad Indos pertulit, *Nic.* V. *const.* XIII. p. 262.

Lusitaniæ Regis naves ad Guineam perveniunt, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex Mahumedanos semper debellat, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex Mahumedanis Christi nomen facit prædicare, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex insulas solitarias propalat, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex Henricus vestigiis patris inhæret, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex ad perquirendum mare naves velocissimas mittit, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Regi permittitur ut ad Indiam Ecclesiasticos mittat qui possint Sacramenta administrare confessiones audire absolutionem impendere, *ibid. p.* 263.

Lusitaniæ Regi permittitur ut Monasteria & Ecclesias fundet in Provinciis acquisitis Orientis, *ibid. p.* 263.

Lusitaniæ Rex potest licitè imponere tributa in Provincias Orientis, *ibid. p.* 263.

Lusitaniæ soli Regi & successoribus pertinent Provinciæ acquisitæ & acquirendæ in Oriente, *ibid. p.* 263.

Lusitaniæ Regi conceditur à summo Pontifice facultas possidendi Provincias subactas Orientis, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Regi Provincias Orientis eripere quidam conantur, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rege invito nemo ad Indos navigare debet nec potest, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex timet ne alii ad Indos navigent & possessionem suam perturbent, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex Guineos multos ad Catholicam fidem perducit, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex insulas capit & pacificè possidet, *ibid. p.* 262.

Lusitaniæ Rex semetipsum offert maris periculis, *ibid. p.* 262.

M

Manfredus.

Manfredus urbes incendit omnia clade vastat, *Urb.* IV. *const.* 3. *p.* 24. *addenda.*

Manfredus Regno Siciliæ occupato ad anchonitanam Monarchiam pergit, *ibid. p.* 24. *addenda.*

Manfredi fautores & Regni Siciliæ perturbatores à summo Pontifice excommunicantur, *Mart.* II. *const.* I. *p.* 85.

Manfredus in suâ iniquitate non remissior, *ibid. p.* 85.

Manfredi gesta nefanda & temeraria, *ibid. p.* 84.

Manfredo conanti nocere summo Pontifici Regnum Siciliæ subtrahitur, *Mart.* II. *const.* I. *p.* 85.

Marbaxanus.

Marbaxanus Turcarum Dux Smyrnam occupat, *Clem.* VI. *const.* II. *p.* 93.

Marchio.

Marchio Brandeburgensis rogatur ut Oratores ad Concilium Ferrariense mittat, *Eug.* IV. *const.* X. *p.* 239.

Marchio Brandeburgensis Sigismundo sufficiendus, *ibid. p.* 259.

Maria.

Maria consors Principis Salernitani pecuniarium subsidium à summo Pontifice postulat, *Nic.* IV. *const.* II. *p.* 100.

Martinius.

Martinius Guiraudus Hæreticus juxta canones judicandus, *Joan.* XXI. *const.* VIII. *p.* 156.

Martinus.

Martinus secundus tractatum Aragoniæ Regis merito reprobavit, *Nicol.* IV. *const.* II. *p.* 99.

Marsilius.

Marsilius de Padua hæreses docet in Bavariâ, *Joan.* XXI. *const.* XXI. *p.* 170.

Marsilius de Padua præsentandus assignatur, *ibid. p.* 172.

Marsilius de Padua docet Christum solvendo tributum Cæsari necessariò solvisse, *Joan.* XXI. *const.* XVIII. *p.* 168.

Matricularius.

Matricularius Ecclesiæ Gebennensis pro tactu Campanarum accipiet quatuor solidos, *Bened.* XIII. *const.* III. *p.* 230.

Matrimonium.

Matrimonium inter Henricum septimum, & Elizabetham approbatur. *Inn.* VIII. *const.* III. *p.* 299.

Mediolanum.
Mediolani Dux Franciscus Sfortia rogatur ut pacem ineat. *Nic.* V. *const.* X. *p.* 260.
Messanenses.
Messanenses imitantur sævitiam & rebellionem Panormitanorum. *Mart.* II. *const.* I. *p.* 86.
Metropolitanus.
Metropolitani negligentes statutum Innocentii tertii sunt ipso jure suspensi, *Joa.* XXII. *const.* III. *p.* 225.
Michaël.
Michaël de Cesenna cum suis assectis docet Imperatores posse Papam deponere, *Joa.* XXI. *const.* XXI. *p.* 177.
Michaël de Cesenna cum suis assectis multa violenta committit. *ibid. p.* 177.
Michaël de Cesenna cum suis assectis docet Christum & discipulos suos nihil habuisse, *ibid. p.* 177.
Michaël de Cesenna cum suis assectis hæreses suas in Germania prædicat, *ibid. p.* 177.
Michaël de Cesenna à nullis recipi debet sub pœnâ excommunicationis. *vid. excommunicatio.*
Michaël de Cesenna ab omni Privilegio ecclesiastico privatur. *ibid. p.* 177.
Michaël de Cesenna ab officio suo & dignitate deponitur. *ibid. p.* 176.
Michaël de Cesenna tanquam hæresiarcha damnatur, *ibid. p.* 176.
Michaël de Cesenna ad Antipapam gressus dirigit. *ibid. p.* 176.
Militia.
Militia nova in Turcas instituta nomine B. Mariæ Bethlemitanæ donatur. *Pius* II. *const.* I. *p.* 265.
Militia nova in Turcas instituitur quæ debet remanere in insulâ Lemno. *ibid.* 265.
Militiæ Novæ in Turcas institutæ applicantur bona variorum ordinum, *ibid. p.* 265.
Missa.
Missæ defunctorum quomodo celebrandæ in Capellâ B. Mariæ? *vid. Capella.*
Missarum ordo servandus in Capellâ B. Mariæ, *vid. Capella B. Mariæ.*
Missæ celebrandæ à Capellanis, *vid. Capellani.*
Missa celebranda in prioratu S. Joannis & quo die? *vid. ibid.*
Missa quænam Celebranda die Lunæ, *vid. Capella B. Mariæ.*
Missæ interessentibus distributiones quomodo faciendæ, *vid. Distributio.*
in Missis defunctorum quænam collectæ dicendæ, *vid. Capella.*
Missæ dum celebrantur nullus deambulet in medio navis ecclesiæ, *vid. Canonici.*
Missam celebrare Præbendatus potest in majori & in minori Altari, *vid. ibid.*
A Missâ altâ absentes vicarii perdunt quatuor solidos, *vid. ibid.*
Monachi.
Monachi Canonicorum loco substituuntur, *Innoc.* II. *const.* III. *p.* 17.
Monachos Cluniacenses pro Cemeteriis Altaribus nullus episcopus potest inquietare, *Callix.* II. *const.* I. *p.* 11.
Monachi Cluniacenses nullius episcopi Jurisdictioni subjacent, *ibid. p.* 11.
Monachi Cluniacenses non possunt excommunicari nisi à Romano Pontifice vel Legato, *ibid. p.* 11.
Monachi Cluniacenses possunt sumere ordinationes à quolibet episcopo, *ibid. p.* 11.
Monasterium.
Monasteria eximuntur à potestate Colonienſis Archiepiscopi. *Eug.* IV. *const.* XVII. *p.* 246.
Monasterium Constantinopolitanum Cassinensi monasterio attribuitur, *Honor.* III. *const.* VI. *p.* 44.
Monasterium Liparitanum unciam auri solvere debet. *Urb.* II. *const.* I. *p.* 2.
Monasteria Monialium exempta non à Summo Pontifice disponenda, *Nic.* V. *const.* III. *p.* 253.
Monasteria Monialium quorum reditus sunt tenues decimam Angliæ Regi non solvent. *Nic.* IV. *const.* V. *p.* 103.
Moneta.
Monetarum adulteratores damnantur, *Clem. VI. const.* XXXIII. *p.* 192.
Moravia.
Moraviæ Comes censet scribendum esse Roberto de Brus sub titulo Regis, *Joa.* XXI. *const.* XVIII. *p.* 167.
Moraviæ Comes petit ut mittantur nuncii pro reconciliatione Scotorum ecclesiæ, *ibid. p.* 16 .
Moraviæ Comitis ministerio tractatur concordia inter Scotiam & Angliam, *ibid. p.* 166.
Moraviæ Comes quid proponat & petat, *ibid. p.* 166.
Moraviæ Comes petit licentiam de subsidio transfretantibus porrigendo. *ibid. p.* 166.
Moraviæ Comiti respondetur ut Robertus de Brus pacem ineat atque transfretet pro expeditione terræ sanctæ, *ibid. p.* 167.
Moraviæ Comes non obtinet quod petit, *ibid. p.* 166.
Moravia Comes asserit Robertum de Brus velle transfretare cum Carolo Rege Franciæ, *ibid. p.* 167.
Mulier.
Mulieres non debent ingredi in Cœnobium S. Martini Turonensis nisi orationis causâ, *Leo.* VII. *const.* I. *p.* 10.
Mulum.
Mulum habere debet quilibet Canonicus, *vid. Canonici.*

N

Navis.
Navim Petri qui deserit naufragio perit, *Bonif.* VIII. *const.* XII. *p.* 117.
Normannia.
Normanniæ Dux dissentit à Rege Navarræ. *Inn.* VI. *const.* I. *p.* 200.
Nuncius.
Nuncii Summi Pontificis pelluntur ex Angliâ. *Clem.* V. *const.* XIV. *p.* 140.
Nuncii missi in Angliam & quare? *vid. Anglia.*
Nuncius summi Pontificis incarceratur in Angliâ & pro decem libris Sterlingorum tantum redimitur. *Clem.* V. *const.* XIV. *p.* 140.
Nuncius in Britanniam mittitur ad Treugas faciendas. *Clem.* VI. *const.* III. *p.* 195.
Nuncii mittuntur ad sedandas discordias Regis Navarræ & Ducis Normanniæ, *Inn.* VI. *const.* I. *p.* 200.
Nuncii debent tractare cum consiliariis imperatoris ut Imperator Ecclesiam defendat. *Eug.* IV. *const.* XII. *p.* 240.
Nuncii debent rogare Imperatorem ut suam electionem Summus Pontifex confirmet. *Eug.* IV. *const.* XII. *p.* 240.
Nuncii debent congratulari Imperatori electo. *Eug.* IV. *const.* XII. *p.* 240.
Nuncii debent Summo Pontifici scribere electionem Imperatoris statim ut facta fuerit. *Eug.* IV. *const.* XII. 240.
Nuncii ad dietam mittuntur cum instructionibus, *ibid. p.* 240.
Nuncii debent monere Imperatorem electum de pravitate Patrum concilii Basileensis, *ibid. p.* 240.

O

Occupatores.
Occupatoribus bonorum qui dant auxilia excommunicantur, *vid. excommunicatio.*
Occupatores bonorum tenentur ea restituere dominis, *Clem.* V. *const.* XX. *p.* 150.
Officiales.
Officialium reformandi excessus, *Clem.* V. *const.* XI. *p.* 135.
Officiales Angli impediunt ne excommunicati à nunciis capiantur, *Clem.* V. *const.* XIV. *p.* 140.
Officiales Angli prohibent ne bona in Regno Summo Pontifici reservata colligantur, *ibid. p.* 140.

Offi-

Officiales Angli executoribus summi Pontificis obversantur, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli impediunt executorum summi Pontificis obsequium, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli excommunicationis timore formidant Clientes ne coram executoribus appareant, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli prohibent ne ordinarii Ecclesiasticos cujustibet criminis reos capiant, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli prohibent tabellionibus ne executoribus publica instrumenta præbeant, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli nunciis parere recusantibus bona eripiunt, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli partem mediam bonorum vi eripiunt, *ibid. p.* 141.
Officiales Angli duodecim testes admittunt in causâ Clericorum, *ibid. p.* 141.
Officiales Angli ad Privilegia Clericorum non attendunt, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli Clericos nudis pedibus capite operto tanquam latrones sæculares, mandant suspendi patibulis, *ibid. p.* 140.
Officiales Angli reos absque licentiâ absolvunt, *ibid. p.* 141.
Officiales Angli bona prælatorum sibi sumunt pro libito voluntatis, *ibid. p.* 141.
Officiales Angli opprimunt domos Religiosas, *ibid. p.* 141.
Officiales Angli domos Episcoporum bona, nemora omninò destruunt, *ibid. p.* 141.
Officiales Angli Decanos Ecclesiarum Flandro Belgicarum molestant, *Nic. 5. const. 1. p.* 250.

Officians.

Officianti concubinario nemo adesse debet, *vid. canonici.*
Officiantem in Anniversariis quisnam nominare debet, *vid. capella.*

Officium.

Officium quomodo celebrandum in Capella B. Mariæ, *vid. capella.*
Officium quo tempore pulsandum, *vid. canonici.*
Officium Matutinarum quomodo celebrandum, *vid. ibid.*
Officium in festis solemnibus quomodo celebrandum, *vid. ibid.*
Officium de laudibus quomodo cantandum, *vid. ibid.*

Oratio.

Orandi pro malefactoribus consuetudo approbatur, *Innoc.* III. *const.* 3. *p.* 36.
Orantibus pro Rege & Reginâ Franciæ centum dies de injunctis pœnitentiis qualibet die relaxantur, *Clem.* VI. *const.* 17. *p.* 189.

Ordo.

Ordines Sacros suscipere titulo Capituli nullus Canonicus debet, *vid. canonici.*
Ordo cantandi Antiphonas, *vid. ibid.*
Ordo intrandi in chorum, *vid. ibid.*
Ordinare debet processiones generales Dominus Cantor, *vid. ibid.*
Ordo quo debent fieri processiones, *vid. ibid.*
Ordinis potestas quo sensu par dici non debet, *Joan.* XXI. *const.* 19. *p.* 171.
Ordo Sacerdotalis idem est in omnibus nec ullum discrimen debet admitti, hæc propositio damnatur, *ibid. p.* 170.
Ordo Templariorum damnatur in quonam Concilio, *vid. Templarii.*
Ordo faciendi Residentiam, *vid. canonici.*
Ordo Sanctæ Crucis huyensis sub regulâ S. Augustini approbatur & confirmatur, *Inn.* IV. *const.* 7. *p.* 50.

P

Pactum.

Pacta inter Angliæ Regem & Robertum de Brus nulla declarantur, *Joan.* XXI. *const.* 1. *p.* 151.
Pacta facta contra Angliæ Regem irritantur, *Joan.* XXI *const.* 6. *p.* 155.
Pacta sub quibus Filius Regis Franciæ Rex Aragonum eligitur, *Mart.* II. *const.* 4. *p.* 92.
Pacta pro liberatione Caroli Principis Salernitani, *Nic.* IV. *const.* 11. *p.* 99.
Pacta à Mariâ consorte Principis Salernitani non admittuntur, *ibid. p.* 100.
Pacta cum Sigismundo inita nullius roboris esse declarantur, *Pius* II. *const.* 7. *p.* 273.

Paleologus.

Paleologus Imperator Anathemate percutitur quod Petrum Aragoniæ Regem adjuvat, *Mart.* II. *const.* 1. *p.* 88.

Pallium.

Pallium concessum Gualterio Archiepiscopo Ravennati post Schisma ejuratum, *Gel.* II. *const.* 1. *p.* 10.

Panormitanus.

Panormitana Civitas rebellatur & mansuetè corripitur, *Mart.* II *const.* 1. *p.* 86.
Panormitana Civitas nisi præcepta summi Pontificis adimpleat excommunicatione digna declaratur, *ibid. p.* 86.

Patriarcha.

Patriarcha Constantinopolitanus Oratores suos Bononiam mittere promittit, *Eug.* IV. *const.* 3. *p.* 236.

Patroni.

Patroni Ecclesiarum Angliæ habent jus patronatûs quarumdam Ecclesiarum, *Inn.* IV. *const.* V. *p.* 5. *addenda.*

Pax.

Pacis bona quam plurima numerantur, *Bened.* XI. *const.* IV. *p.* 184.

Pecunia.

Pecunia pro expensis Regiis ab Episcopis Angliæ colligenda, *Honor.* III. *const.* 5. *p.* 44.

Petrus.

S. Petrus Apostolus non majorem aliis Apostolis habuit authoritatem. hæc propopositio damnatur, *Joann.* XXI *const.* 9. *p.* 168.
S. Petrus quomodo dicendus caput Ecclesiæ, *ibid. p.* 168.

Pictavienſis.

Pictavienſis diœcesis abusus corrigendi, *Luc.* III. *const.* 2. *p.* 29.

Pluralitas.

Pluralitas Beneficiorum carnotensibus Canonicis interdicitur, *Luc.* III. *const.* 4. *p.* 30.

Pœna.

Pœna excommunicationis, *vid. excommunicatio.*
Pœna interdicti, *vid. interdictum.*
Pœna censurarum, *vid. censura.*
Pœnæ per neutralitatem latæ nullius roboris esse decernuntur, *Eug.* IV. *const.* 19. *p.* 248.
A pœnis excommunicationis & censurarum potest absolvere Cancellarius Universitatis, *vid. Universitas.*

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum non debent administrare fratres mendicantes in Ecclesiis Parochialibus, *vid. fratres.*
Pœnitentiæ Sacramentum collatum ab alio quàm à proprio Sacerdote est nullum, *vid. Confessio.*
Pœnitentiæ Sacramentum conferendi potestatem dare cuilibet summus Pontifex non potest, *vid. confessio.*
Et ille qui ab alio quam à proprio Sacerdote illud recepit tenetur iterum peccata confiteri, *ibid.*

Pontifex.

Pontifex Romanus, Joannes aliquot post annis in carcere transactis ubi nam obiit, *Joa.* XXI. *const.* 1. *p.* 151.
Pontifex Romanus, Joannes, à Ludovico Imperatore deponitur, *ibid. p.* 151.
Pontifex Romanus, Joannes, Græcos ad subjectionem revocare tentat, *ibid. p.* 151.
Pontifex Romanus, Joannes, Ludovicum Bavarum maximè infestat, *ibid. p.* 151.
Pontifex Romanus Joannes trinum tintinnabuli pulsum instituit, *ibid. p.* 151.
Pontifex Romanus Hæreticos censet qui docent Christum ejusque discipulos nihil proprii possedisse, *ibid. p.* 151.
Pontifex Romanus, Joannes, se ipsum in pontificatu confirmat, *ibid. p.* 151.
Pontifex Romanus caput omnium ecclesiarum à Justiniano Imperatore dicitur, *Joa.* XXI. *const.* 19. *p.* 169.
Pontifex Romanus solus habet potestatem congregandi Concilium Generale, *Bonif.* VIII. *const.* 12. *p.* 118.

Pontifex

Pontifex Romanus tanquam Petri succeſſor omnibus præeſt, *ibid. p.* 118.
Pontifex Romanus poteſtatem habet in Magnates ſicut in populum, *ibid. p.* 118.
Pontificis Romani lamenta in mortem Bonifacii, *Bened.* X. *conſt.* I. *p.* 124.
Pontifex Romanus non poteſt ſedem Apoſtolicam deſerere pro expeditione Terræ Sanctæ, *Greg.* X. *conſt.* I. *p.* 78.
Pontifex Romanus tenetur habere bis mille equites & mille pedites pro auxilio Reipublicæ venetæ, *Paul.* II. *conſt.* I v. *p.* 280.
Pontifex Romanus tenetur habere ſuper Mare potentem Claſſem, *ibid. p.* 280.
Pontifex Romanus debet præſtare Reipublicæ venetæ mille equites & tria millia preditum, *ibid. p.* 280.
Pontifex Romanus Cœleſtis clavigeri ſucceſſor dicitur, *Nic.* V. *conſt.* XIII. *p.* 261.

Poteſtas.

Poteſtas ſpiritualis aufertur colonienſi Archiepiſcopo in Ducatum Clivenſem, *vid. Ducatus*
Poteſtas eadem redditur Summo Pontifici quam habebat ante pragmaticam ſanctionem, *Pius* II. *conſt.* IV. *p.* 263.

Præbenda.

Præbendæ petitio in ſingulis cathedralibus & collegialibus, *Honor.* III. *conſt.* III. *p.* 43.
Præbendæ nec emi nec vendi debent, *Urb.* II. *conſt.* V. *p.* 4.
Præbendæ presbyterales octo à Doctoribus occupandæ, *Sixt.* IV. *conſt.* III. *p.* 285.
Præbenda cantoria vacans à quonam debet inſtitui, *vid. Canonici.*

Præceptum.

Præcepta imponuntur Comitibus & Baronibus Italiæ & quâ de cauſâ, *Mart.* II. *conſt.* I. *p.* 85.

Prædicator.

Prædicator Regis Francorum poteſt audientibus verbum impertiri quadraginta dies Indulgentiarum, *Clem.* VI. *conſt.* XXV. *p.* 190.

Præpoſitus.

Præpoſitus nullus eligendus contra canonicam regulam, *Alex.* II. *conſt.* I. *p.* 10.

Pragmatica.

Pragmatica ſanctio à Regno Franciæ tollenda decernitur. *Pius* II. *conſt.* IV. *p.* 266.
Pragmatica Sanctio à Regno Franciæ penitùs aboletur. *ibid. p.* 267.
Pragmatica Sanctio tempore ſchiſmatisorta, *ibid. p.* 267.
Pragmatica ſanctio ſedi Apoſtolicæ infenſa, *ibid. p.* 267.

Pravus.

Prava conſuetudo exigendi pecunias ab his qui recipiantur in canonicos. *Honor.* II. *conſt.* II. *p.* 15.

Primatus.

Primatus conceditur Alfonſo ſuper Acherontinam eccleſiam, *Urb.* II. *conſt.* VI. *p.* 6.

Privilegium.

Privilegia eccleſiæ colonienſis confirmantur, *Leo.* IX *conſt.* I. *p.* i. f.
Privilegia Theodorico Trevirenſi Archiepiſcopo conceſſa augentur. *Joa.* XIII. *conſt.* I. *p.* 1c.
Privilegia Monaſterio liparitano conceſſa confirmantur, *Urb.* II. *conſt.* I. *p.* 2.
Privilegium Archiepiſcopo Salernitano conceſſum quo primatum ſuper ſuffraganeos gerit. *Urb.* II. *conſt.* VII. *p.* 5.
Privilegia conceduntur cruce ſignatis, *Inn.* IV. *conſt.* VIII. *p.* 7. *addenda.*
Privilegia eccleſiæ Auguſtodunenſi confirmantur, *Paſch.* II. *conſt.* II. *p.* 3.
Privilegia Berengario episcopo conceſſa & confirmata, *Paſch.* II. *conſt.* V. *p.* 9.
Privilegia Norigaudo Epiſcopo pridem conceſſa Stephano Epiſcopo Auguſtodunenſi confirmantur, *Paſch.* II. *conſt.* VI. *p.* 9.
Privilegia plurima Monaſterio Cluniacenſi conceſſa, *Calixt.* II. *conſt.* I. *p.* 10.
Privilegium conceſſum Eccleſiæ Biſuntinæ S. Joannis quo omnem Epiſcopalis ſedis dignitatem obtinet, *Calixt.* II. *conſt.* IV. *p.* 12.
Privilegiorum Primatûs Eccleſiæ Toletanæ confirmatio, *Callixt.* II. *conſt.* V. *p.* 14.
Privileginm Rogerio Siciliæ Comiti conceſſum quo poteſtatem in ſuo Regno habet in Epiſcopos, *Urb.* II. *conſt.* VI. *p.* 16.
Privilegia conceſſa Templo Jeroſolymitano, *Alex.* III. *conſt.* II. *p.* 24.
Privilegium civibus Inſulæ Majoricarum conceſſum, *Inn.* IV. *conſt.* IV. *p.* 49.
Privilegia Templariis conceſſa & confirmata, *Luc.* III. *conſt.* I. *p.* 23.
Privilegium conceſſum Scotorum Eccleſiæ & Regi quo à nullo niſi à Papa excommunicari poſſunt. *Clem.* III. *conſt.* I. *p.* 53.
Privilegium quare Scotis conceſſum, *ibid. p.* 33.
Privilegium conceſſum Regi Angliæ ne à ſedis Apoſtolicæ Legatis poſſit excommunicari, *Clem.* V. *conſt.* XV. *p.* 142.
Privilegiorum revocationes nullæ declarantur, *Clem.* V. *conſt.* XVIII. *p.* 143.
Privilegium Bonifacii omnino revocatur, *Clem.* V. *conſt.* XVI. *p.* 144.
Privilegia circa excommunicationem Anglis conceſſa revocantur, *Joa.* XXI. *conſt.* I. *p.* 151.
Privilegia à Bonifacio octavo in concilio Generali conceſſa revocantur. *Joa.* XXI. *conſt.* VIII. *p.* 156.
Privilegia eximia univerſitati Lovanienſi pro tuendâ libertate conceduntur, *Mart.* V. *conſt.* I. *p.* 175.
Privilegium Univerſitatis Lovanienſis Rectori conceditur quo ſolus poteſt judicare de cauſis Scholarium, *ibid. p.* 176.
Privilegia Gallicanæ Eccleſiæ in integrum reſtituuntur, *Clem.* V. *conſt.* XVIII. *p.* 147.
Privilegia conceſſa hoſpitali B. Mariæ confirmantur, *Clem.* VI. *conſt.* IV. *p.* 198.
Privilegia univerſitati Paduanæ conceſſa confirmantur, *Clem.* VI. *conſt.* V. *p.* 199.
Privilegia aliarum univerſitatum conceduntur univerſitati Biturienſi, *vid. Univerſitas.*
Privilegia Templariorum quibus applicata, *vid. Templarii.*
Privilegia eadem ſervant Barones & Comites Regni Adriæ. *Clem* VII. *conſt.* I. *p.* 214.
Privilegia conceſſa Philippo Regi Franciæ ſuſpenduntur. *Bonif.* VIII. *conſt.* XI. *p.* 116.
Privilegia conceſſa prælatis Regni Franciæ qui adſunt Regis conſilio revocantur. *ibid. p.* 116.
Privilegiorum ſuſpenſio in Regno Franciæ menſe Novembri indicatur. *ibid. p.* 117.
Privilegia plurima conceduntur Regi Francorum, *Clem.* VI. *conſt.* I. *p.* 185.
Privilegium oppido Lovanienſi conceſſum quo incolæ non poſſunt trahi in Judicium extra oppidum, *Bonif.* IX. *conſt.* I. *p.* 220.
Privilegia omnia Lovanienſibus conceſſa confirmantur, *ibid. p.* 220.
Privilegia mendicantibus conceſſa turbas procreant in Galliâ, *Joan.* XXII. *conſt.* I. *p.* 223.
Privilegia mendicantium penitus revocantur, *ibid. p.* 223.
Privilegia Patavinæ Univerſitatis confirmantur, *Eug.* IV. *conſt.* XIII *p.* 241.
Privilegia conceſſa Scholaribus Univerſitatis Pariſienſis quænam ſint? *Joa.* XXI. *conſt.* II. *p.* 224.
Privilegia à quolibet conceſſa amittunt fautores ſocietatis magnæ, *Urb.* V. *conſt.* II. *p.* 204.
Privilegia conceſſa oppido Lovanienſi à Gregorio undecimo Urbano quarto confirmantur, *Bonif.* IX. *conſt.* I. *p.* 219.
Privilegia eadem conceduntur Univerſitati Colonienſi ac Academiæ pariſienſi, *Urb.* VI. *conſt.* V. *p.* 219.
Privilegia conceſſa ordinibus ſanctorum Benedicti & Auguſtini revocantur, *Inn.* IV. *conſt.* V. *p.* 202.

Proceſſio.

Proceſſionem nullus Canonicus intrare debet niſi poſt crucem, *vid. Canonici.*
Proceſſionem generalem debet ordinare cantor, *vid. ibid.*

Processio non debet exire per magnam portam clauſtri pro funere alicujus, *vid. ibid.*

Proceſſus.

Proceſſus habetur contra Petrum Regem Aragoniæ, *Mart.* IV. *conſt.* I. *p* 84.

Proceſſus contra Bonifacium impeditivus nimis declaratur pro negotio terræ Sanctæ, *Clem.* V. *conſt.* XVIII. *p.* 146.

Proceſſus in Bonifacium bono & ſincero zelo factus declaratur, *ibid. p.* 146.

Proceſſus juris vel facti verbo vel litteris caſſantur, *ibid. p.* 147.

Proceſſus per Eugenium habiti nulli declarantur, *Nic.* V. *conſt.* V. *p.* 257.

Procurator.

Procuratores Cleri Britanniæ Nannetenſes ad ſummum Pontificem deputati, *Clem.* V. *conſt.* XVI. *p.* 141.

Procuratores Regis Angliæ Papam amicabilem compoſitorem compromittere juranr, *Bonif.* VIII. *conſt.* IX. *p.* 114.

Procuratores Regis Angliæ nolunt diſcordias concordare, *ibid. p.* 114.

Proles.

Prolis interitus & myſteriorum profanatio condemnantur, *Alex.* III. *conſt.* IV. *p.* 26.

Promiſſum.

Promiſſa ſervare aſſerit ſummus Pontifex Eugenius, *Eug.* IV. *conſt.* XIX. *p.* 249.

Propoſitio.

Propoſitiones Maſſilii de Padua hæreticæ declarantur, *Joa.* XXI. *conſt.* XIX. *p.* 173.

Propoſitiones Joannis Janduni errores continere ſententialiter declarantur, *ibid. p.* 173.

Propoſitiones Guillelmi okam damnantur, *vid. Guillelmus.*

Propoſitiones Bohemicorum hæreticæ declarantur, *vid. hæreſis.*

Propoſitiones quas docent templarii execrabiles declarantur, *vid. Templarii.*

Provincialis.

Provinciales Mendicantium debent eligere perſonas idoneas ad audiendas confeſſiones, *Alex.* V. *conſt.* I. *p.* 221.

Provincia.

Provinciæ variæ in Regnum Adriæ ordinantur, *Clem.* VII. *conſt.* I. *p.* 210.

Proviſio.

Proviſiones beneficiorum ſummo Pontifici reſervatæ, *Nic.* V. *conſt.* III. *p.* 253.

Proviſiones canonicatuum Summo Pontifici reſervatæ, *ibid p.* 253.

Proviſiones prioratuum Summo Pontifici reſervatæ, *Nic.* V. *conſt.* III. *p.* 233.

Proviſiones monaſteriorum Summo Pontifici reſervatæ, *ibid. p.* 253.

Proviſiones Eccleſiarum Summo Pontifici reſervatæ, *ibid. p.* 252.

Proviſiones Eccleſiarum viris idoneis tribuendæ, *ibid. p* 252.

Q

Quæſtio.

Quæſtiones agitatæ à Guichardo Epiſcopo quomodo faciendæ, *Urb.* II. *conſt.* IV. *p.* 3.

Quæſitor.

Quæſitores nominantur ut Diœceſim Gebennenſem inſpiciant, *Clem.* V. *conſt.* III. *p.* 126.

R

Raymundus.

Raymundus Toloſanus Comes excommunicatur tanquam fautor Albigenſium, *Honor.* III. *conſt.* I. *p.* 3. *addenda.*

Razerius.

Razerius hæreticus juxta canones judicandus, *Joa.* XXI. *conſt.* VIII. *p.* 156.

Rector.

Rectores Eccleſiarum ad quos Rex & Regina Francorum declinant poſſunt ſacramenta miniſtrare eorum familiaribus, *Clem.* VI. *conſt.* XV. *p.* 188.

Rectores inſtituendi præſentantur epiſcopo, *vid. canonici.*

Redemptor.

Redemptoris beneficia debent movere corda redemptorum, *Greg.* X. *conſt.* I. *p.* 78.

Reformatio.

Reformatio officialium, *vid. Officiales.*

Religioſi.

Religioſi Italici caſtellis ſervantur ob negationem adhæſionis appellationi, *vid. Franciæ Rex.*

Religioſi viri præmittuntur in eccl ſiâ B. Martini ut Simonia tollatur, *Urb.* II. *conſt.* V. *p.* 4.

Remembrantia.

Remembrantiæ duodecim faciendæ, *vid. Anniverſaria.*

Reprobatio.

Reprobationes per Eugenium factæ nullæ cenſentur, *Nic.* V. *conſt.* V. *p.* 253.

Reſervatio.

Reſervationes non faciendæ contra mentem ſummi Pontificis, *Nic.* V. *conſt.* III. *p.* 253.

Reſidentia.

Reſidentia præſcribitur canonicis carnotenſibus & quâ de cauſâ, *Luci.* III *conſt.* IV. *p.* 30.

Ad Reſidentiam tenentur Altariſtæ, *vid. Canonici.*

Reſidentiam primam facere debuit qui intrat in chorum, *vid. ibid.*

Reſidentiam primam facientes diſtributiones lucrentur, *vid. ibid.*

Reſidentiâ non completâ fructus canonici fabricæ Eccleſiæ applicandi, *vid. ibid.*

Reſidentia centum & duodecim dierum facienda ante ſucceſſionem canonicatui. *vid. ibid.*

Richardus.

Richardus non ſine contemptu principum Alemanniæ Rex nominatur, *Urb.* IV. *conſt.* II. *p.* 22. *addenda.*

Robertus.

Robertus de Brus excommunicandus ſi monitis ſummi Pontificis parere nolit. *vid. excommunicatio.*

Robertus de Brus ſe gerit pro Rege Scotiæ, *Joa.* XXI. *conſt.* I. *p.* 151.

Robertus de Brus ſacrilegia committit, incendit ædes ſacras & eccleſias, *Joan.* XXI. *conſt.* III. *p.* 152.

Robertus de Brus Perſonas cujuſcunque conditionis & ſexus immaniter trucidat, *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus loca ſacra proditionaliter polluit, *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus cum fratre Eduardo agros vaſtat, caſtra occupat. *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus cum fratre ſuo Eduardo terras valliæ & Hiberniæ occupat. *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus Regnum Angliæ invadit, *ibid. p.* 151.

Robertus de Brus in terrâ ſuâ Scotiæ guerras cum fratre ſuo movet, *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus contra homagium præſtitum agit, *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus liberum paſſagium Regi Angliæ occludit. *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus vaſa ſacra aufert & furatur, *ibid. p.* 152.

Robertus de Brus debet reparare Eccleſias & Monaſteria quæ deſtruxit, *ibid. p.* 153.

Roberti de Brus facta omnia irritanda ac ſuorum complicium, *ibid. p.* 153.

Robertus de Brus compellendus per cenſuram eccleſiaſticam ut omnia reſtituat, *ibid. p.* 153.

Roberto de Brus nemo debet præſtare auxilium vel favorem, *ibid. p.* 153.

Robertus de Brus cum fratre ſuo rogandus ut omnia bona ſua reſtituat, loca diruta reædificet intra certum tempus, *ibid. p.* 153.

Robertus de Brus cogetur reſtituere fructus quos malâ fide percepit, *ibid. p.* 153.

Robertus de Brus rejicit publicationem Treugarum, litteras Apoſto-

Apostolicas nunciis sedis Apostolicæ eripit & lacerat, *Joan.* XXI. *const.* IX. *p.* 156.
Robertus de Brus villam Berewici in Angliâ hostiliter invadit, *ibid. p.* 157.
Robertus de Brus irridet summo Pontifici multis de modis, *ibid. p.* 159.
Roberti de Brus senescallus litteras Apostolicas guardiano minoritæ eripit, *ibid. p.* 159.
Robertus de Brus litteras Apostolicas legere recusat, *ibid. p.* 159.
Robertus de Brus nuntios sedis Apostolicæ ad tractatum admittere denegat, *ibid. p.* 159.
Robertus de Brus monitis summi Pontificis parere recusat. *ibid. p.* 159.
Robertus de Brus in Ecclesiam Romanam rebellis declaratur, *Joa.* XXI. *const.* 12. *p.* 160.
Robertus de Brus Anglos immaniter mactat, *ibidem pag.* 167.
Roberto de Brus tanquam Regi scribitur, *Joa.* XXI. *const.* 18. *p.* 167.

Rocha.

Rocha pontius hæreticus juxta canones judicandus, *Joa.* XXI. *const.* 8. *p.* 156.

S

Sabaudia.

Sabaudiæ Dux Amedeus Regno privatur, *Nic.* V. *const.* 2. *p.* 251.
Sabaudiæ Regnum ad Regem Franciæ devolvitur, *ibid. p.* 251.
Sabaudiæ Dux Amedeus schismaticus notorius declaratur, *ibid. p.* 251.
Sabaudiæ Joannes Ludovicus Ecclesiæ Genevensis episcopus recipiendus declaratur, *Pius* II. *const.* 2. *p.* 265.
Sabaudiæ Joannes Ludovicus Ecclesiæ Gebennensis administraror perpetuus constituitur, *Pius* II. *const.* 3. *pag.* 266.
Sabaudiæ ducatus Ecclesiastico subjacet interdicto si ipse Dux summo Pontifici parere renuat, *Sixt.* IV. *const.* 5. *p.* 285.
Sabaudiæ Dux rogatur ut omnia tollat obstacula quæ impediunt liberam Ecclesiæ Genevensis possessionem, *ibid. p.* 284.
Sabaudiæ Dux rogatur ut non ulteriùs infestet Episcopum Genevensem, *ibid. p.* 284.

Sacerdos.

Sacerdotum potestas inæqualis convincitur ex veteri & ex novo testamento, *Joa.* XXI. *const.* 19. *p.* 171.
Sacerdos curatus dans licentiam mendicantibus magis dispensat quàm Papa: hæc propositio damnatur, *Alex.* V. *const. p.* 222.
Sacerdos proprius potestatem habet absolvendi parochianos non fratres mendicantes, *vid. Fratres.*

Sanctius. Santonius.

Sanctius hæreticus juxta canones judicandus, *Joa.* XXI. *const.* 8. *p.* 156.
Santonius hæreticus etiam judicandus, *ibid. p.* 156.

Sarraceni.

Sarraceni in oriente fidem Christianam amplectuntur, *Nic.* V. *const.* 13. *p.* 262.

Saxonia.

Saxoniæ Ducis litteræ ad Clementem missæ apud Reulam recipiuntur, *Clem.* V. *const.* 7. *p.* 133.

Schisma.

Schismatis tempore quæ facta sunt tam in concilio ferrariensi quàm in Concilio Basileensi nulla decernuntur, *Nic.* V. *const.* 1. *p.* 256.

Scotia.

Scotiæ Regnum ad Romanam Ecclesiam pertinet, *Bonif.* VIII. *const.* X. *p.* 115.
Scotiæ Rex fidelitatem pro Regno Scotiæ nunquam præstitit, *ibid. p.* 115.
Scotiæ Rex coronationi Regis Angliæ adest non ex debito sed ex gratiâ, *ibid. p.* 115.
Scotiæ nobiles, hiberniæ incolas & animalia secum abducunt, *Joan.* XXI. *const.* 13. *p.* 161.
Scotiæ nobiles non obstante excommunicatione hiberniam invadunt, *ibid. p.* 161.
Scotiæ Regnum Ecclesiastico subjacet interdicto, *Joan.* XXI. *const.* 14. *p.* 162.
Scotiæ multorum criminum rei an absolvendi? *ibidem pag.* 162.

Seguinius.

Seguinius hæreticus juxtà canones judicandus, *Joan.* XXI. *const.* 8. *p.* 156.

Sententia.

Sententiæ in regulares latæ revocantur, *Alex.* IV. *const.* 1. *p.* 51.
Sententia quænam feratur in non solventes partem centum millium florenorum. *Innoc.* VI. *const.* 5. *p.* 202.
Sententiæ latæ ab homine vel à jure, non inclusæ in sextò libro Decretalium revocantur, *Clem.* V. *constit.* 18. *pag.* 147.
Sententia in Robertum de Brus exequenda profertur? *Joa.* XXI. *const.* 14. *p.* 162.
Sententiæ ab Episcopo Monasterienfi latæ nullæ & irritæ declarantur, *Eug.* IV. *const.* 18 *p* 247.

Sepultura.

Sepultura parvulorum gratis faciendà, *Clem.* V. *const.* 16. *p.* 144.

Servianus.

Servianus ferrarius hæreticus juxta canones judicandus, *Joa.* XXI. *const.* 8. *p.* 156.

Sicilia.

Siciliæ Regnum Edmundo eripitur & alteri transfertur, *Urb.* IV. *const.* 3. *p.* 25. *addenda.*
Siciliæ Regno non potest succurrere Edmundus, *ibid. pag.* 25. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus erectus non observat conditiones, *Urb.* V. *const.* 3. *p.* 23. *addenda.*
Siciliæ Regnum salvum remanet Regi Edmundo non obstante concordiâ cum Manfredo. *Alex.* IV. *const.* 2. *p.* 16. *addenda.*
Siciliæ Regnum tradendum Comiti Provinciæ, *Innoc.* IV. *const.* 14 *p.* 2. *addenda.*
Siciliæ Regnum Edmundo conceditur, *Alex.* IV. *const.* 2. *p.* 12. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus non debet eligi Imperator, *ibid. p.* 12. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus debet libertates Ecclesiarum intactas relinquere, *ibid. p.* 12. *addenda.*
Siciliæ Rex debet restituere Ecclesiis omnia bona prius occupata, *ibid. p.* 12. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus debet relinquere civitati Beneventanæ omnes immunitates, *ibid. p.* 13. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus debet linquere usus Baronum intactos, *ibid. p.* 13. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus debet confirmare privilegia à summo Pontifice concessa, *ibid. p.* 13. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus debet solvere centum millia florenorum Ecclesiæ Romanæ, *ibid. p.* 13. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus si pacta non adimpleat eo ipso de jure Regni cadit, *ibid. p.* 14. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus donationes debet confirmare itatamen ut valentiam duarum millium unciarum auri non excedant, *ibid. p.* 14. *addenda.*
Siciliæ Rex Edmundus mittet Capitaneum cum militia competenti, *ibid. p.* 15. *addenda.*
Siciliæ Regis Edmundi pater debet solvere pro negotio Regni centum & triginta millia Marcarum, *ibid. p.* 15. *addenda.*
Siciliæ Regi Rogerio ducatum Apuliæ concedit, *Inn.* II. *const.* 4. *p.* 18.
Siciliæ Regnum Carolo Andegavensi Comiti confertur, *Clem.* IV. *const.* 2. *p.* 56.
Siciliæ Regis Primogenitus Masculus legitimè descendens Regno debet succedere, *ibid. p.* 60.
Et succedet Primogenita filia si non sint Masculi, *ibidem p.* 60.
Et primogenita illa tenetur nubere viro Catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto, *ibid. num.* 5.

Si non nubat viro Catholico Ecclesia & comitatus ipsius Regni administrationem liberam obtinet, *ibid. num. 6.*
Si vidua facta nubat postea viro Catholico redit in primum jus Regni, sed nihil de perceptis fructibus illi debet restitui, *ibid. num. 7.*
Si ignoranter nubat viro non Catholico eo vivente Ecclesia etiam habebit administrationem Regni, *ibid. num. 8.*
Si virum viventem ad fidei veritatem reducit habebit Regni administrationem, *ibid. num. 9.*
Si filius Regis Franciæ plures habeat filios unus ex eis succedet in Regno, *ibid. num. 11.*
Si filius Regis Franciæ unicum filium habet poterit eligere quemdam consanguineum, *ibid. num. 12.*
Si nullus potest eligi Ecclesia eliget quemcumque alium prout voluerit, *ibid. num. 13.*
Si unicus sit tantum successor qui idem sit Rex Franciæ poterit tunc tantum eligere quemlibet affinem, *ibid. num. 15.*
Siciliæ Regni hæredes ligium homagium summo Pontifici facere tenentur, *Clem. IV. const. 11. p. 61.*
Siciliæ Regi decedenti filia superstes nupta Imperatori non potest succedere in Regno, *ibid. p. 62.*
Siciliæ Rex jam electus si Imperator eligitur non potest transire ad Imperium, *ibid. p. 62.*
Siciliæ Regni hæres Rex vel Imperator electus amittit Jus in Siciliæ Regnum, *ibid. p. 62.*
Siciliæ Regnum qui uniet Imperio pœnas spirituales incurret, *ibid. p. 63.*
Siciliæ Rex tenetur restituere omnia bona quæ pertinent ad Ecclesias, *ibid. p. 63.*
Siciliæ Rex si civitatem Beneventanam molestat vel terras Romanæ Ecclesiæ Regni Siciliæ jure cadit, *ibid. p. 63.*
Siciliæ Rex debet revocare leges factas per Fidericum vel per Conradum Friderici filium, *ibid. p. 63.*
Siciliæ Rex privilegia Ecclesiarum intacta relinquet, *ibid. p. 63.*
Siciliæ Rex restituet libertati captivos & obsides qui tenentur in Regno, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex cum multis militibus venire debet ad Comitiva ultra montanorum *ibid. p. 64.*
Siciliæ Regni hæredibus eædem conditiones imponuntur ac Carolo Andegavensi Comiti, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex debet promittere quod nullus Clericus conveniatur coram judice sæculari, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex nullas Tallias imponet Ecclesiis, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex Baronum Militum privilegia quibus gaudebant sub Guillelmo secundo intacta relinquet, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex exulibus ad mandatum Ecclesiæ bona restituere tenetur, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex nullam confœderationem cum Imperatore vel Principe debet facere contra Romanam Ecclesiam, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Regnum amittet Carolus Andegavensis Comes si non potest negotium susceptum consequi intra tempus præscriptum, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex electus juramento fatebitur se illud tenere ab Ecclesiâ Romanâ, *ibid. p. 64.*
Siciliæ Rex electus Juramentum præstabit coram personis fide dignis, *ibid. p. 65.*
Siciliæ Regni infeudatio Carolo S. Ludovici fratri facta, *Clem. IV. const. 3. p. 65.*
Siciliæ Regni infeudationis potestas concessa Ambaldo Basilicæ Apostolorum presbytero, *ibid. p. 66.*
Siciliæ Regni concessio Friderico Imperatori facta revocatur, *ibid. p. 67.*
Siciliæ Regi novæ conditiones imponuntur, *ibid. p. 67.*
Siciliæ Regnum in feudum conceditur à deputatis summi Pontificis, *ibid. p. 67.*
Siciliæ Regnum ad Romanam Ecclesiam revertitur si desint hæredes, *ibid. p. 67.*
Siciliæ Rex Regni terras non potest dividere, *ibid. p. 68.*
Siciliæ Rex Juramento tenetur ut non se eligi patiatur Rex Teutoniæ vel Lombardiæ, *ibid. p. 68.*
Siciliæ Regi Juramentum & Homagium summo Pontifici quomodo fieri debet, *ibid. p. 68*
Siciliæ Rex filius Imperator electus debet emancipari à Patre suo & Regno Siciliæ renuntiare, *ibid. p. 69.*
Siciliæ Regis filius minor annis septendecim Patre mortuo in custodiâ Ecclesiæ Romanæ remanet, *ibid. p. 69.*
Siciliæ Rex pro novis acquisitionibus quinquaginta millia Marcarum Sterlingarum Romano Pontifici debet solvere, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex in quolibet triennio unum palefridum album bonum Romano Pontifici debet dare, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex Beneventanis securitatem in suo Regno præstare debet, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex pro reædificandâ civitate Beneventanâ lignamina sui Regni per septennium præstare debet, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex trecentos milites bene armatos Romano Pontifici debet præstare prout opus fuerit, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex debet revocare privilegia concessa per Fridericum Romanum Imperatorem, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex non potest sibi nec hæredibus acquirere quæ sunt in territorio Ecclesiæ Romanæ, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Regis pœna spiritualis ad suos hæredes non extenditur, *ibid. p. 70.*
Siciliæ Rex tenetur restituere non solùm occupata, sed reparare injurias illatas, *ibid. p. 71.*
Siciliæ Rex tenetur restituere bona Ecclesiis Cathedralibus, *ibid. p. 71.*
Siciliæ Rex debet conservare Ecclesiis Cathedralibus liberam electionem, *ibid. p. 71.*
Siciliæ Rex debet permittere ut causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes liberè agitentur, *ibid. p. 71.*
Siciliæ Regi debent præstare Sacramenta fidelitatis omnes Clerici & Canonici, *ibid. p. 71.*
Siciliæ Rex debet revocare leges editas à Friderico contra libertatem Ecclesiarum, *ibid. p. 71.*
Siciliæ Rex infrà tres menses monitus ut Patrimonium B. Petri in Tusciâ reddat Regni Siciliæ jure cadit totaliter, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Rex non debet imponere Tallias Monasteriis nec Ecclesiis, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Regni Barones habere debent eamdem libertatem ac sub Guillelmo secundo, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Rex Comitatum Foranum salvum servare debet, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Rex nullum pactum facere debet contra Romanam Ecclesiam, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Regi numerus militum præscribitur, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Regnum potest revertere ad Romanam Ecclesiam, *ibid. p. 72.*
Siciliæ Rex fateri debet in Privilegio Bullâ aureâ Bullato se à summo Pontifice tenere Regnum Siciliæ, *ibid. p. 72.*
Siciliæ usurpator Rex Petrus rebelles incitat adversùs Ecclesiam, *Mart. II. const. 1. p. 86.*
Siciliæ Regnum non Petro Aragonum Regi, sed Ecclesiæ Romanæ competere probant monumenta antiqua, *ib. p. 86.*
Siciliæ Regni quisnam usurpator, *ibid. p. 86.*
Siciliæ invasor merito vocandus nepos Regis Aragoniæ, *ibid. p. 87.*
Siciliæ usurpator cum Panormitanis rebellibus societatem init, *ibid. p. 87.*
Siciliæ Regni Jure cadit Petrus Aragoniæ Rex, & sic declaratur à summo Pontifice, *ibid. p. 87.*
Siciliæ usurpatorem Petrum Aragoniæ ac fautores interdicto ferit summus Pontifex, *ibid. p. 87.*
Siciliæ usurpatori Petro Aragoniæ Regi omne planè interdicitur auxilium, *Mart. II. const. 1. p. 88.*
Siciliæ usurpator & Michaël Palæologus omnibus bonis & ditionibus expoliantur, *ibid. p. 8 .*
Siciliæ Mulieres quæ favorem quemdam præstiterunt à Diœcesanis possunt absolvi, *ibid. p. 89.*
Siciliæ usurpator Petrus Aragoniæ Rex rursus anathemate percutitur. *ibid. p. 89.*
Siciliæ usurpator Petrus Aragoniæ Regno & omni ditione spoliatus declaratur, *ibid. p. 90.*
Siciliæ Regis tres filii obsides dantur pro Principe Salernitano, *Nic. IV. const. II. p. 100.*
Siciliæ Regi Carolo conceditur facultas instituendi Monasterium S. Maximini, *Bonif. VIII. const. IV. p. 110.*
Siciliæ Rex Carolus laudatur pro zelo suo ad inquirendas S. Magdalenæ Reliquias, *ibid. p. 110.*
Siciliæ Regni incolæ si quidam sacramentum præstiterint absolvuntur, *Callixt. III. const. I. p. 264.*

Siciliæ Rege Alfonso mortuo Regnum ad Romanam sedem devolvitur, *ibid. p.* 264.
Siciliæ Regni incolæ soli Romano Pontifici Sacramentum fidelitatis præstare debent, *ibid. p.* 264.

Sigismundus.

Sigismundus Mantuam venit & infectâ pace recedit, *Pius* II. *const.* 6. *p.* 269.
Sigismundum anathemate minatur Callixtus, *ibid. p.* 269.
Sigismundus Episcopum Brixinensem injustè incarcerat, *ibid. p.* 269.
Sigismundus Brunegkam militibus sacrâ hebdomadâ obsidet, *ibid. p.* 269.
Sigismundus Ecclesiæ Brixinensis cartas & Privilegia eripit, *ibid. p.* 269.
Sigismundus prædicat se non teneri obedire summo Pontifici, *ibid. p* 271.
Sigismundus citatur coram Romano Pontifice cum omnibus asseclis suis, *ibid. p.* 271.
Sigismundus suique assecłæ renuunt comparere coram summo Pontifice, *ibid. p.* 271.
Sigismundus criminis læsæ Majestatis reus cum assecłis suis declaratur, *ibid. p.* 273.
Sigismundus contumax declaratur eum assecłis suis, *ibid. p.* 273.
Sigismundo nec assecłis quidquam debet vendi pro vitâ sustentandâ, *Pius* II. *const.* 7. *p.* 274.
Sigismundus anathematizatus in omnibus Ecclesiis debet declarari, *ibid. p.* 274.
Sigismundi bona quæcumque interdicto Ecclesiastico subjecta declarantur, *ibid. p.* 274.
Sigismundus cum assecłis suis excommunicationem incurrit, *ibid. p.* 274.
Sigismundi assecłæ bonis privati declarantur, *ibid. p.* 274.

Silentium.

Silentium perpetuum imponitur super omnia quæ acta sunt per neutralitatem, *Eug.* IV. *const.* 19. *p.* 248.

Simonia. Simoniaci

Simonia frequentata in conferendis Beneficiis, *Nic.* V. *const.* 3. *p.* 254.
Simoniaci absolvi possunt à censuris, *ibid. p.* 255.
Simoniaci absolvi possunt ab excommunicatione, *ibid. p.* 255.
Simoniaci absolvi possunt ab obligatione restituendi fructus perceptos, *ibid. p.* 255.

Societas.

Societas nuncupata magna virgines rapit, *Urb.* V. *const.* 11. *p.* 205.
Societas magna nullam pietatem habet, *ibid. p.* 203.
Societas magna nullam fidem habet, *ibid. p.* 203.
Societas magna Ecclesias & Monasteria incendit, *ibid. p.* 203.
Societatem magnam nemo congregare debet, *ibid. p.* 204.
Societatis magnæ nemo debet sumere capitaneatum, *ibid. p.* 204.
Societatis magnæ nemo debet vexillum erigere vel deferre, *ibid. p.* 204.
Societati magnæ nemo debet præbere auxilium, *ibid p.* 204.
Societati magnæ favorem præstantes excommunicantur. *vide excommunicatio.*
Societatis magnæ fautorum bona subjacent interdicto Ecclesiastico, *ibid.* 204.
Societatis magnæ fautores sua amittunt privilegia, *vid. privilegium.*
Societatis magnæ fautores fiunt intestabiles, *ibid p.* 204.
Societatis magnæ fautorum filii usque ad tertiam generationem omni honore excluduntur, *ibid. p.* 204.
Societatis magnæ Capitanei Conestabiles ab omni dignitate deponuntur, *ibid. p.* 204.
Societatis magnæ milites sæculares cingulo militari privantur, *ibid. p.* 204.
Societatis magnæ milites Ecclesiasticis Beneficiis privantur. *vid. beneficium.*
Societatis magnæ bona mobilia quibuslibet conceduntur occupanda, *ibid. p.* 205.
Societas magna Civitates castra diruit & evertit, *ibid. p.* 205.

Subsidium.

Subsidium centum florenorum levandum ab Archiepiscopo Cantuariensi, *Inn.* VI. *const.* 5. *p.* 201.
Subsidium centum florenorum Cameræ assignandum, *ibid. p.* 201.

Successio.

Successio in Regno Angliæ approbatur, *Inn.* VIII. *const.* 11. *p.* 297.

Syndicus.

Syndici Gebennenses laudantur quia impedierunt ne Episcopus Montis Regii ex Urbe exiret, *Nic.* V. *const.* 9. *p.* 259.

T

Taxa.

Taxæ à Joanne XXII. impositæ corriguntur, *Sixt.* IV. *const.* 1. *p.* 281.

Templarii.

Templarii confitentur crimina coram Cardinalibus ad id deputatis, *Clem.* V. *const.* 5. *p.* 128.
Templariorum audiuntur depositiones à Cardinalibus SS. Cyriaci & Angeli ad id deputatis, *Clem.* V. *const.* 1. *p.* 128.
Templarii Sodomitæ & in varias hæreses lapsi, *ibid. p.* 127.
Templarii quamplurimi magna crimina confitentur, *ibid. p.* 127.
Templarius quidam vir magnæ generositatis confitetur coram summo Pontifice se abnegasse Christum, *ibid. p.* 127.
Templariorum Magister sponte confitetur coram personis Ecclesiasticis fratres in professione abnegare Christum, *ibid. p.* 127.
Templarii tenentur inventaria bonorum suorum accuratè facere, *ibid. p.* 127.
Templarii omnes unâ die capiuntur in Galliâ, *ibid. p.* 126.
Templariorum bona distribuuntur juxta mentem Concilii Viennensis, *Clem.* V. *const.* 20. *p.* 149.
Templariorum privilegia fratribus S. Joannis Jerosolymitani applicantur, *ibid. p.* 149.
Templariorum nemo gerat habitum sub pœnâ excommunicationis, *ibid. p.* 149.
Templarii decimas non solvere debent, *vide Decima.*
Templariorum bona à Rege Angliæ liberanda flagitantur, *vid. Rex Angliæ.*
Templariorum causa in Concilio examinanda, *vid. Concilium.*
Templariorum bona retinentes tenentur restituere, *Clem.* V. *const.* 20. *p.* 150.
Templarii debent castè vivere & superioribus obedire, *Alex.* III. *const.* 11. *p.* 24.
Templarii debent semper expugnare inimicos, *ibid. p.* 24.
Templariis permittitur ut spolia Turcarum in usus sacros convertant, *ibid. p.* 24.
Templariorum superior eligendus tanquam persona militaris, *ibid.* 25.
Templariorum consuetudine infringere nemini licitum est, *ibid. p.* 25.
Templarii non tenentur præstare homagia & juramenta ulli personæ sæculari, vel Ecclesiasticæ, *ibid. p.* 25.
Templarii possunt recipere Clericos pro officiis celebrandis, *ibid p.* 25.
Templarii possunt remittere Clericos qui non regulariter vivunt, *ibid. p.* 25.
Templariorum professio quomodo emitti debet, *ibid. p.* 25.
Templarii possunt à quolibet Episcopo Sacros Ordines recipere, *ibid. p.* 25.
Templariis permittitur ut Oratoria construant, *ibid. p.* 25.
Templarii possunt à quibuslibet Ecclesiasticis Sacramenta suscipere, *ibid. p.* 25.
Templarii advenientes in quemdam locum, Ecclesiæ interdictæ possunt aperiri, *ibid. p.* 26.
Templariorum bona in subsidium terræ sanctæ applicantur, *Clem.* V. *const.* 20 *p.* 149.

Templariorum bona domibus fratrum S. Joannis Jerosolymitani uniuntur, *ibid. p.* 149.
Templariorum ordo in perpetuum deletur, *ibid. p.* 149.
Templariorum bona jacentia in Regnis Aragoniæ & Franciæ non tradenda sunt fratribus S. Joannis Jerosolimitani, *ibid. p.* 150.
Articuli super quibus inquirendum est contra Templarios, *Clem. V. const.* 5. *p.* 129.
Quod quilibet in receptione suâ abnegabat Christum aliquando crucifixum, *ibid. num.* 1.
Quod communiter fratres hoc faciebant, *ibid. num.* 2.
Quod dicebant recipientes Christum non fuisse verum Deum, *ibid.* 4. *num.* 3.
Quod dicebant ipsum fuisse falsum prophetam, *ibidem num.* 5.
Quod dicebant etiam ipsum non fuisse passum pro redemptione generis humani, *ibid. num.* 6.
Quod receptores & recepti non spem salvationis habebant per Jesum, *ibid. num.* 7.
Quod faciebant spuere super crucem quos recipiebant, *ibid. num.* 8.
Quod quandoque mandabant Crucem pedibus conculcari, *ibid. num.* 9.
Quod etiam desuper mingebant, *ibid. num.* 21.
Quod in die veneris sancti plerique hoc faciebant, *ibid. num.* 12.
Quod adorabant quendam illis apparentem in cõgregationibus, *ibid. num.* 13.
Quod illud faciebant in vituperium Christi, *ibid. num.* 14.
Quod non credebant sacramentum Altaris, *ibid. num.* 15.
Quod credebant magnum Magistrum ab illis peccatis posse illos absolvere, *ibid. num.* 19.
Quod magnus Magister hæc omnia crimina confessus est in præsentia magnarum personarum, *ibid. num.* 22.
Quod receptus & recipiens quandoque se deosculabantur in ore in umbilico seu in ventre nudo, *ibid. num* 23.
Aliquando etiam in spinâ dorsi, *ibid. num.* 25.
Aliquando etiam in virgâ virili, *ibid. num.* 26.
Quod faciebant juvare receptos se nunquam ex ordine exire, *ibid. uum.* 27.
Quod recepti statim habebantur pro professis, *ibid. num.* 28.
Quod receptiones fiebant clandestinè, *ibid. num.* 29.
Quod fratribus quos recipiebant dicebant quod fas erat commisceri carnaliter, *ibid. num.* 33.
Quod debebant hoc facere invicem & pati, *ibid. num* 35.
Quod habebant idola per plures provincias, *ibid. num.* 39.
Quod illa idola adorabant in suis capitulis, *ibidem num.* 40.
Quod venerabantur illa idola ut Deum, *ibid. num.* 42.
Quod dicebant quod illud idolum poterat illos salvare, *ibid. num.* 46.
Quod dabat eis omnes divitias ordinis, *ibid. num.* 48.
Quod faciebat terram germinare, *ibid. num.* 50.
Quod aliquod Caput idolorum augebant citra Camisiam, *ibid. num.* 51.
Quod injungebatur receptis per sacramentum ne crimina revelarent, *ibid. num* 61.
Quod revelantes morte puniebantur, *ibid. num.* 65.
Quod prædicta crimina committebantur citra mare, *ibid. num.* 70.
Quod abnegatio Christi fiebat in præsentiâ Magistri, *ibid. num.* 71.
Quod nolentes observare modum statutum receptionis graviter puniebuntur, *ibid. num.* 89.
Quod eleemosynæ non fiebant in ordine, *ibid. num.* 90.
Quod jurabunt bona ordinis per fas & nefas augere, *ibid. num.* 92.
Quod clam tenebant sua capitula, *ibid. num.* 94.
Quod illa tenebant in primâ vigiliâ noctis, *ibid. num.* 95.
Quod ponebant excubias, supra tecta domûs, *ibid. num.* 98.
Quod magnus Magister confessus est illos errores antè captionem, *ibid. num.* 101.
Quod multi fratres propter illos errores ex ordine exierunt, *ibid. num.* 110.

Terra.

Terræ sanctæ expeditio quomodo retardata, *Mart.* II. *const.* IV. *p.* 94.
Terræ sanctæ expeditio proponitur. multæ rationes adducuntur, *Greg.* X. *const.* I. *p.* 78.

Terraconensis.

Terraconensis Civitas manet jure salva cum omnibus districtibus, *Mart.* II. *const.* VI. *p.* 98.

Terriagium.

Terriagii ignobiles tenentur solvere nonam partem parocho, *Clem.* V. *const.* XVI. *p.* 143.
Terriagium non tenentur solvere nobiles Britanniæ si non sit consuetudo, *ibid. p.* 143.
Terriagium non debet solvere qui non habet quadraginta solidos, *ibid. p.* 143.

Theodosius.

Theodosius Magnus Ambrosio Mediolanensi se submittit, *Bonif.* VIII. *const.* XII. *p.* 118.
Theodosius Imperator quid respondet concilio Romæ convocato, *Joa.* XXI. *const.* XIX. *p.* 170.
Theodosius Imperator sanxit quod nullus Clericus coram judicibus pertrahatur, *Joa.* XXI. *const.* IX. *p.* 170.

Theutgardus.

Theutgardus Primas Trevirensis sacerdotii officio alienus declaratur, *Nic.* I. *const.* I. *p.* 1ª.

Torellius.

Torellius Berengarius hæreticus juxtà canones judicandus, *Joa.* XXI. *const.* VIII. *p.* 156.

Treugæ.

Treugas infringentes supponuntur Ecclesiastico interdicto, *Joa.* XXI *const* V. *p.* 154.
Treugæ inter Regem Angliæ & Franciæ fiunt ac firmantur, *Clem.* VI. *const.* III. *p.* 194.
Treugæ inter Reges Angliæ & Franciæ initæ dissolvuntur, *ibid. p.* 194.
Treugæ inter Angliæ Regem & Robertum de Brus per biennium promulgandæ & ineundæ, *Joa.* XXI. *const.* V. *p.* 154.
Treugas conservantes ut treugarum infractores puniuntur. *Joa.* XXI. *const.* 12. *p.* 160.
Treugas non servantes per biennium in Angliâ vel in Scotiâ excommunicationi subjacent, *Joa.* XXI. *const.* 1. *p.* 151.
Treugæ non servantur à Roberto de Brus excommunicando, *vid. excommunicatio.*
Treugæ fieri debent in Scotiâ per biennium, *Joa.* XXI. *const.* 1. *p.* 151.
Treugæ à die ratificationis suum effectum sortiuntur, *ibid. p.* 151.

Tributum.

Tributum Clero Gallicano non imponendum, *Nic.* V. *const.* 8. *p.* 259.

Tumultus.

Tumultum excitantes in Regno Angliæ damnantur, *Inn.* VIII. *const.* 6. *p.* 302.

Turcæ.

Turcæ civitates in Asiâ de novo subjicientes repellendi, *Pius* II. *const.* IV. *p.* 266.
Turcæ intra Europam vastâ cæde invalescunt, *Eug.* IV. *const.* 3. p. 255.
Turcæ quænam natio ? quid conatur contra Christianos, *Clem.* VI. *const. p.* 2. 133.

V

Vallia.

Valliæ Principi compositio quædam imponitur inter se & Davidem Fratrem suum, *Gregor.* VI. *p.* 84.

Valterus.

Valterus Lichefeldensis Episcopus debet libertati restitui, *Clem.* V. *const.* XIII. *p.* 138.

Vasconia.

Vasconiæ Ecclesiæ vacationes. Vide in verbo, *Angliæ Rex. p.* 83.
Vasconiæ Senescallus Jordanum capi facit & multis malis gravat, *Joan.* XXI. *constit.* X. *p.* 158.
Vasconiæ Senescallus parvi facit monita Summi Pontificis, *Joan.* XXI. *Const.* X. *p.* 158.

Vaſſallus.

Vaſſalli Fautorum ſocietatis magnæ à juramento fidelitatis abſolvuntur, *Urban.* V. *conſt.* II. *p.* 204.

Venceſlaus.

Venceſlao præcipitur ne ligas cum hæreticis factas obſervet. *Urban.* VI. *conſt.* II. *p.* 217.

Venceſlaus Romanorum Rex Principes hæreticos perſequi tenetur, *ibid p.* 217.

Venceslaus Romanorum Rex ligam facit cum Principibus Schiſmaticis, *ibid. p.* 217.

Venetiæ.

Venetiæ regendæ ab iisdem qui ante treugas regebant, *Clem.* VI. *conſt.* III. *p.* 197.

Viſio.

Viſionis beatificæ ſententia exponitur. Anterior revocatur. *Joan.* XXI. *conſt.* XXII. *p.* 178.

Viſio beatifica in quo conſiſtat, *ibid. p.* 178.

Vicariatus.

Vicariatum Imperii uſurpantium fautores excommunicantur, *vid. Excomm.*

Vicariatus Imperialis uſurpatores vicarii nequidem nomen debent uſurpare, *Joan.* XXI. *conſt.* XVII. *p.* 166.

Vicariatus Imperii uſurpatoribus nemo obedire debet, *ibid. p.* 166.

Cum Vicariatus Imperii uſurpatoribus pacta etiam cum juramento facta diſſolvuntur, *ibid. p.* 166.

Vicarius.

Vicarii Imperii nomen nemo ſibi vendicare debet, *ibid. p.* 166.

Vicarius Sedis Apoſtolicæ non electis non debet præſtari obedientia ſub pœna Excommunicationis, *ibid. p.* 166. *vide Excommunic.*

Vicarii Sedis Apoſtolicæ non debent eligi abſque ſummi Pontificis autoritate, *Joan.* XXI. *conſt.* XVII. *p.* 165.

Vicario Sancti Gaugerici Valencenenſis portio congrua præſtari debet, *Paul.* II. *conſt.* III. *p.* 28.

Vicarius amovibilis conſtituitur in parochiali Eccleſia S. Gaugerici Valencenenſis, *Paul.* II. *conſt.* II. *p.* 278.

Univerſitas.

Scholares Univerſitatis Colonienſis examinati & approbati poteſtatem habent legendi & docendi in aliis academiis, *Urb.* VI. *conſt.* V. *p.* 219.

Univerſitatis Colonienſis Scholares à Capitulo debent juxta conſuetudinem examinari, *ibid. p.* 219.

Univerſitatis Colonienſis Profeſſores iiſdem privilegiis gaudent ac Profeſſores Univerſitatis Pariſienſis, *vid. Privileg.*

Univerſitas Colonienſis ad inſtar Academiæ Pariſienſis ſtatuitur, *Urb.* VI. *conſt.* V. *p.* 219.

Univerſitatis Nannetenſis Cancellarius Epiſcopus eligitur, *Pius* II. *conſt.* VIII. *p.* 275.

Univerſitatis Nannetenſis Magiſtri non debent moleſtari, *ibid. p.* 276.

Univerſitati Nannetenſi privilegia conceduntur eadem ac aliis univerſitatibus, *ibid. p.* 276.

Univerſitatis Nannetenſis Baccalaurei examinati & approbati habent poteſtatem ubicumque docendi, *ibid. p.* 276.

Univerſitatis Pariſienſis membra trahuntur in judicium extra civitatem, *Joan.* XXII. *conſt.* II. *p.* 224.

Univerſitatis Pariſienſis Cancellario mandatur ut ſtatuta ſummi Pontificis faciat obſervari, *Eugen.* IV. *conſt.* XV. *p.* 242.

Univerſitati Oxonienſi præcipitur ut capi faciat Wiclefum *Greg.* XI. *conſt.* VI. *p.* 209.

Univerſitas Oxonienſis non debet pati ut errores Wiclefi doceantur, *ibid. p.* 209.

Univerſitatis Lovanienſis Scholarium cauſæ à Rectore tantùm judicandæ, *Mart.* V. *conſt.* I. *p.* 176.

Univerſitatis Lovanienſis Scholares poſt quinquennium licentiam obtinent, *ibid. p.* 176.

Univerſitati Lovanienſi quænam privilegia conceduntur, *vid. Privilegia.*

Univerſitas Lovanienſis gaudet iiſdem privilegiis ac aliæ Univerſitates, *Martin.* V. *conſt.* I. *p.* 175.

Univerſitati Lovanienſi concedtur Theologiæ Schola, *ibid. p.* 175.

Univerſitatis Lovanienſis Doctores, Magiſtri, Scholares habent libertatem vendendi & aſportandi omnia, *ibid. p.* 175.

Univerſitatis Lovanienſis Rector habet juriſdictionem ſuper omnia membra Univerſitatis, *ibid. p.* 175.

Univerſitas Lovanii ſtatuitur, *ibid. p.* 175.

Univerſitas Paduæ à quo tempore exiſtit? *Clem.* VI. *conſt.* V. *p.* 198.

Univerſitatis Paduanæ Scholares tenentur præſtare juramentum inter manus Epiſcopi, *ibid. p.* 199.

Univerſitas Paduana recipit confirmationem privilegiorum, *vid. Privil.*

Univerſitas Bituricenſis eadem recipit privilegia ac aliæ Univerſitates, *Paul.* II. *conſt.* I. *p.* 277.

Univerſitatis Patavinæ Scholares poſſunt percipere fructus beneficiorum per ſeptennium, *Eugen.* IV. *conſt.* XIII. *p.* 241.

Univerſitatis Patavinæ Scholares habentes dignitates poſſunt licentiæ gradum accipere, *ibid. p.* 241.

Univerſitatis Patavinæ Magiſtri & Scholares gaudent iiſdem privilegiis ac alii, *ibid. p.* 241.

Univerſitatis Patavinæ ſtatuta approbat *Urbanus* IV. *ibid. p.* 241.

Univerſitatis ſtatuta ampliora ordinat *Clemens* VI. *ibid. p.* 241.

Votum.

Votorum commutatio à quonam facienda in Univerſitate Pariſienſi, *vid. Cancellarius Pariſienſis.*

Wiclefus.

Joannes Wiclefus Rector Eccleſiæ Lincolnienſis errores docet, *Greg.* XI. *conſt.* VI. *p.* 209.

Wiclefi errores ſtatum Eccleſiæ & ſæcularem politiam ſubvertunt, *ibid. p.* 209.

FINIS.



MAGNUM
BULLARII
ROMANUM
PARS. III.

Tom. IX
844
1490

Th
475a